1.595

NOS DON ANTONIO JOACHIN DE SORIA, por la gracia de Dios, y de la Santa Sede Apostolica, Obispo de esta Ciudad, y Obispado de Valladolid, Chanciller Mayor de su Real Universidad, Prior, y Señor de la Villa de Junquera de Ambia, del Consejo de su Magestad, &c.

HAviendose visto, y roconocido con el mayor cuidado de orden nuestra por los RR. PP. Mros. Fr. Juan Manuel Rivera, y Fr. Andres Martinez Blanco, del Orden Calzado de la SSma. Trinidad, Doctores, y Cathedraticos en la Real Universidad de esta dicha Ciudad de Valladolid, el Libro, que se intitula: *Commentarij in Universos Sancti Doctoris Anselmi, Archiepiscopi Cantuariensis, & totius Angliæ Primatis, Theologicos, Dogmaticos, Polemicos, Scholasticos tractatus. Tomus primus tres continens tractatus, Monologium, Proslogium, & Librum Apologeticum contra Gaunilonem respondentem pro Insipiente*; escrito por el R. P. Mro. Fray Ildefonso Olivares, Monge Benedictino, Doctor Theologo en la Universidad de Hirache, Cathedratico que fuè en ella de Escriptura Sagrada, y Lengua Griega, y al presente Abad en el Real Monasterio de San Benito de esta referida Ciudad, y no contener cosa alguna, que sea opuesta à nuestra Santa Feé Catholica, y buenas costum-

tumbres, y sí considerarse una Obra muy util, y provechosa, desde luego por lo que à Nos toca, y pertenece no hallamos el mas leve reparo, para que obtenido el Real Permiso, se pueda imprimir. Dado en Valladolid à veinte y cinco de Julio de mil setecientos setenta y cinco.

Antonio Joachin

Obispo de Valladolid.

Por mandado de S. I. el Obispo mi Sr.

Don Manuel Garcia Zahonero.
Secretario.

NOS MAGISTER FR. ANSELMUS RODRIguez, Congregationis S. Benedicti Hispaniæ, & Angliæ Generalis &c.

TEnore præsentium, quantum ad Nos attinet, facultatem impertimur R. A. P. M. Fr. Ildephonso Olivares, Doctori Theologo, nostræ Congregationis Generali Magistro & Abbati Regii Monasterii S. Benedicti Vallis-Oletani; ut ab his, ad quos expectat, valeat procurare, & obtinere facultates, & licentias, ut prælo dentur, & in lucem edantur, ab ipso acuraté composita, *Commentaria in Monologium, Proslogium, & Apolegeticum, S. P. N. Anselmi cum ejusdem S. D. Vita, notis, & additionibus illustrata*; quoniam à viris probis, & doctis nostræ Congregationis jussu nostro recognita sunt, & examinata, & in eis nihil fidei nostræ, nihil bonis moribus dissonum, nihil regio juri contrarium reperitur. In quorum fidem præsentes litteras, manu nostra subscriptas, per nostrum Secretarium signatas, & sigillo officij nostri munitas, fieri jussimus, in hoc nostro Monasterio Matritensi S. Martino Sacro, die vigessima sexta mensis Novembris anni Domini millessimi septingentessimi septuagessimi quarti.

Mag. Fr. Anselmus Rodriguez,

Generalis Sancti Benedicti.

De mandato Rmi. P. Nri. Generalis.

Mag. Fr. Benedictus Camba.
Secretarius.

MENDA CORRIGENDA.

PAg. 2. lin. 7. *nostrourm*, leg. *nostrorum*. pag. 14. col. 2. lin. 12. *hac illa*, leg. *illac*. p. 18. col. 2. l. 23. *imagine speciosam*, leg. *imaginem*. p. 22. col. 2. lin. 7. *quærebantur*, leg. *querebantur*. p. 24. num. 34. *familiaribus*], leg. *familiarius*. p. 25. num. 34. in fine: *Anselmus*, leg. *Anselmo*. p. 28. col. 2. l. 23. *condescendo*, leg. *condescendendo*. p. 31. in additione: *Archiepiscoporum Cantuariensem fore*, leg. *Archiepiscopum*. p. 36. in addit. *Istæ litteræ cum aliis Anselmus*, leg. *Anselmo*. ibid. *prædixreat*, leg. *prædixerat*. ibid. *apicibuique*, leg. *apicibusque*. p. 42. in not. *Abbaiem*, leg. *Abbatem*. p. 49. col. 2. l. 42. *prucis*, leg. *pacis*. p. 50. col. 1. l. 29. *exquita*, leg. *exquisita*. p. 62. col. 2. l. 3. *post mensuram*, leg. *post mensam*. p. 67. col. 1. l. 32. *exigitatus*, l. *exagitatus*. p. 103. n. 3. l. 3. *cogitationum*, l. *cogitationem*. n. 4. l. 1. *secunda*, l. *secundæ*. p. 120. n. 8. l. 7. *ergo sit summum ens*, l. *ergo si*. p. 176. in marg. *vestitur*, l. *vertitur*. pag. 177. n. 24. l. 1. *quæ*, l. *que*. pag. 205. n. 7. l. 2. *confirmetur*, l. *confitemur*. p. 212. n. 4. l. penultima: *formamur*, leg. *formatur*. p. 233. cap. 60. l. 11. *sit perfecta*, l. *sic*. ib. n. 2. l. 4. *Latenens*, l. *Lateranense*. p. 235. cap. 61. in fin. adde notam hanc: ? p. 264. n. 7. l. 6. *discernit*, l. *decernit*. p. 340. n. 2. l. 6. *si hoc contra*, l. *perinde acsi*. p. 375. l. 7. *nec aliud, & esse potest*, l. *nec aliud, & aliud*. p. 279. n. 17. l. penult. *confert*, l. *confer*. p. 384. n. 11. l. 13. *secundam quod*, l. *secundum quod*. p. 385. n. 14. l. 9. *plus habendus*, l. *pluris habendus*. p. 388. n. 2. l. 10. *non amate Deum*, l. *non amare Deum*. In Indice ubi inveneris *Author. SS. Benedict.* lege: *Actor. SS.*

401

SAPIENTISSIMO,

ATQUE REVERENDISSIMO PATRI MAGISTRO

FRATRI ANSELMO RODRIGUEZ,

ABBATI GENERALI

CONGREGATIONIS VALLIS-Oletanæ Ordinis S. Benedicti.

ADMODUM REVERENDE PATER.

COMMENTARIJ, QUOS JAM ANTE ALIQUOT annos in omnes Theologicos Sancti Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis, Primatisque totius Angliæ, tractatus usque ad umbilicum perduxi, jure merito Te, Pater valde Reverende, Mecœnatem quærunt, & habere débent. Cum enim, tu nisi accepisses supremam in Congregatione nostra Benedictina potestatem, numquam (quantum ex signis, nostrarumque rerum statu ratio colligere potest humana) lucem publicam obtinerent; sed ut cum blattis, & muribus concertarent perpetuò damnarentur; sub cujus potius auspiciis ponendi erant, nisi sub umbra alarum tuarum, ut cui vitam in hominum mentibus debent, debeant & protectionem? Audierant certè & alii ex nostris elaboratos à me esse hujuscemodi commentarios: sed vel putabant, sua nihil interesse, ut in lucem emitterentur, aut certé non credebant eos esse, qui profunditati, sublimitati, subtilitati doctrinæ S Doctoris respondèrent, atque adeo nec luce digni. Prætermitto, quòd fortassis non pauci sint, qui doctrinæ, & stylo facili Sancti Thomæ à sua ipsorum juventute assueti, de lectione aliorum Patrum nihil, aut parum curant; unde consequens fit, ut nec de aliorum Patrum commentariis, illustrationibus, aut Notis sint soliciti. Sed quantum ad nostrum Anselmum est & alia potentissima ratio; cogitata nimirum vel à pigris, vel à mente imbecillibus obscuritas magna: quapropter nec

mag-

magni pendunt ejus doctrinam, aut saltem non magni pendere videntur.

Tom. 9. pag. 454. & seqq.

„ Hi profectò cum illis paucis Theologis numerandi sunt, qui, „ judicibus doctissimis Monachis Congregationis S. Mauri, Authoribus „ *Historiæ Litterariæ Gallicanæ*, non tanti Theologiam S. Doctoris ha- „ buerunt, quanti debet haberi; quia vel illam non satis intellexerunt, „ vel quoniam cum aliquorum posteriorum Scholasticorum Theologia „ eam confuderunt; cum tamen valde differentes inter se sint.

Sed quidquid hi Theologi de Anselmiana, quam ignorabant, senserint Theologia (judicium sine causæ cognitione nihil meretur attentionis.) " Anselmus in sententia præfatorum Monachorum ex propositio, & accuratissime agentium de illo, ipsiusque doctrina, fuit unum „ ex illis singularibus ingeniis, quæ Deus non concedit omnibus sæcu- „ lis. Natus, inquiunt, tanto mentis acumine, quanta velocitate, am- „ plitudine, exactitudine (justese) sive coaptatione cum veritatibus, „ vix non solus per semetipsum sibi sufficiens fuit ad provehendum, quas „ aggressus est colere scientias, ad eum perfectionis gradum ad quem „ eas evehexit. Id ingenii á natura ita validum, & copiosum acceptum, „ accrevit, novumve gradum acquisivit perfectionis medio notitiarum „ subsidio, quas in Sacra Scriptura, Authoribusque Ecclesiasticis hau- „ sit, atque exquisito gustu, verum à falso discernendi, à Lanfranco, Doc- „ tore tam celebri scientia, quàm pietate illustri, communicato. Ex „ hoc suo ita disposito, atque ditato ingenio naturali eruit Anselmus „ quidqnid necessarium erat ad restaurandum bonam Philosophiam, di- „ tandumque Theologiam.

Ibid.

Pag. 427. ejusdem vol.

„ Ante ipsius tempus, & ætatem Dialectica, hæc ars pretiosa „ justè ac solidè ratiocinandi ad obtinendam cognitionem veritatis, non- „ nisi vocibus, ac regulis constabat, quarum applicatio ut plurimum „ ignorabatur. Erat quoddam exercitium informe, quod non eò ten- „ debat, ut res intelligentiá penetraret, aliquidve solidi concluderet. „ Anselmus felici, rectàque tendenti ad veritatem ingenio suo adjutus, „ hujusmodi vitia essentialia detexit sine labore; & ut èadem oppugna- „ ret, quinnimo &, si possibile foret, omnino extirparet; suum Dia- „ lecticæ composuit Tractatum inscriptum: *De Grammatico*; cujus Ins- „ criptionis alibi rationem dedimus.

„ Quod in favorem Metaphysicæ fecit Anselmus majus est eo, „ quod ad utilitatem, bonumque usum Dialecticæ fecit. Vix Metaphy- „ sicæ nomen agnoscebatur, cum hic S. Doctor suæ lucis emittere ra- „ dios in mundo cœpit. Verum eo felici successu in discooperiendo, & „ exenterando principia Metaphysicæ insudavit Anselmus, ut gloriam „ meruerit, quòd ipsam ab interitu revocaverit. Eò cogitationes „ suas, & intelligentiam in hac materia provexit, ut propter tot „ nova ratiocinia, tot à se inventas veritates, melior post Sanctum Au- „ gustinum Metaphysicus audiat omnibus, qui exstiterint in mundo. Mo- „ nologium suum, ipsiusque Proslogium, in quibus viri ingenio prædi- „ ti, sæculi præcedentis, atque præsentis, notitias, & rationes colle- „ gerunt, quæ ipsis fuere non parvo honori, neque exiguam gloriam pe-

pe-

„ perierunt, verè sunt quidam insignis, ferè integer, Tractatus natura-
„ lis Theologiæ de Deo Uno in essentia, Trinoque in personis. Ansel-
„ mus itaque per suam formam, suumque modum ratiocinandi, docuit
„ Philosophos, non solùm ut animos efferant, atque nænias, & quis-
„ quilias Scholæ parvi pendant, sed illos pariter docuit supremum Ens
„ in seipso contemplari, necnon innatis Ideis uti, lumineque naturæ,
„ quod à creatore signatum est in mentibus hominum, res considéran-
„ do independenter à sensibus.

„ Naturaliter Metaphysicus, factusque ita bonus Dia-
lecticus, qualem fuisse supra monstravimus, feliciter aggressus est
agere de Sacræ Scripturæ, Patrumque doctrina, viribus utens, atque
„ instrumentis Dialecticæ, & Metaphysicæ. Nova methodus, quæ ab
„ Antiquorum methodo non differt, nisi in eo quòd magis utitur ratio-
„ cinio, necne maiori exigit ordine procedere, quin á duobus fontibus es-
„ sentialibus, invariabilibusque regulis veræ Theologiæ, Sacra videlicet
„ Scriptura ac Traductione, discedat. Hac itaque methodo nactus est
„ Anselmus Scholasticorum conjungere subtilitatem cum gravitate, effi-
„ cacia, soliditate, & spirituali unctione SS. Patrum, in quorum nume-
„ ro agnoscit ipsum Ecclesia, & veneratur.

Hæc, & alia multa, eaque præclara, de nostro ajunt Anselmo præfati eruditissimi Monachi, qui in laudatissimo suo prædicto Opere non personam laudantium, sed Historico-Criticorum agunt. Valde consona his sunt, quæ sapientissimos Bossuetium, Mabillonium necnon Ceillerium de S. Anselmo censuisse in nostra Præfatione, verbis ipsorum transcriptis, demonstramus. Jure itaque nomine tanti Doctoris insigniris, admodum Reverende Pater, qui, cum statim ut Te monui me qualemcumque super Sanctum Anselmum habere lucubrationem, lætitiam in facie, aviditatem in verbis, & actione, ut opus videres, tametsi tempus nimis importunum, non obscurè manifestaveris, nullaque interposita postmodum difficultate, aut mora, Benedictinos Salmantinos Doctores, adjunctis Sacræ Theologiæ Lectoribus in eodem Collegio commorantibus, Censores Operis nominaveris, satis indicasti Te, qnalis, & quantus sit S. Anselmus, quàm utilis, & pretiosa doctrina ipsius, non ignorare.

Neque aliud decebat præclaram indolem tuam, ingeniumque præclarum, affectumque animum tuum ad antiquam, sanam, puram, solidamque doctrinam Patrum, à sapientissimis Congregationis Sancti Mauri Monachis Benedictinis illlustratam, à mendis, nothisque eis suppositis operibus repurgatam, atque discretam. Nec ad hujusmodi solùm doctrinam sanctam, & Ecclesiasticam, Te propensum ostendisti; sed ad omnem quoque antiquitatem Diplomaticam, priusquam ad supremam in Ordine Prælaturam ascenderes, idoneus agnitus est, & ut manus dares designatus ad Operis intenti Diplomatici executionem. Hic amor totiusmelioris Antiquitatis, Te ad maximam in Congregatione superioritatem elevato, non decrevit, non tepuit; sed potius tecum crescente concrevit, & magis efervuit. Ubi primùm electus est Abbas Generalis, nihil antiquius animum tuum occupavit, quàm quòd opus Diplomaticum vi-

viribus omnibus promoveretur, & hucusque promovere non ceſſaſti. Vehementer itaque deſideras libros correptos, tùm SS. Patrum, & aliorum Authorum antiquorum Eccleſiaſticorum, tùm etiam Hiſtoriographorum, maxime nostrorum Hispanorum, ut depellantur errores, novumque lumen accipiant veritates. Imitaris & in hoc Sanctum Doctorem Anselmum, qui referente suo discipulo Eadmero, horis nocturnis, ac meridianis, dum alii Monachi membra sopori dabant, libros, Librariorum oscitantia nimis corruptos, ab erroribus expurgabat.

Neque in hoc duntaxat amore veritatis, antiquæ nimirum purgatæ litteraturæ, Anselmum imitaris, sed etiam morum dulcedine, atque suavitate, prudentia in regimine, necne tranquillitate, patientia, æquanimitate in suſtinendo infirmitates, atque defectus tuorum subditorum, semper animo propensus ad misericordiam, & clementiam. Ob has itaque ſimilitudinis raticnes, tùm in nomine, tùm in amore eorumdem prædictorum ſtudiorum, tùm in moribus, etiamſi deeſſent alia à te beneficia mihi præſtita, quibus & feciſti ut hi Commentarij in lucem publicam incipiant apparere, dignus es, cui eosdem potius nuncupem, quàm alii ex hominibus, qui sunt in terra: sed propter illa à me accepta beneficia omni jure sub tuis felicibus auspiciis, & protectione juris publici fiunt. Vivas, Pater, longissimam vitam, & celeriter crescas in honore. Id vehementer deſiderat,

Tuus obsequentissimus, &
amantissimus filius

Fr. Ildephonsus Olivares.

PRÆFATIO.

EN TIBI, LECTOR, COMMENTARIOS LEGENDOS DO in aliquos S. Anſelmi Archiepiſcopi Cantuarienſis, & Doctoris celeberrimi Tractatus; & in univerſos Theologicos, ſive dogmaticos, ſive Scholaſticos, ſeu polemicos dare poſſem, non adhuc faciendos, ſed jam integre ac ſuprema manu factos. Deo volente prodibunt in Lucem, ſi quod nunc do primum volumen, gratum fuerit Reipublicæ Litterariæ, prosperosque obtinuerit ſucceſsus. Sin minus; non amplius ſapientibus displicère contendam. In hoc itaque tomo primo edere mihi viſum eſt *Monologium*, *Proslogion*, *& Librum contra Gaunilonem, agentem pro Inſipiente*, *Apologeticum*; eo ipſo nimirum ordine, quo in optima Gabrielis Gerberonii, monachi Congregationis S. Mauri, quam & in textu ſequor, inveniuntur editione. Hi enim tractatus & quamdam inter ſe affinitatem habent, & improbabile non eſt, quòd ſaltem Monologium ſcriptum fuerit à S. Doctore ante cæteros tractatus, Libros, ſeu Dialogos, pertinentes ad Theologiam. Tres deſignatos compoſuit S. Doctor tempore ſui Prioratùs, antequam Abbas eligeretur, ut ex Eadmero ejus vitæ ſcriptore patet.

Commentarium ſuper Monologium præterito jam proximo ſæculo condidit noſter ſapientis. Cardinalis de Aguirre, tribus Theologiæ ſuper S. Anſelmum editis voluminibus Salmanticæ in folio; quibus tamen nonniſi uſque ad Caput ſexageſimum octavum incluſivè pervenit. Cùm enim Theologicas ſupra centum Diſputationes, Litterà prius textus expoſita, intermiſcendo compoſuerit: nihil mirum quòd ſuas commentationes non multum promoverit. In tomo tamen tertio *Hiſtoriæ Litterariæ Ordinis S. Benedicti*, pag. 421. Syllabus traditur, ab ipſomet Cardinali doctiſſ. confectus, in quo inter ipſius opera nondum edita quartus ſignatur tomus Theologiæ S. Anſelmi per hæc verba: *Theologiæ S. Anſelmi Tomus quar-* „ *tus*: in quo dabimus, inquit, Commentarium Monologii á cap. 66. „ uſque ad finem, & Diſputationes, tum Dogmaticas, tum Scholaſti- „ cas, èodem ſpectantes. Hæc clariſſ. Cardinalis. Sed credam mendum irrepſiſſe in numero capitis, & pro 66. reponendum eſſe 68. ad quod, ut diximus, conſtat perveniſſe. Ubinam gentium tandem hoc Manuscriptum delitescat, neſcio; nec de illo quempiam audivi loquentem. Itaque quantum ad me, & publicam rem litterariam perinde ſe habet, ac ſi nunquam fuiſſet. Denique, commentatus eſt ille Purpuratus inſignem Librum S. Anselmi *De Proceſsione Spiritus Sancti*: Sed illum Commentarium ab ipſo inſertum intra volumen inſcriptum, *Defenſio Cathedræ S. Petri*, pauci, ut puto, legunt.

Noſter itidem Rev. Joannes Baptiſta Lardito, Salmantinus Doctor Theologus, unius ex duabus Theologiæ Cathedris, huic Benedictinæ Congregationi in ea Academia affixis, Moderator, Abbasque poſtmodum generalis ejusdem ſuæ Congregationis, Commentarios quoque fecit, breves licèt, non ſolùm ſuper eumdem librum de Proceſsione, ſed etiam ſuper alios quosdam, nimirum, ſuper Librum *De Fide Trinitatis*, *& Incarnatione Verbi*; ſuper Dialogum *De Caſu diaboli*; ſuper duos Libros *Cur Deus homo*; ſuper alium *De Conceptu Virginali*, *& Originali peccato*; qui

omnes certiſsimè opera ſunt S. Doctoris. Circa materiam ad hos libros, & dialogum reſpectivè pertinentem, multas quæſtiones excitavit, & reſolvit in tribus tomis in folio minori, inſcriptis : *S. Anſelmi Theologia.* Methodus omnino Scholaſtica eſt in his quæſtionibus: aſt in ſuis Commentariis, quos cum texto integro, nulla admixta propria ſui quæſtione, initio omnium trium voluminum ponit, ad Dogmaticam inclinat. Sex autem ſunt, quos neque in toto neque in parte commentatus eſt, Libri vel Dialogi, nec minus certe à S. Anſelmo compoſiti ſunt, ſcilicet, *Monologium, Proslogion, Apologeticus, Dialogus de Veritate, Dialogus de Libero arbitrio, & Liber de Concordia præſcientiæ, & prædeſtinationis, & gratiæ cum libero arbitrio.* Omnes hi reſtabant commentandi, præter Monologium uſque ad caput 68. quod jam dixi commentatum fuiſſe Eminent. Aguirrium : unde reliqua erant ad explicandum undecim hujus libri capita. Alium enim, præter hos duos Commentatores S. Anſelmi, vidi neminem, nec ſcio. Nam etſi alii Benedictini, in ſuis unusquisque reſpectivé, quæ in lucem emisere, ſcriptis Theologicis, unum aut alterum textum S. Doctoris, vel plures etiam, ſed non continuatè, & diſperſos, ad ſuas ſeu probandas ſeu confirmandas ſententias, traxerint, non hi propterea merentur appellari Commentatores S. Anſelmi. Idem fuit judicium laudatiſsimi Cardinalis. Itaque, quamvis paulo antequam in Publicum apparuerint Commentarii Domini Aguirrii, ſuave Theologia S. Anſelmi, typis mandata fuerint opera S. Anſelmi correcta á Gerberonio ac criſi diſtincta, & quibusdam ſuper ſola Capita Monologii in forma logica ſummariis, id nihil officit, quominus illi Eminentiſsimo jure debeatur honor, & gloria primi abſolutè S. Anſelmi Commentatoris. Gerberonio tamen ſua, & quidem non parva, laus debetur, quoniam novam quaſi vitam S. Anſelmo reddidit, cùm ejus Opera ab infinitis mendis, quibus ſcatebant, expurgavit. *Dum ſublimioris*, inquit in ſua Præfatione, *doctrinæ ſplendoribus hinc inde micarent, adeo corrupta deprendimus, ut vix una ſupereſſet integra ſententia.* Gerboronio quoque debetur Operum, quæ vere ſunt S. Doctoris, ab ſpuriis, & ab aliis qui certe ſui diſcipuli Eadmeri ſunt, prudens & ſapiens discretio. Nec ſua gloria fraudandus admodum Rev. Lardito, qui primus etiam Commentator eſt eorum tractuum, quos commentatus eſt, excepto Libro de *Proceſsione Spiritus Sancti*, quem antea, ut diximus, Cardinalis de Aguirre expoſuit.

Nos vero, qui ubi primùm, etiam extremis labiis, guſtavimus doctrinam Anſelmi, nobis arriſit, arridentem attentiùs legimus ; attentiùs lectam, magis intelleximus ; ad magis intellectam plus amore affecti ſuimus ; plus affecti, ſtudioſiùs adhùc legimus, & amplius intelleximus: Nos, inquam, vehementer dolebamus, quod parum affecti ad illam eſſent, etiam hi, quorum menti, & cordi intimiùs eſſe debebat : immò & ægrè ferebamus cùm unum, aut alterum dicentem audiebamus, Scripta S. Doctoris difficillima eſſe intellectu, aut minus eſſe ſolida, aut ejus methodum neſcio quâ cenſura dignam, aut ejus ſtylum latinitatis eſſe quaſi contemptibilis : & hoc dicebant, qui ſtylum approbare videbantur quorundam Scholaſticorum, quorum phraſes ac vocabula multa Cicero, Virgilius, & Donatus, aut latina non agnoscerent, aut in alia intelligerent valdè diverſa ſignificatione ab ea, quam ipſis Scholaſtici pro libitu ſuo, Latio renuente, affixerunt. Et illi homines, qui hujusmodi Scholaſticos capiebant, & magni faciebant, aut ſe non intelligere S. Anſelmum, aut ejus ſtylum, & latinitatem reprehenſibilem, ſi non expreſsis verbis, ſuo quo-

dam

dam ſubmiſſo modo dicebant ; cùm Anſelmus nonniſi verbis verè ac purè latinis, & in ſua ipſorum proprie latina ſignificatione , regulis exactè ſervatis grammaticæ , in omnibus ſuis tractatibus Theologicis uſus fuerit. Si ante Editionem ſanam Gerberonii dixiſſent illi parùm in hoc prudentes Cenſores, præſertim quantum ad aliquos tractatus ; non eſſet mirandum quod de ingenti obſcuritate cauſati fuiſſent : nunquam tamen eſſet prudentiæ tàm denſas tenebras S. Doctori attribuere ; ſed vel defectui Manuscriptorum , vel negligentiæ Editorum , vel oſcitantiæ Typographorum. Aſt poſt illam tam exactam , & illuſtrem Editionem , tenebræ non ſunt ſuper textum S. Doctoris , ſed ſuper faciem mentium eorum , qui vel puſillo ſunt ingenio , vel intelligere volunt parvo labore , levique lectione , nulla aut ferè nulla profunda meditatione , & collatione Scriptorum S. Doctoris , & aliorum Patrum , præſertim S. Auguſtini , ad quem ipſe Sanctus in Præfatione ad Monologium ſuos mittit Lectores. Uno verbo, hi homines discere amant , & intelligere Theologiam SS. Patrum ſola lectione Scholaſticorum Juniorum. Quæ per hanc aridam lectionem non didicerint , aut discere queant , parvi pendunt. *Optima enim quæque* , ait S. Hieronymus ex Plinio, *malunt contemnere plerique , quàm discere.* Nempe , ut ait Scriptura , *vult , & non vult piger.*

Sed age, videamus quid de Theologia S. Anſelmi ſenſerint , non homines illorum temporum , cùm ars critica neglecta manebat , ſed ſæculi proxime præteriti atque noſtri , quibus nulla ſcientia magis exculta. Illuſtriſ. Episcopus Meldenſis (de Meaux) Jacobus Benignus Boſſuet, magnum Galliæ , imò & totius Eccleſiæ Lumen , appellat S. Anſelmum *ſcientia Theologica præcellentiſsimum.* Dom. Joannes Mabillonius , cui cave alium criticum præponas , in ſuo aureo *de ſtudiis Monaſticis* tractatu, non ſolùm ait S. Anſelmum *primum eſſe inter Latinos , qui Theologicas quæſtiones ſcholaſtica pertractarit methodo , in variis , quos elucubravit tractatibus,* ſed etiam pro exemplo illum proponit his qui Theologiæ navant operam, ac de ea in ſcriptis quæſtiones pertractant ; & quòd utile erit Theologis inviſere ſicut Libros Damaſceni de Fide orthodoxa , quatuor Magiſtri Sententiarum , *& præcipuas quæſtiones Divi Thomæ* , ita etiam *tractatus Theologicos S. Anſelmi.* Denique in tomo 5. Annal. Benedict. Lib. LXXI. num. 72. *In ſcriptis ejus,* (Anſelmi) ait , *elucet eximia ſubtilitas conjuncta , quod rarum eſt , cum inſigni pietate , & ſoliditate doctrinæ.*

In Defenſ. Declar. Cleri Gallic. t. 1. part. 1. lib. 3. cap. 13. Mabill. de Stud. part. 1. cap. 6.

Tertium teſtem , & criticum duobus antecedentibus non imparem appello , Dom. Remigium Ceillierum , monachum Benedictinæ Congregationis , in Lotharingia , SS. Vitonii & Hydulphi , ipſiuſque Præſidem generalem , tomo 21. Hiſtoriæ Authorum Eccleſiaſticorum cap. 16. §. 14. cujus Epigraphe : *Judicium de ſcriptis* (verto in Latinum ex Gallico) *S. Anſelmi.* In ſcriptis , inquit , S. Anſelmi probè noſcitur , illum fuiſſe „ peritum Philoſophum , excellentem Metaphyſicum , & exactum Theolo- „ gum. Qui opera legit ipſius , in eis diſcit , juſta ac ſolida formare ra- „ tiocinia ; atque ſuperiorem omnibus ſenſuum affectionibus , ſive ſpecie- „ bus ſenſibilibus , guſtu percipere veritates purè intellectuales , & mente „ capere quod conſtituit objectum Chriſtianæ fidei. Id quod hunc Sanc- „ tum Doctorem magis mirabilem facit , eſt , quòd cùm ſublimes ſint co- „ gitationes ſuæ , ratiociniaque ſubtilia , non minor eſt ejus humilitas, „ quam ſervat in modo èadem proponendi : ita ut conjungat excellentiam „ ſuarum virium intellectualium cum pietate ac virtute ſolida. Raró utitur „ Patrum authoritate , tametſi eorum plures legiſſet , præcipue Sanctum

Au-

„ Auguſtinum, & methodo tunc temporis parum uſitata, eas vi ratiocinii veritates ſtabilit, quas in ſcriptis eorum ac in divinis ſcripturis dicerat. Hæc eſt illa methodus, quæ poſtea appellata eſt Scholaſtica „ Theologia. Sed in S. Anſelmo nequaquam invenitur *puerilitatibus, nec „ barbaris dictionibus admixta, quas futuris temporibus Scholæ admiserunt. „ Hucusque Ceillierius.

*Gallicè ponitunt: *Chicaneries.*

Ut autem agnoscant omnes, ſaltem mediocris ingenii, nec ſolùm credant quod hi tres inter alios aſſeruerunt Authores, præſertim Ceillierius, de excellentia Methaphyſicæ Anſelmi, peritia Philoſophica, ſublimitate ſuarum cogitationum ac ſubtilitate cum ſoliditate rationum in Sacra Theologia, hos Commentarios quos nunc do, & in poſterum offero, hi modò placeant, omni quanta potui diligentia & ſudore elaboravi. At ob oculos illud ſapientis effatum habere debui, *nihil ſupra vires.* Et illud Horatii præceptum.

SUMITE MATERIAM VESTRIS, QUI SCRIBITIS, æquam viribus,

Lib. de arte.

ITA ſane. Sed alius item dixit: *Omnia vincit improbus Labor.* Ad hunc juvabant bona, conſtansque ſalus, & vires corporales. Denique, amanti multa fiunt poſsibilia, quæ nolenti, aut tepido impoſsibilia non tam ſunt, quàm videntur. Ergo ſi forſan minùs prudenter tantum ſum opus aggreſſus, affectio vehemens ad S. Doctorem ipſiusque doctrinam, temeritatem, ſiqua fuit, meam excuſat. Accedit, quòd poſt tot ſæcula nullus Noſtratum nec alienorum totum Anſelmum interpretatus fuerat; & duo ſoli qui, ut dixi, fuerunt aliquorum Interpretes Librorum, utrique majores vires ſuas occuparunt, non in exponendo, & expediendo Litteram S. Doctoris, ſed in approbando, & firmando, & illuſtrando ſuas proprias Disqutationum aut Quæſtionum aſſertiones. Præterea, Cardinalis de Aguirre id habet incommodi, quòd per interpoſitas multas Disputationes inter caput, & caput Monologii aut Lectori non permittit colligare, & conferre doctrinas cum doctrinis S. Anſelmi, caput cum capite, aut ſaltem brevì eorum connexionem obliviſcere facit. Rev. Lardito hoc incommodum vitavit; ſed capita ſingula exponit in globo, & ad partes cum diſtinctione non descendit. Itaque panem non frangit pro parvulis, dentes adhuc non habentibus; aut ſi dentes jam habent, ſed non cultellum; aut ſi etiam cultellum, ſed non ſat virium ad frangendum. Ego autem curavi ſingula capita per partes exponere, & ita exponere, ut ad nihil aliud intentio, & attentio meæ diſtraherentur, ſed omni niſu ad detegendam, illuſtrandam, confirmandam, expediendam, & captui juvenum Theologorum accommodandam, aliisque jam provectis parcendum labori quærendi mentem Authoris, totæ ferrentur. Qua arte, quo ſtylo, quibus ſubſidiis id fecerim, otioſum & invidioſum eſt dicere, quando ipſa attenta Lectio cuique per ſeipſam manifeſtabit. Si aliquando forſan exprimendo ſententiam S. Doctoris allucinatus ſum, certus ſis, Lector, quòd non incuriâ, nec fugâ laboris, nec meæ propriæ ſententiæ præventione id contigit, ſed lapſu humano & inculpabili. Nihil magis abhorrui quàm vim facere contextui ac menti (quandoque in alio capite aut libro magis expreſsæ) Sancti Doctoris. SS. Patres, quos conſului, & contuli cum S. Anſelmo, in ipſis ſcriptis ſuis, & quidem juxta meliores Benedictinorum Congregationis S. Mauri novas Editiones accuratè legi. A Sancto Doctore Bonaventura plurima ſecundum

no-

noviſsimam, quam meliorem cæteris credo, editionem, accèpi, extraxi, quæ pro Libris præſertim *Cur Deus homo*, *& de Conceptu Virginali*, *& Originali peccato* non parvo mihi fuere ſubſidio. Sed jam prius ex alia Editione extraxeram amplum contextum pro intelligentia ſecundi, tertii, ac quarti, Proslogii; & primi cápitis Apologetici. Certe nullum, præter S. Auguſtinum, Patrem in ſuis ſcriptis ſeu Commentariis ſuper Magiſtrum amplius citat, & honorat, quám Anſelmum.

Hìc finienda erat Præfatio: ſed ne quis cauſetur fortaſsis, eò quod in fine Monologii recapitulationem quamdam ipſius non videat, quæ mihi illud exponenti, nec primò nec ſecundò, venit in mentem, en ipſam tibi, Lector, do per anteceſſum.

Monologium itaque quaſi quædam ſumma eſt totius quod conſtituit principale objectum Chriſtianæ fidei, de quo ſola ratione agit: quapropter illud initio titulavit, *Exemplum meditandi de ratione fidei*: nam *Monologium* poſtea inscripſit. Quod ergo S. Anſelmus probat in eo, eſt, Deum exiſtere & unicum, non qualem duntaxat demonſtravere celebriores Antiquitatis Philoſophi, ut Plato, & Ariſtoteles, factorem ſcilicet ſeu conſtructorem ex æterna, & ingenita ſeu non facta omnium materia, ſed eumdem omnino quem credimus, creatorem videlicet rerum omnium viſibilium, & inviſibilium, nulla preexiſtente vel actioni Dei ſubjecta materia, vel quacunque eſſentia non facta ab ipſo Deo, unde Mundum totum, partemve ipſius conderet. Itaque probat Deum per ſe ſolum, à nulla re alia, in quocunque genere cauſæ, adjutum, cuncta ex nihilo feciſſe; hoc eſt, feciſſe, ſed nulla ex re: ſolumque Deum eſſe per ſeipſum, nequaquam factum, à ſe vel ab alio, quocumque genere factionis. Probat inſuper Deum, non cæco naturæ impetu, nec temerè, nec caſu, ſed rationabiliter univerſa creaſſe: quo poſito, oſtium ſibi ad probandum *Proceſsiones* intra ipſum Deum manentes, quas Schola vocat, *ad intra*, optimè aperit; parùm tamen ſuſtinet, & inceptum interrumpit, quousque ea, quæ ad Deum ut unum pertinent, demonſtret, difficultatibusque expediat, nodosque diſſolvat. Demonſtrat itaque & ſecuram regulam ponit ad dignoſcendum quæ poſsint de Deo vere ac proprie dici; quæ vero dici nequeunt. Nec ſolum id demonſtrat; ſed etiam qualiter aſſeri de Deo poſſunt illa attributa, eſſentialiter, an accidentaliter, in concreto, ut Schola loquitur, duntaxat, an etiam in abſtracto; an quaſi adjectivè, an quoque ſubſtantivè, & identitate prorsus metaphyſica, re & modo. Explicat inſuper quo ſenſu Deus dicatur æternus, immutabilis, immenſus, & quo ſenſu conveniat ipſi ratio ſubſtantiæ. Ante hæc, poſt demonſtratam ſcilicet creationem, oſtendit omnia pariter per Deum vigere, ſeu in ſuo eſſe conſervari.

Quibus omnibus demonſtratis, & in libertate poſitis, redit ad id quod incoharat, & interim mente retinuerat, probationem ſcilicet Trinitatis divinarum perſonarum, & miro ordine, ingenioque probat. Nam ex eo quód Deus rationabiliter omnia condidit, colligit Deum intra ſe prius dixiſſe, & locutum fuiſſe, ut formaret creaturarum rationes, Idæas vel exempla; hancque locutionem diſtinctam eſſe non poſſe ab ipſa ſubſtantia Dei, atque proinde ipſi Deo eſſe conſubſtantialem. Hinc conſequenter probat hanc locutionem non plura, ſed unicum eſſe Dei Verbum; & hoc eſſe ſimilitudinem, & Imaginem, non quidem creaturarum, ſed Dei, qui noscendo ſeipſum, dicit ſeipſum; & dicendo ſe, dicit pariter univerſas creaturas: & cùm nemo queat eſſe Imago ſuipſius, neceſſe eſt, ut hoc Verbum non ſit ille cujus eſt Imago, & cui tamen conſubſtantiale eſt, ſive unius ejus-

A cap. 2.

Uſq. ad 9. al. 8. à 9. uſq. ad 11. al. 10. cap. 12.

A cap. 13. al. 12.

Uſq. ad 28. al. 27.

Cap. 13. al. 12. & cap. 14. al. 13.

Capp. 10. & 11. ut ſupra. A cap. 29. alias 28. Uſq. ad 39. al. pars 38. A cap. 39.

dem-

demque ſubſtantiæ cum ipſo. Et en diſtinctionem duorum ſimul cum unitate ſubſtantiæ. Sed progreditur S. Doctor ut oſtendat quo nomine cenſendi ſint hi duo, & probat hujus Verbi proceſsionem veriſsimè ac propriſsimè eſſe generationem, immò perfectiſsimam omnium; atque adeò eum á quo Verbum procedit, veriſsimum eſſe genitorem, & Patrem: & Verbum veriſsimé genitum, & Filium. Itaque vides verum Patrem, & verum Filium in una eſſentia, & natura, & conſequenter verè, & realiter diſtinctos inter ſe, indiſtinctos verò in natura atque ſubſtantia.

Uſq. ad 49. al. pars cap. 47.

A cap. 49.

Pari ingenio, nec diſpari ſoliditate probat Deum amare ſeipſum; Patrem amare Filium, & Filium amare Patrem, amore nimirum ab utroque procedente, tantoque amore, quantus eſt Deus, & quantum amabilis eſt: unde colligit, & hunc Amorem procedentem á Patre, & Filio, non eſſe Patrem nec Filium; & æqualem ipſis eſſe, & conſequenter unum cum ipſis & eundem Deum. Rationem reddit cur hic Amor, tametſi conſubſtantialis Patri, & Filio, non eſt Filius: & quare huic Amori nomen Spiritus Sancti propriè conveniat, cùm Pater ſit ſpiritus, & ſanctus, & Filius pariter ſpiritus, & ſanctus, & tamen nec Pater eſt Spiritus S. nec Filius Spiritus S. eſt. Et ut brevi, concludam quæ de Patre, & Filio, & Spiritu S. probat, ipſe vi rationis fundatæ in principiis ab initio, & in decurſu ſtabilitis, oſtendit Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum coequales omnino eſſe in omnibus quæ de divina eſſentia, & natura ſive ſubſtantia dicuntur, reſervatis tamen unicuique ſuis notionibus ſeu proprietatibus relativis, quas apertè deſignat atque discernit. His omnibus itaque probat tres eſſe realiter ad invicem diſtinctos, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, ſed hos tres unum ſimpliciſsimè perfectum eſſe Deum, absque ullo discrimine in ſubſtantia, & hujus attributis: hosque tres ſic ad invicem diſtinctos, non poſſe à nobis uno nomine deſignari, quatenus ſcilicet tres ad invicem ſunt, quia nec tres Patres, nec tres Filii, nec tres Spiritus Sancti, nec tria Verba, nec tres Imagines, nec tres Amores procedentes. Dicit tamen in penultimo capite, quòd ob penuriam nominum propriè ſignificantium quid vel in quo tres ſint, elegerunt Latini nomen *perſona*; Græci verò nomen *ſubſtantia*: & ſic Latini interrogati, quid tres ſunt Pater, & Filius, & Spiritus S. respondent: tres perſonæ; Græci: tres ſubſtantiæ.

Usque ad 65. al. pars cap. 62.

Cap. 78. al. 76.

Ergo abſoluto in capite 65. quod dicendum, probandum, & explicandum ſibi erat de Summa Trinitate, incipit à cap. 66. (al. 64.) oſtendere quodnam ſit aptius, meliusque medium cognoscendi in hac vita Divinam Trinitatem, monſtratque mentem eſſe rationalem, quoniam ipſa inter omnia creata ſimilior eſt Deo, eſtque ſpeculum quoddam, & Imago Trinitatis, ex eo quòd memor eſſe Dei poteſt, cognoscere, & diligere Deum: ex qua poteſtate colligit obligationem diligendi Deum etiam incumbere Animæ rationali, cùm & ipſa mens rationalis ſit. Ex hoc amore Dei infert deſtinationem Animæ rationalis à Deo, ut aliquandò ſit verè beata, modò perſeveret in hoc amore. Ex naturâ verò, & nobilitate hujus amoris, magnificentiæ, dignitatis, & bonitatis Dei, ejusque liberalitatis, ſapientiæ, & charitatis colligit non in alio locari poſſe beatitudinem Animæ rationalis, niſi in fruitione ipſiusmet eſſentiæ Dei, & fruitione quidem æterna. A contrario verò, inquit, nihil juſtius quàm quòd Animæ rationales, Deum non amantes, ſed contemnentes, miſeræ ſint in æternum. Unde colligit Animam rationalem eſſe immortalem. Quæ autem rationalium Animarum determinatè ſic in amore perſevera-

A cap. 66. al. 64.

bunt

bunt Dei, ut ipso aliquando frui mereantur ; quæ vero secùs certè non perseverabunt sive in Dei amore, seu in contemptu ; & consequenter quæ reipsa assequentur beatitudinem, quæ ex adverso nunquam consequentur, sed semper miseræ, & infelices in æternum erunt ; ratione investigari, difficillimum aut impossibile judicat S. Doctor. Quam investigationis impossibilitatem extendit ad animas Infantium, ita ut nemo suopte lumine naturæ dicere queat qua causa vel qua justitia hæ Infantium animæ beatificentur, illæ vero ad æternam infelicitatem, miseriamve damnentur : in quo tangit S. Doctor ininvestigabile mysterium prædestinationis, & reprobationis hominum. Ast certissimum, inquit, est, à summè bono, summè justo Deo esse non posse nisi justam dispositionem, & judicium summè rectum : neque propter illam ignorantiam cessandum esse ab amore Dei, sed potius nitendum per illum ad beatitudinem pervenire. Hoc autem esse non potest, ait, sine spe perveniendi ; ideoque virtus spei est penitus necessaria. Sperare autem quis non potest quod non credit se assequi posse. Ergo etiam est necessaria fides. Beatitudo vera in Deo ipso non est sine Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, qui simplicissimé sunt unus, & idem Deus. Ergo credendum, & sperandum est in Deum unum, & Trinum ; id est, ex charitate tendendum est per fidem, & spem in unum, & Trinum Deum. Quod totum satis exprimitur, inquit, si dicamus nos debere credere in Deum ; cùm per præpositionem *in* motum animi firmum in Deum tanquam finem significemus ; qui animi motus sine spe, atque charitate esse non potest : & consequenter hæc est fides viva, quia se movet sive operatur. En qua industria, & arte per solam vim rationis collegerit, nulla utens authoritate, sicut nec in toto Monologio, Sanctus Anselmus, Deum trinum in personis, & unum in essentia, non solùm esse principium totius *esse* nostri, sed etiam nostrum ultimum finem, nostramque veram beatitudinem, assequendam per tres virtutes, quas vocant *Theologales*, Fidem, Spem, & Charitatem.

Usque ad 73. al. 71.
A cap. 74. al. 72.
Usque ad 77. al. 75.

Consequenter ad hæc claudit Anselmus suum Monologium, dicendo, Deum unum, & trinum, quem demonstratum est in præcedentibus creatorem esse, & conservatorem Universi, esse etiam absdubio, nec rationem permittere alium esse posse, Provisorem ipsius, & Gubernatorem, omnibus venerandum, exorandum, diligendum.

Cap. 79. aliàs pars cap. 76.

Sed dicamus unum verbum etiam de Proslogio. Hic Liber est brevissima summa Monologii, quod, ut supra diximus, quædam etiam summa est principalioris Theologiæ. Itaque Proslogio verè illud congruit: *Maximum in minimo.* Eadem quippe quæ multis rationibus concatenatis in Monologio, unico & brevissimo argum. probantur in Proslogio. Additur duntaxat explicatio Omnipotentiæ, & Misericordiæ, & Justitiæ Dei ; hancque ostendit esse non solùm in retribuendo bona bonis, & mala malis, sed etiam in parcendo malis. Numerat insuper dotes, & bona beatorum, seu quæ bona consequentur eorum beatitudinem in Deo, quo plusquam pleni sunt.

A cap. 7. usque ad 11. inclus. Et in 6. *Quomodo Deus sit sen sibilis, cùm non sit corpus.* Cap. 25.

Liber Apologeticus est ingeniosissima, & firmissima unici argumenti defensio, quo utitur in Proslogio, demonstratque invincibiliter veram illud esse Insipientis convictionem, negantis Deum esse.

Hi tres soli Tractatus cum nostris Commentariis in hoc volumine damus. Sed apparebit in fronte vita S. Doctoris, scripta per suum discipulum, & comitem suarum peregrinationum Eadmerum, cum aliquibus observationibus nostris, sive Notis, & Additionibus opportunis ex

li-

libris ejusdem Eadmeri in Historia Novorum. Ut autem hanc vitam avidius legas, aut legere desideres, en censuram sapientissimi Ceillierii, „ in tomo 21. cap. 16. §. 15. p. 353. de Scriptis Eadmeri. Eadme„ rus scribebat ordine multo, exactitudine, & claritate, stylo nativo, „ & facili, collectis accuratè omnibus monumentis opportunis ad facto„ rum illustrationem relatorum in suis scriptis, & ad firmandam ipsorum „ veritatem pro Posteritate lectura. Hinc laudem apud Authores ipso pos„ teriores Ecclesiasticæ ac Civilis Historiæ Angliæ, præsertim Guillielmum „ Malmesburiensem multis in locis, meritò consecutus est.

BREVIS NOTITIA DE AUCTORE vitæ sequentis.

EADMERUS, quem ANGLI pronuntiant, *EDMERUS*, & corruptè recentiores scribunt, *Edinerus*, in Anglia natus, monachum profeſſus eſt in Monaſterio Ordinis S. Benedicti, quod erat ipſa Eccleſia Cathedralis, & Primatialis totius Angliæ, & Hiberniæ, Cantuarienſis nempe ſeu Dorobernienſis Eccleſia. Ibi adhuc adoleſcens cognitus eſt à S. Anſelmo, ac familiaritate ipſius honorari cœpit, ut ipſemet in Lib. 1. vitæ Anſelmi refert. *Quo tempore*, inquit, *& Ego ad Sanctitatis ejus notitiam pervenire merui, ac pro modulo parvitatis meæ beata illius familiaritate, utpote adoleſcens, qui tunc eram, non parum potiri.* Tunc, aut alia ex occaſionibus, quibus S. Anſelmus de Normannia in Angliam trajecit, veroſimiliter ſecum adduxit Eadmerum, ut Becci moraretur. Certè dubitari non poteſt, Eadmerum monachum quoque Beccenſem fuiſſe, cùm ipſe S. Anſelmus id diſſerte aſſerat in Epiſt. 25. lib. 3. his verbis : *Librum, quem edidi, cujus titulus eſt*; Cur Deus homo, *Domnus Edmerus, cariſſimus filius, & baculus ſenectutis meæ Monachus Becci, cui tantum debent amici mei quantum me diligunt, libenter Eccleſiæ Beccenſi, ut filius ejus, tranſcribit.* Nihil expreſsius, inquit ſapientiſs. Mabillonius, ad commendandam „ Anſelmi erga Edmerum, ſeu Eadmerum benevolentiam, & familiaritatem. „ Hunc in Angliam (proſequitur Mabill.) ſecum Anſelmus duxerat, quem „ in ſuo retinuit obſequio, omniumque conſiliorum participem fecit, va„ riæque fortunæ ſuæ ſocium futurum. Tanta porro Anſelmi de eo confi„ dentia erat, ut eum ſpiritualem ſibi patrem, cui in omnibus etiam Ar„ chiepiſcopus obediret, ab Urbano (Papa) petierit. Id ab Urbano ſecundo petiit Anſelmus, ne cæteris prælatus meritum perderèt obedientiæ. Eadmero ab infantia mos erat, ut de se ipſe aſſerit in Hiſt. Novor. lib. 2. nova ſemper, quæ forte, & maximè in Eccleſiaſticis rebus occurrebant, diligenti intentione conſiderare ac memoriæ commendare. Quo ſtudio in doctiſsimum evaſit, inquit Gerberonius in præfat. ad nov. edit. oper. Eadmeri, ſinceritate hiſtoriæ, & orationis facundia præ cæteris illuſtrem. Præclara de Eadmero Teſtimonia habent, Willelmus Malmesburienſis, Eadmero coevus, inſignis Hiſtoriagraphus, in prologo de Geſtis Regum, & alibi paſsim, ubi in recenſendis ſuorum temporum actis ſinceritatem ejus atque facundiam pluribus Laudat : Pitſæus in relationibus de rebus Anglicis ætate 12. Trithemius, & alii qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis diſſeruerunt, vel de rebus Anglicis accuratius ſcripſerunt. Multa ſcripſit Edmerus, quorum Catalogum facit Gerberonius ubi ſupra, ex quibus aliqua nobis dedit ſimul cum operibus S. Anſelmi. Cætera, inquit, in Angliæ Bibliothecis deliteſcunt, ex quibus ea eruere omni noſtro ſtudio, omni amicorum ope, & quibuſcunque impenſis non valuimus, directis ad diverſos hac de re ſchedulis. Inter ea quæ nobis dedit, eſt Vita S. Anſelmi duobus Libris, & Hiſtoria Novorum ſex, quorum aliqua excerpta hìc damus.

Tom. 5. Annal. Benedict. lib. 68. n. 91.

EADMERI CANTUARIENSIS
Monachi Ordinis S. Benedicti
Libri duo

DE VITA SANCTI ANSELMI
Cantuariensis Archiepiscopi.

PROLOGUS

QUONIAM multas, & anteceſſorum noſtrorum temporibus insolitas rerum mutationes noſtris diebus in Anglia accidiſſe, & coaluiſſe conspeximus; ne mutationes ipſæ poſterorum ſcientiam pænitus latérent, quædam ex illis ſuccincte * excerpta litterarum memoriæ tradidimus. Sed quoniam opus ipſum in hoc maxime verſatur, ut ea quæ inter Reges Anglorum, & Anſelmum Archiepiſcopum Cantuariorum facta ſunt, inconcuſſa veritate diſignet, quæque omnibus puram illorum hiſtoriam ſcire volentibus tunc temporis innoteſcere potuerunt, licet inculto, plano tamen ſermone deſcribat. Nec adeo quicquam in ſe contineat, quod ad privatam converſationem, vel ad morum ipſius Anſelmi qualitatem, aut ad miraculorum exhibitionem pertinere videatur, placuit quibuſdam familiaribus meis me ad hoc ſua prece perducere; ut ſicut descriptione notarum rerum poſteris, ita deſignatione ignotarum ſatagerem tam futuris, quàm & præſentibus aliquòd officii mei munus impendere. Quos eòquod offendere ſummopere cavebam, dedi operam voluntati eorum pro poſſe morem gerere. Opus igitur ipſum de Vita, & Converſatione Anſelmi Archiepiſcopi Cantuarienſis titulatum, taliter Deo adjuvante curavi diſponere, ut quamvis aliud opus, quod (*a*) præſignavimus, ex majori parte de ejuſdem viri converſatione ſubſiſtat; ita tamen in ſua materia integræ narrationis formam prætendat, ut nec illud iſtius, nec iſtud illius pro mutua ſui cognitione multum videatur indigére. Plene tamen ejus actus ſcire volentibus, nec illud ſine iſto, nec iſtud ſine illo ſufficere poſſe pronuntio.

* Al. excepta.

DE

(*a*) Hoc opus eſt quod inſcribitur *Historia Novorum.*

DE VITA SANCTI ANSELMI CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI.

LIBER PRIMUS.

INSTITUTA vitæ, & conversationis Anſelmi Cantuarienſis Archiepiſcopi Litterarum memoriæ traditurus, primò omnium vocata in auxilium meum ſumma Dei clementia, & majeſtate, quædam brevi dicam de ortu, & moribus parentum ejus; ut hinc Lector advertat de qua radice prodierit, quod in ſtudiis nascituræ prolis poſtmodum fulſit. Pater igitur ejus Gundulphus, mater Ermemberga vocabatur. Utrique juxta ſœculi dignitatem nobiliter nati, nobiliter ſunt in Auguſta (*a*) civitate conversati. Quæ civitas confinis Burgundiæ, & Langobardiæ Ermembergam in ſe edidit. Gundulphum in Langobardia natum, civem ſui ex advena fecit. Conjuncti ſunt lege conjungali, ambo divitiis non ignobiles, ſed moribus ex quadam parte diſsimiles. Gundulphus enim ſæculari deditus vitæ, non adeo curam ſuis rebus impendere, ſed habita frequenter ab re diſtribuere, in tantum, ut non modo largus atque beneficus, verum etiam prodigus atque vaſtator à nonnullis æſtimaretur. Ermemberga vero bonis ſtudiis ſerviens, domus curam bene gerens, ſua cum discretione dispenſans atque conservans, bonæ matris-familias officio fungebatur. Mores erant probi, & irreprehenſibiles, ac juxta rectam conſiderationem ratione ſubnixi. Hæc fuit vita ejus, in hac dum vixit permanſit, in hac finem vitæ ſortiri promeruit. Gundulphus vero circa diem obitus ſui, ſpreto ſæculo Monachus factus, Monachus defunctus eſt. At Anſelmus filius eorum, cùm puer parvulus eſſet, maternis, prout ætas ſua patiebatur, colloquiis libenter animum intendebat. Et audito unum Deum ſursum in Cœlo eſſe, omnia regentem, omnia continentem, ſuspicatus eſt, utpote puer inter montes nutritus, Cœlum montibus incumbere, in quo, & aulam Dei eſſe, eamque per montes adiri poſſe. Cumque hoc ſæpius animo volveret, contigit ut quadam nocte per viſum videret ſe debere montis cacumen aſcendere, & ad aulam magni Regis Dei properare. Verum priusquam montem cœpiſſet aſcendere, vidit in planitie, qua pergebat, ad pedem montis mulieres, quæ Regis erant ancillæ, ſegetes metere, ſed hoc nimis negligenter faciebant, & deſidiosè. Quarum puer deſidiam dolens ac redarguens, proposuit animo ſe apud Dominum regem ipſas accuſaturum. De hinc monte transcenſo, regiam aulam ſubit. Dominum cum ſolo ſuo dapifero invenit. Nam familiam ſuam, ut ſibi videbatur, quoniam autumnus erat,

ad

(*a*) Auguſta Civitas, antiquitùs appellata *Augusta Salaſsiorum*, *Augusta Prætoria*, ſita eſt ad radices Alpium, in Gallia Ciſalpina, in Burgundiæ (gallice *Bourgogne*; hiſpanice, Borgoña) & Lombardiæ confinio, hodie provincia, in qua continetur, appellatur Pedemontium (hiſpanice, *Piamonte*) ad Ducem Sabaudiæ (de Saboya) Regemque Sardiniæ (de Cerdeña) pertinet, diciturque eſſe Urbs Episcopalis,

ad colligendas meſſes miſerat. Ingrediens itaque puer, à Domino vocatur. Accedit, atque ad pedes ejus ſedet. Interrogatur jucunda affabilitate quis ſit, vel unde, quidve velit. Respondet ille ad interrogata, juxta quod rem eſſe ſciebat. Tunc ad imperium Domini panis ei nitidiſsimus per dapiferum affertur, eoque coram ipso reficitur. Mane igitur cùm quid viderit ante oculos mentis reduceret, ſicut puer ſimplex & innocens, ſe veraciter in Cœlo, & ex pane Domini refectum fuiſſe credebat, hocque coram aliis ita eſſe publicè aſſerebat. Crevit ergo puer, & ab omnibus diligebatur. Mores etenim probi in eo erant, qui magnopere eum diligi faciebant. Traditur litteris, diſcit, & in brevi plurimum proficit. Necdum attigerat ætatis annum quintumdecimum, & jam qualiter ſecundum Deum vitam melius inſtituere poſſet, mente tractabat, idque concepit apud ſe, nihil in hominum converſatione monachorum vita præſtantius eſſe. Quam aſſequi cupiens, venit ad quendam ſibi notum Abbatem, rogans illum ut ſe monachum faceret. Sed Abbas voluntate illius agnita, quod petebat inſcio patre illius, ne offenderet animum ejus, facere recuſavit. At ille in ſuo propoſito perſtans oravit Dominum, quatenus infirmari mereretur, (*a*) ut velſic ad monachicum, quem deſiderabat, Ordinem ſuſciperetur. Mira res. Ut enim Deus declararet quantum etiam in aliis de ſuæ pietatis auditu confidere poſſet, preces illius exaudivit, ac illi protinus validam corporis debilitatem immiſit. Acriter igitur infirmatus ad Abbatem mittit, mortem ſe timere pronuntiat, orat ut monachus fiat: præfato timore obſtante, non fit quod poſtulabat, & hoc quidem quantum ad humanum ſpectat examen. Ceterum Deus quem futura non fallunt, ſervum ſuum ipſius loci converſatione noluit implicari, propterea quod alios quosdam in ſinu miſericordiæ ſuæ reconditos habebat, quos ut poſtmodum claruit magis, per illum ad ſuam voluntatem in poſterum diſponebat informari. Poſt hæc ſanitas redit juveni; quodque tunc nequibat, in futuro ſe per gratiam Dei facturum mente proponit.

2 Exinde cùm corporis ſanitas, juvenilis ætas, ſæculi proſperitas ei arrideret, cæpit paulatim fervor animi ejus à religioso propoſito tepescere, in tantum ut ſæculi vias magis ingredi, quàm relictis eis monachus fieri cuperet. Studium quoque litterarum, in quo ſe magnopere ſolebat exercere, ſenſim poſtponere, ac juvenilibus ludis cæpit operam dare. Verum tamen pia dilectio, & diligens pietas, quas in matrem ſuam habebat, non nihil eum ab iſtis reſtringebant. Defuncta vero illa, illicò navis cordis ejus, quaſi anchora perdita, in fluctus ſæculi pene tota dilapſa eſt. Sed omnipotens Deus prævidens quid de illo facturus erat, ne animam ſuam pace tranſitoria potitus perderet, infeſtum ei, & inteſtinum bellum generavit. Hoc eſt, animum patri ejus acerbo contra illum odio inflamavit in tantum, ut æquè aut certè magis ea quæ bene, ſicut quæ perperam faciebat, inſequeretur. Nec aliqua poterat Patrem humilitate lenire, ſed quanto illi ſe exhibebat humiliorem, tan-

Id intellige de Deo permiſsivè quantum ad malitiam.

(*a*) *Ut vel ſic ad monachicum*) Erat illis temporibus mos petendi, & accipiendi in extremis, aut valdè periculoſis infirmitatibus habitum monaſticum, quo ſemel accepto, etiamſi de morbo convaluiſſent qui illum ſic acceperant, nequaquam ipſis fas erat ad ſæculum reverti, ſed ex tunc vere monachi cenſebantur. Hi dicebantur *Monachi ad ſuccurrendum*. Lege. doctiſs. Mabill. præfat. in 1. part. ſæculi Bened. n. 21. & part. 2. ſæc. 4. n. 191.

tanto illum ſibi ſentiebat asperiorem. Quod nimis intolerabile cernens, & ne deterius quid inde contingeret timens, elegit potius paternis rebus, & patriæ abrenuntiare, quàm patri ſuo vel ſibi quamlibet infamiam ex ſua cohabitatione procreare. Paratis itaque his, quæ neceſſaria erant in viam ituris, patriâ egreditur, uno qui ſibi miniſtraret Clerico comitatus. Cumque de hinc in transcensu montis ſeniſii fatigaretur, & laboris impatiens corpore deficeret, vires ſuas nivem mandendo reparare tentabat. Nec enim aliud, quo vesceretur, præſto fuit. Quod miniſter illius advertens, doluit, & ne forte quid edendum haberetur in ſacculo qui aſino illorum vehebatur, diligenter inveſtigare cœpit, & mox contra ſpem panem in eo nitidiſsimum reperit. Quo ille refectus, recreatus eſt, & vitæ incolumis redonatus.

3 Exactis dehinc partim in Burgundia, partim in Francia, ferme tribus annis, Normanniam (*a*) vadit, Abrincam * ipſius provinciæ urbem petit, ubi aliquandiu demoratur: poſt hæc venit Beccum, & magiſtrum quemdam nomine Lanfrancum, virum videlicet valde bonum, præſtanti religione, ac ſapientia vere nobilem, videre, alloqui, & cohabitare volens. Excellens ſiquidem fama illius circumquaque percrebuerat & nobiliſsimos quosque Clericorum ad eum de cunctis mundi partibus agebat. Anſelmus igitur viro adito, eumque ſingulari quadam ſapientia pollére agnito, ejus ſe magiſterio ſubdit, eique poſt modicum familiaris præ ceteris diſcipulis fuit. Occupatur die noctuque in litterarum ſtudio, non ſolùm quæ volebat à Landfranco legendo, ſed & alios quæ rogabatur ſtudioſè docendo. Propter quæ ſtudia, cùm corpus vigiliis, frigore & inedia fatigaret, venit ei in mentem quia ſi aliquando monachus, ut olim propoſuerat, eſſet, acriora quàm patiebatur, eum pati non oporteret, nec tunc ſui laboris meritum perderet, quod nunc utrum ſi maneret, non * prospiciebat. Hoc ergo mente concepto, totam intentionem ſuam ad placendum Deo dirigere cœpit, & ſpernendo mundum cum oblectaminibus ſuis, revera cupit fieri monachus. Quid plura? Cogitat ubi melius proficere queat, quod facere deſiderat, & ita ſecum tractat. Ecce, inquit, monachus fiam. Sed ubi? Si Cluniaci vel Becci, totum tempus, quod in discendis Litteris posui, perdidi. Nam & Cluniaci districtio Ordinis, & Becci Supereminens prudentia Landfranci, qui illic monachus eſt, me aut nulli prodeſſe, aut nihil valère comprobabit. Itaque in tali Loco perficiam quod dispono, in quo, & scire meum poſſim oſtendere, & multis prodeſſe. Hæc, ut ludens ipsemet referre ſolebat, ſecum meditabatur, & addebat: Necdum eram edomitus, necdum in me vigebat mundi contempus. Unde quod ego, ut putabam, fretus aliorum charitate dicebam, quàm damnosùm eſſet non advertebam. Posmodum autem in se

Avranches.

* Al. perſpiciebat.

(*a*) Tametſi hodie tam Burgundia, quàm Normannia (la Normandia) intra Franciæ terminos comprehendantur, Regique obediant Chriſtianiſsimo, tempore tamen S. Anſelmi, ſæculo nempe undecimo, Burgundia poſtquam per annos centum, & octoginta proprios Reges habuit, ab anno 1032. quo mortem opetiit Rodulphus ejus poſtremus Rex nulla prole relicta, in provinciam redacta eſt Conradi Imperatoris, cui Rodulphus morti proximus jus ſuum tranſtulit; atque adeo manſit extra dominium Regis Franciæ. Normannia proprio Duci parebat, atque anno milleſsimo ſexageſsimo ſexto VVillelmus ipſam cum Angliæ Regno, quod eo anno non ſine ſanguine obtinuit, ſimul conjunxit, ad ſuumque filium VVillelmum ſecundum poſt mortem tranſtulit. In Normannia ſitum eſt Beccum nobile Monaſterium, quod adhuc perſtat ſub regula S. P. Benedicti, in Diœceſi Rotomagenſi, unitum celeberrimæ Congregationi S. Mauri.

reversus : Quid, inquit ? Esse ne monachum hoc est, velle scilicet aliis præponi, præ aliis honorari, ante alios magnificari ? Non. Illic ergo deposita contumacia monachus deveni, ubi sic æquum est, cunctis propter Deum postponaris, cunctis abjectior habearis, præ cunctis parvipendaris, & ubi hoc esse poterit? Equidem Becci. Ibi siquidem nullius ponderis ero, quandoquidem ille ibi est, qui præeminentis scientiæ luce conspicuus cunctis sufficiens, cunctis honorabilis, & acceptus. Illic ergo requies mea, illic solus Deus intentio mea, illic solus amor ejus erit contemplatio mea, illic beata, & assidua memoria ejus felix solamen, & satietas mea. Hæc cogitabat, hæc desiderabat, hæc sibi provenire sperabat. Raptabatur quoque mens ejus per id temporis in alias sectandæ semitas vitæ, sed vis desiderii ejus in hanc quàmmaxime declinaverat. Sciens itaque scriptum esse, *omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis*, nolebat se alicui uni vitæ earum quas mente volebat, inconsultè credere, ne in aliquo videretur Scripturæ præceptis non obedire. Amicos insuper multos habens, sed cui se totum in istis commiteret consiliorum unum de mille, videlicet præfatum Landfrancum eligens, venit ad eum, indicans voluntatem suam ad tria pendère, sed per consilium ejus ad unum quod potissimum judicaret, duobus relictis, se velle tenère. Quæ tria sic ei exposuit. Aut enim, inquit, monachus fieri volo, aut eremi cultor esse disidero, aut ex proprio patrimonio vivens, quibuslibet indigentibus propter Deum pro meo posse exinde ministrare, si consulitis, cupio. Iam enim pater ejus objerat, & tota hæreditas ad illum respiciebat. In his, inquam, tribus, voluntatem meam, Domine Landfrance, fluctuare sciatis, sed precor ut me in horum potissimo stabiliatis. Differt Landfrancus sententiam ferre, suadetque negotium ad venerabilis (*a*) Maurilii Rotomagensis Episcopi audientiam magis referre. Acquiescit Anselmus consilio, & comitatus Landfranco Pontificem petit. Tanta autem vis devotionis pectus Anselmi tunc possidebat, tantumque veri consilii Landfranco inesse credebat, ut cùm Rotomagum petentes, per magnam, quæ super Beccum est, sylvam pergerent, si Landfrancus ei diceret, in hac sylva mane, & ne dum vixeris hinc exeas cave, proculdubio ut fatebatur imperata servaret. Pervenientes ergo ad Episcopum, adventus sui causas ei exponunt, quid inde sentiat quærunt. Nec mora, monachichus Ordo præ ceteris laudatur, ejusque propositum omnibus aliis antefertur. Anselmus hæc audiens, & approbans, omissis aliis, sæculo relicto Becci monachus factus est, anno ætatis suæ vigissimo sexto. Regebat eo tempore Cœnobium ipsum Domnus Abbas, (*b*) Herluinus nomi-

Anno scilicet 1060. natus enim anno 1033.

(*a*) B. Maurilius, Archiepiscopus Rotomagensis (de Ruan) Monachum prius induerat in Cœnobio Fiscannensi (Fecamp) cum jurisdictione quasi Episcopali super 36. Ecclesias in Normannia, unito Congregationi S. Mauri, Abbas deinde cujusdam Monasterii Florentiæ in Italia, ac demùm Ecclesiæ Rotomagensis Metropolites. Brevem notitiam ejus vitæ cum insigni Elogio P. Mabillonii habes in tom. 9. Actor. SS. Ord. S. Benedict. ad ann. 1067.

(*b*) B. Herluini vitam Legere potes in tom. 9. Actor. SS. Ordin. S. Bened. ad ann. 1076. sicut, & B. Lantfranci in eod. t. ad ann. 1089. Ingentes ipsius laudes tradit etiam Edmerus in lib. 1. Hist. Novor. Beccum, ubi sub Beato Herluino Prior Lanfrancus fuit, fundatum est anno 1040. Cœnobium vero S. Stephani Cadomi (de Caen) itidem in Normannia, & unitum pariter Congregationi S. Mauri, cui Lantfrancus anno 1063. Abbas primus datus est, principium habuit à Duce Normanniæ VVillelmo eodem anno.

mine, vir grandævus, & magna probitate conſpicuus. qui primus ipſius loci Abbas monaſterium ipſum à fundamentis de ſuo patrimonio fecerat. Sæpe dictus autem Landfrancus gradum Prioris obtinebat. Anſelmus vero novus monachus factus, ſtudioſe vitam aliorum religioſius viventium emulabatur. Immo ipſe ſic religioni per omnia ſerviebat, ut quisquis religiosè in tota ipſa Congregatione vivere volebat. in ejus vita ſatis inveniret quod imitaretur, & ita per triennium de die in diem ſemper in melius proficiens, magnus, & honorandus habebatur.

4 Venerabili autem Landfranco in Cadomenſis Cænobii regimen aſſumpto, ipſe Prioris officio functus eſt, ſicque Deo ſerviendi ampliori libertate potitus, totum ſe, totum tempus ſuum in illius obſequia expendere, ſæculum, & cuncta negotia ejus ab intentione ſua funditus amovére cœpit. Factumque eſt, ut ſoli Deo, cœleſtibusque diſciplinis jugiter occupatus, in tantum ſpeculationis divinæ culmen aſcenderit, ut obſcuriſimas, & ante tempus ſuum * inſolutas de Divinitate Dei, & noſtra fide quæſtiones, Deo referante, perſpiceret, ac perſpectas enodaret, apertisque rationibus, quæ dicebat, rata & Catholica eſſe probaret. Divinis namque ſcripturis tantam fidem adhibebat, ut indiſſolubili firmitate cordis crederet nihil in eis eſſe, quod ſolidæ veritatis tramitem ullo modo exiret. Quapropter ſummo ſtudio animum ad hoc intenderat, quatenus juxta fidem ſuam mentis ratione mereretur percipere, quæ in ipſis ſenſit multa caligine tecta latère. Contigit ergo quadam nocte, ut ipſe in hujuſmodi mente detentus, ante nocturnas vigilias vigilans in lecto jaceret, & meditando ſecum rimari conaretur quonam modo Prophetæ præterita ſimul, & futura, quaſi præſentia, olim agnoverint, & indubitanter ea dicto, vel ſcripto protulerint. Et ecce cùm in his totus eſſet, & ea intelligere magnopere deſideraret, defixis oculorum ſuorum radiis, vidit per medias maceries oratorii ac dormitorii monachos, quorum hoc officium erat, pro apparatu matutinarum altaria, & alia loca Eccleſiæ circumeuntes, luminaria accendentes, & ad ultimum unum eorum, ſumpta in manibus chorda pro excitandis fratribus, ſcillam pulſantem, ad cujus ſonitum Conventu Fratrum de lectis ſurgente, miratus eſt de re quæ acciderat. Concepit ergo apud ſe Deo leviſsimum eſſe, Prophetis in Spiritu ventura monſtrare, cùm ſibi conceſſerit, quæ fiebant, per tot obſtacula corporeis oculis poſſe videre.

NOTA.

5 Hinc perſpicatiori interius ſapientiæ luce perfuſus, mores omnis ſexùs, & ætatis ita diſcretionis ratione monſtrante penetravit, ut eum palam inde tractantem, adverteres cuique ſui cordis arcana revelare. Origines inſuper & ipſa, ut ita dicam, ſemina atque radices, necnon proceſſus omnium virtutum ac vitiorum detegebat, & quemadmodum vel hæ adipiſci, vel hæc devitari aut devinci poſſent, luce clarius edocebat.

6 Tantam autem omnis boni conſilii vim in eo elucère cerneres, ut pectori ejus ſpiritum Conſilii præſidère non ambigeres. Quàm promptus vero atque aſsiduus in ſanctis exhortationibus fuerit, ſuper vacaneum eſt dicere, cùm illum ſemper in ipſis infatigabilem omnes ferme audientes conſtet fatigaſſe; quodque dicitur de S. Martino, ejus ori nunquam defuit Chriſtus, ſive juſtitia, vel quicquid ad veram vitam pertinet, incunctanter confirmemus ſine mendatio poſſe dici de illo. In his leve eſt lectorem advertere, eum de menſa Domini non ſine quodam præ-

* Al. Inſolitas.

B. Severus Sulpic. in vita S. Martini fere in fine.

præſaglo perviſum olim (a) nitido refectum pane fuiſſe.

7 De corporalibus ejus exercitiis, jejuniis dico, orationibus atque vigiliis, melius æſtimo ſilere quàm loqui. Quid namque de illius jejunio dicerem, cùm ab initio Prioratus ſui tanta corpus ſuum inedia maceravit, ut non ſolum omnis illecebra gulæ penitus in eo poſtmodum extincta ſit, ſed nec famem ſive delectationem comedendi pro quavis abſtinentia, ut dicere conſueverat, aliquando pateretur. Comedebat tamen ut alii homines, ſed omnino parcè, ſciens corpus ſuum ſine cibo non poſſe ſubſiſtere. In orationibus autem quas ipſe juxta deſiderium, & petitionem amicorum ſuorum ſcriptas (b) edidit, qua ſolicitudine, quo timore, qua ſpe, quo amore Deum, & Sanctos ejus interpellaverit, necnon interpellandos docuerit, ſatis eſt & me tacente videre: ſit modò qui eis pie intendat, & ſperò quia cordis ejus affectum, ſuumque protectum in illis, & per illas gaudens percipiet.

NOTA. 8 Quid de vigiliis? Totus dies in dandis Conſiliis ſæpiſsimè non ſufficiebat, addebatur ad hoc pars maxima noctis. Præterea Libros, qui ante id temporis nimis corrupti ubique terrarum erant, nocte corrigebat, ſanctis meditationibus inſiſtebat, ex contemplatione ſummæ beatitudinis, & deſiderio vitæ peremnis immenſos lachymarum imbres effundebat. Hujus vitæ miſerias, ſuaque, ſi quæ erant peccata, & aliorum amariſsime flebat, & vix parum antè vigilias nocturnas, ſæpeque nihil ſomni capiebat. Talibus ſtudiis vita ejus ornabatur.

9 Qualiter autem erga ſubditos ſe habebat, det Deus ad æmulationem Prælatorum poſſe quid vel modicum dici. Cùm primùm igitur Prior factus fuiſſet, quidam Fratres ipſius Cœnobii facti ſunt æmuli ejus, videntes & videndo invidentes illum præponi, quem juxta Converſionis ordinem judicabant ſibi deberi poſtponi. Itaque turbati, aliosque turbantes, ſcandala movent, diſſenſiones pariunt, ſectas nutriunt, odia fovent: at ipſe cum his qui oderunt pacem, erat pacificus, & detractionibus eorum reddebat officia fraternæ caritatis, malens vincere malitiam in bono, quàm à malitia eorum vinci in malo. Quod miſerante Deo factum eſt, ſiquidem illi animadvertentes eum omnimodis purè ac ſimpliciter in cunctis actionibus incedere, neque quod jure blasphemari poſſet in illo reſidère, mala voluntate in bonam mutata, dicta ejus & facta in bono æmulari cœpère. Verum ut clareat quo pacto id provenerit, unum ex ipſis, exempli gratia, ponam, quatenus quo dolo Anſelmi à ſua pravitate ſit mutatus, qualiter, & alii per eum correcti ſint, perpendatur. Osbernus quidam nomine, ætate adolescentulus, ipſius erat monaſterii monachus: ingenio quidem ſagax, & artificioſis ad diverſa opera pollens manibus, bonam in se bonæ ſpei materiam præferebat. Sed mores qui in eo valde perverſi erant, iſta multum decolorabant, & inſuper odium quod omnino more canino contra Anſelmum exercebat. Quod odium quantum ad ſe Anſelmus non magni pendens; ſed tamen mores illius concinere ſagacitati ingenii ejus magnopere cupiens, cœpit quadam ſancta callidate puerum piis blandimentis deliniré, puerilia facta ejus benigne tolerare, multa, niſi quæ ſine Ordinis detrimento tolerari non poterant, concedere, in quibus, & ætas ejus de-

(a) Meminit illius viſionis vel ſomni; quod in principio dixit S. Doctorem habuiſſe, dum adhuc puerulus eſſet.

(b) Has ſi deſideras, quære in optima editione Gerberonii.

delectaretur, & effrenis animus in manſuetudinem curvaretur. Gaudet puer in talibus, & ſenſim à ſua feritate ipſius demittitur animus. Incipit Anſelmum diligere, ejus monita ſuſcipere, mores ſuos componere. Quod ille intuens, præ ceteris eum familiariter amplectitur, nutrit, fovet, & ut ſemper in melius proficiat omnibus modis hortatur, & inſtruit. De hinc paulatim ei quæ conceſſerat puerilia, ſubtrahit; eumque ad honeſtam morum maturitatem provehere ſátagit. Non fruſtratur pia ſolicitudo ejus, proficiunt in juvene ac roborantur ſacra monita ejus. Ergo ubi de firmitate boni ſtudii adoleſcentis ſe poſſe confidere animadvertit, mox omnes pueriles actus in eo rèſecat, & ſi quid reprehenſionis eum admittere comperit, non modò verbis, ſed & verberibus in eo acriter vindicat. Quid ille? Æquanimiter cuncta ſuſtinet, confirmatur in propoſito omnis religionis, fervet in exercitio diſcendæ omnis ſanctæ actionis, ſuffert patienter aliorum contumelias, opprobria, detractiones, ſervans erga omnes affectum ſinceræ dilectionis. Lætatur pater in his, ultra quàm dici poſsit, diligit filium ſancto caritatis igne, plusquam credi poſsit. Sed cùm ipſe (ut flens referebat) eum ad magnum Eccleſiæ fructum proficere ſperaret, ecce gravi corporis infirmitate prærripitur, lectoque recipitur. Vidères tunc bonum patrem felicis juvenis amicum, lecto jacentis die noctuque aſsidére, cibum, & potum miniſtrare, omnium miniſtrorum ſuper ſe miniſteria ſuscipere, veri amici morem in omnibus gerere; ipſe corpus, ipſe animam ejus ſtudioſiſsimè refovebat. Appropinquanti autem ad exitum familiari præcepit alloquio, quatenus poſt obitum ſuum, ſi poſsibile foret, ſuum eſſe ſibi revelaret. Spopondit & tranſiit. Corpus defuncti ex more lotum, veſtitum, in feretro compoſitum, in Eccleſiam delatum eſt. Circunsederunt Fratres pſalmos pro ejus anima decantantes: Anſelmus vero quò liberius pro eo preces funderet, in ſecretiorem Eccleſiæ locum ſeceſsit. Qui cùm inter ipſas lachrymas ex gravi cordis mæſtitudine corpore * deficeret, & paululum oculos in ſomnum deprimeret; vidit in ſpiritu mentis ſuæ quaſdam reverendi vultùs perſonas candidiſsimis veſtibus ornatas, domum in qua idem Osbernus vitam finierat, introiſſe, & ad judicandum circumsediſſe. Verùm cùm judicii ſententiam ignoraret, eamque ſolicitus noſſe deſideraret; ecce Osbernus adeſt ſimilis homini, cum aut ex languore aut ex nimia ſanguinis minutione fuerit exanimatus, ad ſe redeunti. Ad quem pater: Quid eſt fili? Quomodo es? Cui ille hæc verba reſpondit. Ille antiquus (*a*) ſerpens ter inſurrexit in me, & ter cecidit in ſemetipſum, & Urſarius Domini Dei liberavit me. Quo dicto Anſelmus oculos à ſomno levavit, & Osbernus non comparuit. En obedientiam mortuus vivo exhibebat, quam vivens viventi exhibére ſolitus erat. Quod ſi quispian audire voluerit qualiter hæc obedientis verba defuncti ipse Anſelmus fuerit interpretatus, brevi accommodet aures. Ter, inquit, antiquus ſerpens insurrexit in eum, quia de peccatis quæ poſt bap-

* Al. tempore.

(*a*) Hanc Osberni viſionem cum eàdem expoſitione ejus dictorum facta à Sancto Anſelmo, tradit iterum Eadmerus in Libro de S. Anſelmi ſimilitudinibus cap. 92. Quod vero inquit S. Doctor, peccata nimirum quæ Osbernus in ſæculo admiſerat deleta inveniſſe per fidem parentum, quando eum Deo obtulerunt, vel cenſenda ſunt peccata fuiſſe venialia, vel ſi mortalia, intelligendum eſt id de pœna illis adhuc debita poſt confeſsionem. Sic judicandum eſt etiam de culpis remiſsis per profeſsionem.

Secund. Regul. S. Benedic. cap. 59.

tismum priusquam à parentibus ad servitium Dei in monasterium offerretur, commiserat, illum diabolus acusavit; de peccatis, etiam quæ post oblationem parentum ante suam professionem fecerat, illum accusavit; de peccatis nihilominus, quæ post professionem ante obitum suum egerat, illum acusavit. Sed ter cecidit in semetipsum, quia peccata quæ in sæculo constitutus admiserat, per fidem parentum; quando eum Deo obtulerunt, deleta invenit. Et peccata quæ postmodum in monasterio degens ante suam professionem fecerat, in ipsa professione deleta invenit. Peccata etiam quæ post professionem ante obitum suum egerat, per veram confesionem, & pœnitentiam deleta atque dimissa in ipso ejus obitu confusus invenit: sicque malignus versutias suas quibus eum ad peccandum illexerat, justo Dei judicio in se ad cumulum suæ damnationis retorqueri ingemuit. Et Ursarius Domini Dei liberavit eum: Ursarii Dei boni angeli sunt. Sicut enim Ursarii ursos, ita Angeli malignos dœmones à sua sævitia coercent, & opprimunt, ne nobis noceant quantum volunt.

10 Post hæc Anselmus, ut sanctæ dilectionis munus quod vivo impenderat, mortuo non negaret, per integrum annum Missam pro anima ejus omni die celebravit. Quòd si aliquando à celebratione ipsius Sacramenti impediebatur, eos qui familiares Missas debebant, suam pro animæ Fratris Missam dicere faciebat; & ipse Missas eorum, dum opportunum erat, ante Missam sui defuncti alia Missa persolvebat. Itaque per singulos dies totius anni, aut ipse pro illo Missam celebravit, aut ab alio celebratam alia Missa mutuatus est. Super hæc missis circunquaque Epistolis, pro anima sui Osberni orationes fieri petiit Hæc Fratres videntes, & socordiam sui cordis redarguentes, se miseros, infelices, Obernum beatum prædicant ac felicem, qui talem amorem, talem meruit inveniſſe subventionem. Ex hoc ergo singuli quique corpore, & animo se subdunt Anselmo, cupientes in amicitiam ejus hæreditario jure succedere Osberno. At in conversione ipsorum Deo gratias agens, omnibus omnia factus est, ut omnes salvos faceret.

NOTA.

11 Verumtamen adolescentibus atque juvenibus præcipua cura intendebat, & inquirentibus de hoc rationem, sub exemplo reddebat. Comparabat ceræ juvenis ætatem, quæ ad informandum sigillum aptè est temperata. Nam si cera, inquit, nimis dura, vel mollis fuerit sigillo *impressa, ejus figuram in se nequaquam ad plenum recipit. Si vero ex utrisque, duritia scilicet atque mollitie discrete habens, sigillo imprimitur, tunc forma sigilli omnino perspicua, & integra redditur. Sic est in ætatibus hominum. Videas (a) hominem in vanitate hujus sæculi ab infantia usque ad profundam senectutem conversatum, sola terrena sapientem, & in his penitus obduratum. Cum hoc age de spiritualibus, huic de subtilitate contemplationis divinæ loquere, hunc secreta cœlestia doce rimari, & perspicies eum, nec quid velis quidem, posse videre. Nec mirum, indurata cera est, in istis ætatem non trivit, aliena ab istis sequi didicit. E contrario consideres puerum ætate ac scientia tenerum, nec bonum, nec malum discernere valentem, nec te quidem intelligere de hujusmodi differentem: Nimirum mollis cera est, & quasi liquens, nec imaginem sigilli quoquo mo-

*Al. impressa.

(a) *Videas hominem*) Ab his verbis incipit cap. 176. Libri *de Anselmi similitudinibus*, & omnia sequentia continet, usque ad finem expositionis hujus similitudinis ceræ; nec amplius habet caput illud.

modo recipiens. Medius horum adoleſcens, & juvenis eſt, ex teneritudine atque duritia congruè temperatus. Si hunc inſtruxeris, ad quæ voles informare valebis. Quod ipſe animadvertens, juvenibus majori ſolicitudine invigilo, procurans cuncta in eis vitiorum germina extirpare, ut in ſanctarum exercitijs virtutum poſtea competenter edocti, ſpirituallis in ſe transforment imaginem viri.

12 Sed cùm inter hæc eum diverſa diverſorum negotia fatigarent & nonnumquam illius mentem à ſua quiete turbarent, conſilium ſuper his à ſupra dicto venerandæ memoriæ Archiepiscopo Rotomagenſi Maurilio poſtulaturus Rotomagum venit. Cumque ſui adventús cauſam pontifici exponeret, ac inter verba pro amiſſa ſtatus ſui tranquilitate vehementiſsimè fleret, ab onere prælationis, quod ſibi fatebatur importabile, ut relevari mereretur, magnopere cœpit rogare. At ille ſicuti vir magnæ ſanctitatis, noli, inquit, mi fili chariſsime, quod quæris quærere, nec te à ſubvectione aliorum, tui ſolius curam gerens, velis retrahere. Vere etenim dico tibi, me de multis audiiſſe, multosque vidiſſe, qui quoniam cauſa ſuæ quietis proximorum utilitati per paſtoralem curam invigilare noluerunt, per deſidiam ambulantes, ſemper de malo in pejus profecerunt. Quapropter ne tibi (quod abſit) hoc idem contingat, per ſanctam obedientiam præcipio, quatenus prælationem, quam nunc habes, retineas, nec eam niſi tuo juvente Abbate quomodolibet deſeras; & ſi quando fueris ad majorem vocatus, eam ſuscipere nullatenus abnuas. Sciò enim quòd in hac quam tenes, non diu manebis, verùm ad altiorem prælationis gradum non poſt multum proveheris. Quibus auditis, væ, inquit, miſero mihi. In eo quod porto deſicio; & ſi gravius imponitur onus, rejicere non audeo. Repetit præſul edictum, & ut primò, jubet ne tranſgrediatur.

NOTA.

13 De hinc Anſelmus ad monaſterium reverſus talem ſe cunctis exhibuit ut ab omnibus loco cariſſimi Patris diligeretur. Ipſe enim mores omnium, & infirmitates æquanimiter ſufferebat; & unicuique ſicut expedire ſciebat, neceſſaria ſuggerebat. O quot in ſua jam infirmitate desperati per piam ſolicitudinem ejus ſunt ad priſtinam ſanitatem revocati! Quod tu Herevalde decrepite ſenex in te ipſo percepisti, quando gravatus non ſolùm ætate, ſed & valida infirmitate, ita ut nihil tui corporis præter linguam haberes in tua poteſtate, per manus illius paſtus, & vino de racemis per uvam in aliam ejus manum expreſſo, de ejus ipſa manu bibens, es refocillatus ac priſtinæ ſanitati redonatus. Neque enim alium aut aliunde potum ſumere poteras, qui tibi cordi eſſet, ut referebas. Ipſe quippe Anſelmus in uſu habebat infirmorum domum frequentare, ſingulorum Fratrum infirmitates diligenter inveſtigare: & quod infirmitas cujusque expetebat, ſingulis absque mora ſeu tædio ſubminiſtrare. Sicque ſanis pater, & infirmis erat mater, imo ſanis, & infirmis pater & mater in commune. Unde & quicquid ſecreti apud ſe quivis illorum habebat, non ſecus quám dulciſsimæ matri ille revelare ſatagebat. Verumtamen ſolers diligentia juvenum hoc præcipuè exercebat.

14 De quorum numero quidam in ipso Conventu hoc apud ſe propoſuerat, quatenus nulla occaſione unquam ſuam manum ſuis genitalibus membris admoveret. Cui propoſito invidens diabolus, tantum dolorem, & anguſtiam in eisdem membris fecit eum ſentire, ut ſe juvenis nullo modo ferre valeret. Sentiebatur etenim caro ipsa tanti ponderis eſſe, ac ſi quædam plumbi graviſsima moles ad ima eum detrahens

hens, in illa ſui corporis parte penderet. Cumque in habitu ſuo anxietatis magnitudinem diſsimulare non poſſet; requiſitus ab Anſelmo quid haberet, rem celare non potuit. Admonitus itaque ut modum ægritudinis admota manu probaret, verecundatus recusavit, ne propoſitum violaret. Tunc Anſelmus aſſumpto ſecum quodam grandævo Fratre, & religioso, juvenem languidum in ſecretiorem locum ducit, utpote modum infirmitatis illius agniturus, & auxilium pro poſsibilitate laturus. Quid amplius? Caro ſaniſsima reperitur: & admodum mirati ſunt. Eveſtigio quippe omnis illa diabolica vexatio cadit, nec in hujusmodi fatigat ulterius juvenem, quem ſimplex Anſelmi aspectus à tanta clade fecit immunem.

15 Præterea quidam ex antiquioribus ipſius Cœnobii Fratribus, qui veteri odio plurimum erat infestus Anſelmo, nec ullatenus poterat ſuper eum respicere ſimplici oculo, infirmitate preſſus ad extrema perductus eſt. Cum itaque Fratres meridiana hora in lectis ex more quiescerent, ipſe in domo infirmorum, in qua jacebat, cœpit miſerandas voces edere, & quaſi quorumdam horridos aspectus ſubterfugere geſtiret, pallens, & anxiè tremens vultum ſuum delitescendo, hinc inde commutare. Territi Fratres qui aderant, quid haberet percunctantur. At ille, geminos immanes lupos me inter brachia ſua compreſſum tenere & gutur meum impreſsis dentibus jamjam ſuffocare videtis, & quid
NOTA. mihi fit quæritis? Quo audito, unus ex Monachis Riculphus nomine, ad Anſelmum qui tunc in Clauſtro emendandis Libris intendebat, concitus perrexit, & ei extra Clauſtrum educto, quid circa infirmum fratrem ageretur, patefecit. Juſſus ergo Riculphus ad ægrum rediit, & Anſelmus in ſecretiorem locum ſolus ſeceſsit. Poſt modicum, domum in qua fratrer ſe malé habebat, ingrediens, levata manu, ſignum ſanctæ Crucis edidit dicens: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ad quod factum ſtatim æger conquievit, & exhilarato vultu, intimo cordis affectu Deo gratias agere cæpit. Dicebat enim quod Anſelmo oſtium ingrediente, & extensa manu ſignum ſanctæ Crucis edente, viderit ex ore illius flammam ignis in modum lanceæ procedentem, quæ in lupos jaculata eos deterruit, & celeri fuga dilapſos procul abegit. Tunc Anſelmus ad Fratrem accedens, atque cum eo de ſalute animæ ſuæ ſecretius loquens, ad pœnitudinem, & confeſsionem omnium, in quibus ſe Deum offendiſſe recordari valebat, cor ejus inclinavit, paterna de hinc auctoritate à cunctis absolutum, dixit eum hora qua Fratres ad nonam ſurgerent, præſenti vitæ deceſſurum. Quod & factum eſt. Nam Monachis à lecto ſurgentibus, ipſe ad terram depoſitus eſt, & illis circa ipſum ſub uno collectis, defunctus eſt.

16 Præfatus Riculphus ſecretarii officio in ipſo Cœnobio fungebatur. Hic quadam nocte dum tempus, & horam, qua Fratres ad vigilias (*a*) excitaret, per clauſtrum iens obſervaret, forte ante oſtium Capituli pertranſivit; introspiciens vero, vidit Anſelmum in oratione ſtantem, ingenti ſplendentis flammæ glo-

(*a*) *Ad vigilias excitaret*) Mirabitur quis forſam quòd cura Monachos excitand ad Matutinos, ſicut nunc loquimur, non fuerit demandata alicui Religioſo converſo, ſeu Laico, & non Monacho Secretario Communitatis. Aſt valde recens erat inſtitutio hujuſmodi Religioſorum à Clericatu excluſorum, quæ S. Johanni Gualberto, Fundatori Congregationis Vallis-Umbroſæ in Italia ſub Regula S. P. N. Bened. tribuitur. Lege Mabill. Præf. in part. 2. ſæculi Benedict. §. XI.

globo circumcinctum. Miratur, & quod videbat quid novi prætenderet ignorabat; æstimabat enim Anselmum ea hora sopori potius, quam orationi occupatum. Ocius itaque dormitorium ascendit, ad lectum Anselmi vadit, sed eum ibi nequaquam invenit. Regressus igitur, hominem in Capitulo reperit, sed globum ignis quem reliquerat, non invenit.

17 Alio quodam tempore eidem Anselmo mandatum ab uno de Principibus Normanniæ est, quatenus ad se in Angliam transire volentem, cùm propter alia negotia, tum ut sua prece iter illius per marina pericula tueretur, veniret. Ascendit, jam dies mutui colloquii in vesperam declinabat, & Principem de hospitando Anselmo nulla cura detinebat. Quod ubi Anselmo innotuit, nihil super re cuiquam locutus, accepta licentia, loco decessit. Eunti autem, & quò diverteret incertum habenti (Beccus enim longè aberat) occurrit unus de Monachis Becci, volens illuc ire, quò eum sciebat Principis colloquio detineri. Interrogat ergo eum Anselmus quò tendat, ac deinde quid consilii de suo hospitio ferat. Respondit. Et quidem, Pater, hospitium qualecumque non longe habemus, sed quid vobis, & Fratribus præter panem, & caseum apponatur, nihil habemus. At ille subridens, bone vir, ait, ne timeas, imò citus * procede, & misso reti in vicinum amnem, statim invenies piscem, qui sufficiet omnibus nobis. Ille accepto mandato prævolat, accitoque piscatori, quid Anselmus jusserit, intimat, ac ut velocius rete in fluvium jactet, juvet, hortatur, & obsecrat. Admiratus ille, parère petenti moratur, ridendum potius quàm attentandum quod dicebat fore, prænuncians. Tandem tamen à Fratre coactus, contra spem rete jecit, & illico tractam insolitæ magnitudinis cum alio quodam pisciculo cœpit. Territus piscator ad factum, & obstupefactus, asseruit se jam per viginti annos recessus aquæ illius rimasse, & nunquam hujusmodi tractam in ea reperire potuisse. Parata igitur, & viro apposita, juxta verbum ejus sibi, & suis copiosè sufficit & superabundavit.

* Al. citius.

18 Alia vice vir quidam Walterus nomine, cognomine Tirellus, eumdem hominem per terram suam transeuntem detinuit, nolens eum à se impransum dimittere. Verùm cùm ipse de penuria piscium conqueretur, & quòd tanto viro ac Monachis ejus, nisi vilia quædam non haberet quæ apponerentur, alludens dixit ei Anselmus: Sturio unus en tibi defertur, & animus tuus de delitiarum inopia quæritur? Ridet ille, fidem his quæ audiebat præbere nullatenus valens. Evestigio autem verborum Anselmi duo ex hominibus viri attulerunt Sturionem unum prægrandem: quem in ripa fluminis Altijæ dixerunt à Pastoribus suis inventum, sibique transmissum. Si spiritum prophetiæ in his viro adfuisse quis dubitat; gestæ rei veritas, quid sit tenendum, declarat.

19 His temporibus scripsit tractatus tres, scilicet, *de veritate*, *de libertate arbitrii*, *& de casu diaboli*: In quibus satis patet ubi animum fixerit, quamvis ab eis quæ aliorum cura expetebat, talium rerum consideratione nullo se modo subtraxerit. Scripsit & quartum quem intitulavit *de Grammatico*: in quo cum discipulo, quem secum disputantem introducit, disputans, cùm multas quæstiones dialecticas proponit, & solvit, tunc qualitates, & qualia, quomodo sint discretè accipienda, exponit, & instruit. Fecit quoque libellum unum quem *Monologium* appellavit. Solus enim in eo & secum loquitur, ac tacita omni auctoritate divinæ Scripturæ, quid Deus sit, sola ratione quærit, & in-

venit; & quod vera fides de Deo ſentit, invincibili ratione ſic nec aliter eſſe poſſe probat & aſtruit.

20 (*a*) Poſt hæc incidit ſibi in mentem inveſtigare utrum uno ſolo, & brevi argumento probari poſſet id quod de Deo creditur, & prædicatur: videlicet quod ſit æternus incommutabilis, omnipotens, ubique totus, incomprehenſibilis, juſtus, pius, miſericors, verax, veritas, bonitas, juſtitia, & nonnulla alia, & quomodo hæc omnia in ipſo unum ſint. Quæ res, ſicut ipſe referebat, magnam ſibi peperit difficultatem. Nam hæc cogitatio partim illi cibum, potum, & ſomnum tollebat, partim & quod magis eum gravabat, intentionem ejus, qua matutinis, & alii ſervitio Dei intendere debebat, perturbabat. Quod ipſe animadvertens, nec adhuc quod quærebat ad plenum capere valens, ratus eſt hujuſmodi cogitationem, diaboli eſſe tentationem, niſusque eſt eam procul repellere à ſua intentione. Verùm quanto plus in hoc deſudabat, tanto illum cogitatio ipſa magis, ac magis infeſtabat. Et ecce quadam nocte inter nocturnas vigilias, Dei gratia illuxit in corde ejus & res patuit intellectui, inmenſoque gaudio, & jubilatione replevit omnia intima ejus. Reputans ergo apud ſe hoc ipſum, & aliis ſi ſciretur poſſe placere, livore carens, rem illico ſcripſit in tabulis, easque ſollicitius cuſtodiendas uni ex Monaſterii Fratribus tradidit. Poſt dies aliquot, tabulas repetit à cuſtode. Quæruntur in loco ubi repoſitæ fuerant, nec inveniuntur. Requiruntur à Fratribus, ne forte aliquis eas acceperit, ſed nequaquam. Nec enim hucusque inventus eſt, qui recognoverit ſe quicquam inde ſciviſſe. Reparat Anſelmus aliud de eadem materia dictamen in aliis tabulis, & illas eidem sub cautiori cuſtodia tradit cuſtodiendas. Ille in ſecretiore parte lectuli ſui tabulas reponit, & ſequenti die nil ſiniſtri ſuſpicatus, eaſdem in pavimento ſparſas, ante lectum reperit, cera quæ in ipſis erat, hac illa fruſtratim diſperſa. Levantur tabulæ, cera colligitur, & pariter Anſelmo reportantur: Adunat ipſe ceram, & licet vix, ſcripturam recuperat. Veritus autem ne qua incuria penitus perditum eat, eam in nomine Domini pergameno (*b*) jubet tradi. Compoſuit ergo inde volumen parvulum, ſed ſententiarum, ac ſubtiliſsimæ contemplationis pondere magnum, quod *Proslogion* nominavit. Alloquitur etenim in eo opere, aut ſe ipſum, aut Deum. Quod opus cùm in manus (*c*) cujuſdam veniſſet, & is in quandam ipſius operis argumentationem non parum offendiſſet, ratus eſt eamdem argumentationem ratam non eſſe: quam refellere geſtiens, quoddam contra illam ſcriptum compoſuit, & illud fini ejusdem operis ſcriptum appoſuit. Quod cum ſibi à quodam amico ſuo tranſmiſſum Anſelmus conſideraſſet, gaviſus eſt; & reprehenſori ſuo gratias agens, ſuam ad hoc reſponſionem edidit, eamque libello ſibi directo ſubſcriptam ſub uno ei qui miſerat amico remiſit. Hoc ab eo, & aliis, qui libellum habere dignantur, petitum iri deſiderans, quatenus in fine ip-

NOTA.

(*a*) De hac intentione, deſiderio, labore, fatigatione, deſperatione, ac pugna interiori, atque de hujusmodi argumento loquitur ipſe S. Doctor in Prologo ad Proslogion.

(*b*) Nempe quia adhùc, neque uſque ad ſæculum quintum decimum inventa fuit Ars typographica.

(*c*) *Cum in manus cujuſdam*) Hic fuit quidam monachus Majoris-Monaſterii (Marmoutier) prope Turonos, nomine Gaunilo, cujus ſcriptum impreſſum eſt ad calcem Proslogii in optima editione Gerberonii, & in hac noſtra: Et Veſtigio *Liber Apologeticus* S. Anſelmi, qui eſt reſponſio ad Gaunilonis objecta.

ipſius operis ſuæ argumentationis reprehenſioni ſua reſponſio ſubſcribatur.

21 Inter hæc ſcripſit etiam quàm plures (*a*) Epiſtolas : per eas nonnullis ea, quæ ſecundum diverſitatem cauſarum ſua intererant, procurare mandans, & nonnullis conſilium de negotio ſuo quærentibus, pro ratione reſpondens. Et quidem de his quæ diverſæ cauſæ ſcribi cogebant, mentionem facere ſuperſedemus. Quid autem conſilii cuidam Lanzoni, noviter apud Cluniacum facto Monacho, per unam mandaverit, huic operi inſerere curavi, quatenus in hac una cognoſcatur quid „ de aliis perpendatur. Scripſit ita„ que inter alia ſic : Ingreſſus es, „ cariſsime, profeſſusque Chriſti mi„ litiam ; in qua non ſolùm apertè „ obſiſtentis hoſtis violentia eſt pro„ pellenda, ſed & quaſi conſulentis „ aſtutia cavenda. Sæpe namque dum „ tironem Chriſti vulnere malæ vo„ luntatis apertè malevolus non va„ let perimere, ſitientem eum poculo „ venenoſæ rationis malevolé calidus „ tentat extinguere Nam cùm Mo„ nachum nequit obruere vitæ, quàm „ profeſſus eſt, odio, nititur eum „ converſationis in qua eſt ſubruere „ faſtidio. Et licet illi monachicum „ propoſitum tenendum quaſi con„ cedat, tamen quia hoc ſub talibus „ aut inter tales aut in eo loco incœ„ pit, illum ſtultum nimis, impru„ dentemque multimodis verſutiis ar„ guere non ceſſat ; ut dum illi per„ ſuadet incœpto Dei beneficio in„ gratum exiſtere, juſto judicio nec „ ad meliora proficiat, nec quod ac„ cepit, teneat, aut in eo inutiliter „ * perſiſtat. Quippe dum inceſſan„ ter laborioſis cogitationibus de mu„ tando, aut ſi mutari non valet, „ ſaltem de improbando initio me„ ditatur, nunquam ad finem per„ fectionis tendere conatur. Nam quo„ niam illi fundamentum quod poſuit „ diſplicet, nullatenus illi ſtructu„ ram bonæ vitæ ſuperedificare li„ bet. Unde fit ut quemadmodum ar„ buscula, ſi ſæpe transplantetur, aut „ nuper plantata, in eodem loco cre„ bra convulſione inquietetur, ne„ quaquaquam radicare valens, ari„ ditatem cito attrahit, nec ad ali„ quam fructus fertilitatem pervenit, „ ſic infelix Monachus ſi ſæpius de loco „ ad locum proprio appetitu mutatur, „ aut in uno permanens frequenter „ ejus odio concutitur, nusquam „ amoris ſtabilitus radicibus, ad om„ ne utile exercitium languescit, & „ nulla bonorum operum ubertate „ diteſcit. Cumque ſe nequaquam ad „ bonum, ſed in malum proficere, „ ſi forte hoc recogitat, perpendit; „ omnem ſuæ miſeriæ cauſam non „ ſuis, ſed aliorum moribus injuſtus „ intendit ; atque inde ſe magis ad „ odium eorum, inter quos conver„ ſatur, infeliciter accendit. Qua„ propter quicumque cœnobitarum „ forte propoſitum aggreditur, expe„ dit ei ut in quocumque monaſte„ rio profeſſus fuerit, niſi tale fue„ rit, ut ibi malum facere in„ vitus cogatur, tota mentis in„ tentione amoris radicibus ibi ra„ dicare ſtudeat ; atque aliorum mo„ res aut loci conſuetudines, ſi contra „ divina præcepta non ſunt, etiamſi „ inutiles videantur, dijudicare reſu„ giat. Gaudeat ſe jam tandem inve„ niſſe ubi ſe non invitum, ſed vo„ luntarium tota vita manſurum, omni

* Al. utiliter.

(*a*) Epiſtolæ quas nondum Abbas Anſelmus ſcripſit, habentur in primo Libro Epiſtolarum ; in 2. quas jam Abbas ; in 3. & 4. quas Archiepiscopus exaravit : sed quartum non invenies niſi in Edit. Gerberonii, qui ipſum ad tres jam alibi impreſſos, addidit. Epiſtola hìc ſubdita, integra ſtat in lib. 1. & eſt in num. 29. Pars huj. Epiſt. facit cap. 177. alias 176. libri *S. Anſelmi de Similitudinibus*, ab eod. Edmer. ut jam dixi, compoſiti.

„ni transmigrandi ſolicitudine propulſa, deliberet: ut quietus ad ſola vitæ exercitia exquirenda ſedulo vacet. Quod ſi ſibi videtur majora quædam ac utiliora ſpirituali fervore appetere, quàm illi præſentis monaſterii inſtitutionibus liceat, æſtimet aut ſe falli ſive præferendo paria paribus, vel minora * majoribus, ſive præſumendo ſe poſſe quod non poſsit, aut certe credat ſe non meruiſſe quod deſiderat. Quòd ſi fallitur, agat gratias divinæ miſericordiæ, qua ab errore ſuo defenditur, ne ſine emolumento, aut etiam cum jactura locum vel vitæ ordinem mutando, inconſtantiæ levitatisque fruſtra crimen ſubeat, aut majora ſuis viribus experiendo fatigatus, deterius in priora, aut etiam in pejora prioribus deficiat. Si autem vero meliora illis, quæ in promptu ſunt, nondum meritus optat, patienter toleret divinum judicium, quòd ulli aliquid injuſtè non denegat, neque murmurando, aut obloquendo Deum offendat, ſed æquanimiter omnia ad meliora conetur deducere ferendo, ne per impatiam judicem juſtum exaſperans, mereatur quod non habet non accipere, & quod accepit amittere; aut * quia non amat, inutiliter tenère. Seu vero miſericordiam ſeu judicium erga ſe in illis, quæ non habet & optat, perſentiat; lætus ex his quæ accepit, largitati ſuperna gratias dignas perſolvat. Et quia ad qualemcunque portum de procelloſis mundi turbinibus potuit pertingere, caveat in portus tranquillitatem ventum levitatis, & impatientiæ turbinem inducere; quatenus mens, conſtantia, & manſuetudine tutantibus, quieta, divini timoris ſolicitudini, & amoris delectationi ſit vacua. Nam timor per ſolicitudinem cuſtodit, amor vero per delectationem perficit. Scio quia hæc majorem, aut ſcribendi, aut colloquendi exigunt amplitudinem, ut plenius intelligatur, quibus ſcilicet dolis antiquus ſerpens ignarum Monachum hoc genere tentationis illaqueet, & è contra quibus rationibus prudens Monachus ejus calidas perſuaſiones diſſolvat, & annihilet: ſed quoniam jam brevitatem, quam exigit Epiſtola, exceſsi, & totum quod hinc dixi, aut dicendum fuit, ad cuſtodiendam mentis quietem pertinet, hujus brevis exhortatio Epiſtolam noſtram terminet. Nec putes, cariſsime, hæc me dicere idcirco quòd ſuſpicer te aliqua mentis inquietudine laborare: Sed quoniam Dominus Urſio * cogit me aliquam admonitionem tibi ſcribere, neſcio quid potius moneam, quàm cavere hoc ſub ſpecie rectæ voluntatis, quod ſcio Novitiis quibusdam ſolère ſubrepere. Quapropter, amice mi, & Frater dilectiſsime, conſulit, monet, præcatur te tuus dilectus dilector totis cordis viſceribus, ut totis viribus quieti mentis ſtudeas, ſine qua nulli licet callidi hoſtis inſidias circunſpicere, vel ſemitas virtutum anguſtiſsimas proſpicere. Ad hanc vero Monachus qui in Monaſterio converſatur, pertingere nullatenus valet ſine conſtantia, & manſuetudine, quæ manſuetudo indiſſolubilis comes eſt patientiæ; & niſi Monaſterii ſui inſtituta, quæ divinis (*a*) non prohibentur mandatis, etiamſi rationem

* A'. minoribus.

* Al. quod.

* Al. Ursus.

(*a*) *Monaſterii ſui inſtituta quæ divinis non prohibentur mandatis*) Divina hic, & ſuperius à S. Anſelmo expreſſa mandata, non ſolùm ea intelligenda quæ data ſunt per ipſum Deum, ſed etiam data per SS. Patres in Conciliis, videlicet Sacri Canones, atque etiam Conſtitutiones Summorum Pontificum, necne Regula S. P. Benedicti (idem dic. de aliis regulis approbatis) ſecundum quam Monachi Benedictini vota Deo nuncuparunt: nam de ſervandis Deo promiſsis divinum mandatum eſt.

„ nem non perviderit, ut religiosa „ ſtuduerit obſervare. Vale, & om„ nipotens Dominus perficiat greſſus „ tuos in ſemitis ſuis, ut non mo„ veantur veſtigia tua, ut in juſti„ tia appareas in conſpectu Domini „ & ſatieris, cum apparuerit gloria „ ejus.

22 Inter hæc cum jam, & dictis, & ſcriptis ſuis mores ſui in nullo discordarent, totam ſuæ mentis intentionem in contemptum mundi compoſuiſſet, & his ſolis quæ Dei erant, totum ſtudium ſuum infixiſſet, contigit ut infirmitate correptus graviter affligeretur. Sed ipſe in Deo ſemper idem exiſtens, languore pauliſper ſedato, extra ſe per mentis exceſſum raptus, (*a*) vidit fluvium unum rapidum atque præcipitem, in quem confluebant omnium fluxuum purgaturæ, & quarumcumque rerum terræ lavaturæ. Videbatur itaque aqua ipſa nimis turbida, & immunda, & omni ſpurcitiarum ſorde horrida. Rapiebat igitur in ſe quicquid attingere poterat, & devolvebat tam viros quàm mulieres, divites, & inopes ſimul. Quod cùm Anſelmus vidiſſet, & tam obſcœnam revolutionem, illorum miſeratus unde viverent, aut unde ſitim ſuam refocillarent, qui ſic ferebantur, inquireret; accepiſſetque reſponſum, eos ea, qua trahebantur, aqua vivere delectarique, indignantis voce: Quomodo? Tali ne aliquis cœno potatus, vel pro ipſo hominum pudore ſe ferret? Ad hoc ille qui comitabatur eum, Ne mireris, ait, Torrens mundi eſt quod vides, quo rapiuntur, & involvuntur homines mundi; & adjecit: Vis ne videre quid ſit verus Monachatus? Reſpondit, volo: Duxit ergo illum quaſi in conſeptum cujuſdam magni, & ampli clauſtri, & dixit ei: Circunſpice. Axpexit, & ecce parietes clauſtri illius obducti erant argento puriſsimo, & candidiſsimo. Herba quoque mediæ planitiei virens erat, & ipſa argentea, molis quidem, & ultra humanam opinionem delectabilis: Hæc more alterius herbæ ſub his qui in ea paulabant, leniter flectebatur, & ſurgentibus ipſis, & ipſa erigebatur. Itaque locus ille totus erat amænus, & præcipua jucunditate repletus: hunc ergo ad inhabitandum elegit ſibi Anſelmus. Tunc ductor ejus dixit ei, eja vis videre, quid ſit patientia vera? Ad quod cùm ille magno cordis affectu geſtiret, & ſe id quàm maximè vellet, reſponderet; ad ſe ſubito reverſus, & viſionem, & viſionis demonſtratorem dolens ac gemebundus pariter amiſit. Duas autem quas viderat viſiones intelligens, ſecumque revolvens, eo magis unius horrorem fugere quo alterius amænitate ſtuduit delectari. Totum ergo deinceps ſeſe dedit in hoc ut verus * monachus eſſet, & ut vitam monachicam firma ratione comprehenderet, aliisque * proponeret: Nec eſt privatus deſiderio ſuo. Quod quidem, ut æſtimo, aliquantum percipi poterit ex verbis ejus, quæ per vices huic opuſculo indere rati ſumus, juxta quod ſeries geſtæ rei, quam ſuscepimus enarrare, poſtulabit: Nec enim mihi videtur pleniter poſſe pertingi ad notitiam inſtitutionis vitæ illius, ſi deſcriptis actibus ejus quis, vel qualis fuerit in ſermone taceatur.

* Al. vere.

* Al. præponeret.

23 Quodam igitur tempore cùm quidam Abbas qui admodum religioſus habebatur, ſecum de his quæ monaſticæ religionis erant, loqueretur, ac inter alia de pueris

(*a*) Ex his quæ vidit S. Anselmus in hoc raptu fiunt caput 186. al. 185. & cap. 187. al. 186. lib. De S. Anſel. ſimilitud.

in clauſtro (*a*) nutritis verba conſereret, adjecit: Quid, obſecro fiet de iſtis? Perverſi ſunt, & incorrigibiles, die ac nocte non ceſamus eos verberantes, & ſemper fiunt ſibi ipſis deteriores. Ad quæ miratus Anſelmus, non ceſſatis, inquit, eos verberare? Et cùm adulti ſunt, quales ſunt? Hebetes, inquit, & beſtiales. At ille: quo bono omine nutrimentum veſtrum expenditis; qui de hominibus beſtias nutriviſtis! Et nos, ait, quid poſsimus inde? Modis omnibus conſtringimus eos, ut proficiant, & nihil proficimus. Conſtringitis? Dic mihi, quæſo, Domine Abba, ſi plantam arboris in horto tuo plantares, & mox illam omni ex parte ita concluderes, ut ramos ſuos nullatenus extendere poſſet, cùm eam poſt annos excluderes, qualis arbor inde prodiret? Profecto inutilis, incurvis ramis, & perplexis. Et hoc ex cujus culpa procederet uiſi tua, qui eam immoderate concluſiſti? Certe hoc facitis de pueris veſtris; plantati ſunt per oblationem in horto Eccleſiæ, ut creſcant, & fructificent Deo. Vos autem in tantum terroribus, minis & verberibus undique illos coartatis, ut nulla ſibi penitus liceat libertate potiri. Itaque indiſcretè oppreſsi, pravas, & ſpinarum more perplexas intra ſe cogitationes congerunt, fovent, nutriunt, tantumque eas nutriendo ſuffulciunt, ut omnia, quæ illarum correctioni poſſent admin'culari obſtinata mente ſubterfugiant. Unde fit ut quia nihil amoris, nihil pietatis, nihil benevolentiæ, ſive dulcedinis circa ſe in vobis ſentiunt, nec illi alicujus in vobis boni poſtea fidem habeant, ſed omnia veſtra ex odio & invidia contra ſe procedere credant. Contingitque modo miſerabili, ut ſicut deinceps corpore crescunt, ſic in eis odium, & ſuſpicio omnis mali creſcat, ſemper proni, & incurvi ad vitia. Cumque ad nullum fuerint in vera charitate nutriti, nullum niſi depreſsis ſuperciliis, oculove obliquo valent intueri. Sed propter Deum vellem diceretis mihi, quid cauſæ ſit quòd eis tantum infeſti eſtis? Nonne homines, nonne ejuſdem naturæ ſunt, cujus vos eſtis? velletis ne vobis fieri quod illis infertis, siquidem quod ſunt, vos eſſetis? Sed eſto. Solis eos percuſsionibus, & flagelis ad mores bonos vultis informare? Vidiſtis unquam artificem ex lamina (*b*) auri, vel argenti ſolis percuſsionibus imagine ſpecioſam formaſſe? Non puto. Quid tunc? Quatenus aptam formam ex lamina formet, nunc eam ſuo inſtrumento leniter premit, & percutit, nunc diſcreto levamine lenius levat, & format. Sic & vos ſi pueros veſtros cupitis ornatis moribus eſſe, neceſſe eſt ut cum depreſsionibus verberum impendatis paternæ pietatis, & manſuetudinis levamen atque ſubſidium. Ad hæc Abbas: Quod levamen? Quod ſubſidium? Ad graves & maturos mores illos conſtringere laboramus. Cui ille: Bene quidem. Et panis, & quisque ſolidus cibus utilis, & bonus eſt, eo uti valenti. Verùm, ſubtracto lacte, ciba inde lactentem infantem, & videbis eum magis ex hoc ſtrangulari quàm recreari. Cur hoc? Di-

(*a*) Hi pueri oblati erant Deo ſecundum Regulam S. P. N. Benedicti cap. 59. qui vere monachi cenſebantur, ut, præter ipſam Sanctæ Regulæ auctoritatem, & communem praxim per multa ſæcula, conſtat ex quarto Concilio Toleno Can. 49. ſic inquiente: *Monachum aut paterna devotio, aut propria profeſsio facit. Quidquid horum fuerit, alligatum tenebit. Proinde his ad mundum reverti, aditum intercludimus, & omnem ad ſæculum interdicimus regreſsum.* Leg. Decret. Gratian. cauſ. 20. quæſt. 1. & Mabill. in Analect. pag. 157. Edit. in fol.

(*b*) Hoc exemplo Laminæ auri conſtituitur caput 179. alias 178. libri *de S. Anselmi ſimilitudinibus*; & caput antecedens, comparatione puerorum plantæ.

Dicere nolo, quoniam claret. Attamen hoc tenete, quia ſicut fragile, & forte corpus pro ſua qualitate habet cibum ſuum; ita fragilis, & fortis anima habet pro ſui menſura victum ſuum. Fortis anima delectatur & paſcitur ſolido cibo, patientia ſcilicet in tribulationibus, non concupiſcere aliena, percutienti unam maxillam præbere alteram, orare pro inimicis, odientes diligere, & multa in hunc modum. Fragilis autem, & adhuc in Dei ſervitio tenera, lacte indiget, manſuetudine videlicet aliorum, benignitate, miſericordia, hilari advocatione, caritativa ſupportatione, & pluribus hujuſmodi. Si taliter veſtris fortibus, & infirmis vos coaptatis; per Dei gratiam omnes, quantum veſtra refert, Deo* acquiretis. His Abbas auditis ingemuit dicens: Vere erravimus à veritate, & lumen diſcretionis non luxit nobis. Et cadens in terram, ante pedes ejus, ſe peccaſſe, ſe reum eſſe confeſſus eſt, veniamque de præteritis petiit, & emendationem de futuris repromiſit. Hæc dicimus, quatenus per hæc quàm piæ diſcretionis, & diſcretæ pietatis in omnes fuerit agnoſcamus.

*Al. cum Deo.

24 Talibus ſtudiis intendebat, in iſtis Deo ſerviebat, per hæc bonis omnibus valde placebat. Unde bona fama ejus non modo Normannia eſt reſperſa, verum etiam Francia tota, Flandria tota, contiguæque his terræ omnes: quin mare tranſiit, Angliamque replevit. Exciti ſunt quaque gentium multi nobiles, prudentes Clerici, ſtrenui milites, atque ad eum confluxere, ſeque, & ſua in ipſum monaſterium ſervitio Dei tradidére. Creſcit Cœnobium illud intus, & extra, intus in ſancta religione, extra in multimoda poſſeſſione. Cum vero Abbas Herluinus, cujus ſupra meminimus, jam decrepitus monaſterii cauſis intendere, & opem ferre non valéret, quicquid agi oportebat ſub Anſelmi, utpote Prioris, diſpoſitione fiebat. Exigentibus igitur multiplicibus cauſis, eum foras monaſterium ire ſæpe neceſſe fuit. Cui dum nonnunquam equi, & alia quæ ſunt equitaturis neceſſaria deeſſent, præcepit Abbas ei omnia quæ opus erant parari, & illi ſoli ſicut propria miniſtrari. At ille ad nomen proprietatis inhorruit, & reverſus de itinere quæque ſibi ſpecialiter fuerant præparata, in viam ituris communiter exponi juſſit, nec propter ſecuturam, quam forſam erat paſſurus penuriam, unquam ſe retraxerit, quin ex ſua copia ceterorum ſuppleret inopiam. Nec mirandum, cùm jam mundo* illuxerat, eum ſe fratribus talem exhibuiſſe, cùm ſicut ipſemet referre ſolitus erat, etiam quando adhuc in ſæculari vita degebat, eo circa alios amore fervebat, ut quemcunque ſui ordinis minus ſe habentem videret, ejus inopiam de abundantia ſua libens pro poſſe ſuppleret. Jam tunc enim ratio illum docebat omnes divitias mundi pro communi omnium utilitate ab uno omnium patre creatas, & ſecundum naturalem legem nihil rerum magis ad hunc quàm ad iſtum pertinére. Taceo quòd illi ſæpe plura auri, & argenti pondera à nonnullis ſunt oblata, quatenus ea in ſuos ſuorumque uſus ſuſciperet, ſervaret, diſpenderet: quæ ipſe nulla patiebatur ratione ſuſcipi, niſi forte communi Fratrum utilitati profutura, Abbati præſentarentur. Sed cùm is, qui ſua offerebat, è contra diceret, ſe nullam tunc voluntatem habere ut Abbati vel monachis aliquid daret, niſi ei ſoli; referebat ille, ſe talium opus non habere, nec aliter à quoquam velle quicquam accipere. Illud autem breviter dico, quòd inter hujuſcemodi ſtudia die quadam, dum ad lectuum ſuum in dormitorio diverteret, annulum aureum in eo inſperatus invenit, & admodum miratus eſt. Reputans ergo apud ſe, ne forte aliquis eorum, qui res monaſterii procurabant, quovis eventu eundem

*Al. illuxerat.

NOTA.

NOTA.

dem annulum ibi reliquerit, levavit eum, & ſingulis oſtendit. Mirantur illi & se rei conscios omnino negant. Oſtenditur aliis atque aliis, ſed hucuſque nullus fuit, qui recognoverit unde vel à quo illuc delatus ſit. Et tunc quidem annulus idem in opus Eccleſiæ expenſus eſt, & res ita remanſit. Poſtmodum (*a*) vero cùm ipse Anſelmus ad Pontificatum ſumptus eſt, fuerunt qui hoc ipſum per annulum illum jam tunc quodam præſagio præſignatum fuiſſe aſſererent. Nos autem quæ geſta ſunt, ſimplici tantum ſtylo digerimus.

25 Invitabatur præterea à diverſiis Abbatiis, quatenus ibi, & publice in Capitulo (*b*) Fratribus, & ſecum privatim loqui volentibus, verba vitæ miniſtraret. Namque ſolemne extiterat omnibus, ut quicquid ab ore illius foret auditum, ſic haberetur quaſi planè divinum reſponſum. Unde requirendi conſilii gratia, & diverſis ad eum locis feſtinabatur. Quæ res invidia gravi diabolum vulnerabit. Nonnullos ergo quos ab ea intentione ſecreta fraude non poterat, manifeſta increpatione avertere machinabatur. Exempli cauſa, miles (*c*) quidam erat, Cadulus nomine. Hic quadam vice vigiliis, & orationibus Deo intentus audivit diabolum ſub voce ſcutarii extra Eccleſiam, in qua erat, vociferantem, & turbato murmure equos, & omnia ſua fracto hoſpitio à latronibus jam tunc direpta eſſe, atque abducta conquerentem nec aliquid eorum ulterius recuperandum, ni citius accurreret. Ad quæ cùm ille nequaquam moveretur, majus videlicet damnum deputans orationi cedere, quàm ſua perdere; dolens diabolus ſe deſpectum, in ſpeciem Urſi demutatus eſt, & Eccleſiæ per tectum dilapſus, ante ipſum præceps corruit, ut horrore ſaltem & fragore ſui caſus virum à cæpto proturbaret. Sed miles immobilis permanet, & monſtrum ſecurus irridet. Poſt quæ ſtatum vitæ ſuæ propoſito ſanctiori fundare deſiderans, Anſelmum adiit, conſilium ejus ſuper hoc addiſcere cupiens. Verùm dum ad ipſum vadens, iter acceleraret, ecce malignus hoſtis humanam vocem ex adverſo edens, in hæc verba prorupit. Cadule, Cadule, quo tendis? Igitur cùm ille ad vocem hanc ſubſiſteret, ſcire volens quis eſſet qui talia diceret, repetivit dæmon, & ait: Quo tendis, Cadule? Quid te tantopere Priorem illum hypocritam cogit adire? Opinio ſiquidem ejus omnino alia eſt à converſatione vitæ illius. Quapropter ſuadeo, conſulo ut celerius redeas, ne ſeductus ab eo, ſtultitia, qua modo traheris, illaqueeris. Hypocriſis namque ſua jam multos decepit, & ſpe vana delibutos, ſuis vacuos, & immunes effecit. Hæc ille audiens, & dæmonem eſſe qui loquebatur recognoſcens, ſigno ſe crucis munivit, & ſpreto hoſte, quò propoſuerat ire, perrexit. Quid plura? Audito Anselmo, abnegato ſeipſo, & ſæculo, religioſæ vitæ ſe tradidit, & apud Majus (*d*) Monaſterium Monachus factus eſt.

Hunc

(*a*) *Postmodum vero*) Imò, & antea, ſi Auctori vitæ Landfranci fidem non negamus, idem Landfrancus, hoc audito, Pontificatûs futuri præſagium illum eſſe prædixit annulum.

(*b*) Capitulum vocamus, adhuc hodie, aulam ubi poſt horam Primæ, & mentalis orationis legitur unum ex capitulis Regulæ S. P. Benedicti, unde venit ipſi aulæ nomen Capituli.

(*c*) *Miles*) Hoc nomine antiquitùs intelligebatur, exponente doctiſ. P. Mabillon. *Homo nobilis.*

(*d*) *Majus-Monasterium*) Hoc Cœnobium ſitum, ut ſupra dixi, prope Turonos (gallicè Tours Hiſpanicè Turòn) fundatum eſt à Sancto Martino ejuſdem Urbis Epiſcopo, quarto Eccleſiæ ſæculo, quod hodieque perſtat celebre, unitum Congregationi S. Mauri, quæ in eodem ſua celebrat regulariter Capitula, ut vocant, generalia.

Hunc etenim uſum Anſelmus habebat, ut nunquam alicujus commodi cauſa ſuaderet alicui ſæculo renunciare volenti, quatenus in ſuo Monaſterio potius quàm in alieno id faceret. Quod nimirum eo intuitu, ea conſideratione faciebat, ne ullus poſtmodum loco, quem ex propria deliberatione non intraverat, aliqua, ut fit, pulſatus moleſtia detraheret, & ſcandali ſui ac impatientiæ murmur perſuaſioni illius imputaret, itaque ſe aliis, & alios ſibi, ad multa diviſus, graves efficeret.

NOTA.

26 Defuncto ſuperius ſœpe nominato Abbate Herluino uno * omnium Fratrum Beccenſium conſenſu in Abbatem eligitur. Quod ipſe omni ſtudio ſubterfugere gestiens, multas, & diverſas rationes, ne id fieret, obtendebat. Sed illis nec auditum quidem rationibus ejus patienter accommodare volentibus, anxiatus eſt in eo ſpiritus ejus, & quid ageret ignorabat. Tranſierunt in iſtis dies quidam. Verum ubi Anſelmus vidit ſe Monachorum unanimem conſtantiam non poſſe verbis mutare, tentavit ſi quomodo eam valeret vel precibus inclinare. Eis itaque Priore ſub uno conſtitutis, ac ei ut, omiſsis objectionibus ſolitis, Abbas fieri acquieſceret inſiſtentibus, ille flens, & miſerandos ſingultus edens, proſternitur in faciem coram omnibus, orans, & obteſtans eos per nomen Dei omnipotentis, per ſiqua in eis erant pietatis viscera, quatenus reſpectu miſericordiæ Dei ſuper eum intendant, & ab incœpto deſiſtentes, ſe à tanto onore quietum manere permittant. At illi omnes è contra in terram proſtrati, orant ut ipſe potius loci illius, & eorum miſereatur, ne poſtpoſita utilitate communi ſe ſolùm præ ceteris ſingulariter amare convincatur. Acta ſunt de his utrinque plurima in hunc modum: ſed jam nunc eis iſtum ponimus dicendi modum. Vicit tandem diligens importunitas, & importuna diligentia Fratrum jugum Domini ſub ejus regimine ferre volentium: vicit quoque, & multo maxime præceptum, quod, ut ſupra retulimus, ei fuerat ab Archiepiscopo Maurilio per obedientiam injunctum, videlicet, ut ſi major Prælatio quàm illius Prioratus extiterat, ipſi aliquando injungeretur, nullatenus eam ſuscipere recuſaret. Nam ſicut ipſe teſtabatur, nunquam ſe Abbatem fieri conſenſiſſet, niſi eum hoc quod dicimus imperium ad hoc conſtrinxiſſet. Tali ergo violentia eſt Abbas effectus ac Becci debito cum honore ſacratus. * Qualem vero ſe deinceps in cunctis ſanctarum exercitiis virtutum exhibuerit, inde colligi poteſt, quod nunquam de retroacta ſanctitatis ſuæ converſatione cauſa Abbatiæ aliquid minuit, ſed ſemper de virtute in virtutem, ut Deum deorum in Sion mereretur videre, conſcendere ſtuduit.

* Al. omnibo.

Anno 1078.

* Sacratus id-eſt, bened.

27 Delegatis itaque Monaſterii cauſis curæ ac ſolicitudini Fratrum, de quorum vita, & ſtrenuitate certus erat, ipse Dei contemplationi, Monachorum eruditioni, admonitioni, correctioni jugiter inſiſtebat. Quando autem aliquid magni in negotiis Eccleſiæ erat agendum, quod in ejus abſentia non æſtimabatur oportere definiri, tunc pro tempore, & ratione negotium quod imminebat, mediante juſtitia diſponebat. Abominabile quippe judicabat, ſi quidvis lucri aſſequeretur ex eo quod alius contra moderamina juris quavis aſtutia perdere poſſet. Unde neminem in placitis patiebatur à ſuis aliqua fraude circunveniri, obſervans ne cui faceret, quod ſibi fieri nollet. Hinc procedebat quòd inter placitantes reſidens, cum adverſarii ejus per ſua conſilia diſquirerent quo ingenio, quave calliditate, ſuæ cauſæ adminiculari, & illius valerent fraudulenter inſidiari; ipse talia nullatenus curans, eis qui ſibi

NOTA.

volebant intendere, aut de Evangelio, aut de aliqua alia divina Scriptura, aut certè aliquid de informatione morum bonorum differebat. Sæpe etiam cum hujuſce auditores deerant, ſuaviter in ſui cordis puritate quieſcens, corpore dormiebat. Eveniebatque nonnunquam, ut fraudes ſubtili machinatione compoſitæ, mox ubi ſunt in audientiam illius delatæ, non quaſi à dormiente, qui tunc erat, ſed ſicut à perſpicaciter vigilante, & intendente, ſint detectæ atque diſſectæ. Caritas enim quæ non æmulatur, quæ non agit perperam, quæ non quærit quæ ſua ſunt, in eo vigebat, per quam quæ videnda erant, veritate monſtrante, extemplò perſpiciebat.

28 Quàm vigil autem atque ſolicitus fuerit circa hoſpitum ſuſceptionem, eorumque in omni * humanitatis officio relevationem, ex eo probatur quòd illum pio ſtudio in hoc & ſe, & ſua novimus expendiſſe: Se in omni hilaritate, ſua in omni largitate. Quòd ſi aliquando ad refectionem corporum victus omninò pro voto ſuo non ſufficiebat, hoc quod deerat, ejus bona voluntas, & vultus alacritas apud hospites gratioſè ſupplebat. Præterea nonnunquam cibus Fratrum ſuo juſſu de refectorio ſublatus, & hospitibus eſt allatus atque appoſitus. Neque enim tunc in promptu aliud erat, quod eis aptè poſſet apponi.

* Al. humilitatis.

29 Victus autem Monachorum ita Deo providente diſpensabatur, ut nihil eorum, quæ neceſsitas expetebat, illis deeſſet; licet ſæpiſſime in hoc eſſent, ut timeretur ne in craſtinum eis cuncta deeſſent: ſicque nonnunquam inter aliquid, & quaſi nihil ferebantur, ut aliquid eis non ſuperflueret; & quod erat quaſi nihil, eos nequaquam per inopiam fatigaret. Quod penitus illis contingebat ſecundum verba ſui patris, qui ea prædicebat, dum miniſtri Eccleſiæ apud eum quærebantur de formidine imminentis neceſsitatis: frequenter namque à Cellerariis, à Camerariis, à Secretariis additus eſt, & quid conſilii contra penuriam, quæ cujusque * obedientiam peſſundabat, daret inquiſitus. Quibus cùm reſponderet, Sperate in Domino, & ſpero quia ipſe neceſſaria vobis quæque miniſtrabit; mirabili modo non ſecus eveniebat in re, quàm ipſe dicebat ſe habere in ſpe, Videres enim poſt hæc verba ſtatim ipſa die, vel certe ſequenti mane, ſive quod falli non poterat, priusquam penuria aliqua ullum affligeret, aut naves de Anglia oneratas omni copia in uſum illorum juxta appelli, aut quemlibet de divitibus terræ (*a*) Fraternitatem Eccleſiæ quærentem cum magna pecunia adventare; aut aliquem relinquere mundum volentem, ſe & ſua in Monaſterium; aut denique aliunde aliquid apportari, unde per plurimos dies neceſſaria quæque poterant miniſtrari.

* Obedientias vocabant Officia regularia.

30 Habebat præterea ipſum Cœnobium plures poſeſsiones in Anglia, quas pro communi Fratrum utilitate neceſſe erat per Abbatis præſentiam nonnunquam viſitari. Ipso itaque ſuæ ordinationis anno Anſelmus in Angliam profectus eſt. Ad quod licet hæc, quam dixi, ſatis firma cauſa extiterit; alia tamen erat non infirmior iſta, videlicet, ut reverendum Landfrancum cujus ſupra meminimus, videret; & cum eo de his

(*a*) *Fraternitatem Eccleſiæ quærentem*) De origine, progreſſu, & ritu harum Fraternitatum lege doctiſs. P. Johann. Mabillon. In Analectis pag. 160. edit. in fol. & tom. 3. Annal. Benedict. pag. 70. Liber ubi hujuſmodi Fratres concripti erant, *Necrologion* appellabatur, quod in noſtris Cœnobiis poſt Primam, Martyrologii, & Regulæ lectionem, legebatur, recitabatur nomen cujusque juxta diem obitus ſui, precesque fiebant.

his, quæ corde gerebat, familiari affectu ageret. Ipſe ſiquidem venerabilis vir jam de Abbate Cadomenſi factus fuerat Archiepiſcopus Cantuarienſis omnibus valde honorabilis & ſublimi probitate conſpicuus.

31 Cum igitur Anſelmus tranſito mari Cantuariam veniret, pro ſua reverentia, & omnibus nota ſanctitate, honorificé à Conventu Eccleſiæ Chriſti, in ipſa Civitate ſitæ, ſuſceptus eſt. Pro quo honore nollens ingratus exiſtere, poſtmodum ipſi Monachorum (*a*) Conventui à gratiarum ac-

(*a*) *Ipſi Monachorum Conventui*) A principio inſederant Cathedrali ac Primatiali Eccleſiæ Cantuarenſi Monachi ejuſdem Ordinis, cujus eſt S. Gregorius Magnus, & diſcipulus ejus S. Auguſtinus, primus Cantuariæ ſeu Doroberniæ Antiſtes. Quod ad probandum transcribit Edmerus in lib. 1. Hiſt. Novor. Epiſtolam Alexandri Papæ (ſcilicet ſecundi) cujus tenorem totum hîc exhibere, pro minus inſtructis in hiſtoria Anglicæ Eccleſiæ, operæ pretium duximus.

„ Alexander Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei; Reverendiſsimo Fratri in Chriſto Landfranco venerabili Cantuariorum Archiepiſco, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

„ Accepimus à quibusdam venientibus de veſtris partibus ad limina Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, quòd quidam Clerici, aſſociato ſibi terrenæ poteſtatis, Laicorum videlicet, auxilio, diabolico ſpiritu repleti, moliuntur de Eccleſia Sancti Salvatoris in Dorobernia, quæ eſt Metropolis totius Britanniæ Monachos expellere, & Clericos inibi ſtatuere. Cui nefario operi molitionis ſuæ hoc adjicere conantur, ut in omni Sede Epiſcopali Ordo Monachorum extirpetur, quaſi in eis non vigeat auctoritas religionis. Qua de re zelo Dei compulſi, ſcrutinium de privilegiis Eccleſiarum fieri præcipimus, & venit ad manus ſtatutum Prædeceſſoris noſtri beatæ memoriæ Gregorii majoris, de Eccleſiis Angliæ, quomodo ſcilicet præcepit Auguſtino, gentis veſtræ Apoſtolo, ut ejuſdem Ordinis viros, cujus & ipſe noſcitur eſſe, poneret in præfata Sede Metropolitana. Cujus præceptionis inter alia, hæc ſubnexa ſunt. Quia tua, inquit, Fraternitas Monaſterii Regulis erudita, in Eccleſia Anglorum, quæ nuper auctore Deo ad fidem perducta, hanc debet converſationem inſtituere, quæ in initio nascentis Eccleſiæ fuit Patribus noſtris, in quibus nullus eorum ex his, quæ poſſidebant, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia; quam Communionis Regulam Ordini Monachorum per maximè congruere, nemo qui dubitat. Hinc habetur epiſtola Bonifacii, qui quartus à Beato Gregorio Eccleſiæ Romanæ, cui (auctore Deo) præſidemus, præfuit, quam Æthelberto Regi Anglorum, & Laurentio Archiepiſcopo Prædeceſſori veſtro miſit, in qua quibuſdam premiſsis, hujuſmodi cenſura anathematis uſus eſt. Glorioſe, inquit, fili, quod ab Apoſtolica Sede per Cœpiſcopum noſtrum Melitum poſtulastis, libenti animo concedimus, id eſt, ut veſtra benignitas in Monaſterio in Doroberneníi Civitate conſtituto, quòd Sanctus Doctor veſter Auguſtinus, beatæ memoriæ Gregorii diſcipulus, Sancti Salvatoris nomini conſecravit (cui ad præſens præeſſe dignoscitur dilectiſsimus fratrer noſter Laurentius) licenter per omnia Monachorum regulariter viventium habitationem ſtatuat, Apoſtolica auctoritate decernentes, ut ipſi veſtræ ſalutis Prædicatores Monachi Monachorum gregem ſibi aſſocient, & eorum vitam ſanctitatum moribus exornent. Quæ noſtra decreta ſiquis ſucceſſorum noſtorum, Regum, ſive Epiſcoporum, Clericorum, ſive Laicorum irrita facere tentaverit, à Principe Apoſtolorum Petro, & à cunctis ſucceſſoribus ſuis anathematis vinculo ſubjaceat, quoad uſque quod temerario auſu peregit, Deo placita ſatisfactione, pœniteat, & hujus inquietudinis veſtræ emendationem promittat. Unde quia ratione dictante quieti Eccleſiarum utile eſſe perspeximus, præſens decretum ſupra nominatorum Patrum confirmamus, & vice Apoſtolorum ſub eodem anathemate eos conſtringimus, quicunque huic obviare contenderint.

Sed cujus Ordinis, rogabis, fuit Auguſtinus? Ejuſdem cujus erant Monachi Cantuarienſes tempore Lanfranci atque Eadmeri, qui absdubio erant Benedictini. Imò, & ante ducentos annos, ſcilicet ſæculo nono, tempore Papæ Johannis Octavi, *vix poterat in illis partibus aliquis monachus inveniri à quo non observaretur tam in propoſito quàm in habitu Regula Benedicti.* Quæ verba ſunt Johannis diaconi Eccleſiæ Romanæ ſub Papa præfato, in vita S. Gregorii Magn. lib. 4. cap. 82.

actione inchoans, procedente in hoc verborum serie, de caritate locutus est, rationabiliter ostendens eum qui caritatem erga alterum habet, majus aliquid habere, quàm illum ad quem caritas ipsa habetur: ipse enim, inter alia inquit, qui caritatem habet, hoc unde Deus ei scit gratias habet; ille vero ad quem tantummodo habetur, minime.

32 Quas etenim gratias mihi debet Deus, si tu me vel quilibet alius diligit? Quòd si majus est habere hoc unde Deus scit homini grates, quàm hoc unde nullas; cùm pro habita caritate gratias sciat, pro suscepta non adeo; colligitur eum, qui caritatem erga alium habet, majus quid habere, quàm ipsum cui impenditur. Amplius: Is cui dilectio alterius servit, solius commodi munus perfunctorie suscipit, verbi gratia, honorem unum, beneficium unum, prandium unum, vel quodlibet officii genus in hunc modum. Alius vero caritatem, quæ commodi munus exhibuit, sibi retinuit. Quòd in vobis, & in me, sanctissimi Fratres, libet in præsenti considerare. Ecce unum caritatis officium mihi impendistis. Impendistis, inquam, mihi caritatis officium unum, & à me jam ipsum officium transiit; caritas vero ipsa, quæ Deo est grata, vobis remansit. Nonne melius judicatis bonum permanens bono transeunti? Ad hæc si ex ipso officio circa vos aliquid caritatis in me crevit, & hoc ipsum vobis ad cumulum retributionis erit, qui feciſtis unde mihi tantum bonum provenit. Si non; vobis tamen caritas vestra remansit, à me officium quod exhibuistis penitus transiit. Hæc igitur si recta consideratione attendimus, profectò perspiciemus, magis nobis esse gaudendum, si alios diligimus, quàm si diligimur ab aliis. Quod quia non omnes faciunt, multi potius ab aliis amari, quàm amare alios cupiunt. Hæc & hujusmodi multa locutus est, & acceptâ Fraternitate Monachorum, factus est inter eos unus ex eis. Degens per dies aliquot inter eos, & quotidie, aut in Capitulo, aut in Claustro mira quædam, & illis adhuc temporibus insolita de vita, & moribus Monachorum coràm eis rationabili facundia differens. Privatim quoque aliis horis agebat cum his, qui profundioris ingenii erant, profundas eis de divinis necnon sæcularibus libris quæstiones proponens, propositasque exponens. Quo tempore & ego ad sanctitatis ejus notitiam pervenire merui, ac pro modulo parvitatis meæ beata illius familiaritate utpote adolescens, qui tunc eram, non parum potiri.

NOTA.

Confer. cap. 180., al. 179. lib. de Simil.

33 Intèr reverendum autem Pontificem Landfrancum, & hunc Abbatem Anselmum quid in illis diebus actum, dictumve sit, planum est intelligere his qui vitam, & mores noverunt utrorumque. Qui vero non noverunt, ex eo intelligant quod, in quantum nostra, & multorum fert opinio, non erat illo tempore ullus, qui aut Landfranco in auctoritate, vel *multiplici rerum scientia, aut Anselmo præstaret in sanctitate, vel Dei sapientia.

* Al. triplici.

34 Erat præterea Landfrancus adhuc quasi rudis Anglus, necdumque federant animo ejus quædam institutiones, quas repererat in Anglia. Quapropter cùm plures de illis, magna fretus ratione, tum quasdam mutavit sola auctoritatis suæ deliberatione. Itaque dum illarum mutationi intenderet, & Anselmum, unanimem scilicet amicum, & fratrem secum haberet, quadam die familiaribus cum eo loquens, dixit ei: Angli isti, inter quos degimus, instituerunt sibi quosdam quos colerent sanctos. De quibus cum aliquando qui fuerint, secundum quod ipsimet referunt, mente revolvo; de sanctitatis eorum merito animum à dubietate flectere nequeo. Et ecce unus illorum est in sancta, cui nunc

Deo

Deo auctore præſidemus ſede, quiescens, Elfegus (*a*) nomine, vir bonus quidem & ſuo tempore gradu Archiepiſcopatus præſidens ibidem. Hunc non modo inter Sanctos, verum, & inter martyres numerant; licet eum non pro confeſsione nominis Chriſti, ſed quia ſe pecunia redimere non voluit, occiſſum non negent. Nam cùm illum, ut verbis utar Anglorum, æmuli ejus, & inimici Dei pagani cepiſſent; & tamen pro reverentia illius ei potestatem ſe redimendi conceſiſſent, immenſam pro hoc ab eo pecuniam expetiverunt. Quam quia nullo pacto poterat habere, niſi (*b*) homines ſuos eorum pecunia ſpoliaret, & nonnullos forſitam inviſæ mendicitati ſubjugaret; elegit vitam perdere, quàm eam tali modo cuſtodire. Quid hinc igitur tua Fraternitas ſentiat, audire deſidero. Et quidem ille, ſicuti novus Angliæ civis, hæc ſummatim perſtringens Anſelmus propoſuit.

35 Attamen cauſam necis beati Elphegi hiſtorialiter intuentes, videmus non illam ſolam, ſed aliam fuiſſe iſta antiquiorem. Denique non ideo tantum quia ſe pecunia redimere noluit, ſed etiam quia paganis perſecutoribus ſuis Civitatem Cantuariam, & Eccleſiam Chriſti in ea ſitam concremantibus, civesque innocuos atroci morte necantibus, Chriſtiana libertate obſiſtere, eosque à ſua infidelitate convertere niſus, eſt ab eis captus, & crudeli exanimatione eſt occiſſus.

36 Sed Anſelmus ut vir prudens, viro prudenti juxta interrogationem ſibi propoſitam, ſimpliciter ita reſpondit, dicens: Palam eſt quòd is, qui ne leve quidem contra Deum peccatum admittat, mori non dubitat; multo maxime mori non dubitaret, priusquam aliquo gravi peccato Deum exacerbaret. Et revera gravius peccatum videtur eſſe Chriſtum negare, quàm quemlibet terrenum Dominum pro redemptione vitæ ſuæ homines ſuos per ablationem pecuniæ illorum ad modicum gravare. Sed hoc quod minus eſt, Elfegus noluit facere. Multo igitur minus Chriſtum negaret, ſi vetana manus eum ad hoc mortem intentando conſtringeret. Unde datur intelligi miram pectus ejus juſtitiam poſſediſſe, quando vitam ſuam maluit dare, quàm ſpreta charitate proximos ſuos ſcandalizare. Quamobrem longe fuit ab eo illud væ, quod Dominus minatur ei, per quem ſcandalum venit. Nec immerito, ut reor, inter martyres computatur, qui pro tanta juſtitia mortem ſponte ſuſtinuiſſe veraciter prædicatur. Nam & Beatus Joannes Baptiſta, qui præcipuus Martyr, & veneratur, & creditur à tota Dei Eccleſia, non quia Chriſtum negare, ſed quia veritatem tacere noluit, occiſſus eſt. Et quid diſtat inter mori pro juſtitia, & mori pro veritate? Amplius: cum teſtante ſacro eloquio, ut veſtra paternitas optime novit, Chriſtus veritas, & juſtitia ſit; qui pro juſtitia, & veritate moritur, pro Chriſto moritur: Qui autem pro Chriſto moritur, Eccleſia teſte, martyr habetur. Beatus vero Elfegus æque pro juſtitia, ut beatus Johannes paſſus eſt pro veritate. Cur ego magis de unius quàm de alterius vero ſanctoque martyrio quisquam ambigat, cùm par cauſa in mortis perpeſsione utrumque detineat? Hæc me quidem, Reverende Pater, in quantum perspicere poſſum, rata eſſe ipſa ratio docet, attamen veſtræ pru-

(*a*) Memoria S. Elphegi, titulo non ſolum Confeſſoris, ſed etiam Martyris, fit in Martyrologio Romano die 19. Aprilis. Vitam ejus invenies in tom. 8. Actor. SS. Ord. S. Bened. ad annum 1012.

(*b*) *Homines ſuos*, id eſt, ſubditos in temporalibus, ſeu vaſallos.

dentiæ eſt, & me ſi aliter ſentit, ab hoc corrigendo revocare, & quid potiſsimum in tanta re ſentiendum ſit, Eccleſiæ Dei docendo monſtrare. Ad quod Landfrancus : Fateor, inquit, ſubtilem perſpicatiam & perſpicacem ſubtilitatem ingenii tui vehementer approbo, & veneror, firmaque ratione tua edoctus, beatum Elphegum, ut vere magnum, & glorioſum martyrem Chriſti deinceps me colere, & venerari ex corde, gratia Dei juvante, confido : quod ipſe poſtmodum devotè exercitus eſt, quin & hiſtoriam vitæ ac paſsionis ejus diligenti ſtudio fieri præcepit. Quam quidem hiſtoriam non ſolùm plano dictamine ad legendum, verum etiam muſico modulamine ad canendum à jucundæ memoriæ Osberno Cantuarienſis Eccleſiæ Monacho ad præceptum illius nobiliter editam, (*a*) ipſe ſua prudentia pro amore illius martyris celſius inſignivit, inſignitam autorisavit, auctoriſatam in Eccleſia Dei legi, cantarique inſtituit, nomenque Martyris hac in parte non parum glorificavit.

37 Poſt hæc Anſelmus ad agenda propter quæ venerat, terras Eccleſiæ Beccenſis per Angliam adiit, utilitati Monachorum ſuorum per omnia ſtudioſe ſecundum Deum inſerviens. Vadens autem & ad diverſa Monaſteria Monachorum, Canonicorum, Sanctimonalium, necnon ad curias quorumque nobilium, prout eum ratio ducebat, perveniens, lætiſsime ſuſcipiebatur, & ſuſcepto quæque caritatis obſequia gratiſsime miniſtrabantur. Quid ille ? Solito more cunctis ſe jucundum, & affabilem exhibebat, moresque ſingulorum, in quantum ſine peccato poterat, in ſe ſuſcipiebat. Nam juxta Apoſtolum his, qui ſine lege erant, tanquam ſine lege eſſet, cum ſine lege Dei non eſſet, ſed in lege Chriſti eſſet, ſe coaptabat, ut lucrifaceret eos, qui non modo ſine lege, ut putabatur, beati Benedicti, ſed & eos qui ſæculari vitæ dediti, in multis vivebant ſine lege Chriſti. Unde corda omnium miro modo in amorem ejus vertebantur, & ad eum audiendum famelica aviditate rapiebantur. Dicta etiam ſua ſic unicuique hominum ordini conformabat, ut auditores ſui nihil moribus ſuis concordius dici poſſe faterentur. Ille Monachis, ille Clericis, ille Laicis, ad cujusque propoſitum ſua verba diſpenſabat. Monachos ut ne minima quidem ſui Ordinis contemnerent, admonebat, conteſtansque quia per contemptum minimorum ruerent in deſtructionem, & despectum omnium bonorum. Quod dictum ſub exemplo vivarii proponebat, dicens clauſuram illius diſtrictioni Ordinis monaſtici aſsimilari : Quandoquidem, inquit, ſicut piſces decurrente aqua vivarii moriuntur, ſi clauſuræ ipſius minutatim, ac ſæpe crepant nec reficiuntur : ita omnis religio monaſtici Ordinis funditùs perit, ſi cuſtodia ejus per modicarum contemptum culparum paulatim à fervore ſui tepeſcit, atteſtante Scriptura quæ ait : *Qui modica deſpicit, paulatim decidit.*

38 Clericos quoque qualiter ſe in ſorte Dei cuſtodire deberent, inſtruebat, eisque magnopere eſſe cavendum, ne ſi à ſorte Dei caderent, in ſortem diaboli per neglectum converſationis, & Ordinis ſui decidérent.

39 Conjugatos etiam qua fide, qua

(*a*) Hæc eadem vita eſt, quam ſupra diximus impreſſam eſſe in tomo octavo Actor. SS. Or. S. B. cui ſubjuncta eſt hiſtoria translationis ejuſd. S. Martyr. ab eodemque Osberno compoſita. Et ſcito, ſi neſcis, tunc temporis adhuc non eſſe Summo Pontifici reſervatas Sanctorum Canonizationes ; ſed ceterorum Epiſcoporum hæc erat quoque poteſtas. Leg. Mabill. Præfat. in ſæcul. 5. §. 6.

qua dilectione *, qua familiaritate, tam ſecundum Deum, quàm ſecundum ſæculum ſibi invicem copulari deberent edocebat: virum quidem, ut ſuam uxorem ſicut ſeipſum diligeret, nec præter illam aliam noſſet, ejusque ſicut ſui corporis absque omni ſiniſtra ſuſpicione curam haberet. Mulierem vero quatenus viro ſuo cùm omni ſubjectione, & amore obtemperaret, eumque ad bene agendum ſedula incitaret, necnon animum ejus ſi forte contra æquum in quemquam tumeret, qua affabilitate mitigaret.

40 Hæc autem quæ eum, vel admonuiſſe, vel inſtruxiſſe, vel docuiſſe dicimus, non eo, ut aliis mos eſt, docendi modo exercebat, ſed longe aliter ſingula quæque ſub vulgaribus, & notis exemplis proponens, ſolidæque rationis teſtimonio fulciens ac remota omni ambiguitate, in mentibus auditorum deponens. Lætabatur ergo quisquis illius colloquio uti poterat, quoniam in eo quodcunque petebatur, divinum conſilium in promptu erat. Hinc eum omnis ſexus, & ætas mirabatur, & mirando amplectebatur, quoque potentior, aliisque præſtantior, eò magis quisque erat ad miniſtrandum ei devotior atque proclivior. Non fuit Comes in Anglia ſeu Comitiſſa, vel ulla perſona potens, quæ non judicaret ſe ſua coram Deo merita perdidiſſe, ſi contingeret ſe Anſelmo Abbati Beccenſi gratiam cujusvis officii tunc temporis non exhibuiſſe. Rex Willelmus, qui armis Angliam cæperat, & ea tempeſtate regnabat, quamvis ob magnitudinem ſui cunctis fere videretur rigidus ac formidabilis; Anſelmo tamen ita erat inclinus, & affabilis, ut ipſo præſente, omnino quám eſſe ſolebat, ſtupentibus aliis, fieret alius.

41 Pro ſua igitur excellenti fama Anſelmus totius Angliæ partibus notus, ac pro reverenda ſanctite clarus cunctis effectus, iter repetendi Normanniam ingreditur, ditatus multiplici dono, quod honori ac utilitati Eccleſiæ ſuæ uſque hodie ſervire dignoſcitur. Familiaris ergo ei dehinc Anglia facta eſt, & prout diverſitas cauſarum ferebat, ab eo frequentata. Ut autem omnipotens Deus demonſtraret ſe gratiæ ipſius, quàm invenerat apud homines, eſſe auctorem, & illum tam apud ſe quàm apud homines gratiam inveniſſe potiorem, quosdam viros per visum dignatus eſt viſitare, & qualiter per eum ab infirmitate, qua nimis graviter vexabantur, convaleſcerent edocére. Horum quos dico, duos qui inter ſuos non ignobilis famæ erant, exempli cauſa proponam; qui ſicut à veridicis ipſius Monaſterii, cujus Abbas diu extiterat, Monachis accepi, in eodem ipſius Monaſterio illis præſentibus per eum curati ſunt.

42 Quidam igitur vir nobilis, & ſtrenuus in confinio Pontivi ac Flandriæ præpotens habebatur. Hic in corpore lepra percuſſus, eò majori mærore afflictus eſt, quò ſe, & à ſuis contra dignitatem natalium ſuorum pro obscœnitate tanti mali deſpici, deſerique videbat. Converſus itaque ad Deum eſt, & crebris orationibus cum eleemoſynarum largitionibus opem ab eo precabatur. Una igitur noctium ei per viſum quidam apparuit, monens ut ſi priſtinæ ſanitati reſtitui vellet, Beccum iret, & pud Abbatem Anſelmum efficeret, quatenus aquam, unde manus inter Miſſam ſuam lavaret, in potum illi conferret. Qui viſioni credulus, quò monebatur impiger tendit, atque Anſelmo cur adveniret ſecretò innotuit. Stupet ille ad verba, & hominem ut talibus deſiſtat multis modis adjurat. At ipſe in precibus perſtat, & multo magis ut ſibi miſereatur exorat, nec patiatur ut ea medicina fraudetur, unde ſibi celerem ſalutem affuturam pro divino promiſſo credebat. Quid plu-

plura ? Vicit pietas pectus humilitatis, & pro homine Deum poſtulaturus matutino tempore Miſſam ſecretius celebrat. Admittitur æger, & quam petebat aquam de manu viri accepit. Quæ in potum illico ſumpta, & hominem morbidum integerrimæ ſanitati reſtituit, & in laudem Dei multorum ora diſſolvit. Clam itaque virum qui venerat à ſe Anſelmus emiſit, denuncians ei in nomine Domini, ne unquam hoc factum ſibi aſcriberet, ſed ſola divina miſeratione perfectum eſſe certiſſime ſciret, & hoc ita eſſe tacita ſunditùs mentione ſuæ perſonæ ſciscitantibus reſponderet.

43 Quo etiam tempore quidam Frater de Congregatione, valida corporis infirmitate percuſſus, ad extrema deductus eſt. Huic in ſomno quidam aſtitit, & quòd vitam atque ſalutem recuperaret, ſi aqua ab Anſelmo ſanctificata aſpergeretur, ipſi promiſit. Æger ergo Anſelmum ſe viſitantem, * ſecundum viſionem, de aqua precatus eſt, & voluntatis compos effectus, eveſtigio ſanitati reſtitutus eſt. Hæc pro oſtendenda gratia viri paucis interim dicta ſint. Attamen de gratia quam meruerat apud homines, non multum his qui mores illius novere, mirandum video, propterea quòd quædam appetibilis ſuavitas, ubicunque erat, ex converſatione ejus emergebat, quæ in amicitiam illius ac familiaritatem cunctos agebat. Ipſius etenim ſtudii ſemper erga omnes extiterat, ut ea potiſsimum ageret, quæ aliis magis commoda eſſe poſſe intelligebat. Unde cùm interrogaretur quid emolumenti acquirerent, qui ſervata æquitate aliorum voluntati in quibuscunque poſſent concordare ſatagerent ; quidve detrimenti incurrerent, qui ſuam potius quàm ceterorum voluntatem implere ſtudèrent, hoc modo reſpondebat. Qui aliorum voluntati concordare per omnia in bono nititur, hoc apud juſtum judicem Deum meretur, utquemadmodum ipſe aliorum voluntati in hac vita, ita Deus, & omnia ſecum ſuæ voluntati concordent in alia vita. Qui vero aliorum voluntate contempta, ſuam implere contendit, id ejuſdem judicis ſententia damni ſubibit, ut quoniam ipſe in vita præſenti voluntati nullius ; nullus quoque in futura velit, aut debeat concors eſſe voluntati illius. Eadem quippe menſura, qua quisque illis menſus fuerit, remetietur ei. Hujus igitur rationis Anſelmus conſideratione ſubnixus, nulli gravis, nulli volebat oneroſus exiſtere, etiamſi à monachicæ inſtitutionis auſteritate hac de cauſa deberet aliquantulum temperare. Et quidem ut eum discretionis ordo docebat, nonnunquam ab ipſa ſeveritate aliis condescendo temperabat. In quo quid hi ſenſuri ſint, qui poſt nos iſta fortaſsis lecturi vel audituri ſunt, præscire non poſſumus. Nos tamen qui vitæ illius modum ſcire meruimus, magis in eo laudandum æſtimamus, quòd à rigore ſui propoſiti aliquando pro ratione descendebat, quàm ſi continuè in ipſo rigidus indiscrete perſiſteret. Ratione ſiquidem agi virtutis eſt, vitii vero contra.

44 Inter hæc quidam Clericus, ætate juvenis, Boſo nomine, Beccum venit, Abbatis colloquium expetens. Erat enim idem acer ingenio, & quibusdam perplexis quæstionibus involverat animum, nec reperire quemquam poterat, qui eas ſibi ad votum evolveret. Loquens igitur cum Anſelmo, ac nodos ei ſui cordis depromens, omnia quæ deſiderabat ab eo ſine ſcrupulo deceptionis accepit. Miratus ergo hominem eſt, & nimio illius amore devinctus. Dehinc ergo cùm ejus allocutione familiariter potiretur, illectus ad contemptum ſæculi, emen-

* Al. tacita viſione.

ſo brevi ſpacio, Becci (*a*) Monachus factus eſt; cujus converſioni ſimul, & converſationi diabolus graviter invidens, in tantam illum tentationis procellam demerſit, ut ſuccedentibus ſibi variis cogitationum tumultibus, vix mentis ſuæ compos exiſteret. Tranſierunt in hoc quidam dies, & ſeipſa ſemper fiebat immanior tentatio eadem. Turbatus ergo, & mente confuſus, Anſelmum adiit, animique ſui fluctus expoſuit. At ipſe cùm ſingula intellexiſſet, hoc ſolum pio affectu, ſcilicet, conſulat tibi Deus, ei respondit, illicoque Fratrem à ſe dimiſit. Eveſtigio autem tanta tranquilitas mentis illum ſecuta eſt, ut ſicut ipſemet mihi referebat, ultra quàm dictu credibile ſit, ſubito alius fieret ab eo qui fuit. Itaque omnis illa tentatio penitus evanuit, nec quicquam hujusmodi in ſe ulterius ſenſit. Fiebant præterea ab Anſelmo plurima in hunc modum, quæ nos brevitati ſtudentes ex induſtria præterimus. Silentio quoque præterire placuit innumeros homines tam per lavaturas manuum ejus, quàm per reliquias ciborum ejus de ante illum clam eo ſubtractas, à diverſis languoribus, ſed maxime febribus curatos, dispenſante Deo dona ſua juxta meritum fidei uniuscujusque. Nam ſi cuncta quæ inde à veraciſsimis viris accepimus describere vellemus: loquacitati potius, quam rerum geſtarum ſimplici narrationi operam dare (ut reor) judicari poſſemus. Quapropter ne nimis longum faciamus hujuscemodi immorando, iſtis omiſsis tendamus ad alia. Verum ne inculta oratio prolixa ſui continuatione legentes ſeu audientes faſtidio gravet: hìc primum cœpto operi terminum ponamus: quatenus illis quæ magis delectant recreati, aliud exordium ſequentia noſſe volentes expediti reperiant.

(*a*) *Becci Monachus factus est.*) Rogatu hujus Boſonis compoſuit S. Anſelmus Libros inſcriptos *cur Deus Homo*, & alium *de conceptu Virginali, & Originali peccato*, teſte ipſo S. Doctore in Prologo ad hunc ultimum, inquiente: *Cum in omnibus Religiosæ tuæ voluntati velim, ſi possim, obsequi, & frater, & fili carissime Boso, tunc utique maxime debitorem me judico cum eam à me in te excitari intelligo. Certus autem sum cùm in libro, cur Deus Homo (quem ut ederem tu maxime inter alios me impulisti, in quo te mecum disputantem assumpsi) Legis aliam præ illa, quam ibi posui, pssse videri rationem. . . Injustus tibi videri timeo; ſi quid inde mihi videtur, dilectioni tuæ abscondo, &c.* Eidem Boſoni ſcr. ipſit S. Doctor epp. 22. & 25. lib. 3. Idem denique Abbas Beccenſis factus eſt poſt Vvillelmum de Bello-monte.

DE VITA SANCTI ANSELMI.

LIBER SECUNDUS.

45 DEFUNCTO memorato Rege Anglorum (*a*) Willelmo, Wilhelmus filius ejus regnum obtinuit. Hic ſublato de hac vita venerabili Patre Landfranco, Eccleſias ac Monaſteria totius Angliæ gravi nimium oppreſsione aflixit. Cujus oppresionis anno quarto Anſelmus invitatus, immò diſtricta interpellatione adjuratus ab Hugone Ceſtrenſi Comite, multisque aliis Anglorum regni Principibus, qui eum animarum ſuarum medicum, & advotum elegerant, & inſuper Eccleſiæ ſuæ prece atque præcepto pro communi utilitate coactus, Angliam ingreſſus eſt. Pridie igitur Nativitatis Dei genitricis, & perpetuæ Virginis Mariæ Cantuariam venit. Ubi cùm quaſi ex præſagio futurorum multi, & Monachi, & Laici conclamarent illum Archiepiſcopum fore, ſummo mane à loco diſceſsit, nec ullo pacto acquieſcere petentibus, ut ibi feſtum celebraret, voluit. Venienti autem ei ad Curiam Regis, optimates quique alacres occurrunt, magnoque ipſum cum honore ſuſcipiunt. Rex ipſe ſolio exilit, & ad oſcula ruens per dexteram eum ad ſedem ſuam perducit. Conſident, & læta interim quædam inter ſe verba permiſcent. Deinde Anſelmus ſecretius cum rege acturus ceteros secedere monet. Omiſsis igitur Monaſterii ſui cauſis, pro quibus maxime illuc veniſſe putabatur, Regem de his, quæ fama de eo ferebat, Anſelmus arguere cœpit, nec quicquam eorum quæ illi dicenda eſſe ſciebat, ſilentio preſsit. Pene etenim totius regni homines omnes talia quotidie nunc

(*a*) *Rege Anglorum Vvillelmo*) Hic ergo Vvillelmus cùm viceſsimo primo regni ſui „ anno infirmitate, qua & mortuus eſt, detentus apud Rothomagum fuiſſet, & ſe „ meritis ac interceſsionibus Anſelmi omnimodis commendare diſpoſuiſſet, eum ad ſe „ de Becco venire, & non longe à ſe fecit hoſpitari. Verùm cùm ei de ſalute animæ „ ſuæ loqui diferret, eo quòd infirmitatem ſuam paululùm levigari ſentiret; contigit „ ipſius Principis corpus tanta invalitudine deprimi, ut Curiæ inquietudines nullo „ ſuſtinere pacto valeret. Tranſito igitur * Sequana, decubuit lecto in Ermentrudis „ Villa, quæ eſt contra Rothomagum in altera fluminis parte. Quidquid tum deliciarum Regi infirmo deferebatur, ab eo illarum medietas Anſelmo infirmanti mittebatur. Verumtamen nec eum amplius in hac vita videre, nec ei, ut propoſuerat, „ quicquam de anima ſua loqui promeruit. Tanta enim infirmitas occupavit utrumque, „ ut nec Anſelmus ad Regem Vvillelmum, nec Vvillelmus poſſet pervenire ad Abbatem Anſelmum. Et quidem Vvillelmus ita mortuus eſt, non tamen, ut dicitur, „ inconfeſſus: atque Anſelmus veſtigio eſt ab infirmitate relevatus, priſtinæ ſaluti „ poſt modicum redonatus. Qui autem Regio muneri interfuerint, quave pompa corpus Cadomum delatum ſit; quàmque libera, imo quàm ſervili calumnia in Eccleſia beati Stephani ſepultum ſit, & dictu lugendum, & auditu fatemur eſſe miſserendum. Quæ enim conditio ſortis humanæ non moveat ad pietatem, cùm auditum „ fuerit Regem iſtum qui tantæ potentiæ in vita ſua extitit, ut in tota Anglia, in to-

* El Rio Seine en Francès, ò Sena en Hespañol.

nunc clàm nunc palàm de eo dicebant, qualia regiam dignitatem nequaquam decebant. Finito colloquio, diviſi ad invicem ſunt, & de Eccleſiæ ſuæ negotiis ea vice ab Anſelmo nihil actum eſt. Deinde Ceſtram ad comitem abiit, ac in partibus illis degere per plures dies ex neceſſitate compulſus eſt. Interea Rex Wilhelmus gravi languore corripitur, & pene ad extrema perducitur. Suadetur ei inter alia à Principibus ut de matre totius Regni Eccleſia videlicet Cantuarenſi, cogitet; & eam à priſtina viduitate, & calamitate per inſtitutionem Pontificis relevet. Acquiescit ille conſilio, & Anſelmus in hoc fore *digniſsimum pronuntiat. Acclamatur ab univerſis, & dictum regis laudat Clerus, & *Fore, id eſt, eſſe.

„ tota Normannia, in tota Cenomanenſi patria, nemo contra Imperium ejus manum „ movere auderet, mox ut in terram ſpiritum exhalaturus poſitus eſt, ab omni ho„ mine, ſicut accepimus, uno ſolo duntaxat ſerviente excepto, derelictum cadaver „ ejus ſine omni pompa per ſequanam naucella delatum, & cùm ſepeliri deberet, ip„ ſam terram ſepulturæ illius à quodam ruſtico calumniatam, qui eam hæreditario ju„ re reclamans conqueſtus eſt illam ſibi jam olim ab eodem injuria fuiſſe ablatam? Hæc omnia ex ipſo Eadmero in lib. 1. Hiſt. Novor. qui paulo infra hæc item refert de ingreſſu S. Anſelmi in Regnum Angliæ, precibus coacti Ceſtrenſis Comitis. *Quarto inter hæc* anno Hugo Comes Ceſtrenſis volens in ſua quadam Eccleſia Mona„ chorum Abbatiam inſtituere, miſsis Beccum nuntiis, rogavit Abbatem Anſelmum „ Angliam venire, locum inſpicere, eumque per Monachos ſuos Regulari conver„ ſatione informari. Renuit ipſe nec venire voluit. Iam enim quodam quaſi præſagio „ mentes quorundam tangebantur, & licet clanculò nonnulli adinvicem loquebantur „ eum, ſi Angliam iret, Archiepiſcoporum Cantuarienſem fore. Quod quanvis omni„ no remotum eſſet à voluntate ejus, & firmitas propoſiti ſui ſe nunquam hoc onus „ ſubiturum, certitudinem promitteret animo ejus; tamen quia hoc non omnes in„ telligebant (providendo bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram omnibus „ hominibus) Angliam intrare noluit, ne ſe hujus rei gratia intraſſe quisquam ſus„ picaretur. Contigit interea Comitem ipſum acri languore gravari. Quod mox An„ ſelmo *mandans, magnopere precatus eſt, quatenus antiqua familiaritate „ conſiderata, ad conſulendum animæ ſuæ ſine mora veniret. Et ſi timor, in„ quit, ſuſcipiendi Archiepiſcopatus, ne veniat, eum detinet; fateor, inquit, in „ fide mea, quoniam id quod rumor inde jactat, nihil eſt, ac per hoc indecens „ ejus ſanctitati eſſe ſciat, ſi nihilo tentus magnæ meæ neceſsitati ſubvenire detrec„ tat. Perſtat ille in non veniendo, & Comes æque permanet in requirendo. Tertio „ itaque mandat illi hæc, ſi non veneris, revera noveris, quia nunquam in vita „ æterna in tanta requie eris, quin perpetuo doleas te ad me non veniſſe. Quod ille „ audiens, anguſtiæ, ait, mihi ſunt undique. Si Angliam ivero, vereor ne cui per „ hoc prava ſuſpicio ſubrepat, & me cauſa conſequendi Archiepiſcopatus illuc ire „ exiſtimet. [Si non ivero, fraternæ charitatis violator ero, quam quidem non ſolùm „ amico, verum exhibere juvemur, & inimico. Quæ denique ſi erga inimicum viola„ ta peccatum eſt, erga amicum quid eſt? Et certe amicus meus familiaris ab anti„ quo Comes Ceſtrenſis Hugo fuit, qui mei nunc, ut dicit, indiget. In neceſsitate „ probatur amicus. Si ergo propter obliquam, quam in me forſam homines habere „ poſſunt opinionem, amico meo in ſua neceſsitate non ſucurro; meum certum, pro „ dubio aliorum, peccatum incurro. Commendans igitur me, atque meam conſcien„ tiam ab omni terreni honoris ambitione vacuam Deo, pergam, reſpectu ſancti „ amoris ejus, morem gerere amico meo. Cetera ipſe Deus agat, & me, ſalva gra„ tia ſua, ab omni ſæcularis negotii impedimento pro ſua miſericordia immunem cus„ todiat. Exigebant etiam tum temporis Eccleſiæ ſuæ quædam valde neceſſariæ cau„ ſæ ut Angliam pergeret; ſed præfato illum cohibente pavore, nullo pro eis pac„ to volebat iter arripere. Contigit interea ut Comitiſſæ Idæ locuturus Bononiam iret, „ ubi cum per dies aliquot neceſſario detentus moraretur, mandatum eſt illi à Bec„ cenſibus ne, ſi peccato inobedientiæ notari nollet, ultra Monaſterium repeteret, do„ nec tranſito mari ſuis in Anglia rebus ſuveniret. Profectus igitur mare tranſiit, & „ Dofris appulſus eſt. Inde citato greſſu ad Comitem venit, ipſumque ab infirmitate *Id eſt, annuntians.

NOTA.

jam

& populus omnis, nec reſonat ibi ulla contradictio cujuslibet hominis. Audit hæc illæ, & fere usque ad exanimationem ſui contradicit, reluctatur & obſiſtit. Prævalet tamen Eccleſiæ Dei conventus. Rapitur ergo & violenter in vicinam Eccleſiam cum hymnis, & laudibus portatur magis quàm ducitur. Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis milleſs. XCIII. pridie Non. Martii 1. Dominica Quadrag. In ſubſequenti autem feſto Paſchæ Wintoniam Anſelmus advenit, & in ſuburbio Civitatis hoſpitatus eſt. Una igitur nocte in tecta ſuburbii per incuriam ignis dilabitur. Quo creſcente, ædificia quæque paſsim consumebantur. Et jam ignis idem hoſpitium Anſelmi conſumpturus, duabus tantum

„ jam convaluiſſe invenit. Detentus eſt tamen in Anglia fere menſibus quinque, de-
„ tinente eum non ſolùm Abbatia quam diſponere venerat, ſed & multiplicium ra-
„ tione cauſarum, quæ illius adventus cauſa non inferior, ſicut, diximus, erat.
„ Sicque hujus temporis ſpatium tranſiit, ut de Pontificatu Cantuarenſi nihil ad eum
„ vel de eo dictum actumve ſit; ipſeque ſui periculi, & antiqui timoris ſecurus effec-
„ tus fuerit. Poſt hæc in Normanniam regredi volens, negata à Rege licentia, co-
„ piam id agendi habere non potuit.

„ Inter hæc cùm gratiâ Dominicæ Nativitatis omnes Regni Primores ad Curiam
„ Regis, pro more, veniſſent, contigit ut eorum optimi quique uno conſenſu inter
„ ſe de communi matre Regni quererentur, quòd viduata ſuo paſtore tam diu, &
„ tam inaudita vexatione opprimeretur. Hujuſmodi ergo de hoc ab eis conſilium
„ ſumptum eſt, ut ſupplici prece Dominum ſuum Regem convenirent, quatenus ora-
„ tiones, quod poſteris mirum dictu fortaſſe videbitur, per Eccleſias Angliæ fieri ad
„ Dominum permitteret, ut ipſe ſua pietate Regi inſpiraret quatenus inſtituto illi
„ digno Paſtore, à tanta eam clade, & alias per illam relevaret. Quod cùm illi unâ
„ ſuggeſiſſent, ipſe licet non nihil exinde indignatus, tamen fieri quod petebatur
„ permiſit, dicens quòd quidquid Eccleſia peteret, ipſe ſine dubio pro nullo dimit-
„ teret quin faceret omne quod vellet. Hoc ita reſponſo accepto, Episcopi ad quos
„ iſta maxime pertinebant, Anſelmum ſuper re ipſa conſuluerunt. Et quòd ipſe ora-
„ tionis agendæ modum, & ſummam ordinaret, vix obtinere ſuis precibus ab eo po-
„ tuerunt. Epiſcopis enim præferri in tali ſtatu ipſe Abbas fugiebat. Coactus itaque,
„ juxta quod magis Eccleſiæ Dei expedire ſciebatur, modum orandi cunctis audien-
„ tibus edidit, & laudato ſenſu ac perspicacia animi ejus, tota quæ convenerat no-
„ bilitas Regni, ſoluta curia, in ſua diſceſsit. Inſtitutæ igitur preces fiunt per Anglo-
„ rum Eccleſias omnes.

„ Hæc inter evenit ut die quadam unus de Principibus terræ cum Rege familia-
„ riter agens, promeantibus verbis in hoc, ut fit, ſic ei inter alia diceret: Homi-
„ nem tantæ ſanctitatis nullum novimus, quantæ eſt, ut vere probamus, Abbas Be-
„ cenſis Anſelmus. Nihil etenim amat præter Deum, nihil (ut in omni ſtudio ejus
„ claret) cupit tranſitorium.

„ Ad quod Rex ſubſannans, non, inquit, nec Archiepiſcopatum Cantuarien-
„ ſem. Cui cùm alter referret: Nec illum quidem maxime, ſicut mea, multorum-
„ que fert opinio. Obteſtatus eſt Rex quòd manibus ac pedibus plaudens in ample-
„ xum ejus accurreret, ſi ullam fiduciam haberet ſe ad illum poſſe ullatenus aſpira-
„ re. Et adjecit, ſed per ſanctum vultum de Luca (ſic enim jurare conſueverat) nec
„ ipſe hoc tempore nec alius quis Archiepiſcopus erit, me excepto. Hæc illum
„ dicentem veſtigio valida infirmitas corripuit, & lecto depoſuit, atque in dies
„ crescendo ferme usque ad exhalationem ſpiritus egit. Quid plura? Omnes totius
„ Regni Principes coeunt; Episcopi, Abbates, & quique Nobiles, nihil præter mor-
„ tem ejus præſtolantes. Suggeritur ægro de ſalutæ animæ ſuæ cogitare, carceres
„ aperire, captivos dimittere, vinculatos ſolvere, repetendarum pecuniarum debita
„ perdonare, Eccleſias ſuo eatenus dominio, ſervituti ſubactas, locatis Paſtoribus,
„ libertati reſtituere, præcipueque Eccleſiam Cantuarienſem, cujus oppreſsione, in-
„ quiunt, totius in Anglia Chriſtianitatis conſtat eſſe deteſtandam dejectionem. Hac
„ tempeſtate Anſelmus inscius horum morabatur in quadam Villa non longe à Glo-
„ ceſtria ubi Rex infirmabatur. Mandatum ergo illi eſt, quatenus ſub omni feſtinatio

ne

tum domibus interpoſitis, aderat. Quibusdam igitur ea, quæ in domo erant, aſportantibus, interdixit domina domus, afirmans ſe nullo modo ſibi vel ſuis aliquid damni timere, quæ tantum hospitem, hoc eſt, Anſelmum Archiepiscopum meruiſſe secum habere. Pro quibus verbis Balduinus, vir ſtrenuus, & Monachus mulieri compaſſus, ſuaſit Anſelmo, ut hospiti ſuæ ſubveniret. At ille: Ego in qua re? Egredere, inquit, & ſignum crucis igni oppone, arcebit illum forte Deus. Reſpondit, pro me? Nihil eſt quod dicis. Eggreſus tamen domum eſt, timore incendii duc-

„ ne ad Regem veniat, & ejus obitum ſua præſentia tueatur, & muniat. Accele-
„ rat ipſe venire audito tali nuncio, & venit. Ingreditur ad Regem, rogatur quid
„ conſilii ſalubrius morientis animæ judicet. Exponi ſibi primo poſtulat, quid ſe ab-
„ ſente ab aſsiſtentibus ægro conſultum ſit. Audit, probat, & addit, ſcriptum eſt,
„ *Incipite Domino in Confessione*, unde videtur mihi ut primo de omnibus, quæ
„ ſe contra Deum feciſſe cognoscit, puram Confeſsionem faciat, & ſe omnia, ſi
„ convaluerit, emendaturum ſine fictione promittat; ac deinde quæ conſuluiſtis, abs-
„ que dilatione fieri jubeat. Laudatur hæc conſilii ſumma, ſibique hujus confeſsio-
„ nis ſuscipiendæ injungitur cura. Refertur ad notitiam Regis quid ſaluti animæ illius
„ magis expedire Anſelmus dixerit. Nec mora, adquiescit ipſe, & corde compunc-
„ tus cuncta, quæ viri ſententia tulit ſe facturum, necne totam vitam ſuam in man-
„ ſuetudine, & juſtitia amplius ſervaturum pollicetur. Spondet in hoc fidem ſuam,
„ & vades inter ſe, & Deum facit Episcopos ſuos, mittens qui hoc votum ſuum
„ Deo ſuper Altare ſua vice promittant. Scribitur Edictum, regioque ſigillo firma-
„ tur, quatenus captivi quicumque sunt in omni dominatione ſua relaxentur, omnia
„ debita irrevocabiliter remittantur, omnes offenſiones ante hoc perpetratæ, indulta
„ remiſsione, perpetuæ oblivioni tradantur. Promittuntur inſuper omni populo bo-
„ næ, & ſanctæ Leges, inviolabilis obſervatio juris, injuriarum gravis, & quæ
„ terreat ceteros, examinatio. Gaudetur à cunctis, benedicitur Deus in iſtis, ob-
„ nixe oratur pro ſalute talis ac tanti Regis.

„ Inter ea Regi à bonis quibusque ſuadetur quatenus communem totius Regni
„ matrem, inſtituendo illi Paſtorem, ſolvat à priſtina viduitate. Conſentit libens, &
„ in hoc animum ſuum verſari fatetur. Quæritur itaque quis hoc honore fungi dig-
„ nius poſsit. Sed cunctis ad nutum Regis pendentibus, prænunciavit ipſe, & con-
„ cordi voce ſubſequitur acclamatio omnium, Abbatem Anſelmum tali honore dig-
„ niſsimum. Expavit Anſelmus ad hanc vocem, & expalluit. Cumque raperetur ad
„ Regem ut per virgam Paſtoralem Inveſtituras Archiepiscopatus de manu ejus ſusci-
„ peret, toto conamine reſtitit, idque multis obſiſtentibus cauſis nullatenus fieri pos-
„ se aſſeruit. Accipiunt igitur eum Episcopi, & ducunt ſeorſum de multitudine, hæc
„ ei verba dicentes: *Quid agis? Quid intendis? Quid contraire Deo niteris? Vi-*
des omniam Christianitatem in Anglia fere periisse, omnia in Confussionem ve-
nisse, omnes abominationes emersisse, quaquaversum nos ipsos, & quas regere
deberemus, Ecclesias Dei in periculum mortis æternæ per tyrannidem istius ho-
minis decidisse, & tu, cum possis subvenire, contemnis? Quid ò mirabilis ho-
mo cogitas? Quo fugit sensus tuus? .... Ad hæc ille: sustinete, inquit, quæso,
sustinete, & intendite; fateor, verum est: tribulationes multæ sunt, & ope
indigent. Sed considerate, obsecro, ego jam grandævus sum, & omnis terreni la-
boris impatiens. Qui ergo pro me ipso laborare nequeo, qualiter laborem totius Ec-
clesiæ per Angliam constitutæ susciperе queo? Ad hæc, *ſicut mea mihi conscien-*
tia testis est, ex quo Monachus fui, sæcularia negotia fugi, nec unquam eis
ex voto intendere potui, quia nihil in eis esse constat quod me in amorem aut
delectationem sui flectere queat. Quare sinite me pacem habere; & negotio, quod
numquam amavi, ne non expediat, implicare nolite. Tu tamen, inquiunt, pri-
matum Ecclesiæ nihil hæsitans suscipe; & præi in via Dei, dicendo, & præci-
piendo quod faciamus; & ecce tibi manus dabimus, quòd sequendo, & obtempe-
rando, quæ jusseris, non deficiemus. Tu Deo pro nobis intende, & nos sæcula-
ria tua disponemus pro te. Impossibile est, ait, quod dicitis: Abbas sum Mo-
nasterii Regni alterius, Archiepiscopum habens cui obedientiam, terrenum Prin-

ductus, & visis flammantibus globis, à venerabili Gundulpho Episcopo, & ab eodem Balduino contra ignem signum crucis, erecta in altum dextra, edere coactus est. Mirabile dictu! Non prius manum extendit, quàm in se incendium retorqueri, flammas deficere cerneres, ita ut domum etiam quam vorare coeperant semiustam relinquerent.

46 Igitur Anselmus propter multas rationes, quæ intervenerant, nondum consenserat electioni, quæ de se facta fuerat, ut Pontifex fieret; sed tamen detinente illum Rege morabatur in Anglia, conversante

---

NOTA. *cipem, cui subjectionem, Monachos quibus debeo consilii, atque auxilii subministrationem. His omnibus ita sum astrictus, ut nec Monachos deserere possim, sine illorum concessione, nec me à dominatu Principis mei valeam exuere sine ejus permissione, nec obedientiam Pontificis mei subterfugere queam, cum salute animæ meæ, absque ipsius absolutione. De his omnibus, ajunt, leve consilium, & facilis erit assensus omnium.* Ait ille, *Nihil est omnino; non erit quod intenditis.* Rapiunt igitur hominem ad Regem ægrotum, & pervicaciam ejus exponunt. Contristatus est Rex, pene ad suffusionem oculorum, & dixit ad eum: *O Anselme, quid agis? Cur me pœnis eternis cruciandum tradis? Recordare, quæso, fidelis amicitiæ quam Pater meus, & Mater mea erga te, & tu semper erga eos habuisti, & per ipsam obsecro, ne patiaris filium eorum me in corpore, & anima simul perire. Certus sum enim quòd peribo, si Archiepiscopatum in meo dominio tenens, vitam finiero. Succurre igitur mihi, succurre, Domine Pater, & suscipe Pontificatum, pro cujus retentione nimis confundar, & vereor ne in æternum plus confundar.* Compuncti sunt ex his verbis quique assistentium, & Anselmum se excusantem, & tantum onus nec tunc quidem subire volentem, invadunt, talia cum quadam indignatione, & conturbatione ipsi ingerentes: *Quæ dementia occupavit mentem tuam? Regem turbas, turbatum penitus necas, quandoquidem illum jam morientem obstinatione tua exacerbare non formidas. Hinc igitur scias, quia omnes perturbationes, omnes oppressiones, omnia crimina quæ deinceps Angliam præment, tibi imputabuntur, si tu hodie per susceptionem curæ pastoralis eis non obviaveris.* Inter has angustias positus Anselmus, vertit se ad duos Monachos, qui secum erant, Balduinum scilicet, & Eustachium, dixitque illis, Ah fratres mei, mihi non subvenitis? Dixit hoc (ecce coram Deo, quia non mentior) in tanta, sicut affirmare solebat, anxietate constitutus, ut si ei tunc optio daretur, multo lætius Salva reverentia voluntatis Dei, mori eligeret, quàm Archiepiscopatus dignitate sublimari. Respondit itaque Balduinus, si voluntas Dei est ut ita fiat, nos qui, ut voluntati Dei contradicamus? Quæ verba lacrymæ, & lacrymas sanguis ubertim mox è naribus illius profluens secutus est, palam cunctis ostendens ex qua cordis contritione cum lacrymis verba prodierint. Audito hujusmodi responso, Anselmus, væ quàm cito, inquit, baculus tuus confractus est. Sentiens ergo Rex quòd in cassum labor omnium expendebatur, præcepit ut omnes ejus ad pedes caderent, si forte vel ita ad consentiendum illici posset. Sed quid? Cadentibus illis, cecidit ipse coram eis, nec à prima sententia sua cadere voluit. At illi animati in eum, seque ipsos, pro mora quam objectionibus ipsius intendendo passi sunt, ignaviæ redarguentes, virgam hùc pastoralem, virgam, clamitant, pastoralem. Et arrepto brachio ejus dextro, alii renitentem trahere, alii impellere, lectoque jacentis cœperunt applicare. Rege autem ei baculum porrigente, manum contra clausit, & eum suscipere nequaquam consensit. Episcopi vero digitos ejus strictim volæ infixos erigere conati sunt, quo vel sic manui ejus baculus ingereretur: verùm cùm in hoc conatum suum aliquandiu frustra expenderent, & ipse pro sua quam patiebatur læsione verba dolentis ederet, tandem indice levato, sed protinus ab eo reflexo, clausæ manui ejus baculus appositus est, & Episcoporum manibus, cum eadem manu compressus atque retentus. Acclamante autem multitudine, vivat Episcopus, vivat: Episcopi cum Clero, sublimi voce hymnum *Te Deum Laudamus* decantare cœpere, electumque portaverunt Pontificem potius quam duxerunt in vicinam Ecclesiam; ipso modis quibus poterat resistente, atque dicente, nihil est quod facitis, nihil est quod facitis. Gestis vero quæ in tali causa geri in Ecclesia mos est,

re-

te cum eo juſſu Regis præfato Gundulpho Roſenſi Epiſcopo, & ei quæ opus erant miniſtrante. Ablatis autem de medio rationibus illis, tandem poſt longum temporis ſpacium, obedientia ſimul ac neceſsitate conſtrictus conſenſit, & pridie Nonas Decembris debito cum honore ab omnibus Epiſcopis Angliæ, Cantuariæ conſecratus eſt. In qua conſecratione Evangelica illa ſententia ſuper eum reperta eſt. *Vocavit multos: Et miſit ſervum ſuum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata ſunt omnia. Et cœperunt simul omnes excuſare.* Dehinc cum ſe regali curiæ in

„ revertitur Anſelmus ad Regem, dicens illi, dico tibi, domine Rex, quia ex hac „ tua infirmitate non morieris, ac pro hoc volo noveris quàm bene corrigere pote„ ris quod de me nunc actum eſt, quia nec conceſſi, nec concedo ut ratum ſit. „ His dictis, reflexu greſſu, diſceſſit ab eo. Deducentibus autem eum Epiſcopis, „ cum tota Regni Nobilitate, cubiculo exceſſit. Converſusque ad eos, in hæc ver„ ba ſciſcitatus eſt. *Intelligitis quid molimini? Indomitum taurum, & vetulam ac debilem ovem in aratro conjungere ſub uno jugo diſponitis. Et quid inde proveniet? Indomabilis utique feritas tauri ſic ovem lanæ, & lactis, & agnorum fertilem per ſpinas, & tribulos hac, & illac raptam, ſi jugo ſe non excuſſerit, dilacerabit, ut nec ipſa ſibi nec alicui, dum nihil horum miniſtrare valebit, utilis exiſtat. Quid ita? Inconſideratè ovem tauro copulaſtis. Aratrum Eccleſiam perpendite, juxta Apoſtolum dicentem*: Dei agricultura, Dei ædificatio eſtis. *Hoc aratrum in Anglia duo boves ceteris præcellentes regendo trahunt; trahendo regunt. Rex videlicet, & Archiepiſcopus Cantuarienſis. Iſte ſæculari juſtitia, & imperio; ille divina Doctrina, & magiſterio. Horum bobum unus, ſcilicet Lanfrancus Archiepiſcopus, mortuus eſt; & alius ferocitatem indomabilis tauri obtinens, jam juvenis aratro prælatus, & vos loco mortui bovis me vetulam ac debilem ovem cum indomito tauro conjungere vultis? Quæ dico, ſatis intelligitis, & ea re quid cui velitis aſſociare vellem conſideraretis; conſiderantes ab incepto deſisteretis. Quòd ſi non deſistitis; en prædico vobis quia me, de quo lanam, & lac verbi Dei, & agnos in ſervitium ejus, nonnulli poſſent habere (extra quam modo putetis) regia feritas diverſis à ſe fatigatum injuriis opprimet, & gaudium quod nunc de me quaſi pro relevationis veſtræ ſpe vos tenet multos (cum nihil conſueti conſilii aut ſperati auxilii pro me habere potuerint) verſum in mæſtitiam dolentes efficiet. Eoque proficietis ut Eccleſiam quam relevare à viduitate tantopere ſatagitis, relabi in viduitatem, etiam vivente Paſtore ſuo, quod pejus eſt, quandoque cernatis. Et hæc mala, quibus imputabuntur, niſi vobis qui tam inconſideratè Regis feritatem, & meam imbecillitatem conjunxiſtis? Cùm igitur, me oppreſſo, nullus ex vobis fuerit, qui ei in aliquo audeat obviare, vos quoque proculdubio pro libitu ſuo non dubitabit undique conculcare.* Hæc dicens, ac erum„ pentibus lacrymis, dolorem cordis diſſimulare non valens, ad hospitium ſuum, „ dimiſſa curia, vadit. Acta ſunt hæc anno Incarnationis Dominicæ milleſſimo non„ ageſſimo tertio, pridie nonas Martii, prima Dominica quadrageſſimæ. Præcepit „ itaque Rex, ut ſine dilatione, ac diminutione inveſtiretur de omnibus ad Ar„ chiepiſcopatum pertinentibus intus, & extra atque ut Civitas Cantuaria quam Lan„ francus ſuo tempore in beneficio à Rege tenebat, & Abbatia Sancti Albani quam „ non ſolùm Lanfrancus ſed, & anteceſſores ejus habuiſſe noſcuntur, in Alodium „ Eccleſiæ Chriſti Cantuarienſis pro redemptione animæ ſuæ, perpetuo jure tranſi„ rent.

„ Anſelmus autem poſt hæc in villis ad Archiepiſcopatum pertinentibus ex præ„ cepto Regis morabatur, converſante ſecum ac victui ſuo exinde neceſſaria quæque „ procurante venerabili Gundulpho Roffenſi Epiſcopo.

„ Interea miſſi ſunt à Rege nuncii cum litteris in Normanniam ad Comitem, ad „ Pontificem Rotomagenſem, ad Monachos Beccenſes, quatenus his quæ in An„ glia de Abbate Beccenſi geſta fuerant, ſinguli quantum ſua intererat aſſenſum præ„ berent. Sed quid? Plurima in hunc modum acta nihil apud eos profecerunt. Tan„ dem tamen importuna ratione ac rationabili importunitate, Deo diſponente, de„ victi, quæ de Anſelmo cœpta erant, perfici conceſſerunt, & ne onus impoſitum

ſub-

in Natitate Domini Jeſu præſentaſſet, & honorificè à Rege ſuſceptus, primos tres dies feſtivitatis circa Regem lætus tranſegiſſet; poſt, inſtinctu diaboli hominumque malorum mutatus eſt animus Regis contra eum, eo quòd ipſe, ſpoliatis honibus ſuis, mille libras denariorum ei pro agendis munificentiæ ſuæ gratiis, dare noluit, & ita Principe turbato à Curia diſceſsit. Veniens autem in Villam ſuam quæ Berga vocatur, dedicavit ibi Eccleſiam ad Parochiam pertinentem, quam quidem Anteceſſor ejus Landfrancus conſtruxerat, ſed obitu præventus de-

---

„ ſubterfugeret, ei per obedientiam injunxerunt. Unde, & litteræ à ſingulis ſingu-
„ læ ſcriptæ ſunt, quæ in uno eodemque concordantes per nuncios Anſelmo, & Re-
„ gi ſunt transmiſſæ, de quibus omnibus unas huic opuſculo inſeram, quatenus in
„ ipſis, & aliarum ſensus eluceat. Sint igitur hæ. *Frater Guilielmus Archiepiſcopus ſuo Domino, & amico Anſelmo Dei benedictionem, & noſtram. De his quæ de vobis à me Rex quæſivit, & de quibus ipſe mihi ſcripſistis, ſicuti de tanta re decuit hucusque diu multumque pertractavi; & amicorum meorum ac veſtrorum ſuper hoc conſilium quæſivi Qui utrique voluiſſent, ſi poſſibile fuiſſet, & veſtram ſemper, ut olim, habere præſentiam, & non facere unde offenderent divinam voluntatem. Sed quia ad hoc res venit ut utrumque impleri nequeat, ſicut dignum eſt, divinam voluntatem noſtræ præponimus, & noſtram voluntatem divinæ ſubjicimus, atque ex parte Dei, & Sancti Petri, omniumque amicorum meorum ac veſtrorum qui ſecundum Deum vos diligunt, iubeo ut Paſtoralem Curam Cantuarienſis Eccleſiæ, & Eccleſiaſtico more benedictionem Epiſcopalem ſuſcipiatis, oviumque veſtrarum, vobis, ut credimus, divinitus comiſsarum ſaluti deinceps invigiletis. Valete, viſcera mea.*

„ Iſtæ litteræ cum aliis Anſelmus directis prius ipſi, quàm Regi ſuæ, ſunt al-
„ latæ. Inter hæc juxta quod Anſelmus prædixreat, Rex ab infirmitate convaluit. Mox
„ igitur cuncta, quæ infirmus ſtatuerat bona, diſſolvit, & irrita eſſe præcepit.... Orta
„ eſt ergo tam vaſta miſeraque vaſtatio per totum regnum; ut qui illius recordatur,
„ parem ſe ei ante hanc vidiſſe in Anglia, ſicut æxtimo, non recordetur...

„ Deinde paucis diebus interpoſitis, Rex ipſe conſensum, quem à Normannis
„ ſuper Anſelmo, juxta quod præfati ſumus, expetierat, per Epiſtolas accepit.....
„ Inſtante vero tempore ſuæ conſecrationis, venit ex more Thomas Archiepiſcopus
* De York. „ Eboracenſis * & omnes Epiſcopi Angliæ Cantuariam, eumque debita veneratione
„ ibi Pontificem conſecravere pridie Nonas Decembris. Duo tamen Epiſcopi Vi-
„ gornenſis videlicet, & Exonienſis, infirmitate detenti, huic conſecrationi intereſſe
„ non valuerunt. Sed nunciis apicibuique directis, abſentiam ſuam Coepiſcorum ſuo-
„ rum præſentiæ hac in cauſa præſentem, & conſentaneam fore denunciaverunt. Verùm
cum ante ordinandi Pontificis Examinationem Uvalchelinus Uventanus Epiſcopus ro-
De Londres. „ gatu Mauricii Epiſcopi Lunddonienſis, cujus hoc officium eſt, Eccleſiaſtico more elec-
„ tionem ſcriptam legeret, mox in primo verſu Thomas Eboracenſis graviter offen-
„ ſus eam non jure factam conqueſtus eſt. Nam cum diceretur: *Fratres & Coepiſcopi mei, veſtræ Fraternitati eſt cognitum, quantum temporis eſt, ex quo, accidentibus variis eventibus, hæc Dorobernienſis Eccleſia, totius Britanniæ Metropolitana ſuo ſit viduata paſtore*, ſubintulit dicens: *Totius Britanniæ Metropolitana? Si totius Britanniæ Metropolitana, Eccleſia Eboracenſis, quæ Metropolitana eſse ſcitur, Metropitalitana non eſt. Et quidem Eccleſiam Cantuariensem Primatem totius Britanniæ eſſe ſcimus, non Metropolitanam.* Quod auditum, ratio-
„ ne ſubnixum eſſe, quod dicebat, intellectum eſt. Tunc ſtatim ſcriptura ipſa mu-
„ tata eſt, & pro totius Britaniæ Metropolitana, totius Britaniæ Primas ſcriptum
„ eſt, & omnis controverſia conquievit. Itaque ſacravit eum ut totius Britanniæ Pri-
„ matem. Cum igitur inter ſacrandum, pro ritu Eccleſiæ, textus Evangelii ſuper
„ eum ab Epiſcopis apertus, tentus, & peracta conſecratione fuiſſet inſpectus, hæc
NOTA. „ in ſummitate paginæ ſententia reperta eſt: *Vocavit multos &c.* ut ſupra. Deinde
„ jam conſumato ordinationis ſuæ die octavo, Cantuaria egrediens ad Curiam Re-
„ gis pro imminente Nativitate Domini vadit. Quò perveniens, hilariter à Rege to-
„ taque Regni Nobilitate ſuſcipitur.....

Sup. Berga. „ Veniens autem in Villam ſuam quæ Herga * vocatur, dedicavit illic Ec-

qui-

dedicare nequiverat. Ad quam dedicationem quidam Clericus inter alios de Londonia veniens, ſeque inter Clericos viri quaſi ad comminiſtrandum mittens, Chriſmatorium Pontificis clàm ſurripuit, & in turbam merſus fugam arripuit. Dum igitur iter, quod Londoniam ducit, ingreſſus cum furto fuiſſet, reflexit greſſum, non autumans ſe ad locum, quem fugiebat, feſtinare. Sed cùm rediens, adunatæ plebis multitudinem reperiſſet, animadvertit ſe cupitum iter permutaſſe, & qua venerat viam repetit. Aliquantum proceſſerat, & iterum visum eſt ſibi eò tendere quò fugiebat. Factum eſt hoc frequentius, & tunc hàc nunc illàc neſciens quò iret erroneus ferebatur. Populus autem qui eum ſic ſe habentem intuebatur, quidnam haberet, mirabatur. At ubi Miniſtri Pontificis vas chrismatis perditum eſſe cognoverunt, confuſi, & tumultuantes diſcurrunt; quod perditum erat hinc inde quærunt, ignorantes à quo vèl ubi id quærere certo debeant. Rumor damni fertur in populum, & opinio multorum cadit in erroneum Clericum. Capitur, & ſub cappa illius vas abreptum invenitur. Refertur Antiſtiti quod actum erat. At ipse modeſto vultu, menteque tranquilla ſtatim juſsit culpam ignoſci, & Clericum ad ſua liberum dimitti. Tunc ille iter quod furto gravatus nullanus tenere ſciebat, illico & nihil hæſitans ingreſſus agebat.

47 Poſt hæc paucis diebus interpoſitis, mandatur ad Curiam ire Anſelmus, Regem tranſiturum ſua benedictione proſecuturus. Qui tranſitus dum vento obſtante differtur, Anſelmus opportunum ſe tempus nactum exiſtimans, Regem pro Eccleſiarum quæ de die in diem deſtruebantur relevatione, pro Chriſtianæ legis quæ in multis violabatur renovatione, pro diverſorum morum, qui in omni ordine hominum quotidie nimis corrumpebantur, correptione cœpit interpellare, quæ omnia cum magna indignatione ſuſcipiens, nec ſe cauſâ illius quicquam de omnibus acturum fore proteſtans, hominem diſcedere, nec ſe tranſfretaturum diutius ibi expectare iratus præcepit.

48 Conſiderans Anſelmus poſt hæc, quid quietis perdiderit, quid laboris invenerit, anxiatus eſt ſpiritu, & vehementi dolore attritus. Ducebat enim ante oculos ſuæ mentis, qualem in Prioratu, & Abbatia poſitus vitam agere ſolebat, quàm ſcilicet jucunde in Dei, & proximi caritate quieſcebat ac delectabatur, quàm devotè verba vitæ loquens ab omnibus audiebatur, quàm ad ſuæ, ut ſperabat, cumulum retributionis, quæ dicebat, opere exercebantur: & tunc è converſo, cum in melius per Epiſcopatum proficere debuerit, ecce die ac nocte in ſæcularibus laborans, videbat ſe nec Deo nec proximo ſecun-

„ cleſiam, quàm Landfrancus quidem fabricaverat, ſed morte præventus ſacrare ne-
„ quiverat. Inter quam dedicationem venerunt illuc duo Canonici de Sancto Paulo
„ ab Epiſcopo Londoniæ miſsi, litteras ex parte Epiſcopi deferentes, in quibus, ut
„ ipſam dedicationem, donec simul inde loquerentur, differret, deprecatus eſt. Dice-
„ bat enim ipſam Eccleſiam in ſua Parrochia eſſe, & ob hoc licet in terra Archi-
„ epiſcopi fuerit, dedicationem illius ad ſe pertinere. Audiens hoc Anſelmus, & An-
„ teceſſorum ſuorum antiquam conſuetudinem sciens, ratus eſt ab ipſo miniſterio pro
„ hominum precibus non ceſſandum, nec fecit. Siquidem mos, & consuetudo Ar-
„ chiepiſcoporum Cantuarenſium ab antiquo fuit & eſt, ut in terris ſuis ubicumque
„ per Angliam ſint, nullus Epiſcoporum præter ſe jus aliquod habeat, ſed humana
„ ſimul, & divina omnia velut in propria Diœceſi in ſua diſpoſitione conſiſtant. An-
„ ſelmus tamen nulli quicquam injuriarum, quaſi libera utens poteſtate, facere volens,
„ diligenti poſtmodum inquiſitione conſuetudinis hujus certitudinem ſtuduit inveſtiga-
„ re &c. quæ proſequitur Eadmerus.

cundum Deum juxta priſtinum morem intendere poſſe, nec adeo quemquam ex ore ſuo verbum vitæ quod facto impleret, ad ſuæ, ut reputabat, detrimentum mercedis audire velle.

49 Acceſſerant iſtis in augmentum mali ſui *crudeles ſuorum hominum oppreſsiones quotidie auribus ejus inſonantes, & minæ malignantium, deteriora in poſterum pollicentium circumquaque detonantes: ſciebatur enim regiam mentem contra eum in furorem concitatam eſſe; & ob hoc quisque malus beatum ſe fore credebat, ſi quod illum exasperaret, ullo ingenio facere poſſet. Multis itaque ac diverſis injuriarum procellis fatigabatur, & nulla terreni honoris, vel commodi ſuavitate, unde conſolationem haberet, fovebatur. Verum ſalva in omnibus, & ad omnes innocentia ſuæ conſcientiæ, modicum reſpirabat ab his, & magnopere conſolabatur, ſi quando ſe Monachorum clauſtro inferre, & quæ inſtitutio vitæ ipſorum expetebat, coram eis effari valebat. Quod ipſe quadam vice capitulo eorum præſidens, & ex more de hujuſmodi liberius agens, dicendi fine completo, jucunda hilaritate alludens, jocoſa comparatione innotuit dicens: ſicut bubo,* dum in caverna cum pullis ſuis eſt, lætatur, & ſuo ſibi modo bene eſt; dum vero inter corvos aut corniculas ſeu alias aves eſt, incurſatur ac dilaniatur, omnino quoque ſibi male eſt: ita, & mihi.

50 Quando enim vobiſcum ſum, bene mihi eſt, & grata ac ſingularis vitæ meæ conſolatio. Quando vero remotus à vobis inter ſæculares converſor, hinc inde variarum me cauſarum incurſus dilacerant, & quæ non amo ſæcularia negotia vexant. Male igitur mihi eſt, quando ſic ſum, ac tremens pertimeſco ne meum hujuſmodi eſſe procreet immane dispendium animæ meæ. Ad quod verbum licet alludens, ut dixi, cœpit amariſsime flens ſubinferre, & ait: Sed quæso miſeremini mei, miſeremini mei ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Quia ergo in tali converſatione magnopere reſpirabat, ea ſibi deficiente, graviter ſuſpirabat. Deum teſtor, me ſæpe illum ſub veritatis teſtimonio audiſſe proteſtantem quòd liberius vellet in Congregatione monachorum pueri loco inter pueros ſub virga Magiſtri pavére, quàm per paſtoralem curam toti Britanniæ prælatus in conventu populorum Cathedræ Pontificali præſidere. Forte dicet aliquis: ſi tam bonum, tam jucundum erat illi habitare cum monachis, cur non continué habitabat Cantuariæ cum ſuis? Ad quod Ego: Si hoc ſolùm ſibi poſsibile eſſet, magnopere ſe conſolatum reputaret. Sed & hoc partim remotio villarum ſuarum, partim uſus, & inſtitutio anteceſſorum ſuorum, partim numeroſitas hominum, ſine quibus eum eſſe Pontificalis honor non ſinebat, illi adimebat, eumque per villas ſuas ire ac inibi degere compellebat. Præterea ſi Cantuariam aſsidue incoleret, homines ſui ex advectione victualium oppidò gravarentur; & inſuper à præpoſitis, ut ſæpe contingebat, multis ex cauſis oppreſsi, ſi quam interpellarent, nunquam præſentem haberent; magis ac magis oppreſsi in deſtructionem funditus irent. Nullo tamen loco vel tempore ſine ſuis Monachis, & Clericis erat. His duntaxat exceptis, qui ad eum ex diverſis locis confluentes raro deerant. Omnes etenim ad ſe venientes dulci alacritate ſuscipiebat,

* Al. crebræ.

(a) *Sicut bubo*) Hanc ſimilitudinem copioſius tradit idem Eadmerus in libro *De Sancti Anselmi ſimilitudinibus*, ubi hæc addit: *utpote quem hic roſtro male percutit, ille alis in eum irruit, alter vero unguibus diseindit: Ita & mihi.*

bat, & cuique pro ſui negotii qualitate efficaciter respondebat. Videres ſiquidem iſtos Scripturarum ſententiis ac quæſtionibus involutos mox ratione propoſita ab eo evolvi ; iſtos in morum discretione nutantes non ſegnius informari ; illos neceſſariarum rerum tenuitate laborantes, datis quibus opus habebant, ab inopia relevari. Nec iſta largitas ſolummodo Monachorum ſeu Clericorum penuriam ſublevabat, ſed & in quosque laicos ea indigentes, ea ſibi ſubveniri petentes, pro poſſe, & nonnunquam ultra poſſe pii Patris redundabat. Quotiens autem opportunitas ſeſe præbebat, in remotiorem cameræ ſuæ locum ſecedere, ſolusque cœleſtibus ſtudiis conſueverat inhærere. Unde fidei Chriſtianæ zelo commotus, egregium, & pro illius temporis ſtatu perneceſſarium opus *de Incarnatione Verbi* (*a*) compoſuit. Quod opus Epiſtolari ſtylo conscriptum, Venerabili Urbano Secundo, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Summo Pontifici dicavit, deſtinavit. Quod ille gratioſe ſuscipiens, ac invencibili veritatis ratione ſubnixum intelligens, in tanta auctoritate habuit, ut poſtmodum contra Græcos in Concilio Barenſi, cujus ſuo loco mentio fiet, disputans, inde robur ſuæ diſputationis aſſumeret, & quàm damnabilis fuerit error eorum in hoc, quòd Spiritum Sanctum à Filio procedere negabant, astrueret. Sed nos iſta prætermittentes, & cœptæ narrationi operam dantes, dicamus quòd ipſe Anſelmus ad refectionem corporis ſedens, modò de ſacra quæ coram eo legebatur lectione, materia loquendi ſumpta, conveſcentes ædificabat; modò ex ſua parte ſacra verba ediſſerens, loco Sacræ Lectionis præſentium mentes inſtruebat ; modò de aliqua re utili vel neceſſaria requiſitus, requirentem pariter, & coaudientes mira ſuavitate reficiebat. Hujus rei cognoſcendæ gratia, quod levius occurrit, exempli cauſa, unum ſubjiciam, non quo ulla doctrinæ ejus efficacia per hoc deſignetur, ſed ut in quibus lingua ejus inter carnales epulas verſari ſolita fuerit, paulisper intimetur.

56 Venit ad eum quadam vice quidam, ex ſæculari vita Monachus factus, conſilium de vita ſua flagitans. Hic cùm alias familiarius ei locutus fuiſſet, inter prandendum opportunitate potitus, dixit quia cùm ſe in ſæculari vita teneret, intellexit non rectum fuiſſe iter ſuum pergendi ad vitam : Quamobrem, inquit, relicto ſæculo veni ad Ordinem Monachorum, ſperans me ibi poſſe penitus intendere vitæ perenni, & Deo. Ecce autem ex præcepto Abbatis mei ſæcularibus negotiis intendo, & dum res Eccleſiæ contra ſæculares defendere tuerique deſidero, placito, litigo, nec mihi forſam magnum curæ eſt ſi alii perdunt in meo lucro. Quapropter fere cogor deſperare, dum ea quæ reliqui, cùm tot peccatis videor adminiſtrare. Ad hæc Anſelmus tali ſub exemplo (*b*) reſpondit: Tota vita hominum comparari poteſt molendino ſuper præcipitem fluvium conſtituto. Sit igitur in hoc molendino ad manum hominis molens mola, qua qui molunt, alii ſic ſuam farinam negligunt ut tota in fluvium labatur ac defluat, alii parte retenta, partem in præceps ire ſi-

(*a*) Opus *de Incarnatione Verbi.*) Necessitas ſeu occaſio hujus operis ſcribendi, quod in editione Gerberonii inscribitur *De fide Trinitatis, & de Incarnatione Verbi*, fuit hæreſis Roscelini, ut in 1. cap. ejusd. oper. declarat S. Doctor, ac nos exponimus ibidem.

(*b*) In capite 41. lib. De ſimilit. ponit Eadmerus ſimilitudinem *inter cor humanum, & molendinum* ; & in ſeq. *Inter molentes, & laborantes* : ſed ſub aliis aspectibus & conſiderationibus proponuntur. Ea vero quæ est in cap. 42. partem retinet hujus exempli.

ſinant ; alii totam colligant , atque in ſua cuſtodia condant. Horum ſcilicet qui nihil ſibi de farina reſervavit , quid in veſpera comedat non habebit. Qui parum retinuit , pro portione ſua parum inveniet. Qui totam collegit , largè ſe paſcere poterit. Itaque molendino aſſimiletur, ut dixi , vita hominum ; molæ actus eorum. Nam ſicut mola dum aliquid molit , in circuitu ducitur, & circumducta ſimili curſu ſæpe reducitur : ſic & actus humani quibusque temporibus in ſe revertuntur. Verbi gratia: arant homines , ſeminant , metunt , molunt , panificant, comedunt. En circuitum ſuum mola peregit. Ultrà ne quiescit? Nequaquam. Repetitur enim id ipſum. Aratur , ſeminatur , metitur , molitur, fit panis , & comeditur. Hæc fiunt omni anno , & more molæ recurrunt in id ipſum. Videas ergo hominem cuncta opera ſua pro terreno commodo facientem , nihil in eis niſi tranſitorium quid deſiderantem. Iſte ſiquidem molit , quia operatur ; ſed tota farina ſua , qui fructus eſt operis , fluvio , id eſt , à fluxu ſæcularis deſiderii rapitur ac præcipitatur. Hic cùm in fine vitæ ſuæ molendinum egreſſus , atque in domum ſuam reverſus , operum ſuorum fructus manducare voluerit , nihil inveniet , eo quòd fluvius torrens totum abſorbuit. Iejunabit ergo , væ miſero , in æternum. Eſt alius qui ſuam non omnimodis farinam perdit , quoniam nunc aliquam pro Deo eleemoſynam facit , nunc ad Eccleſiam pro Dei ſervitio vadit, nunc infirmum viſitat , nunc mortuum ſepelit , & aliis in hunc modum bonis intendit. Verùm cùm is ipſe voluptatibus carnis inſervit , pro illata injuria per odium ſævit , humanis laudibus paſcitur , crapula, & ebrietate ſopitur , horumque ſimilibus enervatur , ne farinæ pars maxima pereat , nequaquam cautus invigilat. Quid de iſto erit in futuro? Niſi quia recipiet , prout geſsit ? Iam tertium genus in ordine Monachorum attende. Eſt igitur monachus ſub Abbatis ſui imperio poſitus, obedientiam in omnibus , quæ ſibi ſecundum Deum injunguntur profeſſus, ſua quantum in ſe eſt voluntate nunquam Clauſtra Monaſterii pro quovis ſæculari negotio egredi volens. Huic forte præcipitur ut extra claustrum ad cuſtodiendam aliquam Eccleſiæ villam eat. Excuſat ſe , & ne fiat obſecrat. Perſtat Abbas in ſententia ſua , & per obedientiam jubet peragi imperata. Non audens ille recuſare , paret. Ecce venit ad molam , neceſſario illum molere oportet. Inſurgunt hinc inde querelæ, placita , lites. Cuſtodiat ergo ſapiens monachus farinam ſuam , eamque in vas ſuum diligenter recipiat , ne in fluvium defluat. Quo , inquis, pacto ? Nihil per inanem jactantiam agat , nihil quòd Deus prohibet, cujuslibet lucri gratia faciat. (*a*) Obedientiæ quæ ſibi injuncta eſt ita ſtudeat , ut & res Eccleſiæ contra omnes viriliter juſteque tueatur , & protegat , & de alieno per injuſtitiam ſub dominium Eccleſiæ nihil redigere ſatagat. Si in hujuſmodi conſervatur , & vivit , quamvis aliquando pro talibus Miſſas perdat , nonnunquam loquatur , cùm fratres in clauſtro tacent , & quædam ſimilia horum faciat vel dimittat , quæ ipſi nec faciunt , nec dimittunt ; obedientiæ virtus , quam exercet , hæc cuncta conſumit ; & vas ſuum integrum ſervans , farinam de ſua mola fluentem , quæ illum æternaliter paſcat , totam ac puram colligit atque recondit. Non enim ſecundum car-

(*a*) *Obedientiæ quæ ſibi injuncta est*) Obedientias antiquitus vocabant omnia officia Clauſtralia , & cunctas extra clauſtra Adminiſtrationes Monachorum.

carnem, ſed ſecundum obedientiam incedit; ac per hoc, ut Apoſtolus ait, nihil damnationis illi erit. Et quid de illo ſentiendum eſt, inquit, qui ſe ultro ad diſpoſitionem villarum offert; atque ut id quod cupit ad effectum perveniat, clam ſibi adjutores advocat, munera pollicetur, gratiam ſpondet? refert. Nihil hoc ad propoſitum monachi pertinet, ait: Quare? Nonne hic talis, licet hoc quod dixi cupiat, tamen ſine licentia ſui prælati nihil facere tentat? Reſpondit. Licentia (*a*) multos decipit. Obedientia enim, & inobedientia contraria ſunt. Harum media licentia eſt. Is igitur quem obedientia non conſtringit, clauſtra Monaſterii egredi vult tamen exire, regulæque diſtrictionem licenter declinare, quamvis nolit ſine licentia id præſumere, & idcirco actum ſuum licentia qua nititur poſsit defendere; peccatum tamen habet ex illicita voluntate. Nec enim poſtquam mortuus mundo clauſtrum ſubiit, ad mundi negotia vel voluntate ullatenus redire debuit. Quia tamen ipſum velle ſuum non niſi permiſſus facto implere voluit; obedientia quam in hoc amplexatus eſt, ipſum factum excuſabit: ſed velle quod contra obedientiam habuit, periculoſum, niſi pœnituerit, illi erit. Quod nonnulli minus attendentes, licentia, quam pro implenda voluntate ſua expetunt, ſæpe falluntur.

57 Hæc ut dixi, non pro oſtendenda doctrinæ ſuæ qualitate propoſui, ſed quibus inter epulas occupari ſolitus erat, levi exemplo monſtravi. Nam ſi de humilitate, de patientia, de manſuetudine, & de hac quam nunc paululum tetigi obedientia, necnon de aliis innumeris ac profundis ſententiis, eum, ut ſingulis fere diebus audiebamus, diſſerentem introducerem, aliud opus cudendum, & quod manu habemus eſſet intermittendum. Quando ergo, ait aliquis, manducabat? Manducabat plane inter loquendum, parce quidem, & ut mirareris unde viveret. Verumtamen fatebatur, & verum eſſe cognovimus, quia dum alicui longæ diſputationi occupatus erat, magis ſolito nescienter edebat, nobis qui propinquiores ſedebamus, clanculo panem ei nonnumquam ſubminiſtrantibus. Cùm vero abſentibus hospitibus privatim cum ſuis ederet, & nulla quæſtio ſpiritualis cujusvis ex parte prodiret; prælibato potius quam ſumpto cibo mox ceſſabat, lectionique intendens manducantes expectabat. Quòd ſi aliquem cerneret aut pro ſui expectatione celerius comedentem, aut forte cibum relinquentem, utrumque redarguebat, & quod ſuo commodo nihil hæſitantes operam darent, affectuose admonebat. Ubi autem aliquos libenter edentes advertebat, affabili vultùs jucunditate ſuper eos aſpiciebat, & gaudens levata modicum dextera benedicebat eis, dicens: Bene faciat vobis.

58 Expoſito igitur quibus modulis Anſelmus inter ſuas epulas delectari conſueverit, ut paucis exponatur quibus etiam aliis horis intenderit; repetam quod de eo me ſuperius dixiſſe recordor, videlicet ejus ori nunquam Chriſtus defuit, ſive juſtitia, vel quicquid ad veram vitam pertinet. Omneque tempus perditum iri aſſerebat, quod bonis ſtudiis aut neceſſariæ utilitati non ſerviebat. Opinari autem illum ſecùs vixiſſe quàm docebat, profiteor nefas eſſe. Nàm cum illum ex quo religionis habitum ſumpſit usque ad ſuſceptam Pontificatus dignitatem, omnium virtutum ornamentis ratum ſit* ſtuduiſſe, ipſasque virtutes

* Al. claruiſſe.

(*a*) *Licentia multos decipit*) Ab his verbis usque ad finem hujus paragraphi continet caput 89. ſæpe citati libri de ſimilitudinibus S. Anselmi.

in quarumcumque mentibus poterat verbo, & exemplo inſeruiſſe: ita nihilominus ratum eſſe confirmamus eum totius Britanniæ Primatem factum omnimodis in hac parte claruiſſe. Unde etiam pro ipſarum indiscreta, ceu nonnullis, & mihi quoque aliquando viſum eſt, virtutum cuſtodia ſæpe reprehenſus, & quòd Monachus clauſtralis, quàm Primas tantæ gentis eſſe deberet, præjudicatus eſt. Hoc pro excellenti humilitate ejus, hoc pro immensa patientia ejus, hoc pro nimia abſtinentia ejus dicebatur, dictum acuſabatur, acuſatum damnabatur. Præcipue tamen in ſervando mansuetudinem indiſcretionis arguebatur, quoniam ſicut à pluribns putatum eſt, multi quos Eccleſiaſtica disciplina corripere debuerat, intellecta lenitate ejus, in ſuis pravitatibus quaſi licite quiescebant. Verum audita ſuper his excuſatione ſua, nam neminem ſpernebat, nemini rationem ad inquiſita reddere contemnebat, mox liquido cognoſcebatur ipſum aliter quàm faciebat, minime in talibus facere vel poſſe, dum ſe in Regula veræ discretionis vellet absque errore tenere.

59 Sæcularia vero negotia æquanimiter ferre nequibat, ſed pro ſuo poſſe modis omnibus ſuam eis præſentiam ſubſtrahebat. Si quando autem talis cauſa emergebat, ut ei neceſſario intereſſe oporteret, ſoli veritati ſtudére, nulli fraudem, nulli quodlibet præjudicium, quantum ſua intererat, patiebatur inferri. Si vani clamores, ſi contentiones, ſi jurgia, ut fit, oriebantur, aut ea ſedare, aut citius ſe abſentare curabat. Niſi enim ita faceret, tædio affectus, ſtatim animo deficiebat, & inſuper gravem corporis ægritudinem incurrebat. Quam conſuetudinem ejus edocti, ſæpe illum re ipsa cogente de medio multitudinis eduximus, proponentesque aliquam ex divina pagina quæſtionem illico corpus, & animum ejus, quaſi ſalubri antidoto medicatum, in conſuetum ſtatum * reduximus. Requiſitus autem quamobrem ſic imbecillis ad ſæculares cauſas ac puſillaminis exiſteret, reſpondebat: Qui omnem ſæcularium rerum amorem ac concupiſcentiam ab animo meo jam dudum pepuli, qualiter in cauſis earum fortis, & diligens exiſtam? Imo veritatem dico, non mentior, quia quando ipſæ mihi ſeſe importune, & ex neceſsitate ingerunt, ita mens mea illarum horrore concutitur, ſicut infans, cum aliqua terribilis imago vultui ejus ingeritur. Nec in earum dispoſitione magis delector, quàm puer in uberibus matris delectatur, dum illis acerba amaritudine ſuperlitis ablactatur.

* Al. ſtratum.

60 His neceſsitatibus actus, totam domus ſuæ curam, & diſpoſitionem domno (*a*) Balduino monacho, cujus ſupra meminimus, impoſuit; quatenus ad nutum illius cuncta penderent, & ſtatuta contra ordinationem ejus irrita fierent. Ita igitur ſecuritate potitus, ſpiritualibus diſciplinis, & contemplationi operam dabat. Verumtamen diverſæ tribulationes, & anxietates, quas tum propter terras Eccleſiæ, quas quidam maligni injuriâ, Rege non prohibente, invadebant; tum pro pecuniarum exactionibus, quæ totum Regnum, ſed maxime ſuos homines in immenſum devaſtabant; tum pro monaſteriorum oppreſsionibus, quas ſedare non poterat, & quotidie ad eum

(*a*) *Domno Balduino monacho*) Titulus *domni* quo S. P. Benedictus Abbaiem honorare jubet, ab antiquiſsimis temporibus communicatus eſt Monachis Sacerdotibus, ſenibus, aut alia ratione reverendis. In Congregatione S. Mauri ſolis Monachis gradu Presbiteratus decoratis tribuitur; & in Gallia Monachorum eſt proprius, neque aliis Regularibus, ſive ſæcularibus, aut laicis datur.

eum referebantur; tùm pro multis aliis quæ in hunc modum ſœpe patiebatur, hanc ejus quietem interrumpebant, & aliena quædam meditari compellebant. Præterea, hi qui ante Epiſcopatum viro ſummiſſi eum diligebant, diligendo favebant, favendo quæque electa de ſuis alacres conferebant, nunc terras Eccleſiæ petere, nunc equos rogare, nunc pecuniam, nunc hoc vel illud ad quod ſcilicet ſua quemque voluptas * trahebat, ab eo precari. Adverteres itaque petita obtinentes, in præſentia ejus ficta pace adgaudere, retributiones, & obſequia polliceri; alios in contraria lapſos honori ejus detrahere, homines ejus pro poſſe impugnare, in inmenſum minari.

* Al. voluntas.

61 Ille autem in patientia ſua ſciens poſsidere animam ſuam, cum his qui oderunt pacem, erat pacificus, verba mansuetudinis, & pacis ſemper redens impugnatoribus ſuis, cupiens malum illorum in bono vincere. Attamen ea quæ in ſequenti tempore poterant Eccleſiæ ſuæ damno eſſe, nequaquam equo animo tolerare, aut ſub negligentiam cadere patiebatur. Sed quid dicam? Tanta cupiditas ea tempeſtate dominabatur in mentibus quorundam, ut nec patientiâ ipſius deliniti, monitis ejus acquiscerent, nec terroribus pulſati, cæcitatem ſui cordis exirent. Verùm de extraneis non multum fortè mirandum. Ipſi ſui proprii, ac domestici homines mentiti ſunt ei, & infideles facti. Animadvertentes quippe manſuetum, lene, ſimplexque cor ejus, in pluribus cauſis fraudulenta calliditate, compoſitisque ſermonibus eum multotiens circumvenere, & quæ illius juris eſſe debebant diminuentes, ac inde ſua non jure augentes, qua ei fuerant alligati, fidem perdidere. Qua de re cùm à Balduino, aliisque fidelibus ſuis nimiæ ſimplicitatis, minorisque prudentiæ familiariter reprehenderetur; ſimplici admiratione reſpondebat, dicens: Quid eſt hoc? Nonne Chriſtiani ſunt? Et ſi Chriſtiani, num alicujus commodi causâ vellent contra fidem ſuam ſcienter mentiri? Nihil eſt. Tanto nempe ſtudio mihi loquentes ſua verba componunt, & ea, fide ſua interpoſita, vera eſſe jurant, ut incredulitati putetur poſſe aſcribi nolle credere eos ipſa veritatis firmitudine niti. Dicebat hæc ille æſtimans ipſos ſibi nolle quod ſciebat ſe nemini facere velle. Cùmque reſponderetur ſui moris illos non eſſe, ajebat: Fateor, malo decipi, bona de illis credendo, etiamſi me neſciente mali ſunt, quàm decipere me ipſum, credendo mala de ſipſis, quos nondum vere probavi, quòd boni non ſint. Hæc tamen in principio Pontificatûs ſui dicta meminerim. Poſtmodum enim rei veritas viro innotuit, & quæ ſibi à ſuis vere dicta fuerant, nimis vera fuiſſe cognovit. Quamvis igitur ſolitam fidem non ex toto verbis eorum deinceps præbuerit; tamen ſuis rebus in poſterum non parum obfuit, quòd ipſis in principio tam credulus fuit. Siquidem illi certò ſcientes eum pro malis ſibi illatis ad mala reddenda cor non habere, à timore ſuſpenſi, ſibique ipſis deteriores effecti, in pejus profecère. Quod Pater tractans apud ſe magis illorum, quam ſubſequi prævidebat, perditioni, quàm ſuæ indoluit tranſitoriæ deceptioni. Pro quâ tamen deceptione, & fidei non ſervatæ corruptione, ſæpe Anſelmus dicere ſolitus erat, eos quandoque aut in ſe aut in liberis ſuis de rebus Eccleſiæ, quibus tunc in ſublime raptabantur, exhæredandos; & antiquæ paupertati, in qua nati fuerant, & nutriti, ſubjugandos; aut certe aliqua gravi, & contumelioſa vindicta, ante mortem vel in morte, quod deterius eſſet, puniendos. Quod dictum ejus in quibusdam jam completum videmus, & ex hoc quid aliis etiam timendum ſit, conjectamus. Ideo autem eos corrigere nequibat, quoniam ip-

ipsi more densarum spinarum perplexi, argutis verborum assertionibus se tales non esse, qui hujusmodi correptione opus haberent, affirmabant. At ille contentioni servire divitans, dimittebat eos sibi timens, ne mensuram discretionis excederet, si in rimandis actibus illorum nimis studiosus existeret. Nihil enim in mundo, quantum peccare, timebat. Conscientia mea teste, non mentior, quia sæpe illum sub veritatis testimonio profitentem audivimus, quoniam si hinc peccati horrorem, hinc inferni dolorem corporaliter cerneret, & necesario uni eorum immergi deberet; prius infernum, quàm peccatum appeteret.

62 (*a*) Aliud quoque non minus forsam aliquibus mirum dicere solebat, videlicet, malle se purum à peccato, & innocentem gehennam habere; quàm peccati sorde pollutum, Cœlorum Regna tenere. Quod dictum cùm aliquibus extra eum videretur, reddita ratione temperabat, dicens: Cùm constet solos malos in inferno torqueri, & solos bonos in Cœlesti Regno foveri, patet nec bonos in inferno, si illuc intrarent, posse teneri debita pœna malorum; nec malos in Cœlo, si forte ascenderent, frui valere felicitate bonorum. Hæc propter magno studio semper nitebatur peccatorum contagia devitare, & quicquid eis aliquam nascendi ocasionem poterat ministrare, ab intentione sua omni solicitudine sua propulsare. Nec in his momentaneus erat. In his denique versabatur quotidiana institutio morum ejus, in his stabat assidua conversatio vitæ ejus, in his vigebat indeficiens executio propositi ejus, in istis Deo serviebat; pro his quibusque bonis acceptus erat, per hæc vitam æternam adipisci satagebat.

63 Regem autem de trans mare regressum Anselmus adiit, & ut sibi Romam ad Papam Urbanum pro stola sui Archiepiscopatus eundi licentiam daret, humiliter petiit. At ille ad nomen Urbani turbatus dixit, se illum pro Papa non tenere, nec suæ consuetudinis esse, ut absque sua electione alicui liceret in Regno suo Papam nominare. Hinc igitur quædam dissensio gravis est, sed in aliud tempus discutienda est dilata. Iubetur ergo ut totius Angliæ Episcopi, Abbates; & Principes ad discussionem dissidii hujus apud Castrum, quod Rochimgeham dicitur, una veniant: factum est, & tertia septimana quadragesimæ juxta edictum convenére. Causa in medium ducitur, & Anselmus diversis querelis hinc inde concutitur. Siquidem multi, & maxime Episcopi, Regiæ voluntati favere volentes, spreto æquitatis judicio id probare nitebantur, quòd Anselmus, salva fide, quam Regi debebat, nullatenus posset in Regno ipsius Urbanum Sedis Apostolicæ Præsulem pro Papa tenere. Quibus cùm plura, quæ ratio tulerat objecta fuissent, & Anselmus eos verbis Domini, *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*, aliisque nonnullis, quæ ratio nulla refellere poterat, penitus infrenasset: illi è contra quid dicerent non habentes, eum in Regem blasphemare uno strepitu conclamavere, quandoquidem ausus erat in Regno ejus, nisi eo concedente, quicquam vel Deo adscribere.

64 Igitur ad unam Regiæ indignationis vocem quidam ex Episcopis, Archiepiscopo suo atque Primati omnem subjectionem, professam obedientiam uno impetu abnegant, eique unitatem fraternæ societatis pari voto miserandi abjurant: qui-

(*a*) Hoc dictum S. Anselmi fere iisdem omnino verbis invenitur in cap. 191. sæpe cit. lib. de S. Anselmi similit. nec aliud continet illud cap. quod aliàs est 190.

quidam vero in * eis tantum,(a) quæ ex parte Urbani Papæ præciperet, illi ſe obedituros negant. Epiſcopi itaque omnes, qui affuerant, Roſenſi ſolo excepto, aut uno, aut alio modo, debitam illi ſubjectionem, & obedientiam abnegant. Rex etiam ipſe cunctam ei confidentiam, & ſecuritatem in ſuis omnibus adimit; nec se illum pro Archiepiſcopo, vel Patre amplius habiturum jurat, niſi ipſe Vicario beati Petri se ulterius obediturum ſtatim deneget. Tres dies in iſto negotio clamoribus in Anſelmum & contumeliis gravidi expenſi ſunt, & tandem in hoc, quem dixi, fine concluſi ſunt.

* Al. tamen.

65 Tunc Anſelmus in ſuo propoſito conſtans, per internuncios conductum à Rege poſtulat, quo tutus regno decedat. Quod principes multis damnosum fore dignoscentes, pro reſtituenda pace inducias utrinque ad Pentecoſtem uſque dari precantur, & obtinent; ac ſic eum, ne regno decedat, impediunt. Spondet igitur Rex ſe rebus ejus uſque ad præfixum tempus induciarum plenam pacem, & tranquillitatem indulturum, tunc voluntati illius pro ſua religione multum in negotio, quod emerſerat, condescensurum. Verùm omnino in contraria lapſus eſt; & Anſelmus, domno Balduino extra Regnum depulso, hominibusque ſuis captis & expoliatis, terrisque vaſtatis, in immenſum aflictus. Attamen poſt hæc & Urbanum per Walterum Albanenſem Epiſcopum, qui Pallium Anſelmo Romà Cantuariam detu-

(a) *In eis tantum, quæ ex parte Urbani Papæ præciperet.*) Erant quippe illo tempore, refert idem Eadmerus lib. 1. Hiſt. Nov. duo, ut in Anglia ferebatur, qui dicebantur Romani Pontifices, ad ſe invicem discordantes, & Eccleſiam Dei inter ſe diviſam poſt ſe trahentes: Urbanus videlicet, qui primò vocatus Odo, fuerat Epiſcopus Oſtienſis; & Clemens, qui Uvibertus appellatus fuerat, Archiepiſcopus Ravennas. Quæ res, ut de aliis mundi partibus ſileam, per plures annos Eccleſiam Angliæ in tantum occupavit, ut ex quo venerandæ memoriæ Gregorius Septimus, qui antea vocabatur Hildebrandus, defunctus fuit, nulli, loco Papæ, usque ad hoc tempus ſubdi vel obedire voluit. Sed Urbano jam dudùm pro Vicario Beati Petri ab Italia, Galliaque recepto, Anſelmus etiam, utpote Abbas de Normannia, eum pro Papa receperat, & ſicut vir nominatiſsimus, necnon auctoritate plenus, ejus litteras ſuſciperat, eique velut ſummo Sanctæ Eccleſiæ Paſtori, ſuas direxerat.

Et poſtquam refert Eadmerus S. Anſelmi pro ſe rationes, quibus conſilium ab Epiſcopis præſertim exigebat, hujusmodi responſum dicit reddidiſſe Antiſtites: *Quod heri respondimus, modò respondemus: scilicet, si pure ad voluntatem Dominæ Regis consilii tui summam transferre volueris; promptum, & quod in nobis ipsis utile didicimus à nobis consilium certum habebis. Si autem secundum Deum, quod ullatenus voluntati Regis obviare possit, consilium à nobis expectas, frustra niteris; quia in hujusmodi nunquam tibi nos adminiculari videbis.* Quibus dictis (proſequitur Edmerus) conticuerunt, & capita quaſi ad ea quæ ipſe illaturus erat, demiſſerunt. Tunc Pater Anſelmus erectis in altum luminibus, vivido vultu, reverenda voce, iſta locutus eſt: Cum nos, qui Chriſtianæ plebis Paſtores, & vos qui populorum Principes vocamini, conſilium mihi Principi veſtro non niſi ad unius hominis voluntatem dare vultis; ego ad ſummum Paſtorem, & Principem omnium, ego ad magni conſilii Angelum curram, & in meo, imò in ſuo, & Eccleſiæ ſuæ negotio conſilium quod ſequar ab eo accipiam. Dicit beatiſſimo Apoſtolorum Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves Regni Cœlorum; & quodcumque ligaveris super terram, erit & in Cœlis ligatum; & quodcumque solveris super terram, erit solutum, & in Cœlis.* Communiter etiam Apoſtolis omnibus: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit; & qui tangit vos, sicut qui tangit pupillam oculi mei.* Hæc ſicut principaliter beato Petro, & in ipſo ceteris Apoſtolis dicta accipimus, ita prin-

tulit, pro Papa ſuscepit, & Principum ſuorum consilio actus, in amicitiam ſuam virum ſuscepit. Verum poſt aliquantum tempus idem Rex á Galliis victor regreſſus, renovata ira propter milites, quos, ſicut falsò à malignis dicebatur, male inſtructos in expeditionem Anſelmus direxerat, contra ipſum conturbatus eſt. Tunc Anſelmus conſiderans apud ſe omni tempore talia pro nihilo poſſe oriri, & ſe eis ocupatum ſemper ab officio Pontificali poſſe impediri, tractavit ſecum ſibi Romam eundum, & conſilium à ſede beati Petri ſuper his petendum. Cùm igitur in ſolemnitate Pentecoſtes ad curiam apud Vindeleshoriam veniſſet, per familiares ſuos Regi mandavit ſibi perneceſſarium eſſe Romam ire; & hoc ſi ei placeret, ſe per licentiam ejus facere velle. At ille nequaquam, inquit: Nec enim eum, aut in his quæ agenda ſunt, cujusvis conſilii inſcium, aut alicui gravi peccato obnoxium eſſe ſcimus, unde vel Papam conſulere; vel illius abſolutionem neceſſe ſit illi implorare. Et res igitur ita tunc quidem remanſit.

66 Diſcedente autem Anſelmo à Curia, & ad Villam ſuam nomine Heyſem properante, pueri quos nutriebat, leporem (*a*) ſibi occurſantem in via canibus inſecuti ſunt, & fugitantem intra pedes equi, quem Pater ipſe ſedebat, ſubſidentem conſecuti ſunt. Ille ſciens miſeram beſtiam ſibi ſub ſe refugio conſuluiſſe, retentis habenis, equm loco fixit, nec cupitum beſtiæ voluit præſidium denegare. Quam canes circundantes, & linguis ſuis haud grato obſequio hinc inde lingentes, nec de ſub equo poterant ejicere, nec in aliquo lædere. Quod videntes admirati ſumus. At Anſelmus ubi quosdam ex equitibus aſpexit ridere, & quaſi pro capta beſtia lætitiæ frena laxare, ſolutus in lacrymas ait: Ridetis? Et utique infelici huic nullus riſus, lætitia nulla eſt. Hoſtes ejus circa eam ſunt, & ipſa de vita ſolicita confugit ad nos præſidium flagitans. Hoc plane eſt & animæ hominis. Nam cùm de corpore exit, inimici ſui, ſcilicet maligni ſpiritus, qui eam in corpore degentem, per anfractus vitiorum multis modis perſecuti ſunt, crudeliter adſunt parati eam rapere, & in mortem æternam præcipitare. At ipſa nimis anxia huc illùcque circunſpicit, & quà tueatur defenſionis, & auxilii manum ſibi porrigi ineffabili deſiderio concupiſcit. Dœmones autem è contrario rident, & magno gaudio gaudent, ſi illam nullo ſultam adminiculo inveniunt. Quibus dictis, laxato freno, in iter rediit, beſtiam ultra perſequi clara voce canibus interdicens. Tunc illa ab omni læſione immunis, exultans, & hilaris præpeti curſu campos ſylvasque reviſit. Nos vero depoſitis jocis, ſed non modice alacres effecti, de tam pia liberatione pavidi animalis cœpto itinere viam detrivimus.

67 Alia vice conſpexit puerum

„ cipaliter Vicario beati Petri, & per ipſum cœteris Epiſcopis, qui vices agunt „ Apoſtolorum, eadem dicta tenemus; non cuilibet Imperatori, non alicui Regi, „ non Duci, non Comiti. In quo tamen terrenis Principibus ſubdi ac miniſtrare de- „ beamus, docet & inſtruit idem ipſe magni conſilii Angelus, dicens: *Reddite* „ *quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Hæc verba, hæc conſilia Dei „ ſunt. Hæc approbo, hæc ſuscipio, hæc nulla ratione exibo. Quare cuncti no- „ veritis in communi, quòd in his quæ Dei ſunt, Vicario beati Petri obedientiam, „ & in his quæ terrenæ Domini mei Regis dignitati jure competunt, & fidele con- „ ſilium, & auxilium pro ſenſus mei capacitate impendam.

(*a*) *Leporem ſibi occurſantem*) Hoc eventu atque ſimilitudine confectum eſt caput 189. al. 188. lib. De S. Anſel. ſimilit. Et proxime ſequens ludum pueri cum avicula, & ejusdem S. Patris comparationem exhibet.

rum cum avicula in via ludentem. Quæ avis pedem filo innexum habens, ſæpe cùm laxius ire permittebatur, fuga ſibi conſulere cupiens avolare nitebatur. At puer filum manu tenens, retractum usque ad ſe dejiciebat, & hoc ingens gaudium illi erat. Factum eſt id frequentius. Quod Pater aspiciens, miſere condoluit avi, ut rupto filo libertati redderetur, optavit. Et ecce filum rumpitur, avis avolat, puer plorat, Pater exultat. Et vocatis nobis, conſiderastis, inquit, jocum pueri? Et confeſsis conſideraſſe, ait: Simili conſideratione jocatur diabolus cum multis hominibus, quos ſuis laqueis irretitos pro ſua voluntate in diverſa vitia pertrahit. Sunt enim quidam, ut verbi gratia dicam, aut avaritiæ, aut luxuriæ, & ſimilium flammis ſuccenſi, & ex * mala conſuetudine illis addicti: his contingit aliquando ut ſua facta conſiderent, defleant, ſeque amodo à talibus ceſſaturos ſibi promittant. Et more avis ſe liberos volare autumant. Sed quia pravo uſu irretiti ab hoſte tenentur, volantes, in eadem vitia dejiciuntur. Fitque hoc ſæpius. Nec omnimodis liberantur, niſi magno conatu per reſpectum gratiæ Dei funis pravæ conſuetudinis dirumpatur.

*Aliàs magna.

68 Hinc iterum Anſelmus Cantuariam veniens, jam petitam licentiam Romam eundi à Rege petivit, ſed eam non obtinuit. Poſt quæ in menſe Octobri invitatus à Rege Vuintoniam vadit; & quod jam bis rogaverat, attentius per internuncios tertiò rogat. Turbatur ille, & nimium ſe vexari ab eo anxie queritur. Ad quod Anſelmus: Et quidem quòd Romam ire diſpono causá ſanctæ Chriſtianitatis, quam in hac terra regere ſuscepi, causáque ſalutis animæ meæ, causá etiam ſui honoris, & utilitatis, ſic credere velit, id ago. Si ergo mihi bono animo licentiam dederit eundi, gratioſus accipiam. Si non: Ego utique quod Deus præcepit, poſtponere non debeo, quia ſcriptum eſt: *Obedire magis Deo oportet quàm hominibus.* Quod ille audiens, turbato animo, jubet ut aut cœpto deſiſtat, & inſuper ſe nunquam beatum Petrum vel ſedem ejus pro quolibet negotio appellaturum jurejurando (*a*) promittat, aut ſine mora, omni ſpe remeandi ſublata, ſuo regno decedat. Et ſubdens ait: Si vero territus iſtis, cœpto deſiſtere, & remanere potius quàm ire delegerit; tunc volo quatenus prout mihi judicabit Curia mea, emendet, quoniam illud ſibi concedi à me tertiò petiit, in quo ſe perſeveraturum certus non fuit. Reſpondit: Dominus eſt, quod vult dicit. Ego tamen ſciens ad quid aſſumptus ſim, & quid in Anglia gerendum ſuſceperim, non mihi eſſe honeſtum pronuncio, cujusvis tranſitorii commodi causá illud ommittere, quod in ope miſericordiæ Dei ſpero futuris temporibus Eccleſiæ ejus utile fore. Acta ſunt hinc his multo plura, quæ quoniam aliàs ſcripſimus, hic paucis perſtrinximus. Rege igitur, & curialibus contra virum in iram permotis, ipſe ad eum placido vultu ingreditur, & ad dexteram ejus ex more aſsidens, ait: Ego, Domine, ut diſpoſui vado; ſed primo meam vo-

Lib. 2. hiſt. Nov.

(*a*) *Jurejurando promittat*) Ad quæ hujusmodi responſum reddidiſſe S. Anſelmum tradit idem Eadmerus, lib. 2. Hiſt. Novor. *Ad quæ jubes, ut qno ſecurus de me poſsis amodò eſſe, jurem tibi quòd nunquam amplius pro qualibet cauſa beatum Petrum vel ejus Vicarium in Anglia appellem, dico hujusmodi juſsionem tuam, qui Chriſtianus es, omnimodis eſſe non debere. Hoc enim jurare, beatum Petrum eſt abjurare. Qui autem beatum Petrum abjurat, Chriſtum, qui eum ſuper Eccleſiam ſuam Principem fecit, indubitanter abjurat. Cùm igitur propter te (ò Rex) Chriſtum negavero; fateor, peccatum quod in requirenda licentia admiſi, judicio Curiæ tuæ non ſegnis emendabo.*

vobis benedictionem, si eam non abjicitis, dabo. Quam cùm ille se nolle abjicere responderet, conquiescentem Regem ad hoc levata dextera benedixit, sicque relicta Curia Cantuariam venit.

69 Postera die adunatos (*a*) monachos in ipsa Sede Domino Jesu-Christo famulantes, his verbis allocutus est: Fratres, & filii dilectissimi, sicut audistis, & scitis, ego regno huic proxime sunt decessurus. * Causa quippe quæ inter Dominum nostrum Regem, & me jam diu de Christianæ Religionis correctione versata est, ad hoc est tandem perducta, ut aut ea quæ contra Deum, & honestatem meam sunt, me oporteat agere, aut huic regno sine mora decedere. Et ego quidem libens vado, sperans in respectum misericordiæ Dei, iter meum libertati Ecclesiæ futuris temporibus nonnihil profuturum. Super vos tamen, quos ad præsens relinquo, non modica pietate moveor, utpote quos tribulationes, & angustias, opressiones, & contumelias acerbius solito, me absente, passuros intueor. Licet enim constet illas nec me præsente ex toto fuisse remotas; tamen quando emergebant, contra eas vobis quoddam quasi umbraculum extiti: & ne in immensum vos ferirent, scuto me vestræ protectionis medium objeci. Et quidem majori pace ac securitate vos usos existimo postquam inter vos veni, quàm à decessu venerandæ memoriæ Landfranci Patris nostri usi fueritis usque ad introitum mei. Unde etiam videor mihi videre eò magis ipsis qui vos infestare solebant, adversum vos, me abeunte, sævituros, quò à dominatu quo vos opprimebant, vident se in præsentia mei dejectos. Sed vos non estis rudes aut hebetes in schola Domini, ut qualiter in hujusmodi, si ingruerint, debeatis vos habere opus habeatis doceri. Paucis tamen suggero, ut quia Deo militaturi in conseptum hujus Monasterij conveniistis, præ oculis semper habeatis, quemadmodum militetis. Non enim omnes uno modo militant. Quod etiam in terrenorum Curiis Principum videre planum est. Est etenim Princeps diversi ordinis in sua Curia milites habens. Habet namque qui pro terris quas de se tenent, servitio suo invigilant; habet qui pro stipendiis in militaribus armis sibi desudant; habet etiam qui pro recuperanda hæreditate, quam in culpa parentum suorum se perdidisse deplorant, invicta mentis virtute voluntati suæ parére laborant. Hi ergo qui pro terris quas possident serviunt, jam radicati sunt, & fundati, nec evelli formidant, dum se in Domini sui voluntate conservant. At hi, qui pro stipendiis in militiam sese dederunt, nonnunquam fatigati laboribus, à militia quam aggressi sunt, segniter cadunt; dum forte magnitudini exercitii atque laboris magnitudo, sicut ipsi existimant, non æquatur impendii ac retributionis. Qui vero recuperandæ causa hæreditatis serviendi conditionem arripuere, quamvis nunc istis, nunc illis laborum generibus opprimantur, nunc his vel illis contumeliis afficiantur, æquanimiter omnia sustinent, si firmum recuperandæ hæreditatis suæ amorem certæ spei gratia tenent. Hæc fieri inter homines liquet; & hinc quid in Curia Principis omnium fiat, reipsa monstrante, advertere libet. Deus enim, cuius sunt omnia quæ sunt, in his tribus generibus distinctam ad sui obsequium Curiam habet. Habet quippe Angelos, qui æterna beatitudine stabiliti sibi ministrant. Habet etiam homines sibi pro terre-

nis

* Al. discessurus.

(*a*) *Adunatos monachos*) Archiepiscopus Cantuariensis erat simul Abbas Monasterii Cathedralis, ut ex Epistolis S. Anselmi lib. 3. speciatim ex epist. 29. constat. Lege etiam lib. 1. Hist. Novor.

nis commodis, quasi milites stipendiarios, servientes. Habet quoque nonnullos, qui die noctuque suæ voluntati inhærentes, ad regnum Cœlorum, quod in patris sui Adæ culpa perdiderunt, hæriditario jure pervenire contendunt. Sed nobis ad beatorum spirituum societatem magis est suspirandum, quàm de eorum procinctu, quo Deo peremniter astant, in præsenti disputandum. Ad solidarios Dei milites verba vertamus. Videatis quàm plurimos in sæculari vita degentes, Deum in his quæ possident specie tenus diligentes, & ejus per quædam bona opera, quæ faciunt, famulatui insistentes. Supervenit his Dei judicio tentatio aliqua, perdunt sua. Quid dicam? Mutata protinus mente, volant ab amore Dei, deserunt bona quæ faciebant, murmurant, injustitiæ Deum accusant. Quid de istis dicendum? Solidarii sunt, & impletur in illis quod dicit Psalmus: *Confitebitur tibi, cùm benefeceris ei.* Hoc de sæcularibus dictum. Sed nos monachi utinam tales essemus, ut horum similes non essemus. Nam qui in propositi sui norma, quam professi sunt, stare recusant, nisi cuncta quæ sibi ad votum sunt, copiosius habeant, nec hinc propter Deum cujuslibet rei penuriam, nec hinc regulæ disciplinam pati volunt, quibus, obsecro, rationibus juvantur, ne horum similes habeantur? In omni quippe opere suo prius mercedem exigunt, quàm cui merces debetur ministerii munus exolvant. Et hi tales Regni Cœlestis hæredes erunt? Fidenter dico, nequaquam; si non pœnituerint, se tales fuisse.

70 Qui vero ad recuperandum vitæ regnum, obsequii sui dirigit intentionem, Deo per omnia inhærere, & totam fiduciam suam inflexibili mentis statu in eum defigere nititur, nulla hunc adversitas Dei servitio detrahit, nulla transeuntis vitæ voluptas ab ejus amore compescit. Per dura, & aspera viam mandatorum illius incedit, & ex spe retributionis futuræ cor suum indificientis caritatis ardore succendit, ac sic in cunctis vera patientiâ fretus, cum Psalmista lætus canit: *Magna est gloria Domini.* Quam gloriam sic in hac peregrinatione positus, gustat, gustando ruminat, ruminando desiderat, desiderando à longe salutat, ut ad illam spe perveniendi subnixus, ea se in mundana pericula consoletur, & alacriter cantet: *Magna est gloria Domini.* Et sciatis quod hic ipsa gloriâ Domini nullo modo defraudabitur, quoniam totum quod in eo viget, voluntati Domini famulatur, atque ad hanc obtinendam dirigitur. Sed, ò, jam ab istis inter vos mihi cessandum video, Fratres mei, obsecro vos, si hic dolentes nunc ab invicem separamur, tendite ut in futuro ante Deum læti ad invicem conjungamur. Estote illi, qui veraciter velitis effici hæredes Dei. His dictis erumpentes ab ejus oculis lacrymæ, cum plura loqui prohibuere. Gemitum Fratrum qui subsecutus est, quis enarrabit? Ita fletus implevit omnia, ut vox nulli superesset ad verba. Tandem Pater medios rumpens singultus ait: Charissimi mei, scitis quod vos esse, & quo vos tendere cupiam. Sed hora hæc plura loqui vetat. Deo omnipotenti, & beatissimo Apostolorum Principi Petro vos commendo, ut & ipse Deus inter suas oves vos agnoscat, & beatus Petrus in sui tuitionem sicut oves Dei sibi commendatas, vos suscipiat. Ego vestra licentiâ, & benedictione vado, ac ut Deus paucis ac dilectionis vobiscum maneat oro. Post hæc surrexit, & dato pacis osculo cunctis, in Oratorium ivit, populo sanctum ejus alloquium præstolanti pro instantis qualitate negotii verbum consolationis, & exhortationis ministraturus. Quod ubi excellenter peregit, astante Monachorum, Clericorum, ac numerosa populorum multitudine, peram,

ram, & baculum, peregrinantium more, coram altari ſuscepit, commendatisque omnibus Chriſto, ingenti fletu, & ejulatu proſecutus, egreſſus eſt.

* Douvres. 71 Ipſo die ad portum * Doſras ivimus, ibique Clericum quemdam Willielmum nomine à Rege ad Anſelmum directum reperimus. Detenti autem ibi quindecim diebus ſumus, vento nobis tranſitum prohibente. In qua mora idem Willielmus cum Patre intrans, & exiens, & in menſa illius quotidie comedens, nulli, propter quam rem miſſus fuerat, denudare volebat. Die vero quintodecimo cùm nos nautæ urgérent naves petere, & nos tranſire avidi ad hoc fatigaremur, ecce videres rem miſerandam, Patrem patriæ, Primatem totius Britanniæ Willielmus ille, quaſi fugitivum, & alicujus criminis reum in littore detinet, ac ne mare transeat ex parte Domini ſui jubet, donec omnia quæ ſecum ferebat, ſingulatim ſibi revelet. Allatæ igitur ante illum Bulgiæ, & Manticæ reſeratæ ſunt, tota ſuppellex illius ſpe pecuniæ reperiendæ ſubverſa atque exquita eſt, ingenti plebis multitudine circunſtante, ac nefarium opus pro ſui novitate admirando ſpectante, & ſpectando execrante. Rebus ergo everſis, ſed nihil horum, quorum cauſa everſæ ſunt, in eis reperto, deluſa ſolicitudo perſcrutantis eſt, & Anſelmus cum ſuis abire permiſſus.

72 Itaque navem ingredimur, ventis vela panduntur; & aliquanto maris ſpacio promovemur, cùm ſubitò nautæ primò inter ſe ſubmurmurantes, ac deinde manifesta voce murmur ipsum depromentes, affirmant nullo penitus conatu, nullo numeroſorum remorum impulſu, eo quo ferebamur vento, Vuitſandis pertingendum, imò ſi marinis fluctibus pariter involvi nollemus, ſine mora remeandum. Ingemuit Anſelmus ad iſta & ait: Si omnipotentis Dei judicio placet me magis redire ad priſtinas miſerias, quàm liberatum ab illis tendere ad id quod ipſe novit me animo propoſuiſſe, ipſe videat, ipſe diſponet; ego voluntati ejus obſequi paratus ſum, nec enim meus ſed ipſius ſum: dixit, & ſuffuſis in lacrymas oculis ejus, concuſisque in gemitum cordibus noſtris, qui hæc audiebamus ac videbamus, illicò ventus ex alio latere ſurgens in velum percuſsit, & nautas jam velo reflexo terram petentes, ad priorem cursum reverti coegit. Nos igitur non modicum exhilarati, & in brevi prosperrime marinis fluctibus evecti, Vuitſandis pro voto appulimus.

73 Egredientibus autem nobis de navi, hi quorum navis erat, retinentes Domnum Balduinum, quem proviſorem, ordinatorem rerum Anſelmi ſupra diximus, oſtenderunt ei mirabile quiddam quod acciderat. In fundo etenim navis, quæ virum per undas transvexerat, fractura unius tabulæ foramen unum, ferme duorum ſpacio pedum magnitudinis habens, effecerat, quod fluitanti elemento latum demonſtrabat, ſed nullum omnino, quandiu Anſelmus in ea fuerat, reserabat introitum. Quæ res ſi admirationem ſese intuentis intulit, non puto mirandum. Tunc Balduinus summo ſtudio cunctis rem celare præcepit, & ea res per id temporis non multis innotuit. Ego tamen, cum inde quædam perſenſiſſem, ac poſt longum tempus, dum iſtis quæ in manu habemus, ſcribendis animum applicuiſſem, nihilque unde mihi vel levis dubitatio inesſe poterat, deſcribere voluiſſem, interrogavi eundem virum de negotio, & veritatem magnopere ſciscitatus ſum. Qui interpoſita veritatis aſſertione, qua ſervus Dei ac verus monachus inniti debet, confeſſus eſt rem ex toto ſicut eam retuli factam; nec quicquam in ea confictum.

NOTA EDmeri veracitatem.

74 Anſelmus itaque extra An-

Angliam positus, in eo magnificè lætatus est, & multiplices Deo gratias egit, quod se quasi immanem Babylonis fornacem evasisse, & culmen quodammodo placidæ quietis contigisse videbat. Wilhelmus autem Rex, audito Anselmum transfretasse, confestim præcepit cuncta, quæ illius juris fuerant, in suum transcribi dominium, & irrita fieri omnia, quæ per ipsum statuta fuisse probari poterant, ex quo venerat in Archiepiscopatum. Quas itaque tribulationes Ecclesia Christi passa sit intus & extra, cogitatu nedum dictu percipere difficile esse pronuntio.

75 Igitur Anselmus à Vuitsandis mane discedens, & post dies ad sanctum (*a*) Bertinum veniens, magna plebis, Clericorum ac Monachorum alacritate susceptus est, & per quinque dies detentus. Interea rogatu Canonicorum altare unum apud sanctum Audomarum consecravit. Quo facto venerunt ad eum honorati quidam de indigenis virum flexis genibus obsecrantes, filios eorum per impositionem manus suæ sacri chrismatis unctione signaret. Ad quod mox ita respondit : Et hos pro quibus petitis libens in hac causa suscipiam, & alios hoc sacramento egentes, si præsto fuerint, non abjiciam. Qua illi facilitate responsi benignitatem viri admirantes magnificè lætati sunt, & gratias egerunt, confirmatisque pueris suis, illico totam Urbem his quæ ab ejus ore acceperant impleverunt. Videres ergo viros ac mulieres magnos ac parvos, è domibus ruere, certatimque currendo ad hospitium prædicti gratia sacramenti properare. Plures siquidem anni jam apud eos transierant, in quibus nullus Episcoporum illic fuerat tali officio passus ocupari.

76 Sexto demum die, cum jam innumeram multitudinem confirmasset, & nos à loco discessuros longum iter ipsius diei quod instabat festinare compelleret, ecce puella quædam domum, de qua equos ascensuri egrediebamur, introivit, flebili pietatis affectu se confirmari deposcens. Quod quidam ex sociis nostris audientes nimis molestè tulerunt; & verba illius, utpote qui jam talium erant tædio affecti, contradicendo depresserunt. Quid plura ? Virum precibus puellæ assensum præbere volentem, ipsi objecta longitudine diurnæ viæ, objectis periculis quæ nocturnos viatores in peregrina quàm maxime patria comprehendere solent, objecto quoque quàm plures ob idipsum pro foribus attentos stare, paratosque irrumpere, si & soli acquiesceret, detinuerunt, & ne voci ipsius auditum præberet, obtinuerunt. Sed ubi aliquantum processimus, venit Patri in mentem quibus acquieverit, quid egerit. Illicò nimiæ impietatis seipsum arguens, tantum exinde concepit in corde dolorem, ut quandiu vitæ præsenti superfuit, pœnitudo ipsius facti, ut sæpe fatebatur, ab animo ejus non recesserit. Nobis dehinc cœptum iter de die in diem accelerantibus, fama viri multo celerius præcurrebat, & multiplici populos voce replebat. Unde turbarum concursus, Clericorum cœtus, Monachorum exercitus ei, quocunque veniebat, occurrunt, isti gaudio, & exultatione concrepantes, illi vexillis, & sonoris concentibus Deo pro illius adventu conjubilantes.

77 Cùm autem Lugdunum veniisset, & ab Archiepiscopo civita-

(*a*) *Ad Sanctum Bertinum veniens*) Monasterium scilicet S. Bertini, Sithiense quoque appellatum, fundatum à Sancto Audomaro anno 647. quod adhuc nostris temporibus sub regula S. Benedicti perstat, quoque nullum illustrius in toto Belgio, nomenque dedit urbi, nunc Episcopali, S. Audomari, vulgò, *Saint Omer*. S. Audomarus fuit Episcop. Tervanensis, & Apostolus Morinorum.

tatis ipſius glorioſe ſuſceptus fuiſſet, poſt dies paucos miſsis litteris conſilium à Domino Papa de negotio ſuo quæſivit, & quia partim imbecillitate ſui corporis, partim aliis pluribus cauſis præpeditus, ultra Lugdunum progredi nequaquam poſſet, ei ſuggeſsit. Ita ergo Lugduni reſedit, reditum nuntiorum ſuorum ibi expectans. Poſt tempus Romà nuntii redeunt, & quoniam omni ſublata excuſatione eum ad ſe Papa properare præceperit, referunt. Ille neſcius moræ pontificalibus juſsis obaudit, viæ ſe periculis, (*a*) mortem pro Deo non veritus, tradit. Hinc Secuſiam venimus, & nos Abbati loci præſentavimus. Eramus quippe Monachi tres, Dominus videlicet, & Pater Anselmus, Domnus Balduinus, & Ego qui hæc ſcribo Frater Eadmerus. Qui ita ibamus quaſi pares eſſemus, nullo indicio quis cui præſtaret coram aliis oſtendentes. Ab Abbate igitur qui vel unde eſſemus interrogati, paucis respondimus. Et audito quosdam ex nobis Beccenſis Cœnobii monachos eſſe, ſciſcitatus eſt: Fratres, obſecro vos, vivit ille adhuc, ille Dei, & omnium bonorum amicus Anſelmus, ſcilicet Cœnobii ipſius Abbas, vir in omni religione probatus & acceptus? Balduinus ad hæc: Ille, ait, ad Archiepiscopatum in aliud Regnum raptus eſt. At ille, audivi. Sed nunc, quæſo, qualiter eſt? Valet? Equidem ex eo tempore, ait, quo functus eſt Pontificatu, non vidi eum Becci: dicitur tamen bene valere, ubi eſt. Tunc Abbas: Et ut valeat oro. Hæc de ſe Anſelmus dici audiens, confeſtim tecto (*b*) Cucullæ ſuæ capitio capite, demiſſo vultu ſedebat. Nolebamus enim agnoſci, ne forte præcurrente fama de adventu tanti viri cuivis periculo noſtra incuria fieremus obnoxi. Celebratis dehinc in Cœnobio Sancti Michaelis Archangeli, quod in monte ſitum Cluſa vocatur, Paſsionis ac Reſurrectionis Dominicæ ſolemniis, in iter re-

(*a*) *Mortem pro Deo non veritus*) Pro cognitione cauſarum hujusce timoris adjicere juvat quæ in lib. 2. Hiſt. Novor. ipſe tradit Eadmerus. Inter hæc, ait, Romam usque divulgatum eſt Archiepiscopum Cantuariæ Primatem Britanniæ multo auri, & argenti pondere onuſtum mare tranſiſſe, Romam pergere. Accenſi ergo nonnulli cupiditate non bona, viam obſervant, exploratores ponunt, laqueos parant, ut eum capiant. His tamen quàm maxime homines Alemannici Regis intendebant, ob diſſenſionem quæ fuerat illis diebus inter Papam, & ipſum. Superaverat quoque ea tempeſtate Uvibertus Archiepiscopus Ravennas, qui de Apostolatu quem contra jus invaſerat pulſus, omni Religioſæ perſonæ Romam petenti, per ſe ſuosque modis qualibus poterat, ſtruebat inſidias. Unde quidàm Episcopi, Monachi, & Religioſi Clerici ea ſæviente petſecutione capti, ſpoliati, multisque contumeliis affecti, necati ſunt.....

„ Et poſt aliqua narrat iſta Monachis notanda. Discedentes igitur, ait, à Lugduno tertia feria, quæ ante Dominicam diem Palmarum erat, venimus in ſubſequenti ſabbato ad villam quamdam quæ Aſpera dicitur, in qua cùm hospitati atque refecti fuiſſemus, viſum Patri eſt decentius inter Monachos qui in eadem villa cohabitabant, quàm inter villanos nocte illa nos conversari, tum propter Religionem Monachici Ordinis, tum propter officium imminentis noctis atque diei. De re itaque mandatum Monachis eſt; & alacres aſſenſerunt, &c.

(*b*) *Tecto cucullæ suæ capitio capite*) Utebatur etiam factus Archiepiscopus S. Anſelmus habitu monachali, tum quia ſimul erat Abbas Monachorum, qui ut ſupra vidimus, ſuæ Eccleſiæ Cathedrali, & Primatiali inſedebant, tum etiam quia id præceperat univerſim Episcopis ex monachatu aſſumptis Octava Synodus generalis, Conſtantinopoli anno 869. celebrata, poſtremo canone decernens, ut ii qui ex monaſtica vita ad Episcopalem honorem promoti fuerint, *ſchema, & amictum monachicorum indumentorum, & ipsam beatam vitam conservent*; & nullus ex eis hæc abjiciat, *ne per hoc inveniatur propriorum transgressor pactorum.*

reversi Romam festinabimus. Mirum dictu. Pauci atque ignoti per loca peregrina ibamus, neminem agnoscentes, nemini qui vel unde essemus innotescentes, & ecce solus Anselmi aspectus in admirationem sui populos excitabat, eumque esse virum vitæ designabat. Unde cum jam hospitati etiam inter eos, quorum insidias metuebamus, fuissemus; nonnunquam viri cum mulieribus hospitium intrare, & ut hominem videre ejusque mererentur benedictione potiri obnixe precabantur.

78 Tali ergo vulgi favore Romam usque prosecutus, Lateranis, ubi tunc temporis Summus Pontifex morabatur, advenit. Nunciatur Pontifici Patris adventus, & ovans jubet illum in parte ipsius sui palatii hospitari, & die illo indulgere quieti. Mane confluit ad Papam Romana nobilitas, & de novi hospitis adventu sermo conseritur. Adducitur cum reverentia vir in medium, & in qua coram Papa decenter sedeat, sella profertur. Ingressus humiliat se pro more ad pedes Summi Pontificis, sed statim ab ipso erigitur ad osculum ejus. Sedet ac pro adventu illius lætari se Apostolicus cum Romana curia dicit, acclamat Curia dicto. Postea silentio facto, multa in laudem hominis Papa locutus est: virum illum virtutis ac totius religionis esse contestans. Et quidem, inquit, ita est: cumque illum utpote hominem cunctis liberalium artium disciplinis innutritum pro magistro teneamus, & quasi comparem, vel ut alterius orbis Apostolicum, & Patriarcham jure venerandum censeamus; ita tamen excellens menti ejus humilitatis constantia præsidet, ut nec marinis periculis, nec longissimis peregrinæ terræ spaciis teneri potuerit, quin vestigiis beati Petri pro nostræ parvitatis ministerio se præsentare, nosque magis illius, quàm illum nostro egentem consilio, super causis suis consulendos adire studuerit. Quapropter considerate quo amore, quo honore suscipiendus sit, & amplectendus. Hæc cùm Anselmus de se, & multo his plura pro sui laude dici audiret, sicut ipsemet sæpe fateri solebat, non parum erubuit, quoniam se talem apud se, qualis à tanto viro prædicabatur, minime cognovit. Verumtamen erat inter verba tacens, decentius fore perpendens ad ejusmodi silere quàm loqui. Post hæc de sui adventus causa percunctatus à Papa, eo sibi modo narravit eam, quo veritatis ac discretionis ratio poposcit. Ille ad audita miratur, & subventionem plenam pollicetur. Præcepit itaque ut subventionis ipsius effectum circa se Anselmus præstolaretur.

79 Verùm quia calor æstatis in partibus illis cuncta urebat, & habitatio urbis nimium insalubris, sed præcipue peregrinis hominibus erat, Johannes (*a*) quidam nomine, olim

O

(*a*) *Johannes quidam*) In libro 2. Hist. Nov. hoc modo hoc idem Eadmerus refert. „ Præerat eo tempore Abbas quidam, Johannes nomine Cœnobio Salvatoris quod „ prope Telesinam urbem situm est. Qui Johannes, Romanus genere, discendarum „ studio litterarum jam olim Franciam venerat, ibique fama permotus Anselmi qui „ tunc Becci Abbas erat, eum religioso proposito fervens adiit, eoque audito, Bec- „ ci Monachus factus est. Quod ubi post aliquot annos ad aures Summi Pontificis „ Urbani pervenit, Johannem ipsum ad se accersitum præfati Cœnobii Abbatem „ fecit. Hic itaque agnito Patrem suum Anselmum Romam venisse, missis Nun- „ ciis omni studio deprecatus est, quatenus ad se veniret, atque in sua quadam „ mansione, cui salubris aura favebat, ad evitandas Romanæ Urbis ægritudines ins- „ tanti dignaretur æstate conversari. Quibus ille auditis, supernæ pietati ac fraternæ „ solicitudini gratias egit, summoque Pontifici relatas preces innotuit. *At ille, O,* „ *inquit, Divinæ miserationis prædestinatio! Vere etenim præmissit Deus Jo-*

seph

olim monachus Becci, tunc autem Abbas Cœnobii Sancti Salvatoris prope Teleſim, annuente Papa, ſuſcepit eum ut proprium patrem in ſua, & duxit in ſuam Villam Schlaviam nomine, quæ in montis vertice ſita, ſano jugiter aere atque tepenti, converſantibus illic habilis extat. Igitur habitatio noſtra in montis erat ſummitate locata, à turbarum tumultu inſtar ſolitudinis vacua. Quod Anſelmus advertens, ex ſpe futuræ quietis exhilaratus ait: Hæc requies mea, hic habitabo. Ad primum igitur converſationis ordinem (quem antequam Abbas eſſet, habebat, quemque ſe in Pontificatu poſitum maxime perdidiſſe deflebat) vitam inſtituit, ſanctis operibus, divinæ contemplationi, myſticarum rerum enodationi die nocteque mentem intendens. Unde Chriſtianæ fidei amore permotus, inſigne volumen edidit, quod *cur Deus homo titulavit.* Quod opus, ſicut in Prologo ejus ipſe teſtatur, in Anglia cœpit, ſed hic in Capuana videlicet provincia conſtitutus abſolvit.

80 Inter hæc, omnia ſeſe omnibus fecit, cunctis pro poſſe ſubveniens; cunctos qui ſe audire volebant, non conſiderata alicujus perſona, ad ſuum colloquium admittens, & ſingulis pro qualitate motæ quæſtionis benigna affabilitate, atque affabili benignitate ſatisfaciens. Quapropter fama illius in brevi circum circa percrebuit, & in dilectionem atque venerationem ejus cunctorum corda convertit. Quicumque igitur eum videre, ejuſque potuit benedictionem habere, beatum ſe proprii cenſura judicii æxtimavit. Monachus etiam qui Villæ ipſius pro Abbatis imperio cuſtos erat, quique nobis more boni hoſpitis in nonnullis miniſtrabat, conſiderans vitam, & actus Patris, concepit apud ſe ſpem boni magni, & gratiam Dei in eo vigere, crediditque quòd Deus multa libens faceret ob merita ejus: homines autem Villæ multas incommoditates quotidie patiebantur pro penuria aquæ. In devexo tamen latere montis puteus unus nimiæ profunditatis habebatur; ſed ita ſingulis diebus exhauriebatur, ut ab hora diei nona nulla, quæ extrahi poſſet, in illo aqua uſque mane reperiretur. Quo incommodo Frater ille ſuventum iri deſiderans, rem Anſelmo conquerentis more innotuit, & ſuæ voluntati ineſſe ſubjunxit puteum in ipſo quo habitamus loco facere, ſi forte Deus ſua pietate dignaretur hoc incommodum propulſare. Laudat Anſelmus piam Fratris voluntatem, & rem tentare ſuadet. Lætatur ille ad hæc, & rogat quatenus ipſe locum inſpiciat, ac præmiſſa prece cum benedictione ſua primus terram aperiat. Adquieſcit ille precanti, & nollens offendere voluntatem hoſpitis ſui. Quid dicam? Cernebatur miræ celſitudinis rupes, & quaſi dementia videbatur in tali loco velle fontem aquæ

„ *ſeph in Ægyptum ante Jacob patrem ſuum. Quapropter licet omnia quæ habeo,* „ *tuis utpote viri propter juſtitiam necne beati Petri fidelitatem exulantis pro-* „ *posuerim neceſſitatibus ſervitura; tamen quia urbis iſtius aer multis, & ma-* „ *xime peregrinæ regionis hominibus nimis eſt inſalubris, laudo ut eas quò vo-* „ *caris, ne quod ſuperna dignatio tibi providit, negligere videaris.* Acquiescit „ Anſelmus dicto Pontificis, & expectaturus quid Rex Angliæ respondeat litteris Pa- „ pæ ac ſuis, partes, ad quas invitabatur, petiit. Occurritur ei cum lætitia, & honore in omni loco ad quem ingreditur, & certatim ad miniſtrandum illi quique parantur. Ubi vero loco ad quem ibat, apropinquavit; adjuncta ſecum Fratrum caterva Johannes obviam vadit, & Patrem ſuum more boni filii magna cum reverentia, & exultatione ſuſceptum Monaſterio introducit. Exinde quoniam calor ibi cuncta torrebat, ducit eum in villam ſuam, Sclaviam nomine, quæ in montis altitudine ſita ſano jugiter aere converſantibus illic habilis extat.

aquæ inveſtigare. Vadit tamen Anſelmus nobis comitatus ad locum,& ſupplici prece præmiſſa, hoc eſt, ut abundantiam jugis atque ſalubris aquæ Deus inibi largiretur, tertio feriens terram aperuit, & reliquo operi dari operam juſsit. Perpauci dies incepti operis tranſierant, & ecce fons vivus é duritia rupis erumpens, ingenti cunctos ſtupore percuſsit. Nec mirum. Aqua enim, quam ſe magiſter operis nec in plurimis diebus reperturum putabat, non mirum ſi ſtuporem incuſerit brevi reperta. Perfectus itaque puteus eſt modicæ quidem profunditatis extans, ſed limpidiſsimæ atque ſalubris aquæ jugi fonte redundans. Quæ res illico divulgata non parvæ admirationi fuit, & eam viri meritis omnis qui audivit, adscripſit. Itaque puteus Cantuarienſis Archiepiscopi uſque hodie ab incolis ipſius terræ vocatur. Ferunt autem hi, qui ad nos inde ſæpe venerunt, quia multi diverſis languoribus ac febribus tenti, ſumpta in potum eadem aqua, priſtinæ ſanitati mox reſtituuntur.

81 His diebus Rogerius dux Apuliæ civitatem Capuam obsederat. Qui fama viri permotus, mittens rogavit eum venire ad ſe: ascendimus, ibimus, & plures in obſidione dies exegimus, remoti in tentoriis à frequentia, & tumultu perſtrepentis exercitus. Erat autem ubi eramus quædam Eccleſiola penitus deserta, & juxta oſtium ciſterna deſuper diruta, magnæ profunditatis hiatum ſua diruptione prætendens. In qua Eccleſia velut in camera pro velle conversabamur, tam quieti quàm operi in ea indulgentes, & Ducem ipsum cum ſuis nobiscum ſingulis diebus ad quæ volebamus, in promptu habentes. Quadam vero nocte cum in ea dormiremus, contigit Anselmum ſui corporis neceſsitate ſilentio ſurgere, & ne inquietaremur ſuo more lento pede ad oſtium tendere. Quod cum exiſſet, & immemor foveæ per tenebras in partem divertiſſet, in profundum cecidit, clamosa voce cadendo dicens: *Sancta Maria.* Ad quem ſonitum nos ac ſocii noſtri, qui in tentoriis quiescebant, expergefacti, de lectis proſilivimus, accurrentes hominem in profundo vidimus, & præ timore ſimul, & anguſtia cordis exanimati fere ſumus. Quod ipse percipiens, mox levato capite, comi vultu, jucundo intuitu nobis innuit nihil læſionis ſese perpeſſum. Descendentes igitur quidam ex noſtris ex altera parte ipſius præcipitii, quà via erat descendendi, eduxerunt eum à loco ſanum omnino atque incolumen. Cum poſt hæc Sedis Apoſtolicæ Pontifex Urbanus illò adventaret, & ei ab Anselmo, & Principibus totius exercitus obviam itum eſſet, ingentis mundialis gloriæ pompa proſecutus, ductus eſt in tentorium quod juxta nos ſibi erat ceteris excellentius conſtitutum. Sicque donec civitas in deditionem tranſiit, obſidio illius Dominum Papam, & Anselmum vicinos habuit, ita ut familia utrorumque magis videretur una quám duæ, nec facile quivis declinaret ad Papam, qui non diverteret ad Anselmum. Papa namque colebatur à cunctis, quemadmodum pater, & paſtor communis: Anselmus vero diligebatur ab omnibus, ſicut homo mansuetus, & mitis, & cui ſuo judicio nihil debebatur à quovis. In Papa denique ſupereminens vigebat cum dignitatis auctoritate poteſtas: in Anselmo mira, & quæ cunctos demulcebat, pura cum ſimplicitate humilitas. Multi ergo quos timor prohibebat ad Papam accedere, feſtinabant ad Anselmum venire, amore ducti qui nescit timere. Majeſtas, etenim Papæ ſolos admittebat divites, humanitas Anselmi ſine personarum acceptione ſuscipiebat omnes. Et quos omnes? Paganos etiam, ut de Christianis taceam. Siquidem nonnulli talium

lium (nam eorum multa millia in ipsam expeditionem secum adduxerat homo Ducis Rogerus, Comes de Sicilia) nonnulli, inquam, talium fama bonitatis ejus inter suos exciti, mansionem nostram frequentabant, & sumptis ab Anselmo corporalibus cibis, gratiosi revertebantur, admirandam viri benignitatem suis prædicantes, quam experiebantur. Unde in tanta deinceps veneratione etiam apud eos habitus est, ut cum per castra illorum, quæ in unum locata erant, transiremus, ingens multitudo eorum, elevatis ad Cœlum manibus ei prospera imprecarentur, & osculatis pro ritu suo manibus propriis, necne coram eo genibus flexis, pro sua in eos benigna largitate grates agendo venerarentur. Quorum etiam plurimi, velut comperimus, se libenter ejus doctrinæ instruendos submisissent, ac Christianæ fidei jugo sua per eum colla injeciissent, si crudelitatem Comitis sui per hoc in se sævituram non formidassent. Nam revera nullum eorum pati volebat Christianum impune fieri. Quod qua industria, ut ita dicam, faciebat, nihil mea interest; viderit Deus, & ipse.

80 Dehinc soluta obsidione, Anselmus multa prece (a) Papam ad hoc flectere conatus est, quate-

(a) *Papam ad hoc flectere conatus est, &c.*) causam hujus petitionis tradit idem Eadmerus lib. 2. Hist. Nov. per hæc verba: Considerans itaque Anselmus apud se quantam mentis inquietudinem, & perturbationem fuerit passus in Anglia, & quomodo nullus, exceptis aliquibus Monachis, eum gratia fructificandi Deo audire voluerit, quantaque mentis tranquillitate potitus, & quàm fructuoso studio sit à cunctis auditus postquam exivit de Anglia, omni desiderio fervebat curam Angliæ cum Pontificatu deserere, & eis perpetim abrenunciare. Huic quoque desiderio non parum roboris impendebat, quod omnium dubietate sublata videbat impossibile fore suos, & VVillelmi Regis mores in unum amplius concordare..... Postulaturus itaque à Summo Pontifice ipsius vinculi, quo se nimis astringi gemebat, relaxationem, eum addiit, ei sui cordis anxietatem innotuit, misereri sibi poposcit, ideſt, ut ab onere Curæ Pastoralis, quod importabile sibi, quia infructuosum videbat, se relevaret, obnixe rogavit. Audit Papa quod ille postulat, & illico miratus exclamat. O Episcopum! O Pastorem! Nondum cædes, nondum vulnera perpessus es; & jam Dominici curam ovilis subterfugere quæris? Christus in Cura ovium suarum probat Petri amorem erga se: & Anselmus, Anselmus, inquam, ille sanctus, ille talis ac tantus vir, solummodo quiescere volens, oves Christi, & ante pugnam, luporum morsibus dilaniandas non veretur exponere? Ah, quid dicam? Quo amore sperat Domino copulari, qui hoc fugit quod ipse Dominus se teste probatur amari? absint hæc à te, absint à tua Religione, dilectissime Frater Anselme. Potius ne me in istis ulterius inquietes, scias quod non solùm non concedo tibi facere quod petis, immo ex parte Dei omnipotentis vice Beatissimi Petri Apostolorum Principis tibi per sanctam obedientiam præcipio quatenus Curam Anglici Regni tibi commendatam, quandiu retinere, ut hactenus, poteris, non abjicias. Quod si propter tyrannidem Principis, qui nunc ibi dominatur, in terram illam redire non permitteris; jure tamen Christianitatis semper illius Archiepiscopus esto, potestatem ligandi atque solvendi super eam, dum vixeris, obtinens: Et insignib. Pontificalibus more summi Pontificis utens, ubicumque fueris. Ad hæc ille: Obedientiam, Pater, non abjicio; sed si non displicet, quid animo geram paucis suggeram. Credat, si placet, excellentia vestra, quoniam si cædes, si vulnera, si mors ipsa mihi pro tutela, & defensione ovium Christi intenderetur, spero non aufugerem, si me conscientia mea non fallit. At nunc ut de Rege ipso, qui me, sicut notum est, de regno suo expulit, taceam; ipsi quos oves, & Episcopi quos adjutores habere debebam, & qui mihi obedientiam professi sunt, omnes in commune ad hoc me ducere conabantur, quatenus sub obtentu justitiæ contra justitiam facerem, ideſt, obedientiæ Beati Petri abrenunciarem; ne fidem quam debebam Regi terreno violarem. Quibus dum niterer persuadere, me utrumque horum, altero inviolato, posse servare (quando-

qui-

tenus ab onere Ponticali eum abſolveret, & quiete liberum vacare concederet. Verum cùm, in quantum quidem ad effectum ſpectabat, in nihilum laboraſſet; fretus benedictione ejus, Schlaviam reverſus eſt, operiens ibi tempus Concilii, quod idem Papa apud Barum Kalend. Octob. erat celebraturus. Cui Concilio dum Anſelmus ſe præſentaſſet, & perſuaſus à Papa Græcos in Proceſsione Spiritus Sancti, utpote quem à Patre, non à Filio procedere aſtruebant, errantes, rationabili atque Catholica disputatione confutaſſet: magni apud omnes habitus eſt, & veneratione digniſsimus comprobatus.

83 Finito Concilio, Romam cum Apoſtolico profecti ſumus. Tranſactis autem aliquibus diebus, venit Romam Wilhelmus ille cujus in exitu Angliæ mentionem fecimus. Is inter alia hoc effecit apud Apoſtolicum, ut inducias Regi Angliæ daret

---

„ quidem Dominus juveat, *quæ Cæsaris Cæsari, & quæ Dei ſunt Deo reddi*) objicie-
„ bant hoc apud ſe in usu non haberi, nec velle de Domino ſuo hanc injuriam ſuſtinere
„ ut aliquis in Regno ejus cuilibet intenderet, niſi ei vel per eum. Et ego Pater,
„ inter tales quid facerem? Respondit: ratione duceris. Ego quoque ne de his atque
„ aliis tibi non jure illatis videar non curare, eaque gladio Sancti Petri nolle vin-
„ dicare, moneo quatenus Concilio, quod apud Barum ante Corpus Beati Nicolai,
„ Kalendis Octob. Celebrare conſtitui, præsentiam tuam exhibeas, ut quod de ipso
„ Rege Anglico, ſuisque ac ſuis ſimilibus, qui contra libertatem Eccleſiæ Dei ſe
„ erexerunt, mediante æquitatis censura, me facturum disposui, auditu visuque
„ percipias. De hinc ad habitaculum ſuum Schlaviam Anselmus revertitur, quietem,
„ & paupertatem oblatis divitiis anteponens.

„ Inſtante autem termino Concilii, ad Apoſtolicum reversus eſt; & cum eo
„ Barum usque profectus. In ipso vero Concilio, dum plurima de fide Catholica
„ Summus Pontifex facunda ratione rationabilique facundia diſſeruiſſet, mota eſt quæ-
„ dam quæſtio ex parte Græcorum Evangelica authoritate probare volentium, *Spi-*
„ *ritum Sanctum proceſsionem non habere niſi tantum à Patre.* Huic errori tum
„ multis argumentis, tum plurimis rationibuſ Papa contraire nisus, inter alia quid-
„ dam de Epiſtola ſibi olim ab Anselmo, *de Incarnatione Verbi*, edicta, & direc-
„ ta, exempli gratia intulit, quod ſuæ disputationi non parum claritatis, ac firmi-
„ tudinis attulit. Verum cum non nulla objicerentur, & redditæ rationes, quemad-
„ modum inſtabilibus mos eſt, disquiſitæ enucleatius exponi peterentur, imperatum
„ ſilentium primus ipse Pontifex rupit alta voce dicens: *Pater, & Magister An-*
„ *ſelme, Anglorum Archiepiscope, ubi es?* Sedebat enim idem Pater in ordine ce-
„ terorum inter primos Concilii Patres, & ego ad pedes ejus. Ubi ergo ſe requiri
„ audivit, ſurrexit continuó, & respondit: *Domine Pater, quid præcipitis? Ecce*
„ *me.* At ille: *Quid quæso facis? Cur in aliorum silentio degis? Veni, obsecro,*
„ *ascende usque ad nos, & pugnans pro Matre tua, & nostra, adjuva nos, cui*
„ *ſuam integritatem vides Græcos istos conari adimere; & nos in id ipsum nefas,*
„ *ſi facultas eis tribuitur, præcipitare. Succurre igitur quasi vere pro hoc à Deo*
„ *missus huc.* Videres itaque circa ſolium Papæ quosque perſtrepere, ſedes mutare,
„ locum ſedendi viro parare, & ſic demum honorificé levatum ad ſe prope Papam
„ collocare, Concilio ſtupente ad hæc, & percunctante quis eſſet aut unde. Tum
„ compreſſo tumultu, omnibus in commune viri ſanctitatem atque induſtriam Papa
„ exposuit; & quia propter juſtitiam multas persecutiones paſſus, atque injuria de
„ ſua ſit terra expulſus, reverenda voce innotuit. Cum igitur ad imperium ejus An-
„ selmus præſtó eſſet, motæ quæſtioni mox respondere, visum nonnullis eſt melius
„ fore in craſtinum rem differri, quo liberioribus animis dicenda expeditius propo-
„ nerentur. In craſtino itaque maturius Conventu dispoſito, Anselmus ex condicto
„ debitum ſolvere poſtulatus eſt. Surrexit ergo, & coram univerſis in edito ſtans,
„ ſic de negotio, regente cor, & linguam ejus Spiritu Sancto, tractavit, diſſeruit,
„ absolvit, ut in ipso Conventu nemo exiſteret, qui non inde ſibi ſatisfactum con-
„ sentiret. Sed quibus hoc argumentis, quibus rationibus, quibusve divinæ Scripturæ
„ auctoritatibus, & exemplis, ſcribere ſupersedemus, eo quòd ipsemet Anselmus
„ poſtmodum inde diligentius atque ſubtilius tractans, egregium opus ſcripſit; id-

ret de cauſa Anſelmi usque ad feſtum Sancti Michaelis Archangeli. Quod Anselmus agnoscens, illicò Lugdunum redire volebat: ſed prohibitus à Papa eſt propter Concilium, quod ſe tertia hebdomada Paschæ Romæ habiturum ſtatuerat. Morati itaque ſumus Romæ ferme per dimidium annum, continue circa Papam degentes, & quaſi in commune viventes. Unde, & ipse Papa nonnumquam ad Anselmum veniebat, læte cum eo ſese agendo & curiam ei faciendo. Dedit ei quoque hospitium, in quo conversabamur eo jure, ut ſi aliquando Romam rediret, contra omnes homines illud ſibi vendicaret. Ipse in Conventu nobilium, in proceſsionibus, in ſtationibus, ſemper, & ubique à Papa ſecundus erat, præ cunctis honoratus, cunctis acceptus, & ipse omnibus ſimplici humilitate ſubmiſſus. Præterea Angli illis temporibus Romam venientes, pedes ejus ad inſtar pedum Romani Pontificis ſua oblatione honorare deſiderabant. Quibus ille nequaquam adquiescens, in ſecretiorem domus partem fugiebat, & eos pro tali re nullo patiebatur ad ſe pacto accedere. Quod ubi Papæ relatum eſt, admiratus in homine humilitatem, mundique contemptum, juſsit ſese in ſe tenere, & nullum benefacere ultra volentem prohibere, ſed omnes pro tali causa adventantes patienter admitere. At ille modeſta quadam verecundia actus, juſſa profecto poſtponeret, ſi non inobedientiæ nævo corrumpi timeret.

NOTA.

84 Quid referam nonnullos cives Urbis, quorum ingens multitudo propter fidelitatem Imperatoris ipſi Papæ erat infeſta, nonnumquam in unum conglobatos, Anselmum à Lateranis ad Sanctum Petrum euntem cum ſuis propter odium Papæ capere volentes, ſed mox viso vultu ejus territos, projectis armis terræ procumbere, & ſe illius benedictione deposcere inſigniri? Hi honores, & horum ſimiles vulgi favores illum ubique comitabantur, quia mores ſui in cunctis Deo famulabantur. Hinc etiam erat, quòd non facile à quoquam Romæ ſimpliciter homo vel Archiepiscopus, ſed quaſi proprio nomine Sanctus homo vocabatur. Quicumque igitur ei ſerviebamus, amori, & honori cunctis eramus. Cum vero ad præfatum Concilium ventum eſſet, & jam quæ recidenda recisa, & quæ ſtatuenda videbantur, ſtatuta fuiſsent, excomunicationis ſententiam, tam

„ que per multa terrarum loca, ubi ejusdem erroris fama pervenit, ab amicis „ ſuis rogatus direxit. Ergo ubi finem dicendi fecit, intendens in eum ſummus Pon„ tifex, ait: *Benedictum ſit cor, & ſensus tuus, & os & ſermo oris tui ſit bene„ dictus.* Hinc in laude viri demoratum eſt, & fides ejus atque prudentia divulgata „ atque magnificata; necnon eorum perfidia, ſi qui forent qui ea quæ de propoſita „ quæſtione docuit, ſuscipere, & credere nollent, exprobrata, ac perpetuo anathe„ mate percuſſa, atque poſtrata. Et poſtquam Eadmerus narravit Concilii Patres verba vertiſſe in Regem Angliæ, ſummumque Pontificem Urbanum vexationes ab ipso factas Sancto Anselmo, & Eccleſiis, monitionesque, & increpationes Pontificis ut corrigeretur, Urbanum Concilii Patres ſic interrogantem infert: *Ad hæc, Fratres, quid* ſentitis? Quid decernitis? Dixerunt: *Sententia plana eſt, & judicium evidens. Si enim semel, si secundo, ſi tertio vocasti, & renuit audire, renuit disciplinam accipere; restat ut gladio Sancti Petri sub anathematis ictu percussus, quod meruit, sentiat, donec à sua pravitate discedat.* Audiens hæc Anselmus, illicó ſur„ rexit, & flexis genibus coram Papa præfatum Regem jam tunc excomunicare pa„ rato, vix obtinuit ne in Regem faceret quod communis omnium ſententia promul„ gavit. Qui ergo bonitatem viri ſolo prius fuerant auditu edocti, nunc eum facto „ ſe experiri gaviſi ſunt, dum illum, & pro malo bonum reddere, & pro persequente „ ſe non ficta vident prece intercedere. Admirabilis itaque univerſis factus eſt.

tam in Laicos qui (*a*) inveſtituras Eccleſiarum dant, quàm in eos qui de manibus eorum illas ſuſcipiunt, cum toto Concilio Papa intorſit. Eàdem ſententia quoque damnavit, eos qui in officium ſic adepti honoris aliquem ſacrant.

85 Soluto Conventu, accepta licentia Romà digredimur. Via vero redeundi multis erat periculis obnoxia, ſed protegente nos Domino pericula cuncta evaſimus, ac Lugdunum illæſi pervenimus. Ubi ſummo cum honore gaudioque ſuſcepti, & à Pontifice civitatis venerabili ſcilicet Hugone detenti, manſionem noſtram illic firmavimus, amiſſa omni fiducia, vivente Rege VVilhelmo, Angliam remeandi. Habitus eſt ergo ibi Anselmus non ſicut hospes aut peregrinus, ſed vere ſicut indigena, & loci dominus. Unde nusquam ipse ipſius urbis Antiſtes, eo præsente, ſuo volebat loco præſidere, ſed præſidente ubique Anselmo, iile mira humilitate, & honeſtate præditus, inferioris, & quaſi ſuffraganei loco ſimul, & officio ſungebatur. Super hæc ut Episcopale officium per totam Parochiam ſuam pro velle exercéret, in voluntate ejus ac deliberatione conſtituit. Quod ubi per loca vicina innotuit, illicó frequens populorum concurſus factus eſt, unctionem ſacri chrismatis per impoſitionem manus illius poscentium ſibi conferri. At ille omnes ad gratiam ipſius Sacramenti admittebat, ita ut ſæpiſsime in hoc totus dies expenderetur, & nos qui ei miniſtrabamus, gravi tædio afficeremur, ipso ſemper jocundo, & hilari vultu exiſtente. Crevit autem ex hoc in eum mira quædam, & incredibilis dilectio omnium, & bonitas ejus divulgabatur per circuitum.

86 Igitur qui illis diebus ſaltem reliquias de mensa illius poterat habere, contra omnia pericula, & infirmitates ſe ſalutifera credebat medicina ditatum. Nec iſta fides fallebat eos. Nam revera nonnullos febribus tentos, & quibusdam aliis infirmitatibus preſſos, mox ſumptis ciborum ejus reliquiis, novimus integre ſanitati reſtitutos. Exempli gratia. Feſtivitas Beati Mauricii celebris habetur Viennæ. (*b*) Rogatus itaque Anselmus á Guidone ipſius Urbis Archiepiscopo, in ipſa feſtivitate venit eo. Et celebrato ſolemni Miſſæ, ac prædicationis officio, cùm ad refectionem corporis ſediſſet, venerunt ante illum milites duo, voce, & vultu ægrotationis moleſtiam, qua premebantur, præferentes, rogantes quatenus de micis ſui panis eis dare dignaretur. At ille, nequaquam, inquit: Neque enim pane integro nedum micis vos indigère conſpicio. Sed ſi comedere vobis placet, amplus locus eſt, ſedete, & cum benedictione Dei quæ vobis apponentur, comedite. Reſponderunt ſe pro hoc non veniſſe. Nec ego, ait, vobis aliud faciam. Intellexerat enim quó intenderent. Unus ergo ex his qui in ejus dextra ſedebant, intelligens illos ſalutis propriæ curam habere, & virum in hoc nihil quod miraculo poſſet adscribi, velle facere, quaſi eorum importunitate pertæsus, arrepta deſuper mensa fragmenta præbuit eis, & ne hominem fatigarent ſecedere monuit. Qui ſtatim ut exinde modicum guſtaverunt, cum benedictione viri egreſsi ſunt. Poſt mensam in ſecretiorem locum me tulerunt, magnopere poſtulantes quatenus

(*a*) *Qui investitnras*) Ut bene id intelligas, opus eſt legas Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſæculi undecimi ſub S. Gregorio VII.

(*b*) *Viennæ*) Urbs iſta ad Rhodani ripam ſita eſt intra Delphinatum Galliæ provinciam Pedemontio ab oriente confinem; ab occidente, Provinciæ Lugdunenſi. *Lionois.*

mus adjuti mea ope, ad Miſſam Patris mererentur de manu ejus Dominicum Corpus, & Sanguinem ſumere. Quos cum libenter audiſſem, & quando, quove in loco id fieret edocuiſſem, gratiosa voce responderunt: Et nos quidem omni excusatione ſemota, ſicut dicis, veniemus, ſi hac medicina, quam nunc de mensa ipſius ſuscepimus, à quartannis, & mortiferis febribus, ac inteſtinorum tortionibus, quibus intolerabili cruciatu concutimur, liberati non fuerimus. Et hoc erit ſignum inter nos, & te, quoniam ſi convaluerimus, non veniemus: veniemus, ſi non convaluimus. Adquievi dicto, & ab invicem diviſi ſumus. Non venerunt, quia ſicut accepi ab eis qui utrumque noverunt, eo, quod de mensa acceperant, ad plenum Dei gratia convaluerunt. Quod quidem ſi ita non fuiſſet, quemadmodum illos infirmitate gravatos ſanitati voluiſſe reſtitui credibile eſt: ita eos ab requiſitione iſtius poſterioris medicinæ ſuperſedere noluiſſe, dubium non eſt.

87 Certo nempe tenebant iſta ſe, quin convalescerent, falli non poſſe, ſcientes quemdam non ignoti nominis virum eo ſolo quod ſpe recuperandæ ſanitatis Miſſæ illius interfuit, à pari tunc noviter invalitudine convaluiſſe. Siquidem unus è Principibus terræ illius diu eadem qua ipſi languoris moleſtia vexatus fuerat. Hic agnito Anſelmum in Eccleſia Beati Stephani Miſſam ex more celebraturum, feſtinavit illó arbitrans ſibi ad recuperandam ſanitatem utile fore, ſi Miſſa tanti viri ac benedictione meruiſſet potiri. Fateor, vidimus hominem ſuorum manibus innixum, Eccleſiam introeuntem, mortuo quám viventi ſimiliorem. Sedit, & finita Miſſa egreſſus eſt. Nobis vero nec quis, vel unde aut cur advenerit ſcientibus aut curantibus; idem vir, evolutis paucis diebus, ad Patrem venit, flexis genibus ei pro adepta ſanitate gratias agens. Ad quod cúm ille obſtupesceret, indicavit ei ordinem geſtæ rei, confirmans qúod ab ea hora, qua se Miſſæ illius præsentavit, omni doloris vexatione depulsa, ſanitati reſtitutus ſit. At ille nihil ad se pertinere, ſed ipſius fidei ac meritis beati Martyris, ad quem divertit, ascribendum aſſerens, his quæ ſaluti animæ illius competerent, eum instruxit, & familiarem ſibi effectum correctiori vitæ, ut poſt multorum teſtimonio comperimus, reddidit.

88 His fere temporibus, (*a*) Cluniacum euntibus nobis occurrit quidam Sacri Ordinis homo, lacrymoſis precibus virum deprecans quatenus, & se oculo misericordiæ, & ſororem ſuam nuper amentem effectam dextera ſuæ benedictionis dignaretur respicere. Et ſubdens, ecce ait, in via qua tranſituri eſtis inter multos tenetur, ſperantes quia ſi tu, Domine, ei manum imposueris, continuó, favente gratia Dei, ſuæ menti reſtitueretur. Ad hæc ille muta voce, & quaſi ſurda pertranſiit aure. Presbyterum autem eó magis instantem ac preces multiplicantem repulit à ſe, omnibus modis aſſerens tam extraneum factum nulla ſibi ratione tentandum. Inter hæc procedimus, & illam in medio adunatæ multitudinis cominus teneri conſpicimus, furibundos motus, & inhumanos nutus, vultu, ore, oculis, & totius corporis geſtu edentem. Populus itaque virum advenientem circun-

(*a*) *Cluniacum*) Celeberrimum Monaſterium, fundatum ſub Regula S. P. N. Benedicti ab VVillelmo, cognomento Pio, Aquitaniæ Duce, anno 910. quod in Congregationem valde numerosam crevit, ſic ut propagines ſuas non modó in Europam ſed etiam in Orientem protulerit; deditque Eccleſiæ tres ſummos Pontifices S. Gregor. VII. Urban. II. & Pasch. II.

cundat, retentis habenis preces ingeminat, ut miseræ mulieri manum imponat, orat, obsecrat. Obsistit ille dicens quod postulant nequaquam esse sapientiæ. Objiciunt illi vulgi more quæ occurrebant, saltem improbitate vincere gestientes. Tunc vir aliter se non posse evadere sentiens, hoc solo eis morem gessit, videlicet quod nulli negare solebat, signo eam Sanctæ Crucis levata dextra signavit. Quo facto, laxatis habenis ocyor abit, impositoque cucullæ suæ capitio capiti, remotis sociis, singularis vadit, infelicis feminæ ærumnas pietatis affectu perfusus lacrymis tenerrime defiens. Hac nos contritione afflicti Cluniacum, illa vulgi manibus acta domum retendit. Necdum pes ejus limen suæ domus attrivit, & integerrimæ sanitati donata, in laudem viri linguas omnium solvit. Quam rem sic factam dum certa relatione Cluniaci accepissemus, gavisi sumus, ac pro sua misericordia Deo gratiam, & gloriam dedimus.

89 Actis deinde propter quæ Cluniacum advenimus, reversuri Lugdunum, iter per civitatem * Matisconensem arripuimus. Ubi Anselmus rogatu Episcopi, & Canonicorum Missam publicè apud Sanctum Vincentium celebravit; & inter sermonem, quem ad populum habuit, ut omnes Dominum pro siccitate qua in immensum terra aruerat, comuniter precarentur, admonuit. Dicunt se jam id sæpius fecisse; & ea re ut preces eorum ipse sua prece coram Deo efficaces efficiat, magnopere orant, & obsecrant. Quid dicam? Necdum pransi eramus, & ecce subitò stupentibus cunctis serenitas Cœli in nubilum vertitur, ipsaque die priusquam de civitate egrederemur, pluvia dulcis, & copiosa terris illabitur. Plebs igitur viso hoc facto, benedixit Dominum, & ejus post Deum auctorem magnis laudibus prædicant Anselmum. Itaque in habitaculum nostrum Lugdunum reversi, quietam vitam ab omni tumultu negotii sæcularis agebamus. Anselmus vero vitam viri servi Dei in sanctis meditationibus, in omnis sexus, ætatis & ordinis hominum ad se venientium ædificationibus, ac in cæterarum virtutum exhibitionibus exercebat.

* Macon.

90 Per id etiam temporis scripsit librum unum, *de Conceptu Virginali, & de peccato originali*; & aliud quoddam opusculum multis gratum, & delectabile, cui titulum indidit. : (*a*) *Meditatio redemptionis humanæ.*

91 Inter hæc Urbanus Sedis Apostolicæ Pontifex huic vitæ decedit; & ad inducias quas de causa Anselmi Regi dederat, non pervenit. Quo tempore multa etiam de Regis interitu à multis prædicebantur, & tam ex signis quæ nova, & inusitata per Angliam monstrabantur, quàm ex visionibus quæ pluribus Religiosis personis revelabantur, quia ultio divina in proximo eum pro persecutione Anselmi oppressura esset, ferebatur. Sed Anselmus in nihil horum animum ponens, quotidie pro conversione, & salute ejus Deum precabatur. Hinc exilii nostri anno tertio, qui eo quo Romá Lugdunum venimus, erat secundus, ivit Anselmus * Marciniacum loqui Domino Abbati Cluniacensi (*b*) Hugoni & Sanctimonialibus. Ubi cum ante

* Monasterium Monialium cum perpetua clausura.

(*a*) *Meditatio Redemptionis humanæ*) In optima editione Gerberonii inscripta reperitur, *de Redemptione humana*, & est num, undecima.

(*b*) *Abbati Cluniacensi Hugoni*) Hic est S. Hugo Monasterii Clunacensis in Burgundia, in Diœcesi Matisconensi (Macòn) Abbas ab anno 1049. ad annum 1109. quo ad meliorem vitam transiit, tertio Kalend. Maii, quo die signatur ejus festum in Martyrol. Romano, fuitque præcipuus ámicus S. Anselmi, ad quem est Ep. 17. & 80. inter Epist. S. Ansel. lib. 4. & 19. ejusd. lib.

ipſum Abbatem conſediſſemus, & de his quæ inter Anſelmum, & Regem eo usque versabantur, verba, ut fit, nonnulla hinc inde proferrentur, intulit idem venerabilis Abbas ſub teſtimonio veritatis, proxime præterita nocte eum Regem ante Thronum Dei accusatum, judicatum, ſententiamque damnationis in eum promulgatam. Ex quibus verbis admirati non modicé ſumus, ſed perpendendentes eminentiam ſanctitatis, ac reverentiæ ejus, fidem his quæ dicebat, nullatenus non habere nequivimus. Poſtera die cum inde digreſsi Lugdunum veniſſemus, & inſtanti feſto Beati Petri * quod colitur Kalendis Auguſti, dictis matutinis, nos qui circa Anſelmum aſsidué eramus, quieti indulgere cuperemus; ecce quidam juvenis ornatu ac vultu non vilis Clerico noſtro, qui prope oſtium cameræ jacebat, & necdum dormiens, oculos tamen ad ſomnum clausos tenebat, aſtitit vocans eum nomine ſuo, Adam, inquit, dormis? Cui dum ille responderet, non. Dixit ei, vis audire nova? Et libens, inquit. At ille pro certo, ait, noveris quia totum diſsidium quod eſt inter Archiepiscopum Anſelmum, & Wilhelmum Regem, determinatum eſt atque ſedatum. Ad quod ille alacrior factus illicò caput levavit, & apertis oculis circunspectans neminem vidit.

* Scilicet, Advincula.

NOTA. 92 Sequenti autem nocte inter matutinas unus noſtrum clauſis oculis ſtabat, & pſallebat. Et ecce illi quidam chartulam admodum parvam legendam exhibuit. Aspexit; & in ea, *Obiit Rex WVilhelmus*, ſcriptum invenit. Confeſtim aperuit oculos, & nullum vidit præter ſocios.

93 Poſt triduum ab hinc ad Abbatiam quæ vocatur Casa-Dei (*a*), multis precibus invitatus Anſelmus perrexit. Ubi cum honorificè ſusceptus, & hospitatus fuiſſet, una dierum Fratribus loci illius poſt menſuram in lectis ſuis pausantibus, ſubito fragore cœlum intonuit, & vibrantibus coruscis, crebra per montem fulgura volitant. Crescit tempeſtas illa, & multiplicata non modicum fulmen ſuper domum, qua fœnum Monaſterii ſervabatur, præcipitat. Unde protinus horridus ignis accensus, teterrimum atque fœtentem ex ſe fumum per aera ſpargit. Quicumque igitur cum Anſelmo in hospitio erant, timore concuſsi diſsiliunt. Remanſi itaque ſolus cum ſolo. At ille lecto volens decumbere, interrogavit me utrum nam ignis, qui eruperat, ſopitus eſſet. Cui cum responderem, auctum potius, quàm ſopitum eſſe, erexit ſe, ac vultu placido atque modeſto dixit: Melius eſt ut nobis provideamus, quia tua tunc res agitur, paries cum proximus ardet. Quo dicto, ad ignem concitus venit; eoque viso, mox illi Sanctæ Crucis ſignum levata dextera objecit. Videres è veſtigio flammam ſe ita demittentem, ac ſi pro ſuscipienda benedictione illius conquieſceret. Ignis ergo ſtatim in ſemet rediens totus elanguit, nec aliquid abſumpturus usquam proceſsit. Quodque fortaſsis non minus ſtupeas, voratis quibusdam ædibus, quæ circa erant, nil læſionis intulit fœno Monachorum, qui Anſelmum hospitem habebant, quo ſcilicet fœno domus ferme plena erat, ſuper quam fulgur ipſum primo corruerat.

94 Exinde duo ſui Monachi ad Anſelmum venerunt, nunciantes ei deceſſum præfati Regis. Siquidem ſecunda die menſis Auguſti, qui poſt primam viſionem, quam Lugduni factam noviter retuli, ſecundus,

(*a*) *Casa-Dei*) Inſigne Monaſterium in Arvernia (Auvergne) cujus fundamenta jecit S. Robertus ejus 1. Abbas, anno 1046, hodie ſub Congreg. S. Mauri.

dus, & poſt ſecundam primus illuxit, idem Rex mane in ſylvam venatum ivit, ibique illum (*a*) Sagitta in corde percuſsit, & nulla interveniente mora extinxit. Quo Anſelmus vehementi ſtupore perculſus, mox eſt in acerbeſimum fletum concuſſus. Quod videntes, admirati admodum ſumus. At ille ſingultu verba ejus interrumpente, aſſeruit quod ſi hoc efficere poſſet, multo magis eligeret ſeipsum corpore, quàm illum, ſicut erat, mortuum eſſe. Nobis poſt hæc Lugdunum reverſis, ecce nuncii unus poſt unum Anſelmo occurrunt, litteras ei cum precibus ex parte Matris Eccleſiæ Anglorum, ex parte novi Regis Henrici, qui Fratri ſucceſerat, necnon ex parte Principum Regni, deferunt ſummopere poſiulantes eum feſtinato greſſu redire, & aſſerentes totam terram in adventum illius attonitam, omniaque negotia Regni ad nutum ejus pendére dilata. His acceptis Anſelmus velox Angliam petit. Verum ubi Serberiam ad Regem venit, & ei quid de Eccleſiarum inveſtituris in Romano Concilio acceperit, plano ſermone innotuit; turbatus eſt Rex ac vehementer indoluit, nec nutum ejus in aliquo ſicut nuncii dixerant, expectare voluit. Quæ igitur inter eos per duos ſemis * annos pro iſto negotio acta ſint, & quot quantasve minas ac tribulationes Anſelmus paſſus ſit, vel quomodo nuncii ſemel ac iterum Romam pro mutatione ipſorum decretorum miſsi ſint, quidque effecerint, qui noſſe voluerit, opus illiud cujus in Prologo hujus opuſculi mentionem fecimus, legat, & ibi ſingula plene, ut puto, digeſta reperiet. Poſt quæ omnia rogavit Anſelmum Rex, quatenus ipsemet Romam iret, & cum nuncio quem eó directurus erat, causæ quæ emerserat, pro ſuo honore opem ferret. In quo cúm omnes totius Angliæ Episcopi, Abbates, & Principes acquiescerent, & eum pro tanta re, quin iret nullatenus ſuperſe-

* Al. duos annos

(*a*) *Sagitta in corde percussit*) Idem Eadmerus in fine lib. 2. Hiſt. Novor. hanc Regis mortem horrendam ſic cum iſta notabili conſideratione refert. Illa, inquit, die mane pransus in Sylvam venatum ivit, ibique ſagitta in corde percuſſus, impœnitens, & inconfeſſus è veſtigio mortuus eſt, & ab omni homine mox derelictus. Quæ ſagitta utrum, ſicut quidam ajunt, jacta ipsum percuſerit; an quod plures affirmant, illum pedibus offendentem ſuperque ruentem occiderit, disquirere ociosum putamus, cum ſcire ſufficiat eum juſto judicio Dei proſtratum atque necatum. Hìc occurrit animo quod Rex iſte quondam, ut ſupra retulimus, Roffenſi Episcopo dixerit, videlicet, quod *Deus nunquam eum bonum habiturus esset pro malo, quod sibi inferret*, & perpendo quid poſtmodum Deus erga illum egerit, donec vitæ præsenti ſuperfuit. Scitur enim quia ex quo illa verba, depulso languore, quo notum eſt illum fuiſſe gravatum, protulit, tantum in deprimendo, & ſubjugando inimicos, in adquirendo terras, in exercendo voluptates ſuas prosperatus eſt, ut omnia ſibi arridere putares. Ventus insuper, & ipsum mare videbantur ei obtemperare. Verum dico, non mentior, quia cùm de Anglia in Normanniam tranſire, vel inde cursum, prout ipsum voluntas ſua ferebat, redire volebat; mox illo adveniente, & mari appropinquante, omnis tempeſtas, quæ nonumquam immane ſæviebat, ſedabatur, & transeunti mira tranquillitate famulabatur. Quid amplius? Ita fateor in cunctis erat fortunatus, ac ſi verbis ejus hoc modo reſpondiſſet Deus: *Si te pro malo, ut dicis, nunquam bonum habebo, probabo an saltem pro bono possim te bonum habere, & ideo in omni quod tu bonum æstimas, velle tuum adimplebo.* Sed quid? In tantum ex ſucceſibus ſuis profecit, ut ſicut hi qui factis ejus die noctuque præsentes extiterunt, atteſtantur, nunquam vel de lecto ſurgeret, vel in lecto ſe collocaret, quin ſeipso aut collocante aut ſurgente ſemper deterior eſſet. Quapropter dum nec malo corrigi voluit, nec bono ad bene agendum attrahi potuit; ne in perniciem bonorum diutino furore ſæviret, compendiosa illum, & momentanea cæde æquus arbiter huic vitæ ſubtraxit.

ſedere debere conclamarent ; ſe quidem iturum respondit , ſed nihil quod Eccleſiarum libertati , vel ſuæ poſſet obviare honeſtati , ſuo vel rogatu vel conſilio unquam Papam acturum viva voce * ſpopondit. Itaque cum Romam veniſſet , à Domino Papa Paschali , qui Urbano ſucceſerat , totaque urbis nobilitate honorificé ſuſceptus eſt. Die de hinc conſtituto , Wilhelmus ille , cujus ſupra meminimus , á Rege directus, causam Regis in medium tulit , ac inter alia quod Rex ipſe nec pro Regni amiſsione inveſtituras Eccleſiarum pateretur amittere , minacibus verbis aſſeruit. Ad quæ Papa: Si quemadmodum dicis , Rex tuus nec pro Regni amiſsione patietur Eccleſiarum donationes amittere; ſcias , ecce coram Deo dico , quia nec pro ſui capitis Redemptione eas illi aliquando (*a*) Paschalis Papa impune permittet habere.

* Al. respondit.

95 In his negotium Regis ita finem tunc temporis ſumpſit , & Anselmus aliis atque aliis cum Papa de Eccleſiaſticarum rerum inſtitutionibus actis , in iter reverſus , civitatem (*b*) Florentiam usque pervenit, nocte una in ea quievit. Lecto igitur in quo ſopori Antiſtes indulserat, Dominus domùs , eo discedente , pro more decubuit. Cui obdormienti aſtitit quidam ignoti vultus homo, monens ut lecto ocyor decederet. Nec enim decet , inquit , te tua præſentia loco præripere , quod ex præſentiá tanti viri meruit obtinere. Qui mane consurgens , & viſum mente revolvens phantasmati deputat , ac nocte ſequenti in eodem ſe lecto nihil hæſitans collocat. Dormit , & ecce qui venerat , ſecundó jam vultu paululum minaci aſsiſtit , repetens dicta quæ primó protulerat. At ille expergeſactus , ac viſione ut primó poſthabita , nocte tertia in ſolito loco ſomno ſe tradit. Cui obdormienti , idem qui ſecundó apparuerat, tertio apparuit , irati mentem vultu ac voce prætendens. Quare , ait , facis quod jam ſemel tibi , & iterum ne faceres dixi ? Nunc igitur vel tertiò admonitus ſurge , & te à lecto Pontificis àmodo cohibe. Nam dico tibi quia ſi ultra in eo repertus ſueris , experieris nihil phantasmatis eſſe in iſtis quæ audis. Tunc ille vehementer exterritus , lecto deſilit, Episcopum civitatis ſuper negotio conſulturus celerius adit, eique ordinem rei in præſentia multorum exponit. Episcopus autem jam dudum viri ſanctitatem fama discurrente edoctus , ac nuperrime ex collocutione illius eam nonnihil expertus , hominis audaciam durius increpavit , & quia ſtulte , & inſipientium more egerit , qúod lecto ubi vir tantus quieverat , cubare præſumpſiſſet, aſseveravit. Eundem itaque lectum reverenter deinceps ſervatum iri præcepit , & ne aliquis in eo ulterius jacere præſumeret , juſsit. Quod usque hodie , uti accepimus , ſervatum eſt. Anselmus autem cùm , emenso itinere , Lugduno appropinquaſſet; Wilhelmus præfatus comitatum illius deſerere volens , interdixit ei ex parte Domini ſui Regis redire in Angliam , niſi ipſe omnes patris , & fratris illius consuetudines , pospoſita Sedis Apoſtolicæ ſubjectione , & obedientia , ſe ei ſervaturum certó promitteret. Quod ille audiens , admiratus eſt , ſciens ſe alia conditione Anglia exiſſe. Perveniens vero Lugdunum reſedit ibi ex more antiquo in pace , & quiete propriam præ-

(*a*) *Paschalis Papa*) Scilicet hujus nominis ſecundus , qui ſicut Urbanus ipſius proximus anteceſſor , fuerat Cluniacenſis Monachus , Gallus Urbanus , Paschalis Italus.

(*b*) *Florentiam*) Hæc civitas caput eſt Tusciæ (de Toscana en Italia)

præfati Reverendi (*a*) Hugonis ejusdem urbis Archiepiscopi domum inhabitans, & ne ad horam quidem ab his quæ Dei sunt, verbo se vel actu elongans.

96 Accidit autem una dierum dum ipse Pater, celebrato Missæ officio, solus, prout ei consuetudinis erat, in Oratorio per fletum Deo se macta ret, ut quidam homo pedes suos baculo regente adveniret, Oratorium ipsum rumpere gestiens. Quem Frater, & Socius noster Alexander Monachus Ecclesiæ scilicet Cantuariensis, qui pro foribus egressum Patris forte præstolabatur, intuens Ecclesiam subire volentem detinuit, sciscitans quidnam vellet. At ille clamosa voce se oculorum lumen amisisse respondit, ac velle ut servus Dei sibi manum imponeret, sciens quód sancta merita ejus sibi subvenirent. Pater igitur clamorem audiens, sed verba minime discernens, innuit præfato Fratri venire ad se, & causam clamoris ipsius intimare. Tunc ille, Domine Pater, ait, pauper quidam venit, conquerens se in oculis affligi, precaturque per vos ei signum Sanctæ Crucis imponi.

97 At ille ipse pio vultu, veniat, dixit. Itaque tertió super oculos ejus quod petebat signum Crucis cum pollice pingens, oravit sic: Virtus Crucis Christi illuminet oculos istos, & ab eis omnem infirmitatem depellat, integræque sanitati restituat. Et aspergens eos aqua sanctificata, hominem præcepit abire. Alexander vero mox illum reducens, monuit ut si factum viri Dei non usquaque illi hac vice primó profuit, mane rediret, pollicens quod hoc ipsum illi repetita vice fieri impetraret. Ad quæ ille: Ego quidem, bone Domine, hac de causa non redibo, quia gratia Dei, & fidelis ejus famuli, omni cæcitate fugata, clarissime video. Hæc ita scripsi, sicut ab ore ipsius Alexandri, qui præsentem se fuisse testatur, accepi.

98 Rex autem Henricus, ut comperit Papam in sua sententia stare, mox Archiepiscopatum in suum dominium redegit, & Anselmum suis omnibus spoliavit. Acta sunt hinc inter eos multa, & anno uno ac semis indignatio Regis non est sopita. Inter hæc venit ad nos Walo Episcopus Parisiacensis, vir bene Religiosus, & Ecclesiasticarum consuetudinum institutionibus ab ineunte ætate imbutus. Hic Romæ notus, & Apostolicæ Legationis ministerio functus, familiaritate Patris Anselmi potiebatur. Igitur iste Romà ad nos veniens, quorumdam Sanctorum reliquias secum ferebat; quas, ut certo comperimus, sibi Romæ datas habebat. Itaque cum Anselmo me præsente loquens, innotuit ei quid reliquiarum à Roma secum detulerit. Ad quod cùm ille Deo gratias ageret, Episcopus unum os, quod de capite Sanctæ Martyris Dei Priscæ esse asserebat, é pixide protulit, & id qualiter adeptus fuerit illicò subinferens, ait: Romæ eram, & Oratorium nominatæ Martyris, in quo beatissimus Apostolorum Princeps Petrus altare sacravit, vetustate consumptum, dirutum est, & Corpus Martyris in nova recondendum Ecclesia me astante levatum est. Igitur cum loci ipsius Cardinalis Reliquias sanctæ in suo jure haberet, & ipse idem mihi familiaris existeret, os istud quod videtis, de Sacro Corpore sumptum, mihi pro signo mutui amoris dedit. Finierat Præsul in istis. Ast ego eorumdem Reliquiarum habendarum amo-

R

(*a*) *Reverendi Hugonis*) Ad hunc Archiepiscopum, de quo sæpe in hac vita fit mentio, est Epist. 24. S. Ansel. lib. 3. & 64. est Hugon. ad S. Ansel. & 123. S. Anselmi ad Hugon. & 124. huj. ad illum. Denique Epist. 18. lib. 2. S. Ans. ad Hugon.

amore illectus, ut ex ipso ossе mihi partem daret, deprecari Episcopum cœpi. Et ille: Accipe, inquit, & quantum inde primo conatu frangere poteris, tuum sit. Accepi, & en extra quam sperabam, in principio mei conatus una mihi particula in dextera manu remansit. Cumque de parvitate ipsius mœrorem animi dissimulare nequirem, & ut semel adhuc frangere inde mihi liceret magnopere gestirem, rupit desiderium meum Pater Anselmus, & ait: Noli, noli, quod habes sufficiat tibi. In veritate quippe dico tibi, quia pro toto auro, quod Constantinopoli, & ultra citrave habetur, non omitteret Domina ipsa cujus est, quin illud sibi vindicaret in die resurrectionis cunctorum. Quamobrem si debitam illi reverentiam exhibueris, æque suscipiet ac si toti corpori ejus exhiberes. Quod ego audiens acquievi, & quàm decentius potui, ipsum ex hoc hucusque servavi; de quo ossе post plures dies Petrus (*a*) quidam Monachus Cluniacensis, vir suo tempore magnæ auctoritatis, qui Camerarius erat Domini Papæ Urbani atque Paschalis, ad nos veniens, à me percunctatus est, quid sentiret. At ille ubi me referente accepit qualiter id adeptus fuerim, vera omnino esse confessus est, quæ Episcopus inde dixerat, seque præsentem fuisse asseruit, quando idem os à corpore Martyris sublatum, à Cardinali susceperat.

99 Post hæc cùm pro exercendo Ecclesiasticæ disciplinæ rigore, tum pro Ecclesiarum in Anglia constitutarum relevatione, relicta Burgundia, Anselmus in Franciam ivit. Quod ubi Regi Anglorum Henrico innotuit, rogatus ad eum in Normanniam venit, ibique Rex timore simul, & amore Dei correptus, revestivit illum de suis, & in amicitiam eius receptus est. Conversante de hinc Anselmo in Normannia, reversisque Balduino, & Wilhelmo, qui ex jussu Regis atque Pontificis Romam pro expletione negotii, quod de investituris Ecclesiarum inter eos eò usque versabatur, directi fuerant, Wilhelmus in Angliam ad Regem vadit, ac in brevi Beccum ad Anselmum regressus, rogat eum ex parte ipsius Regis ut jam sopitis retroactis querelis, ocyor Angliam visitet. Cui cùm ille promptus acquiesceret, & iter aggressus (*b*) Gemmeticum veniret, infirmitate, ne iter expleret, inibi detentus est. Qua sopita Beccum revertitur, Regem Angliæ transfretaturum illic præstolaturus. Ubi cum pro reditu ejus omnes exultatio mira teneret, ecce infirmitas Anselmi renovata, & ipsum lecto, & subversa exultatione, gravi cunctos mœrore prostravit. Igitur ipse nec manducare, nec aliquid, unde salutem ejus sperare possemus, facere poterat, & de morte illius tantum nos formido immensa tenebat. Inter hæc ut cibi aliquid sumeret, diligenti cura petebatur; sed nihil sibi animo esse, quomodo poterat, anhelo spiritu fatebatur. Nobis tamen preces multiplicantibus, tandem ne penitus negando nos magis magisque gravaret, forte, ait, de perdice comederem, si haberem. Quid plura? Per campos, & sylvas dispersi sunt quique suorum, & dies unus in requirenda perdice casso labore consumptus.

Con-

(*a*) *Petrus quidam*) Alius sine dubio ab illo præclarissimo Abbate Cluniacensi Petro Cognomento *Venerabili*, qui eo tempore adhuc puer erat, natus sub finem sæculi 11.

(*b*) *Gemeticum*) Nobile Cœnobium à S. Filiberto medio Sæculo septimo fundatum in pago Rotomagensi, in loco *Gemeticum* (Jumieges) appelato, unde Monasterio inditum nomen, quod hodie adhuc perstat ex præcipuis Congregationis Benedictinæ S. Mauri.

100 Contigit autem, ut unus ex monaſterii ſervientibus ipſa die per vicinam ſilvam iter forte caperet, negotio quo alii occupabantur nihil intendens, & ecce in via, qua gradiebatur, beſtiola, quam martyram vocant, perdicem in ore ferebat. Quæ beſtiola viso homine ſuam ei prædam reliquit, ſibique fuga conſuluit. At ille perdicem aſſumens ad nos detulit. Ex qua æger noſter refectus, ſtatim meliorari ab ægritudine cœpit, ac demum in dies melius meliusque habendo, priſtinam eſt ſanitatem adeptus.

101 Poſt hæc Episcopis & Abbatibus, qui exequiarum illius cauſa convenerant in ſua remeantibus, remeavit etiam Radolphus Abbas Cœnobii Sagienſis, qui unus erat ex eis. Unus igitur ex hominibus ejus per viam cœpit Anſelmo detrahere, & quòd merito nullus infirmitati ejus compati deberet, præſertim, inquiens, cùm ipſe cibo, & potu ſaluti ſuæ, ſi remota jactantia vellet, facilè ſuccurrere poſſet, maledica voce aſtruere. Quod Abbas audiens, hominem monuit ut ſileret, nec de tanto viro quid ſiniſtri ultra proferret. Quæ ille ſubſanando deſpiciens, & in his quæ cœperat, furore quodam exigitatus perſiſtens, equo calcaribus inſtitit, ut ab Abbate elongatus, liberius ederet quod ſuæ mentis amaritudo ſibi proponeret. Verùm cùm ipſe præpeti curſu ferri geſtiret, ac remiſsis habenis ocyor ire inciperet, quem ſedebat quadrupes corruit, eumque magno cum dedecore tergo ſuo excuſsit, ac per devexum montem longo rotatu præcipitatum à viri blasphemia linguam compescere docuit.

102 Dehinc in Aſſumptione beatæ Dei Genitricis, & perpetuæ Virginis Mariæ Rex Henricus Beccum adveniens, omnia quæ inter ſe, & Anſelmum de ſæpe fato negotio refederant, moderante Sedis Apoſtolicæ ſanctione delevit, atque de ſingulis, ad quæ tendebat, ſuæ illum voluntatis compotem fecit. Cum igitur Angliam repetendi iter Anſelmi certis ex cauſis aliquantisper demoraretur, rogatus ab Abbate Beccenſi, dedicavit Capellam unam infra curiam ipſius Cœnobii ſitam. In qua dedicatione quidam Clericus phreneſis invaletudine tunc noviter captus, à ſuis eſt ante Pontificem ductus, illicòque ad benedictionem ejus à ſuæ mentis alienatione ſanatus. NOTA.

103 Cum poſt hæc prospero cursu Angliam veniſſet, magno Sanctæ Eccleſiæ gaudio, & honore ſusceptus eſt. Inde evolutis diebus nonnullis, Anglus quidam vir nobilis quidem, & dives, valida corporis infirmitate gravatus, ab Anselmo ſibi panem à ſe benedictum transmitti per nuntium petiit, & accepit. Unde paululum guſtans juxta fidem ſuam ſtatim convalescere cœpit, integræque ſanitati donatus, Deo, & Dei viro ex corde gratias egit. Inter hæc Rex in Normannia poſitus valde lætabatur, ſicut ferebant hi qui ad nos inde veniebant, quod fuerat Anſelmi pace potitus. Unde etiam firma ſibi ſpe applaudebat, ſuo ſe dominio totam Normanniam ſubjugaturum. Quod, & factum eſt. Nam conſerto gravi prælio, Fratrem ſuum Robertum, Normanniæ Comitem, & alios Principes, qui contra illum in bellum venerant, cœpit; innumerisque peremptis, totam terram victor obtinuit, idque per litteras Anſelmo gaudenter, & gratioſus mox intimavit. Omnes vero qui hæc geſta tunc temporis audiere, ea meritis concordiæ, quam Rex cum Anſelmo fecerat, adscripsere. Ipso anno Anſelmus celebrata Paschali ſolemnitate in Curia Regis apud Londoniam, abiit ad Abbatiam Sancti Edmundi, electum inibi Abbatem ſua auctoritate roboraturus, & alia quædam officia Pontificalia pro ſuo jure celebraturus. Quæ ubi ſolemniter cuncta peregit, graviſsima febre correptus, per plures dies pene

us-

usque ad emiſsionem ultimi flatus vexatus eſt. Pro quo illic Octavas Pentecoſtes usque detentus eſt, & conſilium, quod ſe viduatis Eccleſiis Rex propoſuerat collaturum, propter ejus abſentiam in Kalendas Auguſti dilatum eſt. Eo igitur tempore adunatis in Palacio Regis Londoniæ cunctis primoribus Angliæ, victoriam de libertate Eccleſiæ, pro qua diu lavoraverat, Anſelmus adeptus eſt. Rex enim anteceſſorum ſuorum uſu relicto, nec perſonas quæ in regimen Eccleſiarum ſumebantur, per ſe elegit, nec eas per dationem virgæ Paſtoralis Eccleſiis, quibus præficiebantur, inveſtivit.

104 Scripſit inter hæc Anſelmus libellum unum *de concordia præſcientiæ, & prædeſtinationis, & gratiæ Dei cum libero arbitrio.* In quo opere contra morem, moram in ſcribendo paſſus eſt, quoniam ex quo apud ſanctum Edmundum fuerat infirmatus, donec præſenti vitæ ſuperfuit, ſolito imbecillior corpore fuit. Quapropter de loco ad locum migrans, lectica deinceps, non equo, ſedens vehebatur. Vexabatur præterea frequentibus, & acerbis infirmitatibus, ita ut vix illi vitam promittere auderemus. Ipſe tamen numquam priſtinæ converſationis obliviſcebatur, ſed ſemper aut meditationibus bonis, aut * exhortationibus ſanctis, aut aliis piis operibus occupabatur. Tertio igitur anno poſtquam à ſecundo exilio per Regem Henricum revocatus eſt, omnes cibi quibus humana natura vegetatur, & alitur, in faſtidium verſi ſunt. Manducabat tamen naturæ ſuæ vim faciendo, ſciens ſe vivere non poſſe ſine cibo. Qua vi per dimidium circiter annum vitam quoquo modo tranſigens, ſenſim corpore deficiebat, animi virtute ſemper idem qui eſſe ſolebat exiſtens. Spiritu itaque fortis, ſed càrne nimium fragilis, pedes Oratorium adire nequibat. Attamen conſecrationi Dominici corporis, quod ſpeciali quodam devotionis affectu veſerabatur, intereſſe deſiderans, ſingulis diebus illuc ſe in ſella faciebat deferri. A quo dum nos, qui ei ſerviebamus, eum quia multum exinde fatigabatur, declinare niteremur; vix quinto ante ſui exitus die evincere potuimus. Exinde ergo aſsidue lecto decubans, anhela voce omnes, qui ad eum accedere merebantur, in ſuo quemque ordine Deo vivere hortabatur. Illuxerat Dominica dies palmarum, & nos pro more circa eum ſedebamus. Dixit itaque ei unus noſtrum: Domine Pater, ut nobis intelligi datur, ad Paſchalem Domini tui Curiam, relicto ſæculo, vadis. Reſpondit: Equidem ſi voluntas ejus in hoc eſt, voluntati ejus libens parebo. Verum ſi mallet me adhuc inter vos ſaltem tamdiu manere, donec quæſtionem, quam de origine animæ mente revolvo, abſolvere poſſem, gratioſus acciperem, eò quod nèscio utrum aliquis eam me defuncto ſit abſolutunus. Ego quippe ſi comedere poſſem, ſpero convalescerem. Nam nihil doloris in aliqua corporis parte ſentio, niſi quod laſſescente ſtomacho, ob cibum quem capere nequit, totus deficio.

NOTA.

105 Vesperascente dehinc feria tertia, cum ipſe verba, quæ intelligi poſſent, edere jam nulla valeret, rogatus à Radulpho Roſenſi Epiſcopo, ut nobis qui aderamus, & aliis filiis ſuis, Regi quoque, & Reginæ cum liberis eorum ac populo terræ qui in ejus obedientia ſe ſub Deo tenuerat, ſuam abſolutionem ac benedictionem largiretur, dexteram quaſi nihil mali pateretur, erexit, & ſigno Sanctæ Crucis edito, demiſso capite ſedit. Jam Fratrum Conventus in majori Eccleſia matutinas Laudes decantabant, & unus eorum qui circa Patrem excubabant, ſumpto textu Evangeliorum legit Paſionem coram eo, quæ ipſa die ad Miſſam legi debebat. Ubi autem venit

ad

* Al. Exercitationibus.

ad verba Domini, *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, ſicut disposuit mihi Pater meus Regnum, ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo*, lentius ſolito ſpiritum trahere cœpit. Senſimus igitur eum jam jam obiturum, & de lecto ſuper cilicium, & cineres poſitus eſt. Adunatoque circa eum universo filiorum ſuorum agmine, ultimum ſpiritum in manu creatoris emitens, dormivit in pace. Tranſiit autem, illuceſcente aurora quartæ feriæ præcedentis Cœnam Domini, quæ erat XI. Kalendas Maii, anno videlicet Dominicæ Incarnationis milleſimo centesimo nono, qui fuit annus Pontificatus ejus decimus ſextus, vitæ vero ſeptuageſimus ſextus.

NOTA.

106 Loto igitur ex more corpore ejus, petiit ſupra ſæpe memoratus rerum Anſelmi proviſor ac dispenſator Balduinus, quatenus facies Patris balſamo, quod admodum parum in parvulo vase ſibi, majori ejus parte perdita, remanserat, inungeretur, ſperans atque peroptans eo modo illam vel modice amplius ſervatum iri ne corrumperetur. Acquievimus, viri induſtriam amplectentes. Vas ergo ipſius liquoris in manum Episcopus ſumpſit, & uncturus vultum defuncti, digitum fundo vaſis immerſit. Quem illico extrahens, ſed vix ſummitatem ſui digiti madefactam reperiens, ratus eſt balſamum ipſum ungendæ faciei haud quaquam poſſe ſufficere. Quapropter rogat, balſamum quod conficiendo Chrismati in majori Eccleſia ſervabatur, afferri, cupiens videlicet una cum capite dexteram ejus, per quæ multa bona atque divina dixerat, & ſcripſerat, tali unctura honorari. In his cum Episcopo eram, & eum in miniſterio illo juvabam. Impreſsi poſt eum in vas balſami digitum meum, & æque aut certe minus digito ejus madentem extraxi. Itaque rogatus Episcopus mihi vas in palmam verſare, ſi forte inde aliqua gutta defluereret; acquievit, & illico ſtupentibus cunctis liquor deſiliens, copia ſui manum meam complevit, & ſuper efluxit. Hoc ipſum ſecundo, & tertio, ac ſæpius factum eſt. Et quid dicam? Tantam abundantiam balſami vas ferme vacuum miniſtravit, ut intacto vase Eccleſiæ, non ſolum caput & manus, ſed & brachia, pectus, pedes quoque, & totum corpus ejus non una ſed ſæpius repetita vice omni ex parte inungeremus. Dehinc more ſummi Pontificis veſtibus eſt ſacris indutus, & in Oratorium debita cum veneratione delatus.

107 In Craſtino autem cùm ſepulturæ traderetur, ſarcophagum quod illi fuerat pluribus retroactis diebus præparatum, longitudine quidem, & latitudine aptum ſed profunditate magna ex parte minus habens inventum eſt. Quod conſiderantes, animo deficiebamus, nulla ſcilicet ratione pati valentes, ut ſuperiori lapide preſſus, ſua integritate aliquatenus læſus privaretur. Cum itaque in hoc plurimi fluctuarent, & alii ſic, alii vero ſic rem poſſe componi dictitarent; quidam ex conferta multitudine Fratrum, acceptum baculum Episcopi Roſenſis, qui funeris officium præſens agebat, per transversum ſarcophagi ſuper corpus Patris ducere cœpit, & jam illud omni ex parte corpori jacentis præeminere magna nobis exinde admiratione permotis, invenit. Ita ergo venerabile corpus Patris Anſelmi Cantuarienſis Archiepiscopi ac Primatis totius Britanniæ, ſepulcro inclusum, quid conditio ſortis humanæ habeat, in ſe omnes qui pertranſeunt, ſui exemplo manet attendere. Sane in obitu & poſt obitum ejus, multa à multis visa narrantur, quæ gloriam ejus, quam pro meritis ſuis eum recepiſſe à Deo non dubitamus, atteſtantur. Quibus tamen ſcribendis

laborem intrare noluimus, magis videlicet eligentes silentio nostro omnes, qui dormiendo ea viderunt, pares facere, quàm ista scribendo, illa non scribendo, unum alii quasi potiora viderit anteferre. Ut enim cuncta scribantur, infiniti negotii est. Aperte denique facta, quæ Deus per ipsum facere dignatus est, & nos talium nudi pro posse digessimus, puto sufficere ad notitiam retributionis, & conversationis vitæ ejus. Sit itaque Deo Patri omnipotenti, & Filio, & Sancto Spiritui laus, & gratiarum actio, nunc, & per omnia sæculorum sæcula. Amen.

OPERA THEOLOGICA S. ANSELMI CANTUARIENSIS cum Commentariis.

SUPER MONOLOGIUM.

CENSURA DOMNI GABRIELIS GERBERONII Monachi Congregationis S. Mauri.

1 HUNC librum habent omnes editiones, & illum Anselmo adjudicant omnia cum excusa tum manuscripta. Illius ipse meminit pluribus in locis.

2 Hoc opus quo ordine, & qua ætate scriptum sit, non ita constat. Illud post quatuor Dialogos, de quibus infra, scriptum innuere videtur Edmerus, ex cujus fide idem cœteri censent quintum locum huic operi concedentes. Verum hujusce libri mentio multa fit in 1. capite primi horumce dialogorum, dialogi videlicet *de Veritate*. Unde confici videtur hunc librum huiusmodi dialogis non esse posteriorem. Pater Theophilus Raynaudus putat ista ex Monologio postea inserta seu attexta fuisse huic dialogo. Cui conjecturæ favere videtur quod nomen Monologii, quo eo in capite liber iste vocatur, non fuerit ei præfixum, nisi diu post editos hujusmodo dialogos. Nihilominus tamen fallit hæc conjectatio. Nam hoc quod Discipulus in eo primo capite adduxerat ex Monologio, id in decimo ejusdem dialogi capite Magister ex industria exponendum resumit, & benè positum sic demonstrat, ut Discipulus nihil ejus rationi posse objici respondeat. Totam igitur hujusce dialogi seriem attendenti, ista ex Monologio non fuisse huic dialogo adjecta, liquet. Adde quod omnia Mss. sic legunt. Nec Edmerus hoc opus post dialogos editum asserit; sed postquam ab Anselmo scriptos fuisse hosce dialogos dixit, subjungit: *Fecit quoque libellum unum quem Monologion appellavit.* Quæ verba non arguunt hunc librum non nisi post dialogos prodiisse. Quod autem Monologij nomine liber ille proferatur in primo, & decimo, aliàs undecimo, capite illius dialogi, facile censuerim hoc adpositum, postquam Anselmus hujus operis titulum immutaverit, & Monologium vocitari voluit. Constat ergo hoc opus ab Anselmo esse compositum, antequam dialogum *de Veritate* scripserit.

3 Verum non scriptionis ordine duntaxat, sed & argumenti dignitate primum est. In eo enim pluribus, & quidem necessarijs rationibus, sine scripturarum authorite, S. Anselmus in persona alicujus secum ratiocinantis probat quidquid fide de Dei existentia, & essentia credimus. Hinc illud opus inscripserit *Exemplum meditandi de ratione fidei*, nullo Authoris nomine præposito, ut præfert Ms. Sagiense, quod propterea ceteris antiquius ducimus: deinde Monologium nuncupavit. Hugone vero Lugdunensi Archiepiscopo jubente, ut nomen suum illi præscriberet, ipse jam Abbas Beccensis, illud Monologium, id est, Soliloquium nominavit. Hæc ex ipso discere est in eius Prologo ad Proslogion, & in capitibus quarto, & nono libri de fide Trinitatis, & de Incarnatione Verbi, & in Epistola ejus ad Hugonem quæ est 17. lib. 2. & in Epistola ad Landfrancum, quæ est 63. lib. 1. & in Epistola ad Mauricium quæ est 65. ejusdem libri.

4 Hunc autem librum instantibus suis Monachis, & maxime Mauricio, Anselmus tum Becci Prior scripsit, & antequam evulgaret, corrigendum Landfranco jam tum Archiepiscopo misit, ut ipse suis ad Eum Epistolis testatur. Vide lib. 4. Epist. 102. & lib. 1. Ep. 63.

5 Cum autem S. Anselmus eo in libro dixisset non propriè in Deo dici tres substantias &c. inde à nonnullis reprehensus est, à quorum censura se vindicavit. B. Augustini authoritate, ut ipse adhuc Prior scribit Rainaldo Abbati in Ep. quæ est 14. lib. 1. Landfranco Archiepiscopo in Ep. quæ est 68. lib. 1. Hactenus censura Gerberonij.

6 Ut autem quod hic de titulo libri ait, perfectius intelligas, Lector, lege ipsum prologum ad Proslogion, quem citat. Interpretatio à S. Doctore his vocabulis *Monologion atque Proslogion* ibi adhibita, absdubio legitima est. Hæc quippe vocabula græca sunt; & radices hujus nominis *Monologion* sunt certe *monos ac logos*; *monos* idem

est

eſt quod latine unus vel ſolus: *logos* autem idem quod ſermo, diſcurſus, ratio. Itaque ex utroque, immutata tantillum terminatione, *Monologion* conficitur, quod latinè ſonat *Soliloquium*; ſive etiam ſermo ac ratiocinium unius ſecum ſolo; quod propoſito, & officio S. Anſelmi in hocce opusculo aptiſsimè congruit. Vocabulum autem *Proslogion* eodem modo componitur ex græca præpoſitione *pros*, quæ frequenter idem, quod *ad* latina ſignificat; & *logos* de quo jam locuti ſumus. Unde fit ut *Proslogion* id ſignificet græcè, quod latinè alloquium: & hoc eſt quod in illo pretioſo libello S. Anſelmus agit, alloqui ſcilicet ad Deum, altiſsima meditatione de natura divina cogitando.

SANCTI ANSELMI CANTUARIENSIS Archiepiscopi

DE DIVINITATIS ESSENTIA

MONOLOGIUM.

PRÆFATIO.

QUIDAM fratres ſæpe me ſtudioſeque precati ſunt, ut quædam quæ illis de meditanda Divinitatis eſſentia, & quibusdam aliis huic meditationi cohærentibus, uſitato ſermone colloquendo protuleram, ſub quodam eis meditationis exemplo deſcriberem. Cujus ſcilicet ſcribendæ meditationis magis ſecundum ſuam voluntatem, quàm ſecundum rei facilitatem, aut meam poſsibilitatem, hanc mihi formam præſtituerunt: quatenus auctoritate Scripturæ penitus nihil in ea perſuaderetur; ſed quicquid per ſingulas inveſtigationes finis aſſereret, id ita eſſe plano ſtylo, & vulgaribus argumentis, ſimplicique disputatione, & rationis neceſsitas breviter cogeret, & veritatis claritas * patenter oſtenderet. Voluerunt etiam ut nec ſimplicibus peneque fatuis objectionibus mihi occurrentibus obviare contemnerem. Quod quidem diu tentare recuſavi, atque mecum reipſa comparans, multis me rationibus excuſare tentavi: quanto enim id quod petebant uſu ſibi optabant facilius; tanto mihi illud actu injungebant difficilius. Tandem tamen victus, tum precum modeſta importunitate, tum ſtudii eorum non contemnenda honeſtate; invitus quidem propter rei difficultatem, & ingenii mei inbellicitatem, quod precabantur incœpi: ſed libenter propter eorum charitatem, quantum potui ſecundum ipsorum definitionem effeci. Ad quod cum ea ſpe ſim adductus, ut quicquid facerem, illis ſolis, à quibus exigebatur, eſſet notum, & paulo poſt idipſum, ut vilem rem faſtidientibus, contemptu eſſet obruendum (ſcio enim me in eo non tam precantibus ſatisfacere eisdem potuiſſe, quàm precibus me prosequentibus finem poſuiſſe) Nescio tamen quo pacto ſic præter ſpem evenit, ut non ſolùm prædicti fratres; ſed & plures alii ſcripturam ipſam, quisque eam ſibi transcribendo in longum memoriæ commendare ſatagerent: quam ego ſæpe retractans nihil potui invenire me in ea dixiſſe, quod non Catholicorum Patrum, & maxime beati Auguſtini, ſcriptis cohæreat. Quapropter ſi cui videbitur quod in eodem opusculo aliquid protulerim, quod aut nimis novum ſit, aut à veritate diſſentiat: rogo ne ſtatim me aut * præſumptorem novitatum, aut falſitatis aſſertorem exclamet: sed prius libros præfati Doctoris Auguſtini de Trinitate diligenter perspiciat, deinde ſecundum eos opusculum meum dijudicet. Quod enim dixi ſummam Trinitatem poſſe dici tres ſubſtantias, Græcos ſecutus ſum, qui

* Al. claritatem

* Al. aut ut.

qui confitentur tres ſubſtantias in una eſſentia, * eadem fide, qua nos tres perſonas in una ſubſtantia. Nam hoc ſignificant in Deo per subſtantiam, quod nos per perſonam. Quæcumque autem ibi dixi, ſub perſona ſecum ſola cogitatione diſputantis, & inveſtigantis ea, quæ prius non animadvertiſſet, prolata ſunt: ſicut ſciebam illos velle quorum petitioni obſequi intendebam. Precor autem, & obſecro vehementer, ſi quis hoc opusculum voluerit transcribere, ut hanc præfationem in capite libelli ante ipſa capitula ſtudeat præponere. Multum enim prodeſſe puto ad intelligenda ea quæ legerit ibi, ſi quis prius, qua intentione, quove modo disputata ſint, cognoverit. Puto etiam quòd ſi quis hanc ipſam præfationem viderit prius, non temere judicabit, ſi quid contra ſuam opinionem prolatum invenerit.

* Al. una perſona.

PRÆFATIO.

Quidam Fratres, &c. ¶

COMMENTARIUS.

1 Quantum moræ, quantumque conſilii, antequam ſuum ederet Monologium, animi pendulum Anſelmum tenuerint, non ſolum ex hac præfatione, verum etiam ex Epiſt. 65. ac 68. lib. 1. satis conſtat. Hæc in medium afferre ſufficiat ex Epiſt. 68. ad Cantuarienſem Archiepiſcopum Landfrancum ſcripta. *De illis*, inquit Anſelmus, *quæ in illo opusculo dicta sunt, quæ salubri, sapientique consilio monetis in statera mentis solertius appendenda; & cùm eruditis in sacris codicibus conferenda; & ubi ratio deficit, divinis authoritatibus accingenda; hæc & post paternam amabilemque vestram admonitionem, & antè feci, quantum potui. Nam hæc mea fuit intentio per totam illam qualemcumque disputationem, ut omnino nihil ibi assererem nisi quod aut canonicis, aut beati Augustini dictis incunctanter posse defendi viderem: & nunc quotiescumque ea, quæ dixi, retracto, nihil aliud me asseruisse perceipere possum.* Ex hac itaque Epiſtola & ex præſenti præfatione non ſolum liquet, quod dixi, ſed etiam memoriâ tanquam notabile eſt retinendum quòd in hocce opusculo quidquid dicitur, ſive afferitur, Catholicorum ſcriptis Patrum cohæret, & maximè B. Auguſtini. Unde colligitur falſum fuiſſe in ſua Bibliotheca Dominum Du-Pin, dum dixit, D. Anselmum, ſi excipias D. Auguſtinum, parum in lectione Patrum verſatum fuisse videri. Hæc ſola præfatio contrarium ſuadet, oſtenditque. Præterea hi qualescumque commentarii legenti, ut puto, hoc idem manifeſtabunt. Verum eſt tamen Patrem magis noſtro Anſelmo familiarem fuiſſe S. Auguſtinum. In hoc præsertim opusculo, quàm consona sit ejus libris de Trinit. Anſelmi doctrina, ex remiſsionibus quas faciemus, & collationibus comprobabitur. Neque propterea merum abbreviatorem, non verum Authorem judices Anſelmum. Nam præterquamquod nonnihil de ſuo dicit, id eſt, *quod aut alibi non legit, aut non meminerat se legisse*, ut ipsemet in lib. De Fide Trin. & de Incarnat. Verbi cap. 4. ait: præter hoc, inquam, ipse ſuopte ingenio in primis jacit operi fundamenta, ſuperædificat deinde rectâ quidem methodo sibi cohærentes egregias concluſiones, quibus, omni Sacræ Scripturæ ac Patrum prætermiſsa authoritate, probat per ſolidas, profundasque rationes exiſtentiam unius Dei, creatoris rerum omnium, attributa divinitatis, divinas proceſsiones, Trinitatem personarum, ſupremam de omnibus providentiam, atque etiam, quaſi ex obliquo, immortalitatem animæ rationalis, ipſiusque vel prædeſtinationem, vel reprobationem. Stylus verò pro majori parte eſt ſcholasticus, versando rationes, & argumenta in utramque partem.

2 *Quod enim dixi summam Trinitatem posse dici tres substantias &c.* ¶ Hoc dixit in cap. 78. ſecundum Græcos, qui dicunt unam *Ousiam*, ſeu eſſentiam, tres *Hypoſtases*, ſive ſubſtantias. In Epiſt. verò 103. lib. 4. mendum irrepſit, ubi loco *unam eſſentiam* poſitum eſt *unam personam*. Nullibi S. Aug. in ſuis libris de Trin. dicit Græcos aſſerere in Deo unam perſonam, tres ſubſtantias; ſed unam eſſentiam, tres subſtantias. Lege lib. 5. de Trin. cap. 8. & lib. 7. cap. 4. & uſque ad 7. quibus duntaxat locis de hoc agit. Itaque ex his, & ex hac Anſelmi præfatione, & inſuper ex cap. ul-

timo lib. de fide Trinit. prædicta Epistola corrigenda est. Idem erratum in aliis editionibus hujus præfationis, ut ad marginem notat Gerberonius.

3 *Quæcumque autem ibi dixi.*) Ex his verbis patet quod supra dixi, S. Doctorem in hoc opere disputatoris, & indagatoris personam agere; cujus est non omnia asserendo dicere, sed modo pro hac, modó pro parte contraria disputare, ratiocinari. Quocirca S. Doctor suum vult monitum Lectorem, obsecratque vehementer, ne ipsum prætereat ista præfatio: ut nempe sciat quæ fuerit ejus in hocce opusculo intentio, qualisque tractandi modus, ne objectiones confundat cum assertis, hæcve cum objectionibus.

CAPUT I.

Quod sit quiddam optimum, & maximum, & summum omnium quæ sunt.

SI quis unam naturam summam omnium quæ sunt, solam sibi in æterna beatitudine sua sufficientem; omnibusque rebus aliis hoc ipsum quod aliquid sunt, aut quod aliquo modo bene sunt per omnipotentem bonitatem suam dantem; aliaque perplura, quæ de Deo, sive de ejus creatura necessario credimus, aut audiendo aut non credendo ignorat: puto quia ea ipsa ex magna parte, si vel mediocris ingenii est, potest ipse sibi saltem sola ratione persuadere. Quod cum multis modis facere possit; unum ponam, quem illi extimo esse promptissimum. Etenim cum omnes frui solis his appetant, quæ bona putant; in promptu est, ut aliquando mentis oculum convertat ad investigandum illud, unde sunt bona ea ipsa, quæ non appetit, nisi quia judicat esse bona: ut deinde ratione ducente, & illa prosequente * ad ea, quæ irrationabiliter ignorat, rationabiliter proficiat. In quo tamen si quid dixero, quod major non monstret auctoritas, sic volo accipi, ut quamvis ex rationibus, quæ mihi videbuntur, quasi necessarium concludatur; non ob hoc tamen omnino necessarium, sed tantum sic interim videri posse dicatur. Facile est igitur ut aliquis * sic secum tacitus dicat: cum tam innumerabilia bona sint, quorum tam multam diversitatem, & sensibus corporeis experimur, & ratione mentis discernimus; est ne credendum esse unum aliquid, per quod unum sint bona quæcumque bona sunt: an sunt bona alia per aliud? Certissimum quidem, & omnibus est volentibus advertere perspicuum quia quæcumque dicuntur aliquid, ita ut ad invicem magis, aut minus, aut æqualiter dicantur; per aliquid dicuntur, quod non aliud & aliud, sed idem intelligitur in diversis, sive in illis æqualiter sive inæqualiter consideretur. Nam quæcumque justa dicuntur ad invicem, sive pariter, sive magis vel minus, non possunt intelligi justa nisi per justitiam, quæ non est aliud, & aliud in diversis. Ergo cum certum sit quód omnia bona, si adinvicem conferantur, aut æqualiter, aut inæqualiter sint bona: necesse est, ut omnia sint per aliquid bona, quod intelligitur idem in diversis bonis, licet aliquando videantur bona dici alia per aliud. Per aliud enim videtur dici bonus equus, quia fortis est: & per aliud bonus equus quia velox est. Cum enim videatur dici bonus per fortitudinem, & bonus per velocitatem: non idem videtur esse velocitas & fortitudo. Verum si equus quia est fortis & velox, id circo bonus est: quomodo fortis & velox latro malus est? Potius igitur quemadmodum fortis, & velox latro malus est, quia noxius est: ita fortis & velox equus idcirco bonus est, quia utilis est. Et quidem nihil solet putari bonum, nisi aut propter utilitatem aliquam, ut bo-

* Al. persequente.

* Al. Sit qui secum.

na

na dicitur ſalus & quæ ſaluti proſunt, aut propter quamlibet honeſtatem: ſicut pulchritudo extimatur bona & quæ pulchritudinem juvant. Sed quoniam jam perſpecta ratio nullo poteſt diſſolvi pacto, neceſſe eſt omne quoque utile vel honeſtum, ſi vere bona ſunt, per idipſum eſſe bona, per quod neceſſe eſt cuncta eſſe bona, quicquid ſit. Quis autem dubitet illud ipſum, per quod cuncta ſunt bona, eſſe magnum bonum? Illud igitur eſt bonum perſeipſum, quoniam omne bonum eſt per ipſum. Ergo conſequitur ut omnia alia bona ſint per aliud quàm quod ipſa ſunt: & ipſum ſolum per ſeipſum. At nullum bonum quod per aliud eſt, eſt æquale aut majus eo bono quod per ſe eſt bonum. Illud itaque ſolum eſt ſummè bonum, quod ſolum eſt per ſe bonum. Id enim ſummum eſt, quod ſic ſuperemi-nit aliis, ut nec par habeat, nec præſtantius. Sed quod eſt ſummè bonum, eſt etiam ſummè magnum. Eſt igitur unum aliquid ſummè magnum & ſummè bonum, id eſt, ſummum omnium quæ ſunt.

COMENTARIUS.

CAPIT I.

Si quis unam naturam, &c. ¶

1 Ab hoc capite usque ad 5. varijs modis unum, & idem perſuadere, animumque convincere intendit Anselmus: unum ſcilicet Deum eſſe, non plures, ſive unam ſolam ſupremam eſſentiam, ſubſtantiam, naturam, quæ per se, vel à ſe, non ab alio, ſit. S. Doctor non tam ad vocem *Deus*, quantum ad rem, vocisque ſignificatum attendit. Quapropter, & quia non ex principijs fidei, ſed ex his dumtaxat quæ rationis lumen ſuggerere valet, ſibi propoſuit in hocce opusculo agere; propterea hac voce *Deus* non utitur usque ad poſtremum caput. Probare namque ſola ratione voluit non solum Deum Philosophorum, sed etiam Chriſtianorum, id eſt, qualem fides Chriſtiana credit. Philosophi, etiam omnium celeberrimi, ut Plato, & Ariſtoteles, opinati ſunt, duo eſſe prima ingenita, ſeu increata principia, unum activum, paſsivum alterum. Activum ajebant eſſe Deum: paſsivum vero materiam. Hunc errorem ſtatim à principio deſtruere vult noſter Anſelmus. Itaque incipit Monologium per hæc verba: *Si quis unam naturam summam omnium quæ sunt, solam sibi in æterna beatitudine sua snfficientem; omnibusque rebus alijs hoc ipsum quod aliquid sunt, aut quod aliquo modo bene sunt, per omnipotentem bonitatem suam dantem, & facientem, &c.* Ubi vides intentionem probandi unam summam naturam omnium quæ sunt, dantem, & facientem omnibus alijs rebus hoc ipſum quod aliquid sunt. At prima materia nonnihil eſt. Ergo, &c.

2 Neque tamen omnia demonſtrare ſibi proponit; sed quædam sola ratione *persuadere*. Rationes vero tanto firmiores sunt, quanto magis metaphyſicæ, capiunturque magis per intellectum quàm per sensum.

3 *Quod cum multis modis facere possit, &c.* ¶ Ingenuè hoc loci Anselmus fatetur, alias præter suas demonſtrandi verum Deum eſſe rationes. Sicut enim ipse præfatione ad librum de Fide Trinitatis, & Incarnatione Verbi nos docet, *veritatis ratio tam ampla, tamque profunda est, ut à mortalibus nequeat exhauriri.* Et in prologo ad librum de conceptu virginali, & originali peccato: *nihil prohibet ejusdem rei rationes plures esse, quarum unaquæque sola potest sufficere.*

4 *Unum ponam, quem illi extimo esse promptissimum etenim cum omnes frui solis his appetant, quæ bona putant, &c.* ¶ Promptissimum eſſe, inquit, quod cuique occurrat, undenam ſint bona quæ appetit: tum quia intus in corde suo indefinenter experitur, & sentit appetitum seu appetitionem boni. *Certissimum est*, inquit D. Auguſtinus 13. de Trinit. cap. 5. *omnes volunt esse beati.* Tum quia naturale cuique aliquando deſiderare scire perfectè, noscereve illud quod amat. Ad cognitionem perfectam rei cujusque spectat, undenam, aut à quibus principijs cauſisve ſit vel non ſit.

5 *In quo tamen si quid dixero, quod maior non monstret authoritas, &c.* ¶ Eamdem oſtendit modeſtiam, & fere ijsdem omnino verbis lib. 2. *Cur Deus homo*

cap.

cap. 2. At ex his verbis, quantumvis modestis, palam confirmatur quod mox dicebamus, Anselmum scilicet non cuncta præsumpsisse evidenter demonstrare, sed multa, vel quædam saltem, idoneis rationibus persuadere. Sic & alij fecêre Patres: sic & D. Thomas fecit.

6 *Facile est igitur ut aliquis sic secum tacitus dicat: cum tam innumerabilia bona sint, &c.* ¶ Hinc iam prima incipit probatio existentiæ Dei per existentiam summi boni. Diximus supra, S. Doctorem non tam attendere ad Dei nominis significationem secundum originem vocis, seu potius non tam attendere ad vocem, quàm ad rem à Christianis intellectam per hanc vocem *Deus*. Itaque probatio fundatur in similitudine rationis bonitatis, in qua opus est, ut cuncta bona conveniant. *Nam quæcumque similia sunt*, ait D. Thomas qnæst. 2. de Scientia Dei art. 14. in corp. *necesse est, ut vel unum sit causa alterius, vel utrumque ab una causa causentur.* Et qua st. 3. de Creat. art. 5. in corp. *Oportet, si aliquid unum communiter in pluribus inveniatur, quòd ab aliqua una causa in illis causetur: non enim potest esse quòd illud commune utrique ex seipso conveniat, cùm utrumque secundum quod ipsum est, ab altero distinguatur: & diversitas causarum diversos effectus producit.* Idem, alijs licèt vocibus, multis ante retrò sæculis dixerat Athenagoras, Legatione pro Christianis. *Ingeniti, inquit, minime similes. Nam quæ genita sunt, exemplaribus similia sunt: ingenita vero dissimilia, cum nec ab alio orta, nec ad aliud expressa sunt.* Et ratio est, quia similitudo fit per convenientiam duorum aut multorum in aliquo uno, sive per comparationem ad aliquid unum. Hoc est quod dicit Author, *esse volensibus advertere perspicuum, quia quæcumque dicuntur aliquid, ita ut ad invicem magis aut minus aut æqualiter dicantur, per aliquid dicantur, quod non aliud, & aliud, sed idem intelligitur in diversis.* In diversis nulla est comparatio æqualitatis, aut inæqualitatis: non enim potest dici quod hic homo magis vel minus vel æquè sit justus, quam alter, nisi ab utroque eadem ratio participetur justitiæ. Una autem & eadem quælibet ratio non potest participari ex diversis principiis, vel causis. Nam diversa diversa causant: sicut à contrario, similia causant similia. Quòd autem similia sint incausata, est impossibile. Vel enim non participativè, sed totaliter, & indivisè est illud in quo dicuntur similia; vel non totaliter, sed per participationem. Si primum; non tam similia quàm unum, & idem erunt, neque jam multa erunt. Si secundum; ab alio habent ut participent illud in quo dicuntur similia. Quod enim participatur, prius in aliquo plene ac totum sit necesse est. Et si non ab alio, sed à se illud haberent; cur non & totum & plene? Quis leges aut metas ipsis præfigeret? Quòd vero similia eò sint similia, quòd causentur ad invicem, patet quàm penitus impossibile hoc sit. *Quoniam*, ut verissime dicit Author in cap. 3. *irrationalis cogitatio est ut aliqua res sit per illud cui dat esse.* Restat igitur, ut quæcumque sunt bona, vel æquè, vel magis, vel minus, non sint bona à se, neque unum ab alio reciproce; sed sicut per unam, & eamdem rationem participatæ bonitatis, ita sint omnia ab uno principio bono, quod non ab alio sed per se vèl à se bonum sit. Hoc autem erit abs dubio super omnia bonum. *Nullum namque bonum*, ut recte in fine hujus capitis dicit Author, *quod per aliud est, est æquale aut majus eo bono quod per se est bonum.* Quoniam quod per se, sive à se bonum, est ipsum bonum sine limite, sine modo, non in hoc vel illo genere tantum, aut hoc vel eo dumtaxat modo, quod proprium est boni participati; sed est bonum simpliciter perfectum, & infinitum in omni genere bonitatis. *Bonum hoc & bonum illud*, inquid August. 8. de Trinitat. cap. 3. *tolle hoc, & tolle illud, & vide ipsum bonum, si potest: ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed bonum omnis boni. Hoc autem*, infer Author, *est summe bonum :: id enim summum est, quod sic supereminet alijs, ut nec par habeat, nec præstantius.* Cùm igitur probatum maneat ab ipso Authore, vere existere unum bonum, quod per se bonum est, à quo sunt cætera cuncta: pariter eo ipso probatum est, verè existere summum bonum, quod per se optimum & maximum est. Hoc autem bonum est quod omnes intelligimus per hoc nomen *Deus*; hoc autem est quod omnes Deum appellamus & adoramus. Existit ergo verus Deus.

7 *Sed quod est summe bonum, est etiam summe magnum &c.* ¶ Subinfert Author id quod in cap. seq. ex proposito ostensurus est, & consimili ratione approbaturus; existere nempe Deum summe bonum, & summè magnum. Ait namque Deum existere summè magnum, quia existit summè bonus. Magnitudo hæc est magnitudo non quantitatis, non corporis, sed magnitudo perfectionis. Hanc magnitudinem Scriptura Sacra Deo frequenter attribuit. Sufficiat illa in medium adducere: *Magnus Dominus,*

&

& laudabilis nimis. Si ergo magnitudo eſt incrementum ; ubi fuerint multa bona, erit abſdubio magnitudo bonitatis : ubi vero omnia, & summa bona, erit proinde magnitudo ſumma. Recte ergo colligit Author ſumme bonum eſſe ſumme magnum : & ex eo quod exiſtat ſumme bonum, exiſtere ſumme magnum, id eſt ſummum, & maximum omnium quæ ſunt. Hucusque prima Anselmi de exiſtentia Dei ratio.

8 Sed antequam hinc recedamus, & ad ſequens caput transeamus, aliquid dicere, & exponere debemus super illa verba : *& quidem nihil solet putari bonum, nisi aut propter utilitatem aliquam &c.* ¶ In quibus oppoſitus Author apparet Angelico Præceptori, qui 1. part. quæſt. 5. art. 6. bonum dividit, citando pro hoc S. Ambroſium, in honeſtum, utile, & delectabile. Cæterum Author noſter ad ſuum non indigebat propoſitum tam exactè & adamuſsim procedere in partitione boni. Quapropter ait: *nihil solet putari bonum &c.* non autem dicit, nullum aliud eſt, vel poteſt eſſe bonum. Præterquam quod cùm bonum delectabile non reperiatur niſi cum aliqua utilitate, vel licita, vel prohibita ; qui exprimit bonum utile, implicite profert bonum delectabile. Vel denique reſponderi poteſt quòd cum delectabile, ut dividitur contra honeſtum, atque utile, frequenter præſeferat turpitudinem, propterea, ne videatur à Deo quoque turpitudinem eſſe, abſtinuit ab expreſsione boni delectabilis. Pulchritudo vero ideo ab Authore bonum appellatur honeſtum, quia ex deformitate quaſi verecundia afficimur, & dehoneſtamur.

CAPUT II.

DE EADEM RE.

QUemadmodum autem inventum eſt aliquid eſſe ſumme bonum : quoniam cuncta bona per unum aliquid ſunt bona, quod eſt bonum per ſeipſum : ſic ex neceſsitate colligitur aliquid eſſe ſumme magnum quoniam quæcunque magna ſunt, per unum aliquid magna ſunt, quod magnum eſt per ſeipſum. Dico autem non magnum ſpatio, ut eſt corpus aliquod : ſed quod quanto majus, tanto melius eſt aut dignius, ut eſt ſapientia. Et quouiam non poteſt eſſe ſumme magnum, niſi id quod eſt ſumme bonum : neceſſe eſt aliqnid eſſe maximum, & optimum, id eſt, ſummum omnium quæ ſunt.

COMMENTARIUS.

CAPIT. II.

Quemadmodum autem inventum eſt. &c. ¶

Jam diximus Authorem in hoc capite conſimili via, & ratione probare exiſtentiam alicujus ſumme magni. Sic ergo probat. Sicut quæcumque bona ſunt, per unum aliquid bona ſunt, non autem per diverſa ; ita quæcumque magna ſunt, per unum aliquid, id eſt, per unam, & eamdem rationem magnitudinis, sunt magna. Ergo ſicut omnia bona referuntur tamquam ad primum principium ad unum bonum, quod bonum ſit per ipſum ; ita neceſſe eſt, ut omnia quæ magna sunt, ad unum magnum reducantur, tamquam ad principium, quod per ſeipſum magnum ſit. Ergo ſicut quod eſt per seipsum bonum, eſt præſtantius omnibus bonis, & ſumme bonum, ut probatum eſt cap. antecedenti : ita quod eſt per ſeipſum magnum, non poteſt non eſſe majus omnibus, & ſumme magnum. Ergo ſicut ex bonitate rerum probatur exiſtere quidpiam ſumme bonum : ita ex rerum magnitudine probatur exiſtere reipſa aliquid ſumme magnum. Igitur ea ipſa ratione, & via qua probatur ex bonitate rerum Deum verum exiſtere, probatur pariter exiſtere ex magnitudine rerum. Hæc Authoris doctrina, & ratio concors eſt doctrinæ D. Auguſtini 5. de Trinit. cap. 8. n. 10. & 8. de Trinit. cap. 3. immò hæc verba ; *Dico autem non magnum spatio, ut est corpus aliquod : sed quod quanto ma-*

majus tanto melius est aut dignius, ut est sapientia, imitantur illa ejusdem Auguſtini 6. de Trinit. cap. 8. *in his, quæ non mole magna sunt, hoc est majus esse, quod melius esse,*

CAPUT III.

Quod ſit quædam natura per quam eſt quicquid eſt & quæ per ſe eſt ſummum omnium quæ ſunt.

DENIQUE non ſolum omnia bona per idem aliquid ſunt bona, & omnia magna per idem aliquid ſunt magna; ſed quicquid eſt, per unum aliquid videtur eſſe. Omne namque quod eſt; aut per aliquid, aut per nihil: ſed nihil eſt per nihil. Non enim vel cogitari poteſt ut ſit aliquid non per aliquid. Quicquid igitur eſt, noniſi per aliquid eſt. Quod cum ita ſit, aut unum, aut ſunt plura, per quæ ſunt cuncta quæ ſunt. Sed ſi ſunt plura, * aut ipſa referuntur ad unum aliquid, per quod ſunt: aut éadem plura ſingula ſunt per ſe: aut ipſa per ſe invicem ſunt. At ſi plura ipsa ſunt per unum, jam non ſunt omnia per plura: Sed potius per illud unum, per quod hæc plura ſunt. Si vero ipſa plura ſingula ſunt per se; utique eſt una aliqua vis vel natura exiſtendi per ſe, qua * habent ut per ſe ſint. Non eſt autem dubium, quòd per id ipſum unum ſit, per quod habent, ut ſint per ſe. Verius ergo per ipsum unum cuncta ſunt, quàm per plura, quæ ſine eo uno eſſe non poſſunt: ut vero plura per ſe invicem ſint, nulla patitur ratio: quoniam irrationalis cogitatio eſt, ut aliqua res ſit per illud cui dat eſſe; nam nec ipſa relativa ſic ſunt per ſe invicem. Nam cum dominus & ſervus referantur ad invicem; & ipſi homines, qui referuntur, omnino non ſunt per invicem: & ipſæ relationes quibus referuntur, non omnino ſunt per invicem, quia eædem ſunt per ſubjecta. Cum itaque veritas omnimodo excludat plura eſſe, per quæ cuncta ſunt: neceſſe eſt unum illud eſſe, per quod ſunt cuncta, quæ ſunt. Quoniam ergo cuncta quæ ſunt, ſunt per ipsum unum: proculdubio, & ipſum unum eſt per ſeipſum. Quæcunque igitur alia ſunt, ſunt per aliud, & ipsum ſolum per ſeipsum. At quicquid eſt per aliud, minus eſt quàm illud per quod cuncta ſunt alia, & quod ſolum eſt per ſe. Quare illud quod eſt per se, maxime omnium eſt. Eſt igitur unum aliquid, quod ſolum maxime, & ſumme omnium eſt: quod autem maxime omnium eſt, & per quod eſt quicquid eſt bonum vel magnum, & omnino quicquid aliquid eſt; id neceſſe eſt eſſe ſumme bonum, & ſumme magnum, & ſummum omnium quæ ſunt. Quare eſt aliquid quod ſive eſſentia, ſive ſubſtantia, ſive natura dicatur, optimum, & maximum eſt, & ſummum omnium quæ ſunt.

* Al. tunc.

* Al. quam.

COMMENTARIUS.

CAPIT. III.

Denique non solum omnia bona per idem aliquid sunt bona &c. ¶

1 Et in hoc capite non alia via, aut modo discurrendi Author ſe gerit quam in ſuperioribus. Ad id eſt intentus ut probet aliquod exiſtere ſummum ens, quod per ſe, non ab alio, exiſtat; ſed potius omnia per ipsum ſint, vel ab ipſo. Quippe per hanc præpoſitionem *per* tam in hoc cap. quàm in præcedentibus, ſignificare Author non vult cauſam formalem, ſed eſſi-

efficientem; loquendo nimirum de his quæ sunt per aliud, non autem de bono vel ente quod est per se: in illo enim *per se* non aliud significat quam existentiam summe necessariam, & sine dependentia ab alio. Lege cap. 6. cum Commentario. Utitur vero præpositione *per*, ut tacitè indicet res factas fuisse non quodam impetu, & necessitate naturæ primi principij, sed per rationem, & ideam, sicut in cap. 5. probat. Itaque hæc 3. ratio probationis huiusmodi est. Ea quæ sunt, non à nihilo sed ab aliquo ente procedunt: quia quæ sunt, nequeunt esse sortiri suum, nisi ab *esse*: aut ergo ab una tantum causa, quæ ab alia non sit, aut à pluribus quæ per se existant, non ab alio. Si dicatur, quòd à pluribus à se existentibus: aut ita hoc intelligitur, ut per se invicem sibi dent esse, vel ad invicem se efficienter causent; & hoc est impossibile: quia quod dat alteri esse, *esse* iam habet; & quod *esse* iam habet, non potest accipere *esse*, quasi illud non habeat. Vel sic intelligitur; ut unumquodque illorum per se existat, non ab invicem se causent, seu efficiant neque ab ullo alio fiant. Sed si ita est; cùm conveniant in existendo per se, profecto una est eademque vis, & natura, à qua habent ut conveniant, similiaque sint in existendo per se. Nam, sicut in 1. cap. sat exposuimus, similia semper ad unum aliquid referuntur, unde accipiant similitudinem. At si unum, & idem aliquid est per quod existunt per se, illa quæ per se dicantur existere; illud potius unum, & idem est quod vere existit per se, alia vero non per se, sed per illud existunt. Itaque illud est quod quærimus, illud est supremum ens, illud est Deus. Si autem impossibile est, ut per se, & simul per aliud existant; necesse penitus est, ut plura non sint in hoc similia quod per se existant; sed potius unum tantummodo, & omnino idem per se, id est, non ab alio, existat.

2 Quòd vero non omnia sint incausata, præterquamquod experientia patet, probatur per idem medium similitudinis, & convenientiæ, per quam prorsus necessarium, ut ad unam vim, & naturam per se existendi, id est non ab alio, reducantur. Et hoc est quod dicit Ang. Mag. in 1. part. q. 2. art. 3. *omne necessarium, inquit, vel habet causam suæ necessitatis aliunde, vel non habet; non est autem possibile quod procedatur in infinitum in necessariis, quæ habent causam suæ necessitatis, sicut nec in causis efficientibus: ergo necesse est ponere aliquid quod sit per se necessarium, non habens causam necessitatis aliunde, sed quod est causa necessitatis alijs: quod omnes dicunt Deum.* Hic D. Thomæ discursus suam vim, & efficaciam habet, non solum ab impossibilitate processionis retrò in infinitum, sed etiam ab Anselmi, & ipsius S. Thomæ doctrina de similitudine rerum, & convenientia, prout explicata manet in cap. 1. & repetita in 2. pariterque in hoc 3.

3 Itaque ex discursu proxime ab Authore formato, ipse colligit unum existere ens quod per se, non ab alio sit, & reliqua omnia entia per ipsum unum, sive ab ipso uno. Et sicut de bonitate in 1. cap. dixit quod bonum per se, vel non ab alio, melius, & præstantius sit omnibus, quæ non per se, sed per aliud, sive ab alio bona sunt: ita pariter, quod per se, non ab alio existit, habet melius, & perfectius *existere*, quàm reliqua cuncta, quæ existunt ab ipso. Et sicut illud bonum quod per se est bonum, & ab eo sunt cætera bona, est summum, optimum, & maximum bonum: ita ens, quod per se est, & existit, & ab eo cætera cuncta sunt, & existunt, est summum, præstantissimum, & maximum ens. Igitur si hoc *ens* non potest esse, nisi unum sive unicum, ut ostensum est; proculdubio existit unum summum, præstantissimum, & maximum *ens*, unde sunt cuncta quæ sunt. Hoc autem est quod omnes intelligimus verum Deum. Existit ergo verus Deus qualem Christiani omnes credunt.

4 Sed si bene consideres, lector, hanc D. Anselmi rationem, intelliges, per ipsam non solum probare rerum creatarum existentias esse à Deo, verum etiam ipsarum, & omnium possibilium methaphysicas essentias: sive hæ essentiæ methaphysicæ aliquid concipiantur esse distinctum à Deo, & aliquatenus extra Deum; sive aliud non sint (quod solum verum cum Authore judico) quàm intra Deum immutabiles, invariabiles, eternèque mente divina conceptæ, & expresæ ideæ. Denique monitum te cupio, ut fixum memoriæ retineas, quòd ex his rationibus, maximè ex hac 3. id colligit Author, unde, tanquam ex quoddam universali firmissimoque principio pendent pro maiori parte, ea quæ in capp. sequentibus, & ferè in toto libro sunt ab ipso Authore afferenda. Nempe Author obliviscitur nunquam, à se probatum unum dumtaxat *ens*, summum, præstantissimum, maximum, & optimum, quod per se, & á nullo alio est, quod est, cætera autem omnia per ipsum, vel ab ipso sunt, quocumque modo sunt. D. Thom. lib. 2. contra Gent. cap. 15. rat. 1. accedit aliquatenus ad probandi modum quo N. Anselmus utitur in hoc cap. Sed proximius accedit in 1. part.

quæst.

quæſt. 44. art. 1. in corp. *Necesse est, inquit, dicere omne quod quocumque modo est, à Deo esse. Si enim aliquid invenitur in aliquo per participationem, necesse est quòd causetur in ipso ab eo cui essentialiter convenit : sicut ferrum fit ignitum ab igne. Ostensum est autem supra, cum de divina simplicitate ageretur, quòd Deus est ipsum esse per se subsistens. Et iterum ostensum est, quod esse subsistens non potest esse nisi unum :: Relinquitur ergo quod omnia alia à Deo, non sint suum esse, sed participant esse. Necesse est igitur, quòd omnia quæ diversificantur secundum diversam participationem essendi, ut sint perfectius, vel minus perfectè, causari ab uno primo ente, quod perfectissime est.* Unde & Plato dixit *quòd necesse est ante omnem multitudinem ponere unitatem.* Et Ariſtot. dicit in 2. *Metaph. quod id quod est maxime ens, & maxime verum, est causa omnis entis, & omnis veri.*

CAPUT IV.

DE EADEM RE.

AMplius : Si quis intendat rerum naturas, velit, nolit, ſentit non eas omnes contineri una dignitatis paritate ; ſed quasdam earum diſtingui graduum imparitate. Qui enim dubitat quod in natura ſua ligno melior ſit equus, & equo præſtantior homo, is profecto non eſt dicendus homo. Cum igitur naturarum aliæ aliis negari non poſsint meliores, nihilominus perſuadet ratio aliquam in eis ſic ſupereminere, ut non habeat ſe ſuperiorem. Si enim hujusmodi graduum diſtinctio ſic eſt infinita, ut nullus ſit ibi gradus ſuperior, quo ſuperior alius non inveniatur; ad hoc ratio deducitur, ut ipſarum multitudo naturarum nullo fine claudatur. Hoc autem nemo non putat absurdum, niſi qui nimis eſt abſurdus. Eſt igitur ex neceſsitate aliqua natura, quæ ſic eſt alicui, vel aliquibus ſuperior, ut nulla ſit cui ordinetur inferior. Hæc vero natura quæ talis eſt, aut ſola eſt, aut plures hujusmodi, & æquales ſunt : verum ſi plures ſunt, & æquales ; cum æquales eſſe non poſsint per diverſa quædam, ſed per idem aliquid ; illud unum per quod æqualiter tam magnæ ſunt, aut eſt idipſum quod ipſæ ſunt, id eſt, ipſa * earum eſſentia, aut aliud quàm quod ipſæ ſunt. Sed ſi nihil eſt aliud quàm ipſa earum eſſentia : ſicut earum eſſentiæ non ſunt plures ſed una ; ita, & naturæ non ſunt plures ſed una. Idem naturam hic intelligo, quod eſſentiam. Si vero id per quod plures ipſæ naturæ tam magnæ ſunt, aliud eſt quàm quód ipſæ ſunt, pro certo minores ſunt, quàm id per quod magnæ ſunt. Quicquid enim per aliud eſt magnum, minus eſt quàm id per quod eſt magnum. Quare non ſunt ſic magnæ ut illis nihil aliud ſit majus. Quód ſi nec per hoc quod ſunt, nec per aliud poſsibile eſt tales eſſe plures naturas, quibus nihil ſit præſtantius ; nullo modo poſſunt eſſe naturæ plures hujusmodi. Reſtat igitur unam, & ſolam naturam aliquam eſſe, quæ ſic eſt aliis ſuperior, ut nulli ſit inferior. Sed quod tale eſt, maximum, & optimum eſt omnium quæ ſunt. Eſt igitur quædam natura, quæ eſt ſummum omnium quæ ſunt. Hoc autem eſſe non poteſt, niſi ipſa ſit per ſe id quod eſt ; & cuncta quæ ſunt, ſint per ipſam id quod ſunt. Nam cum paulo ante ratio docuerit id quod per ſe eſt, & per quod alia cuncta ſunt, eſſe ſummum omnium exiſtentium : aut è converſo id quod eſt ſummum, eſt per ſe, & cuncta alia per illud ; aut erunt plurā ſumma. Sed plura ſumma non eſſe manifeſtum eſt. Quare eſt quædam natura vel ſubſtantia vel eſſentia, quæ eſt per ſe bona, & magna, & per ſe eſt id quod eſt, & per

* Al. ipſarum.

per quam eſt quicquid vere aut bonum aut magnum aut aliquid eſt, & quæ eſt ſummum bonum, ſummum magnum, ſummum ens ſive * ſubſiſtens, id eſt, ſummum omnium quæ ſunt.

* Al. exiſtens.

COMMENTARIUS.

CAPIT. IV.

Amplius : Si quis intendat rerum naturas, &c. ¶

1 Quarta ratione probat Anſelmus unam exiſtere naturam omnibus in ſua perfectione atque dignitate ſuperiorem, nulli inferiorem, unde & ſupremam. Probat autem per hoc quod univerſi naturaliter, & neceſſariò cognoscunt, non in uno gradu ſcilicet perfectionis exiſtere naturas, ſed in multis, & disparatibus : ut v. g. ligno melior eſt equus, equo præſtantior homo. Unde infert quòd niſi hæc graduum naturarum quaſi ſcala ſit infinita, ita ut nunquam perveniri queat ad aliquam naturam, quæ non ſit alia ſuperior ; omnino neceſſum eſt, aliquam vel aliquas ſupremas eſſe naturas. Talis quaſi ſcalæ infinitudinem, proceſsionemve graduum naturarum aſſerere semper ſupra, & supra eſſe ſine termino, ita reputat Author absurdum, ut eum qui talia ſentiat vocet absurdum. Qua in phraſi imitatur Auguſtinum ſic loquentem lib. 4. de Trin. cap. 2. n. 6. *an forte quisquam est absurdus, &c.* Neque in hoc solum loco hac phraſi usus eſt Aug.

2 *Hæc vero natura quæ talis est ; aut sola est, aut plures huiusmodi, & æquales sunt, &c.* ¶ Probato quòd in gradibus naturarum supra, & supra ſine fine procedere ſit impoſsibile, atque adeo in aliquo gradu ſiſtere ſit neceſſe ; ultra progreditur Author, probando quod solum reſtabat, una an ſit, pluresve naturæ in hoc gradu ſupremo conſtitutæ. Unam dumtaxat eſſe, non plures, probat : quia ſi plures sunt, æquales erunt in perfectione ; alioquin non in eodem perfectionis erunt gradu, sed in diverso, unaquè tantum ipsarum erit in ſupremo ; unde & illa ſola erit, quam quærimus ſuprema natura. Neceſſe igitur eſt, ut ſi plures ſunt, ſint in perfectione pares. Verum ſi hoc dicatur, inſtauratur ſimilitudinis argumentum traditum in capp. ſuperioribus. Æqualitas namque, ſicut & ſimilitudo eſſe nequit in diverſis prædicatis, ſed in uno eodemque, in illis rebus, quæ ſecundum illud dicuntur æqualia, ſimul invento. Quod præterquamquod ſatis per ſe patet, eſt etiam doctrina D. Auguſtini lib. 6. de Trinit. cap. 3. ubi probat textum Apoſtoli de Chriſto Domino, *qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, intelligi non poſſe de relationibus Patris, & Filii, in quibus non conveniunt, ſed quarum una, neque altera reperitur in utroque ; ſed de amborum una eademque subſtantia in qua convenire poſsunt, seu quæ una eademque eſt in ambobus. Itaque ſimile erit, non diversum, id per quod illæ ſupremæ naturæ, ſi plures ſunt, æquales erunt. Illud autem (prosequitur Author) aut ſic est omnino in duabus naturis simile, quod idem ipsum ſit in eisdem ; vel est ſimile cum aliqua diſsimilitudine : ſi hoc ultimum ; ergo non sunt abſolutè, & ſimpliciter æquales ; quia ut loco citato arguit Augustinus ; ſi Pater, & Filius absolutè æquales ab Apostolo prædicantur, in omnibus neceſſe est ut æquales ſint. Si autem eligatur primum : vel illud idipsum est quod ipsæ naturæ, vel eſſentiæ ; vel non est idem ipſum quod ipſæ eſſentiæ : ſi primum ; ergo non ſunt plures eſſentiæ neque naturæ, ſed una eademque. Si secundum : ergo non ipsæ, quæ dicuntur plures eſſentiæ, supremæ sunt, sed illud majus, & præſtantius eſt illis. *Quidquid enim per aliud est magnum, minus est*, ut inquid Author, *quam id per quod est magnum. Quare non sunt sic magnæ, ut illis nihil aliud sit majus.* Illud ergo potius per quod dicuntur eſſe tam magnæ, erit in supremo gradu perfectionis : ipsum solum erit suprema eſſentia, supremaque natura, illæ autem reipsa non erunt supremæ, sed inferiores. Quapropter dicebat Bernardus 5. de Conſiderat. cap. 1. *Quid est Deus ? id quo nihil melius cogitari potest. Si approbas ; non oportet assentiaris esse id quo Deus sit, & quod Deus non sit. Hoc enim sine dubio melius.* Conficitur itaque impoſsibiles eſſe plures supremas eſſentias atque naturas ; sed omnino neceſſe eſſe, ut una tantummodo eademque suprema eſſentia, & natura ſit : at talis natura non poteſt non eſſe optimum, & maximum omnium

nium quæ ſunt , quod omnes intelligimus Deum. Ergo etiam per hanc quartam Anſelmi rationem demonſtratur exiſtere verum Deum , & unicum Deum.

3 Simili modo arguendi utitur Damascenus lib. 1. de Fide Orthodoxa cap. 5. ad probandum unum dumtaxat Deum eſſe. *Deus , inquit , omnibus modis est perfectus. Quocirca si plures Deos esse asserimus , inter plures discrimen advertere necesse erit : nam si nihil discriminis inter ipsos reperiatur , unus potius est, quàm multi : si autem discrimen aliquod inter eos existit , ubi tandem erit illa perfectio ? Nam sive secundum bonitatem , sive secundum virtutem , sive sapientiam , sive tempus , sive locum , unus subeat discrimen , à perfecto decidit : non itaque fuerit Deus : sin vero per omnia fuerit identitas , unum potius ostendet , & non multos.* In cap. vero 3. tacitè reputat , ſicut noſter Author , progreſſum retro ſine fine, ſine termino , impossibilem. *Oportet* , inquit , *opificem ipsum increatum esse : nam ſi ipse creatus est ; ut omnino ab aliquo creatus ſit oportet : & eo usque procedemus, dum quippiam occurrat increatum :: Hoc autem quid aliud fuerit , quàm Deus ?* D. Thom. 1. part. q. 2. art. 3. pariter judicat impoſsibilem progressionem retro infinitam tam in moventibus quam in cauſis efficientibus , ſi inter se ordinatæ fuerint. Videatur ibi 1. & 2. ratio. Quartam vero sumit ex gradibus , qui in rebus inveniuntur. *Invenitur* , ait , *enim in rebus aliquid magis , & minus bonum , & verum , & nobile: & ſic de aliis huiusmodi.* Hoc medio diverſitatis graduum bonitatis, veritatis , & aliarum perfectionum in rebus repertarum , quamvis D. Thomas ſecundum viam progreſſionis , quousque perveniat ad supremam naturam , non utatur ; tamen hanc diverſitatem graduum dicit eſſe per comparationem ad aliquid unum quod maxime eſt , quod veriſsimum , & optimum , & nobilissimum , & per consequens maxime ens. In quæſt. vero 11. art. 3. in corp. ratione 2. probat Deum unum tantummodo eſſe : quæ quidem ratio ſimilis eſt 1. poſitæ rationi Damasceni , & secundum virtutem rationi Anſelmi. *Ostensum est* , inquit , *quod Deus comprehendit in se totam perfectionem essendi. Si ergo essent plures Dij , oporteret eos differre. Aliquid ergo conveniret uni quod non alteri : & sic ille , in quo esset privatio , non esset ſimpliciter perfectus. Si autem hoc esset , perfectio alteri eorum deesset. Impossibile est ergo esse plures Deos.*

4 *Hoc autem esse non potest , nisi ipsa sit per se id quod est ; & cuncta quæ sunt , sint per ipsam id quod sunt , &c.* ¶ Proſequitur noſter Author colligendo , hanc ſupremam naturam exiſtere modo incomparabiliter pefectiori , quàm cætera omnia. Hic autem modus , inquit , ſuperioritatis ſuper omnia , eſſe non poteſt, niſi hæc ſuprema natura per se ſit id quod eſt ; & cuncta cætera quæ sunt , per illam ſint quidquid ſunt. Prima pars neceſſaria omnino eſt : alioquin ſi natura suprema non per se , sed per aliud eſſet quod eſt , iam non suprema foret , ut antea demonſtratum eſt. Et tanta vis eſt huius rationis Anselmi , ut non solum excludat efficientem causam , sed etiam formalem. Causa enim formalis melior eſt subiecto , cui , seipsam exhibendo , eſſe dat. Audivimus supra N. Bernardum aientem contra Gilbertum Porretanum , quod ſi eſſet aliquid , quo Deus eſſet , & illud Deus non eſſet , hoc eſſet absdubio melius Deo. Gilbertus non aſſerebat deitatem aut divinitatem eſſe causam Dei efficientem , sed formalem dumtaxat. Sed poſtea ipse Gilbertus agnovit , humiliterque retractavit errorem suum. Secunda autem pars , quód scilicet cuncta quæ sunt , neceſſe eſt ut per supremam naturam ſint , supponitur ab Authore probata ex ipſa ratione superiori. Dictum eſt enim impoſsibiles eſſe plures naturas , quæ per se , non ab alio exiſtant aut ſint. Si autem non omnia eſſent à summa natura , quæ una tantummodo ſit; inevitabiliter sequitur vel multas eſſe , vel saltem duas naturas vel eſſentias , quæ per se non ab alio ſint. Idem quippe omnino fieret argumentum de illa vel illis naturis quæ non eſſent ab hac ſuprema natura , quousque perventum eſſet ad aliquam naturam , quæ ab alia non eſſet. Illa ergo æqualis eſſet cum ea quam dicimus supremam naturam. Et tunc reddit argumentum supra factum de æqualitate , & ſimilitudine, &c. Reſtat ergo , ut quòcumque se vertat discursus , invenire nequeat plures supremas naturas , sed potius neceſſarium omnino intelligat unam eſſe tantummodo poſſe. Concludamus igitur cum noſtro Authore ex quatuor rationibus præcedentibus , per quatuor capita distributis , quod eſt *quædam natura , vel sustantia , vel essentia , quæ est per se bona , & magna , & per se est id quod est , & per quam est quidquid vere aut bonum , aut magnum , aut aliquid est , & quæ est summum bonum , summum magnum , summum ens sive subsistens , id est summum omnium quæ sunt.* Hæc autem est vera idea veri Dei. At ſimplicior , vel ſimpliciùs ipsa traditur ab Authore

suo in Proslogio cap. 1. Sed quanto simplicius hæc idea ibidem exprimitur, tanto brevius, & efficacius Author per eam in eo, & duobus cap. sequentibus mentem convincit, ut assentiatur Deum verum existere, qualem credimus cum omnibus ejus attributis. De hac vero idea ipsiusque ad probandum vi, in eo libro operosius agemus.

CAPUT V. *

* Al. pars cap. 4.

Quòd sicut illa est per se & alia per illam ita illa sit ex se, & alia ex illa.

QUONIAM itaque placet quod inventum est: juvat indagare utrum hæc ipsa natura, & cuncta quæ aliquid sunt, non sint nisi ex ipsa, quemadmodum non sunt nisi per ipsam. Sed liquet posse dici quia quod est ex aliquo, est etiam per id ipsum: & quod est per aliquid, est etiam ex eo ipso: quemadmodum quod est ex materia, & per artificem, potest etiam dici esse per materiam, & ex artifice; quoniam per utrumque, & ex utroque, id est, ab utroque habet ut sit, quamvis aliter sit per materiam, & ex materia, quàm per artificem, & ex artifice. Consequitur ergo ut quomodo cuncta quæ sunt, per summam naturam sunt id quod sunt; & ideo illa est per se ipsam, alia vero per aliud: ita omnia quæ sunt, sint ex eadem summa natura, & idcirco illa sit ex seipsa, alia autem ex illa.

CAPIT. V.

COMMENTARIUS.

Quoniam itaque placet quod inventum est, &c. ¶

1 In hoc cap. Author nihil aliud dicit, nisi quod præpositiones *ex*, & *per* promiscuè usurpantur in usu loquendi tam de causa efficienti, quàm de causa materiali; atque adeo utrumque posse dici, & quód omnia sunt ex Deo, illave summa natura, & quòd existunt sive facta sunt per illam eamdem supremam naturam. In quo Author respicere quivit, cùm ad Scripturam de Deo asserentem, quòd *ex ipso*, & *per ipsum*, & *in ipso sunt omnia*; tum ad reprobandum errorem Pneumatomachorum, qui „ teste Magn. Basil. lib. de Spirit. S. cap. 2. & 3. quoties in Scriptura invenitur *ex* „ *Deo aut ex ipso* sunt omnia, intelligebant Patrem tanquam verum Authorem, & „ Conditorem; quando autem dicitur *per Verbum*, aut *per Christum* omnia facta, ip„ sum Dominum Jesum non ejusdem naturæ cum Patre Authorem, sed veluti causam „ tantum instrumentalem, & ministerialem astruere volebant. Habent enim isti, inquit „ Basilius, quoddam commentum de Ætio huius Hæreseos Principe inventum, qui in „ Epistolis suis alicubi scripsit, ea quæ secundum naturam dissimilia sunt, dissimili„ ter proferri, ac vice versa :: Atque ad huius dicti confirmationem traxit Apostolum „ dicentem: *Unus Deus*, & *Pater*, *ex quo omnia*, & *unus Dominus Jesus Chris„ tus per quem omnia*. Quemadmodum igitur voces se habent inter sese: ita, inquit, „ se habebunt, & naturæ, quæ per ipsas significantur: sed inter se discrepant *per* „ *quem*, & *ex quo*: dissimilis igitur Patri Filius.

Simili modo Sociniani hæretici arguunt ex articulo græco, ὁ ut Patrem dun taxat asserant Deum, non vero Filium. Sed similis adhibetur responsio, hic datæ à S. Basilio.

2 „ Induxit porro ipsos in hunc errorem externorum quoque Scriptorum ob„ servatio, qui voces *ex quo*, & *per quem* rebus naturâ separatis attribuerunt. Siqui„ dem illi putant his vocibus *ex quo* significare materiam: his vero *per quem* instru„ mentum designari, aut prorsus ministerium.

3 Cæterum ipse S. Doctor in cap. 4. & 5. falsitatem opinionis illorum Hæreticorum ostendit ex varijs Scripturæ locis, ubi promiscuè, pro nata occasione, tam de causa materiali, quàm effectrice, usurpantur, indiscriminatimque tribus divinis

„ Per-

„ Perſonis attribuuntur, Nos autem, inquit, demonſtravimus quod propoſuimus, nec „ Patrem ſibi ſumentem has voces *ex quo*, ad Filium projeciſſe has, *per quem*, ne„ que rursus à filio, ſicut isti præſcribunt, non recipi Spiritum Sanctum in conſor„ tium harum vocum *ex quo* aut *per quem*.

4 Quo demonſtrato, infert S. Doctor, quòd *utraque vox parem dignitatem obtinebit, eo quod pari ratione de Deo usurpetur.* Et oſtenso pariter *quia non ſolum cum de Deo ſit ſermo, harum vocum usus variat; verum etiam ad mutuos invicem ſignificatus ſæpenumero transfernutur, quoties altera alterius recipit ſignificationem.*; Idem colligendo quod antea, ſic confirmat: *Quando igitur de quibuscumque definitum est propriè dici* per quem, *de ijsdem etiam vox* ex quo, *usurpatur*; *qua ratione ſit, ut ad pietatis calumniam hæ dictiones prorsus inter se separentur?*

5 Itaque concors est Authoris noſtri doctrina cum doctrina Baſilij Magn. conſonat etiam cum Mag. P. Aug. lib. 2. de Actis cum Felice Manicheo cap. 20. & de natura boni cap. 27. ubi diſcrimen dicit intercedere inter has præpoſitiones *ex & de.* „ *Ex ipso*, inquit, non hoc ſignificat, quod *de ipso*. Quod enim de ipso eſt, po„ test dici ex ipso: non autem quod ex ipso eſt, recte dicitur de ipso. Ex ipso (Deo) „ enim cœlum, & terra, quia ipse fecit ea: non autem de ipso, quia non de ſubs„ tantia ſua. Sicut aliquis homo ſi gignat filium, & faciat domum, ex ipso domus: „ ſed filius de ipso, domus de terra, & ligno.

6 Ergo quod N. Author in præſenti cap. docet, eſt, quòd ſicut rectè dicimus domum eſſe per materiam, & ex Artifice; aut vice verſa, per Artificem, & ex materia, quoniam per utrumque, & ex utroque, id eſt, ab utroque habet ut ſit, quamvis aliter domus intelligatur eſſe per materiam, & ex materia, quàm per Artificem, & ex Artifice: ità promiſcuè, & ſine periculo erroris, dicere poſſumus, quòd cuncta, quæ facta ſunt, per ſummam naturam, vel ex ſumma natura, id eſt, per Deum vel ex Deo, ſunt id quod ſunt: ſic etiam poſſumus dicere, quòd illa ſumma natura ſit per ſeipſam vel ex ſeipſa, aut quòd Deus ſit per ſeipſum vel ex ſe ipſo. Sed cum hoc diſcrimine, quod voces *per & ex* dum dicimus, Deum eſſe per ſe ipſum, vel ex ſe ipſo, non aliud ſignificant niſi exclusionem omnis cauſæ, tum materialis, tum formalis, tum efficientis eſſentiæ, & exiſtentiæ Dei: quando autem dicimus creaturas eſſe per Deum vel ex Deo, ſicut quando dicit Apoſtolus, quòd per ipſum, & ex ipſo ſunt omnia, intelligimus omnes creaturas eſſe factas à Deo, vel per Deum ſine ullo inſtrumento; vel ex ipſo abſque ulla omnino materia, vel præſupoſito ſubjecto. Sed de ſignificatu, vel ſenſu harum præpoſitionum *per & ex* adhuc tractat operoſius Author in duobus cap. ſequentibus.

---

* Al. cap. 5.

CAPUT VI. *

Quòd illa non ſit ulla juvante cauſa ducta ad eſſe; nec tamen ſit per nihil aut ex nihilo: & quomodo intelligi poſſit eſſe per ſe, & ex ſe.

QUONIAM igitur non ſemper habet eundem ſenſum quod dicitur eſſe per aliquid aut eſſe ex aliquo: quærendum eſt diligentius quomodo per ſummam naturam, vel ex ipſa ſint omnia quæ ſunt: & quoniam id quod eſt per ſe ipſum, & id quod eſt per aliud non eamdem ſuſcipiunt exiſtendi rationem, prius ſeparatim videamus de ipſa ſumma natura quæ per ſe eſt; poſtea de his quæ per aliud ſunt. Cum igitur conſtet quia illa eſt per ſe ipſam quicquid eſt, & omnia alia ſunt per illam id quod ſunt, quomodo ipſa eſt per ſe? Quod enim dicitur eſſe per aliquid, videtur eſſe aut per efficiens, aut per materiam, aut per aliquod aliud adjumentum velut per inſtrumentum. Sed quicquid aliquo ex his tribus modis eſt, per aliud eſt; & poſterius & aliquo modo minus eſt eo, per quod habet ut ſit: at ſumma natura nullatenus eſt per aliud, nec eſt poſterior, aut minor ſe ip-

ipsa aut aliqua alia re. Quare ſumma natura nec à ſe nec ab alio fieri potuit; nec ipſa ſibi, nec aliquid aliud illi materia, unde fieret, fuit, nec ipſa ſe aliquo modo, aut aliqua res ipſam, ut eſſet quod non erat, adjuvit. Quid igitur? Quod enim non eſt, à quo faciente, aut ex qua materia aut quibus adjumentis ad eſſe pervenerit, id videtur aut eſſe nihil; aut ſi aliquid eſt, per nihil eſſe, & ex nihilo. Quæ licet ex his, quæ rationis luce de ſumma jam animadverti ſubſtantia, putem nullatenus in ipſam poſſe cadere; non tamen negligam hujus rei probationem contexere. Quoniam namque ad magnum, & delectabile quiddam me subito perduxit hæc mea meditatio, nullam vel ſimplicem peneque fatuam objectionem mihi diſputanti occurrentem, negligendo, volo præterire: quatenus & ego nihil ambiguum in præcedentibus relinquens, certior valeam ad ſequentia procedere; & ſi forte cui, quod ſpeculor, perſuadere voluero, omni, vel modico, remoto obſtaculo quilibet tardus intellectus ad audita facile poſsit accedere. Quòd igitur illa natura, ſine qua nulla eſt natura, ſit nihil, tam falſum eſt, quám abſurdum erit ſi dicatur, quicquid eſt, nihil eſſe: per nihil vero non eſt, quia nullo modo intelligi poteſt, ut quod aliquid eſt, ſit per nihil. At * ſi aliquo modo eſt ex nihilo, aut per ſe aut per aliud aut per nihil eſt ex nihilo: ſed conſtat quia nullo modo aliquid eſt per nihil. Si igitur eſt aliquo modo ex nihilo; aut per ſe, aut per aliud eſt ex nihilo. Per ſe autem nihil poteſt eſſe ex nihilo; quia ſi quid eſt ex nihilo per aliquid, neceſſe eſt ut id, per quod eſt, prius ſit. Quoniam igitur hæc eſſentia prior ſeipſa non eſt, nullo modo eſt ex nihilo per ſe. At ſi dicitur per aliquam naturam aliam extitiſſe ex nihilo, non eſt ſumma omnium, ſed aliquá inferior: nec eſt per ſe hoc quod eſt, ſed per aliud. Item: ſi per aliquid eſt ipsa ex nihilo; id, per quod eſt, magnum bonum fuit; cùm cauſa tanti boni fuit. At nullum bonum poteſt intelligi ante illud bonum, ſine quo nihil eſt bonum: hoc autem bonum, ſine quo nullum eſt bonum, ſatis liquet hanc eſſe summam naturam, de qua agitur. Quare res nulla, vel intellectu præceſsit, per quam iſta ex nihilo eſſet. Denique, ſi hæc ipsa natura eſt aliquid aut per nihil aut ex nihilo; proculdubio aut ipsa non eſt per ſe & ex se quicquid eſt, aut dicitur ipsa nihil: quod utrumque ſuperfluum eſt exponere quàm falſum ſit. Licet igitur ſumma ſubſtantia non ſit per aliquid efficiens, aut ex aliqua materia, nec aliquibus adjuta ſit cauſis, ut ad eſſe perduceretur: nullatenus tamen eſt per nihil, aut ex nihilo; quia per seipsam & ex ſeipsa eſt quicquid eſt. Quomodo ergo tandem eſſe intelligenda eſt per ſe & ex ſe; ſi nec ipſa ſe fecit, nec ipſa ſibi materia extitit, nec ipſa ſe quolibet modo, ut quod non erat, eſſet, adjuvit? Niſi forte eo modo intelligendum videtur, quo dicitur, quia lux lucet, vel lucens eſt per ſeipsam & ex ſeipsa. Quemadmodum enim ſeſe habent ad invicem lux, & lucere, & lucens: ſic ſunt ad se invicem eſſentia, eſſe & ens, hoc eſt, exiſtens, ſive ſubſiſtens. Ergo ſumma eſſentia & ſumme eſſe, & ſumme ens, ideſt, summe exiſtens, ſive ſumme subſiſtens non diſsimiliter ſibi convenient, quám lux, & lucere & lucens.

* Al. aut ſi.

CAPIT. VI.

COMMENTARIUS.

Quoniam igitur non semper habet eumdem sensum, &c. ¶

1 Author in hoc cap. discernere curat quo pacto, aut ſenſu dicatur exiſtere, & eſſe per se, vel ex se summa natura. Videtur enim per has voces ſignificari,

vel supremam naturam per semetipsam tamquam per causam efficientem, principalem, aut instrumentalem, factam fuisse; vel sibimetipsi, ut fieret, materiam extitisse. Cuius inquisitio reputari non debet otiosa: quandoquidem jam in antecedenti capite vidimus quantam vim, ad sustinendum errorem suum, in his vocibus posuerunt Pneumatomachi. In hac vero meditatione ita se gerit S. Doctor; ut nec dubia pene fatua (talis est modestia sua) contemnere velit: quatenus nihil relinquendo incertum in principijs, etiam tardioribus ingenij, inoffenso queat pede ad consequentia procedere.

2 *Quòd enim dicitur esse per aliquid, videtur esse aut per efficiens, aut per materiam &c.* ¶ Ab his itaque verbis incipit indagare quod jam diximus in hoc sibi capite investigandum proposuisse. Discursus primus eò dirigitur, ut probet supremam naturam non ideo dici per se existere, aut ex se, quoniam per seipsam, tamquam per causam, vel ex causa, quocumque modo causa sumatur, facta fuerit. Quippe quod factum est, reipsa per aliud est, quod realiter tum prius tum melius effectu suo est. Prius: quia effectrix, sive principalis seu instrumentalis, causa, vel ex nullo subjecto, vel ex aliquo causat effectum, & distinctum *esse* realiter ab ipsa causa; quæ absdubio causat per *esse* quod jam habet; cùm prius sit esse quàm operari: causa vero materialis distincta quoque realiter est à composito: & quando hoc omnino non concedatur juxta Philosophos Modernos, dubitari nequit, quin causæ effectricis indiga sit: sicut enim Opifex materià opus habet ad actionem, & constructionem ædificij, vel operis, ita materia Opifice eget ut in opificium formetur ac transeat. Etiam melius: quia id quod facit ut aliud sit, dat illi esse; at ab illo *esse* non accipit: unde necessario id quod accipit *esse* realiter distinctum ab eo *esse* quod dat, vel quod est causa, non tam bonum est atque perfectum, sicut principium suum. *Beatius est magis dare quam accipere.* Et qui dat, non dependet ab accipiente: qui autem accipit, à datore dependet. Causa vero instrumentalis, vel ministerialis quanquam operetur nomine principalis, & ab ipsa mota, nihilominus non solùm est prior effectu quem instrumentaliter, vel ministerialiter causat, sed etiam quodammodo melior: unde N. Author vigilanter dicit, quidquid aliquo ex his tribus modis est, id est, vel per causam efficientem, vel per materiam, vel per aliquod adjumentum velut per instrumentum, *& posterius & aliquo modo minus est eo per quod habet ut sit.* Vigilanter, inquam, dicit *aliquo modo minus*: sciebat effectus substantiales absolute meliores esse suis causis instrumentalibus. At quia etiam causa instrumensalis, in quantum talis, non dependet ab effectu suo, sed potius vice versa; atque insuper causa instrumentalis aliquid accidentis, vel dispositionis producit in effectu, vel pro effectu: propterea hic quodammodo, vel in aliquo sensu, minor est illa; aut hæc melior est illo. Etiam causa materialis prior naturà est composito ex illa, atque aliquo modo melior ipso composito: tum propter eamdem rationem præcedentiæ, aut prioritatis; tum quia ex ipsa compositum est, non vero ex composito ipsa: tum denique quia destructo composito, ipsa tamen in suo esse manet. Unde quidquid sit de distinctione substantiali, vel entitativa, quam vocant, materiæ à composito, vel indistintione; Philosophi Moderni, neque Antiqui, illa tria quæ diximus de materia, & composito negare non potuerunt. Ergo si summa natura, suprema essentia sic esset per se aut de seipsa, vel tamquam per causam efficientem, vel tamquam per causam instrumentalem, aut ministerialem, vel tamquam per materiam, aut ex materia; & prior esset seipsa, & melior. At hoc repugnat: non igitur ullo modo, tamquam per causam, est per seipsam, aut ex se ipsa. Propterea dicit Aug. tract. 1. in Joan. de Verb. Æterno: *non enim per seipsum fieri potuit, per quod facta sunt omnia.*

3 Denique si sensus esset, quod summa natura vel essentia qualicumque genere causæ esset per causam, vel ex causa, ea significatione qua causa sumitur à Latinis, id est, in eo sensu quem explicuimus secundum nostrum Authorem: tunc ex alia parte, contradictoria essent simul vera: nempe summa natura esset per se, juxta dicta in quatuor primis capitibus, & non esset: omnia essent facta per ipsam, & simul non omnia per ipsam fuissent facta. Et ecce vim argumentationis Augustini adversus Arrianos loco proxime citato. Excludendus est ergo, concludimus cum nostro Authore, prædictus sensus ab hac assertione: *suprema, & maxima natura, vel essentia est per seipsam vel ex seipsa.*

4 Mirabitur quis S. Doctorem oblitum fuisse causam formalem. Sed respondeo hoc solum probare vel quòd S. Anselmus in compositis naturalibus (præter hominem) & etiam artificialibus, aliquod *esse* formæ re distinctum à materia non cognoviisse, quæ sententia communnis est inter Philosophos Modernos; vel quod non acce-

pit

pit materiam ſub omni rigore, ſed pro omni eo unde vel ex quo componitur aliquid; ſive illud ſit materia cum omni proprietate, ſive illud ſit forma. Itaque ſi forma naturalis in compoſitis (præter hominem) tamquam res à re, vel tamquam eſſentia distinguitur à materia; tunc casús ex forma componitur, tamquam ex parte, ens naturale, non minus quàm ex 1. materia. Quapropter sub hoc sensu (partis ſcilicet componentis) æquè materia compoſiti, vel ex qua fit compoſitum naturale, dici potest forma, ac appellatur ipsa prima materia. Hæc non magis est pars compoſiti quàm illa: immo principalior est forma. In compoſitis vero artificialibus nullum eſt dubium quin forma non præſeferat aliquod *esse*, vel aliquam rem, sed dumtaxat modum distinctum à materia, correlationemve partium inter se.

5 *Item: ſi per aliquid est ipsa ex nihilo &c.* ¶ Poſtquam Author excluſit omne genus cauſæ à summa natura, aliud dubium, vel aliam quam ipse vocat ſimplicem peneque fatuam objectionem ſibi ſolvendam proponit. Jam ſupra diximus ipsum ſic voluiſſe sua principia suasque concluſiones ab objectionibus expedire, ut pueris, parvisque mentibus morem gerere voluerit. Itaque dicit: ſi nulla eſt causa efficiens principalis aut ministerialis, materialis vel formalis, supremæ naturæ, nonne erit nihil? Aut ſi est aliquid; venit ad *esse* per nihil, aut est saltem ex nihilo? At impoſsibile est ut suprema natura, ſine qua nullum eſt *esse*, nulla est natura, nihil ſit: quandoquidem ea, quæ sunt, habere *esse* non poſſunt ab ea causa, quæ nihil ſit. Unde ſi suprema natura esset nihil, omnia pariter nihil eſſent. Quod autem summa natura per nihil tamquam per causam ſit, non minus, sed magis est impoſsibile. Quippe inintelligibile est ut nihil ſit causa alicujus entis. Ex nihilo, etiam absolute impoſsibile est, ut facta fuerit ſuprema natura. Quia ſi esset ex nihilo; aut facta esset ex nihilo per ſeipsam, aut per aliud. Non per se ipsam; quia tunc eſſet prior absolute se ipsa, & antequam eſſet jam eſſet.. Non per aliud; quoniam tunc, ſicut dictum eſt, ſuprema non eſſet. Præterea (& nunc veniunt verba proxime ex textu poſita) ſi per aliquid ipsa suprema natura ex nihilo facta est, magnum bonum absdubio fuit, cùm tanti boni cauſa fuerit. Nullum autem bonum potest intelligi ante ſupremam naturam, quæ, ut probatum manet in 1. cap. ipsa est primum, & summum bonum, per quod sunt bona quæcumque bona sunt. Ergo nec fingi aut cogitari per intellectum potest, aliquam rem priorem fuiſſe ſuprema natura, aut eam aliquo modo aut sub aliqua conſideratione præceſiſſe.

6 *Quomodo ergo tandem esse intelligenda est per se & ex se &c.* ¶ Præclaro lucis exemplo explicat tandem Author quo sensu ſuprema natura, vel Deus dicatur eſſe exiſtere per seipsam, & ex seipsa. Sicut lucère, inquit, in luce ſi à luce per cogitationem auferamus, ſeparemus, cogitatio nostra de luce manet in tenebris, id eſt, lucis cognitæ nihil retinet: ſic eſſentia maxima, ſubſtantia ſumma, Deus exiſtit per ſemetipſum & ex ſemetipso, ut penitus incogitabilis ſit absque exiſtentia. Eſſentiam ſine exiſtentia non aliud mente capere poſſumus, quam vel ideam rei poſsibilis, vel poſsibilitatem ipsam ad exiſtendum. Absolute impoſsibile eſt ſupremam eſſentiam intelligere tantum ideam; cùm idea non ſit niſi alicujus intelligentis: ante ſupremam vero naturam, ante Deum, nullum cogitari poteſt intelligens in quo ſit Deus tantum in idea. Poſsibilitas vero ad exiſtendum, nil eſt in ſe aut extra cognitionem, extra cauſam. Si ergo nulla cauſa eſt ſupremæ eſſentiæ, ut probatum jam eſt; ſi aliquando nihil fuiſſe, nec cogitari poteſt; nullo pacto ſuprema eſſentia ſine exiſtentia cogitari poteſt. Conſequitur ergo ut illa maxima ſubſtantia multo melius ſit & exiſtat per ſeipsam, & ex ſeipſa, quàm lux per ſeipſam, & ex ſeipſa lucet. Itaque ſicut nulla diſtinctio realis eſt inter hæc nomina, *lux*, *lucere*, *& lucens*; voces enim multæ, ſignificatus autem idem: ita nulla penitus diſtinctio, nec phyſica, nec methaphyſica invenitur inter ſupremam eſſentiam, & ſupremam exiſtentiam, inter ſupremum ens, & ſupremum exiſtens, ſive ſubſiſtens. Hæc autem indiſtinctio, identitasve exiſtentiæ Dei cum eſſentia multo amplius oſtenditur ab Authore tum in Proslogio, capitibus 1. 2. & 3. cum in tota apologia, ſeu contra inſipientem libro apologetico. Quare, ut & noſtrum ibidem legat commentarium, enixè lectorem rogamus. Sed pro præsenti, ad exemplum lucis quod attinet, cave intelligas Authorem docere voluiſſe ſic lucem per ſeipsam, & ex ſeipsa lucere, ut exiſtat per ſeipſam, aut non ſit à Deo. Omnia omnino demonſtravit in quatuor primis capitibus Author, eſſe per Deum, vel à Deo, ita ut nihil penitus, præter Deum, exiſtat ſine Deo faciente. Itaque aliud eſt lucem lucere per ſeipsam, aut ex seipsa, aliud per seipsam, aut ex seipſa exiſtere. Primum eſt verum, ſemel ac lux exiſtat: ſecundum autem abſolute falſum est; neque hic est sensus Authoris, sed primus dumtaxat.

Nem-

QUEMADO INTELECTUAL - VALENCIA - BIBLIOTECA

Nempe lucere eſt tota forma, totaque eſſentia lucis: non autem eſt lux exiſtentia ſua nec *esse* ſuum, ſaltem in ſenſu metaphyſico: hoc enim proprium eſt Dei.

* Al. cap. 6.

CAPUT VII.*

Quomodo alia omnia ſint per illam & ex illa.

RESTAT nunc de rerum earum univerſitate, quæ per aliud ſunt, diſcutere, quomodo ſint per ſummam ſubſtantiam, utrum quia ipſa fecit universa, aut quia materia fuit universorum. Non enim opus eſt quærere utrum ideo ſint universa per ipsam; quia alio faciente, aut alia materia exiſtente, illa tantum quolibet modo, ut res omnes eſſent, adjuverit: cum repugnet his quæ jam ſupra patuerunt, ſi secundo loco, & non principaliter ſint per ipsam, quæcumque sunt. Primum itaque mihi querendum eſſe puto utrum universitas rerum, quæ per aliud ſunt, ſit ex aliqua materia. Non autem dubito omnem hanc mundi molem, cum partibus ſuis, ſicut videmus, formatam conſtare ex terra, & aqua & aere & igne: quæ, ſcilicet, quatuor elementa, aliquo modo intelligi poſſunt ſine his formis quas conspicimus in rebus formatis, ut eorum informis; aut etiam confuſa natura videatur eſſe materia omnium corporum ſuis formis discretorum, non, inquam, hoc dubito: Sed quæro, unde hæc ipſa, quam dixi, mundanæ molis materia ſit. Nam ſi hujus materiæ eſt aliqua materia, illa eſt verius corporeæ universitatis materia. Si igitur univerſitas rerum, ſeu viſibilium seu inviſibilium eſt ex aliqua materia; profectò non ſolum non poteſt eſſe, sed nec dici poteſt eſſe ex alia materia quàm ex ſumma natura, aut ex seipſa, aut ex aliqua tertia eſſentia; quæ utique nulla eſt. Quippe nihil omnino, vel cogitari poteſt eſſe præter illud summum omnium, quod eſt per seipsum; & univerſitatem eorum quæ non perse, sed per idem ſummum sunt: quare quod nullo modo aliquid eſt, nullius rei materia eſt. Ex sua vero natura rerum univerſitas quæ per ſe non eſt, eſſe non poteſt: Quoniam ſi hoc eſſet, aliquo modo eſſet per se & per aliud, quàm per id per quod sunt cuncta; & non eſſet ſolum id per quod cuncta sunt: quæ omnia sunt falſa. Item, omne quod ex materia eſt, ex alio eſt, & posterius eſt eo; quoniam igitur nihil eſt aliud à seipso, vel poſterius ſeipso; conſequitur ut nihil ſit materialiter ex ſeipso. At ſi ex ſummæ naturæ materia potest eſſe aliquid minus ipsa, ſummum bonum mutari, & corrumpi potest: quod nefas eſt dicere. Quapropter, quoniam omne quod aliud est quàm ipsa minus eſt ipsa; impoſibile est aliquid aliud hoc modo eſſe ex ipsa. Amplius: dubium non est quia nullatenus est bonum, per quod mutatur, vel corrumpitur summum bonum. Quód ſi qua minor natura est ex ſummi boni materia: cum nihil ſit undecumque niſi per ſummam eſſentiam; mutatur, & corrumpitur ſummum bonum per ipsam: quare summa eſſentia, quæ est ipsum summum bonum, nullatenus est bonum; quod est inconveniens. Nulla igitur minor natura materialiter est ex ſumma natura. Cum igitur eorum eſſentiam, quæ per aliud sunt, constet non eſſe velut ex materia, ex summa eſſentia, nec ex se nec alio: manifestum est, quia ex nulla materia est. Quare, quoniam quicquid est, per summam eſſentiam est; nec per ipsam aliquid aliud eſſe potest, niſi ea aut faciente aut materia exiſtente: conſequitur de neceſsitate, ut præter eam nihil ſit, niſi ea faciente: & quoniam nihil aliud eſt vel fuit, niſi illa, & quæ facta sunt ab illa; nihil omnino facere potuit per aliud, vel

inſtrumentum, vel adjumentum quàm per ſeipsam. At omne quod fecit, ſine dubio aut fecit ex aliquo, velut ex materia; aut ex nihilo. Quoniam igitur certiſsime patet quia eſſentia omnium, quæ præter summam eſſentiam sunt, ab eadem summa eſſentia facta eſt; & quia ex nulla materia eſt: proculdubio nihil apertius quàm quia illa summa eſſentia tantam rerum molem, tam numerosam multitudinem, tam formose formatam, tam ordinaté variatam, tam convenienter diversam, sola per ſeipsam produxit ex nihilo.

COMMENTARIUS.

CAPIT. VII.

Reſtat nunc de rerum earum univerſitate, quæ per aliud ſunt, discutere, quomodo ſint per ſummam ſubſtantiam &c.

1 Oſtenſo, qua ratione ſumma eſſentia vere dicatur eſſe per ſeipsam, & ex ſeipsa, ſive manifeſtato ſensu sub quo hoc verè dicatur: consequens erat inveſtigare, & declarare quo ſensu, quove modo cætera cuncta fuerint per ſummam eſſentiam facta. An ex nulla materia, præexiſtenteve ſubjecto? An potius ex aliqua, quæcumque illa ſit, materia? Et si ex aliqua; ex qua? Ex ipsa ſuprema ſubſtantia; an potius ex aliqua materia æterna, ingenita, increatave? Philosophi fuere, qui teſte P. Aug. lib. 8. de Civit. Dei cap. 2. citante Ciceronem (cum quo etiam Authores Græci consentiunt) qui, inquam, omnia casu, temereque fieri dixerunt. Alij, ut Thales Milleſius, ex aqua tamquam ex unico principio. Alii, ut Anaximenes, ex aere infinito. Alii denique (aliorum alios errores omittendo) non ſolum ad materiam in conſtitutione Mundi, sed etiam ad Deum ipsum respexerunt: ita tamen ut aliqui, Stoici, referente Athenagora in sua pro Chriſtianis apologia, ex ipſo Deo tamquam quadam anima, vel ſpiritu Mundi, cuncta permeante, & penetrante, Universum fieri dixerint: alii vero à Deo tamquam à causa effectrice, componente, & per rationem omnia ordinante, universam Mundi machinam conſtructam fuiſſe aſſeruerint, sed ex aliqua materia tamen, hac vel illa, ingenita, increatave, quæ Deo eſſet coæva ac coæterna. Ita Plato, ejusque Discipulus Ariſtoteles, ut Author est S. Juſtinus Martyr, cohortatione ad Græcos num. 6. Hanc quoque de materia increata, & Deo coæva opinionem, ſeu potius errorem, Hæretici Seleuciani, referente D. Aug. lib. 1. de Hæres. cap. 59. amplexi ſunt. Hos igitur cunctos, cum Philosophorum, tum Hæreticorum, vanos errores convellere in hoc capite aggreditur noster Author, ſtatuitque Deum, aut summam eſſentiam, universa ex nihilo condidiſſe. Et primo quidem supponit Mundum ex materia constare, quatuor nimirum vulgaribus elementis, igne, aere, terra, & aqua. Neque renuet concedere quodvis aliud, ſi super hoc quipiam inſistere voluerint: nam ad ſuum propoſitum parum interest, sint quatuor, sint viginti. Horum elementorum, quæcumque illa ſint, alteram agnoscit extitiſſe materiam, quæ informis, confuſſa, indigestaque moles eſſet. *Hæc enim*, inquiebant ejus aſſertores apud Magn. Baſ. in Hexam. Hom. 2. *est & inviſibilis, & incompoſita suapte naturà: quippe cùm ex ipſius conditione careat quacumque qualitate, atque ab omni forma ac figura ſit separata.* De hac igitur, aut de alia, quæ prima ſit rerum viſibilium, seu inviſibilium materia, quærit Author, undenam ſit.

2 *Nam si huius materia est aliqua materia, illa verius est corporeæ universitatis materia &c.* ¶ Arguit ergo. Si hujus materiæ alia materia est; potius illa materia est prima, non hæc. Quæſtio autem eſt de materia prima. Itaque, ſi hæc de materia eſt, non ex alia, quàm vel ex summa natura, vel ex ſeipsa se ipsa, vel ex aliqua tertia. Non ex summa natura: quia summa natura, materia, præcipuè rerum variabilium, & corruptibilium, eſſe non poteſt: cum probatum jam fuerit summum, & maximum ens, ſummum, & maximum bonum per ſe ita exiſtens, & ſubſiſtens, ut ſic ab eo nec cogitatione ſeparari queat exiſtentia, quemadmodum nec lucere à luce. Non ex aliqua tertia eſſentia, quæ nec ſubſtantia Dei ſit, nec prima materia: quoniam nulla cogitari poteſt præter ſupremam eſſentiam ſeu Deum, & rerum univerſitatem ab ipso factam. Non denique ex ipsa materia prima, aut prima rerum eſſentia: quoniam non poteſt eſſe ſimul per

* Hinc colligi puteſt S. Doctorem non cognoviſſe divisibilitatem materiæ in infinitum.

aliud, id est, per Deum, & simul per seipsam, aut ex seipsa. Probatum est autem in capitibus primis, præsertim in 3. quod nullum omnino est ens, quamtumvis minimum, quod à Deo non sit. Probatum est etiam quod solum supremum ens, quod est Deus, est per seipsum, & ex seipso.

3 *Item, omne quod ex materia est, ex alio est &c.* ¶ Alia ratio Authoris est: omne quod ex materia compohitur, ex alio tamquam ex causa materiali est, unde & eo posterius: posterius intellige saltem naturâ. Cum ergo nulla res distincta sit à se ipsa, vel posterius seipsa; consequitur sine dubio nullam esse rem, quæ materia, vel causa materialis sit sui ipsius.

4 *At si ex summæ naturæ materiâ potest esse aliquid minus ipsa &c.* ¶ Tertia ratio Authoris id probat, seu potius confirmat, quod jam de primo membro probavimus, rerum scilicet universitatem esse non posse, tamquam ex materia, vel causa materiali, ex suprema natura. Nam cum in primis capitibus demonstratum fuerit æque perfecta esse non posse, neque in *esse* aut bonitate, aut magnitudine paria, illud quod per se neque ab alio existit, & id, quod non per se, sed existit ab alio: sequitur omnino rerum universitatem quæ per, vel à suprema Dei natura facta existit, parem non esse cum summa divina natura, sed inferiorem in bonitate, in magnitudine, in *esse*. Si autem ex ipsa suprema substantia tamquam ex materia, totali, vel partiali, constaret rerum universitas; eadem suprema substantia facta fuisset minor se ipsâ. Corrupta ergo fuisset ejus magnitudo, ejus bonitas, ejus essentia: amisisset siquidem partem suæ substantiæ, & tam in eo quod sibi reliquum esset, quàm quod perdidisset, factum materia hujus universitatis, minus esset, quàm totum quod haberet antequam ex ipsa fieret rerum universitas. At & nefas est dicere, & cogitare talia de suprema natura, & repugnant veritatibus in capitibus antecedentibus jam demonstratis. Non ergo ullo modo possibile est ut rerum universitas facta fuerit tamquam ex materia, ex suprema natura, vel essentia.

Amplius: dubium non est quia nullatenus est bonum &c. ¶

5 Quarta ratio, quæ confirmatio est præcedentis, ita se habet. Summum bonum corrumpi nequit per bonum: bonum bono non est contrarium. Ergo id per quod mutatur, vel corrumpitur, malum est, sive ut securius loquar, malum esset, si per illud, summum corrumperetur bonum. At si rerum universitas esset ex summi boni materia, vel ex ipso tamquam ex causa materiali, vel formali, parteve constitutiva, facta fuisset, corruptum, & mutatum fuisset summum bonum per ipsam: ergo ipsa summa essentia, quæ est ipsum summum bonum, nullatenus esset bonum, quia per sui transmutationem in materiam vel partem universi, cortumperetur summum bonum: hoc autem omnino repugnat (non aliud significant Authoris verba, ut in alijs locis solet, *quod est inconveniens.*) Non ergo rerum universitas, aut aliqua minor natura esse potest, tamquam ex causa materiali, vel tamquam ex parte constitutiva, ex summa natura, ex suprema substantia, ex maxima essentia.

5 Hæ rationes æque probant de materia propriè sumpta, & de forma constituente, distincta, vel indistincta à materia. Non minus Deus mutaretur, & corrumperetur, si esset forma constitutiva rerum universitatis, aut cujuscumque inferioris naturæ, quàm si materia esset. Quapropter consultò addidi ratiocinio Authoris *causam formalem*, aut *partem constitutivam.* Iam in cap. antecedenti dixi, Authorem non cum omni rigore, & proprietate materiam accipere, sed in sensu universaliori, pro omni substantia ex qua aliquid tamquam ex parte constitutiva fiat, aut constet. Et certè in rerum universitate non modo sunt res corporeæ; verum etiam res spirituales atque spiritus, ut anima rationalis, & Angeli. Simili ratiocinio, tamquam ineluctabili, usus est S. Aug. adversus Felicem, & Fortunatum Manichæos, asserentes cum suo Authore Manes, animam rationalem partem esse Dei, ligatam atque comprehensam à tenebris.

6 *Cùm igitur eorum essentiam, quæ per aliud sunt, &c.* ¶ Cum probaverit Author rerum universitatem neque ex suprema natura, neque ex alia distincta à suprema, & rerum universitate, neque ex seipsa constare tamquam ex materia, aut causa materiali: legitimè colligit non esse ex aliqua materia: hoc est, materiæ rerum materialium non fuisse aliam materiam; sive aliam materiam non fuisse ex qua hæc fieret materia; substantiæ vero rerum spiritualium aliam, ex qua fieret, non fuisse substantiam, vel essentiam.

7 *Quare quoniam quidquid est, per summam essentiam est &c.* Subjungit Author. At quidquid est, justa dicta in quatuor primis capitibus, & ad propositum de

pri-

prima materia magis in 3. per ſummam eſſentiam eſt: ergo ſi non per eam tamquam per materiam, vel quaſi materiam; absdubio ſequitur quod per eam tamquam per cauſam efficientem. Sed præter ipsam ſupremam eſſentiam, & rerum univerſitatem, nihil aliud eſt quod adjumento, & inſtrumento ipſi potuerit eſſe ad faciendum. Ergo ſuprema natura, vel Deus univerſum fecit absque ullo omnino adjumento vel inſtrumento: per ſe ſolum itaque omnia Deus condidit.

8 *At omne quod fecit, ſine dubio aut fecit ex aliquo &c.* ¶ Nunc ſic: at quidquid à Deo factum fuit, non potuit fieri niſi vel ex aliquo ſubjecto, aut materia, vel quaſi materia, saltem naturâ, præcedente; aut ex nihilo: ergo ſi certiſsimé patet omnia, præter summam eſſentiam, ab eadem summa eſſentia condita fuiſſe ex nulla præcedenti quocumque modo materia, vel quaſi materia; quid consequentius, quid apertius, quàm omnia à ſumma eſſentia, à Deo, ex nihilo fuiſſe facta vere per ſe ipsum ſolum, absque alicujus miniſterio, absque ullo omnino inſtrumento?

CAPUT VIII.*

* Al. cap. 7.

Quomodo intelligendum ſit quòd omnia fecit ex nihilo.

SED occurrit quædam dubitatio de nihilo. Nam ex quocunque fit aliquid, id cauſa eſt ejus quod ex ſe fit: & omnis cauſa neceſſe eſt aliquod ad eſſentiam effecti præbeat adjumentum. Quod ſic omnes tenent experimento, ut etiam nulli rapiatur contendendo, & vix ulli ſubrripiatur decipiendo. Si ergo factum eſt ex nihilo aliquid; ipſum nihil fuit cauſa ejus, quod ex ipſo factum eſt. Sed quomodo id quod nullum habebat eſſe, adjuvit aliquid ut perveniret ad eſſe? Si autem nullo adjumento de nihilo provenit ad aliquid; cui aut qualiter perſuadeatur quia ex nihilo aliquid efficiatur? Præterea, nihil aut ſignificat aliquid, aut non ſignificat aliquid. Sed ſi nihil eſt aliquid, quæcunque facta ſunt ex nihilo, facta ſunt ex aliquo. Si vero nihil non eſt aliquid: quoniam intelligi non poteſt ut ex eo quod penitus non eſt, fiat aliquid; nihil fit ex nihilo: ſicut vox omnium eſt, quia nihil de nihilo. Unde videtur conſequi ut quicquid fit, fiat ex aliquo: aut enim fit de aliquo aut de nihilo. Sive igitur nihil ſit aliquid; ſive nihil non ſit aliquid; conſequi videtur ut quicquid factum eſt, factum ſit ex aliquo. Quod ſi verum eſſe ponitur; omnibus quæ ſupra dispoſita ſunt, opponitur. Unde quoniam quod erat nihil, aliquid erit; id quod maxime aliquid erat, nihil erit. Ex eo enim quòd quandam ſubſtantiam maxime omnium exiſtentem inveneram; ad hoc ut omnia alia ſic facta eſſent ab ea, ut nihil eſſet unde facta eſſent, ratiocinando perveneram. Quare ſi illud unde facta ſunt, quod putabam eſſe nihil, eſt aliquid: quicquid inventum æſtimabam de ſumma eſſentia, eſt nihil. Quid igitur intelligendum eſt de nihilo? Nam nihil quod videam poſſe objici, vel pene fatuum, jam ſtatui in hac meditatione negligere. * Tribus itaque, ut puto, modis, quod ad præſentis impedimenti ſufficit expedimentum, exponi poteſt: Siqua ſubſtantia dicitur eſſe facta ex nihilo. Unus quidem modus eſt, quo volumus intelligi penitus non eſſe factum quod dicitur ex nihilo eſſe: cui ſimile eſt, cum quærenti de tacente, unde loquatur: respondetur, de nihilo; id eſt, non loquitur. Secundum quem modum de ipſa ſumma eſſentia, & de eo, quod penitus nec fuit, nec eſt, querenti unde factum ſit, recte responderi poteſt, de nihilo, id eſt, nequaquam factum eſt: qui ſenſus de nulla eorum, quæ facta ſunt, intelligi poteſt. Alia

* Al. cap. 8.

fig-

ſignificatio eſt , quæ dici quidem poteſt , vera tamen eſſe non poteſt : ut, ſi dicatur aliquid ſic eſſe factum ex nihilo, ut ex ipſo nihilo , id eſt , ex eo quod penitus non eſt , factum ſit : quaſi ipſum nihil ſit aliquid exiſtens, ex quo poſsit aliquid fieri : quod quoniam ſemper falſum eſt , quoties eſſe ponitur , impoſsibilis inconvenientia conſequitur. Tertia interpretatio, qua dicitur aliquid eſſe factum de nihilo , eſt cum intelligimus eſſe quidem factum ; ſed non eſſe aliquid , unde ſit factum. Per ſimilem ſignificationem dici videtur , cum homo contriſtatus ſine cauſa , dicitur contriſtatus de nihilo. Secundum igitur hunc ſenſum ſi intelligatur quod ſupra concluſum eſt , quia præter ſummam eſſentiam cuncta , quæ ſunt ab eadem , ex nihilo facta ſunt . id eſt , non ex aliquo : ſicut ipſa concluſio præcedentia convenienter conſequetur , ita ex eadem concluſione nihil inconveniens ſubſequetur. Quamvis non inconvenienter , & ſine omni repugnantia , ea quæ facta ſunt à creatrice ſubſtantia , dici poſsint eſſe ex nihilo facta ; eo modo quo dici ſolet dives factus ex paupere , & recepiſſe quis ſanitatem ex ægritudine : id eſt , qui prius pauper erat , nunc eſt dives , quod antea non erat ; & qui prius habebat ægritudinem , nunc habet ſanitatem , quam antea non habebat. Hoc igitur modo non inconvenienter intelligi poteſt , ſi dicatur creatrix eſſentia univerſa feciſſe de nihilo , ſive quod univerſa per illam facta ſint de nihilo : id eſt , quæ prius nihil erant , nunc ſunt aliquid. Hac ipſa quippe voce quà dicitur, quia illa fecit , ſive quia iſta facta ſunt ; intelligitur , quia cùm illa fecit , aliquid fecit ; & cùm iſta facta ſunt , non niſi aliquid facta ſunt. Sic enim aſpicientes aliquem de valde humili fortuna , multis opibus , honoribusve ab aliquo exaltatum , dicimus : Ecce ille fecit iſtum de nihilo, aut factus eſt ille ab iſto de nihilo : id eſt , ipſe qui prius quaſi nihilum reputabatur , nunc illo faciente vere aliquid æſtimatur.

COMMENTARIUS.

CAPIT. VIII.

Sed occurrit quædam dubitatio ex nihilo &c. ¶

1 Jam ſupra Lectorem monuimus Authorem noſtrum ſibi in animo propoſuiſſe objectiones etiam quæ pueriles viderentur , diluere , ſive ad ipſas reſpondere. Hoc repetit in præſenti cap. per hæc verba: *nihil quod videam posse objici , vel pene fatuum, jam statui in hac meditatione negligere.* Cùm hoc ita in animum induxerit, propterea nunc incipit dubitando : Quomodo aliquid fieri poſsit ex nihilo ? Concluſſum namque eſt in cap. proximo , Deum , & omnia præter ſeipsum feciſſe , & non niſi ex nihilo.

2 Ergo objectio prima hæc eſt. Ex eo dicitur aliquid fieri , quod aliquo modo causa ipſius eſt : hoc quippe ſignificare videtur præpoſitio *ex*: at quod omnino nihil eſt, non valet eſſe nullo modo alicujus rei causa , quia operari ſequitur *esse* : impoſsibile eſt igitur , ut ex nihilo ſuprema natura , vel Deus quidpiam faciat aut fecerit. Quanto minus poſsibile eſt ut ex nihilo fecerit universa ?

3 *Præterea &c.* Secunda objectio. Dum dicimus ex nihilo omnia à Deo condita fuiſſe ; aut per nihil ſignificamus aliquid aut non aliquid. Si primum: vere fuerunt facta à Deo ex aliquo cuncta: quapropter nihil egimus in capite antecedenti. Si secundum ; eſt chimera , eſt penitus impoſsibile : quoniam imperceptibile eſt , ut ex eo , quod penitus non eſt , vere aliquid fiat. Quòd autem hoc ſit omnino inintelligibile , probatur quoque ex notione communi , & omnium voce : *ex nihilo nihil fit.* Div. Thom. 1. part. quæſt. „ 45. art. 2. idem ſibi opponit argumentum. Videtur , inquit , quòd Deus non poſsit „ aliquid creare. Quia ſecundum Philosophum 1. Phyſ. Antiqui Philosophi acceperunt

ut

„ ut communem conceptionem animi, *ex nihilo nihil fieri*. Sed potentia Dei non se ex-
„ tendit ad contraria primorum principiorum, utpote quòd Deus faciat, quòd totum
„ non ſit majus ſua parte, vel quòd affirmatio, & negotio ſint ſimul vera. Ergo Deus
„ non poteſt aliquid ex nihilo facere, vel creare. Et respondet: ad primum dicendum,
„ quòd antiqui Philosophi, ſicut ſupradictum eſt, non conſideraverunt, niſi emana-
„ tionem effectuum particularium à cauſis particularibus, quas neceſſe eſt præsuponere
„ aliquid in sua actione: Et ſecundum hoc erat eorum communis opinio, *ex nihilo ni-*
„ *hil fieri*. Sed tamen hoc locum non habet in prima emanatione ab universali rerum
„ principio. In 2. vero contra Gent. cap. 16. fatetur, errorem fuiſſe antiquorum Phi-
losophorum, materiæ nullam eſſe causam; inductosque fuiſſe ad id opinandum ex eo
quod nullam cernerent causam aliquid agere, niſi ex subjecta materia: additque imbi-
biſſe propter hoc tamquam communem opinionem: *ex nihilo nihil fieri*. Itaque quam-
vis S. Doctor ſibi contrarius appareat; ſi ejus verba introspiciantur, non ita eſt. Nam
in responſione citata primæ partis remittit ſe ad doctrinam datam in quæſt. antecedenti
art. 2. At in art. 2. palam dicit Philosophos antiquos materiam primam aſſeruiſſe in-
creatam, & eos tantummodo respexiſſe ad causas particulares, vel ſi ad universales,
non tamen ad universaliſsimam, quæ Deus eſt. Et quamvis ibidem dicat aliquos ex an-
tiquis Philosophis mentem usque ad universaliſsimam entis causam extuliſſe, non tamen
exprimit eosdem propterea materiæ creationem per Deum, cognoviſſe. At ſi senſit D.
Thomas antiquos Philosophos veram creationem ignoraviſſe, neſcio cur dicit illam eo-
rum communem opinionem *ex nihilo nihil fieri* de solis cauſis particularibus, aut de
universalibus, sed inferioribus, intelligendam eſſe. Si autem S. Doctor senſit aliquos
ex illis materiæ creationem agnoviſſe, cur in loco citato contra Gent. absque diſtinc-
tione ait antiquorum Philosophorum errorem fuiſſe, materiæ nullam eſſe cauſam, seu
materiam increatam eſſe; unde & ipſis communem insediſſe opinionem, *ex nihilo nihil*
fieri? Forsam in originali primæ partis seu in Autographo, loco *communis opinionis*,
scriptum erat, *communis notionis*, *aut conceptionis*. Et hæc lectio videtur neceſſaria
ut responſio argumento cohærat. In argumento enim non objicitur communis Philoso-
phorum opinio, sed communis eorum animi conceptio: atque additur potentiam Dei
non se extendere ad contraria primorum principiorum: ubi satis datur intelligi argu-
mentum ea de communi animi conceptione loqui, quæ fuerit à Deo menti inſita tam-
quam primum principium, aut unum ex primis principiis. Si ita scriptum erat, facile
conciliatur secum S. Doctor. Sensus ergo citatæ responſionis ex 1. parte erit, anti-
quos Philosophos non habuiſſe communem naturalem notionem, scilicet, *ex nihilo nihil*
fieri, niſi ad summum per comparationem ad causas secundas: nam ſi de his sermo
ſit, nihil magis certum nec manifeſtum. In loco vero contra Gent sensus erit, anti-
quis fuiſſe Philosophis non naturalem, aut à natura inſitam communem notionem, *ex*
nihilo nihil fieri, relate ad universaliſsimam primamque causam, Deum scilicet; sed
errorem potius, communemque animi deceptionem, inde ab ipſis ignoranter, aut im-
prudenter imbibitam, quòd cauſas ſecundas acceperint tamquam regulam judicandi etiam
de Deo primâ causâ.

4 Hunc communem Philosophorum errorem absdubio ſibi opponit, quamvis ni-
hil de Philosophis exprimat N. Author dum dicit: *ſicut vox omnium eſt, quia nihil*
de nihilo. D. Martyr Juſtinus atque Philosophus cohortatione ad Græcos, S. Theophi-
lus Antiochenus lib. 2. ad Autholycum, Hermias, irriſione Gent. Philosoph. Author
libri excerpti de Resurrect. apud Juſtinum in 2. part. Append. qui Authores omnes ſimul
habentur in noviſſima editione Domni Prudentii Maràn Monachi Congreg. S. Mauri,
omnibus Philosophis antiquis, etiam celebrioribus, Platoni scilicet, & Ariſtoteli, hunc
de materia increata, coæva Deo, errorem tribuunt. Omnes ſiquidem Philosophi ab ip-
ſis referuntur putaviſſe materiam ingenitam aut increatam, primum omnium rerum ex-
titiſſe principium, vel paſsivum tantum, Deum autem primum principium activum; vel
ipsam ſolam materiam exprimentes, nihil in suis sermonibus de Deo curantes. Itaque
hi omnes PP. citati intellexerunt illam falsam communem opinionem Philosophorum, *ex*
nihilo nihil fieri, etiam comparativè ad supremam omnium causam, tamquam quoddam
principium de rerum phyſica compoſsitione diſſerendi ſine discuſsione ulla, contra quod
debuerant, ab ipſis retentam fuiſſe. Hinc eſt quòd S. Petrus Damiani tract. de Omnipot.
cap. 11. dicat: *conſideranti planè liquidò patet, quoniam ab ipso Mundi exordio re-*
rum conditor, in quid voluit naturæ jura mutavit: immo ipsam naturam, ut ita di-
xerim, quodammodo contra naturam mutavit. Nunquid enim contra naturam non est
Mundum ex nihilo fieri? Unde à Philosophis dicitur: quia ex nihilo nihil fit. Contra

naturam inquit: non quia revera Deus Mundum creando ex nihilo, operatus fuerit contra Mundi naturam, vel quia alitèr Mundus deberet, aut posset fieri; sed quia quidpiam facere ex nihilo, naturæ repugnat causarum secundarum. Unde & Philosophi decepti, *ex nihilo nihil fieri* accipiebant tamquam primum principium naturæ, atque proinde ex nihilo aliquid fieri ut absolutè in se repugnans. At inquit P. Bern. lib. 5. de Consid. cap. 6. *Frustra Philosophi materiam quærunt. Non eguit materia Deus. Illos* inquit Basil. Hom. 2. in Hexamerôn, *decepit humanæ naturæ inopia.* „ Et quoniam ars quælibet apud nos circa aliquam materiam separatim versatur, velut „ ars ferraria circa ferrum, lignaria vero circa ligna; atque in his aliud est subjectum, „ aliud forma, aliud id quod ex forma conficitur: & quia materia quidem forinsecus „ assumitur, ab arte vero aptatur forma, effectus autem ex utrisque, ex materia scilicet, & ex forma componitur; sic etiam existimant in divino opificio, mundi quidem „ figuram à sapientia conditoris universorum esse inductam, materiam autem extrinsecus „ creatori advectam ac subjectam fuisse, Mundumque compositum extitisse, utpote qui „ subjectum, & essentiam aliunde habeat, figuram vero ac formam à Deo acceperit. „ Hinc autem fit, ut Deum Magnum constitutioni rerum præfecisse negent: sed eum „ tamquam symbolam quamdam supplentem, modicam quandam portionem ad rerum „ generationem de se ipso contulisse: quandoquidem præ ratiocinationum ignobilitate, „ ad veritatis sublimitatem respicere non potuere; quia artes hic materiâ sunt posterio„ res, utpote ob usus necessitatem in vitam introductæ:: At verò Deus prius quàm „ quidpiam eorum, quæ nunc videntur, extitisset, cùm in animum induxisset, statuisset„ que ea quæ non erant, in lucem edere: simul atque cogitavit qualemnam Mundum „ esse oporteret, materiam formæ ipsius convenientem produxit.

5 Itaque non ex insita naturali notione hujusmodi judicium antiqui Gentiles Philosophi de conditione Mundi tulerunt, sed ex deceptione, imprudentia, sive ut inquit Magn. Bas. ex humanæ naturæ inopia. Contrarium non solum catholica fides, sed ut inquit lib. 1. de Gen. ad litt. cap. 14. August. *etiam certissima ratio docet.*

6 *Tribus itaque, ut puto, modis &c.* ¶ Objectiones propositas S. Doctor dissolvit, tribus modis exponendo hanc assertionem: Deus universa ex nihilo fecit, dum cœlum, & terram in principio creavit. Prima expositio est: Deus cuncta fecit ex nihilo, idest, ea non fecit: quæ absdubio, inquit, falsa penitus est. Secunda: Deus fecit Mundum ex nihilo, id est, ipsum nihil materia fuit, aliquid existens, ex quo Mundus à Deo factus est: hic autem sensus non modo est falsus, ait Anselmus, verum etiam in se repugnans, vel contradictoria conjungens. *Quotiens*, inquit, *esse ponitur, impossibilis inconvenientia consequitur.* Tertia interpretatio est: Deus universum fecit ex nihilo, hoc est, Deus fecit universum, sed non fuit aliquid, unde aut ex quo illud faceret. Hanc solam interpretationem ex tribus, quia illa sola ex tribus vera est, approbat S. Doctor, & secundum illam dicit intelligendum esse quod in antecedenti capite conclusum est, summam scilicet essentiam, seu Deum cuncta fecisse ex nihilo, id est, non ex aliquo. Aliam dicit posse adhiberi sine ullo inconvenienti expositionem, hoc scilicet sensu: Deus universa fecit ex nihilo, id est, cùm omnia, quæ Deus fecit, antea non essent, Deus fecit ut essent. Vel sic: universa nihil erant; at Deo faciente sunt aliquid. Hæc ultima expositio Anselmi eádem est cum expositione Aug. lib. ad Orosium contra Priscilian. & Origenist. cap. 3. aientis: *cum dicitur, Deus ex nihilo fecit; nihil aliud dicitur nisi non erat unde faceret, & tamen quia voluit, fecit.* Utràque (tertia, & quarta) usus est Ang. Mag. 1. part. quæst. 45. art. 1. ad 3. Quod respondet primæ Anselmi supra positæ objectioni. *Hæc præpositio*, inquit, ex *importat habitudinem alicujus causæ, & maxime materialis: sicut cum dicimus quod statua fit ex ære: sed nihil non est materia entis, nec aliquo modo causa ejus. Ergo creare non est ex nihilo aliquid facere.* Ad quod respondet; *quòd cùm dicitur aliquid ex nihilo fieri, hæc præpositio* ex *non designat causam materialem, sed ordinem tantum; sicut cum dicitur, ex mane fit meridies, id est, post mane fit meridies. Sed intelligendum est, quod hæc præpositio* ex *potest includere negationem importatam in hoc quod dico nihil, vel includi ab ea. Si primo modo, tunc ordo remanet affirmatus, & ostenditur ordo ejus quod est ad non esse præcedens. Si negatio includat præpositionem, tunc ordo negatur, & est sensus; fit ex nihilo, id est, non fit ex aliquo: sicut si dicatur, iste loquitur de nihilo; quia non loquitur de aliquo. Et utroque modo verificatur, cùm dicitur ex nihilo aliquid fieri. Sed primo modo, hæc præpositio* ex *importat ordinem, ut dictum est. Secundo modo, importat habitudinem causæ materialis quæ negatur.*

Qui-

7 Quicumque has D. Thomæ conferat expoſitiones cum expoſitionibus Anſelmi, ſtatim deprehendet deſſumptas eſſe ab ipſo Anſelmo. At ſi adhuc quiſpiam dubitaverit, ſciat D. Thomam, expreſſo nomine Anſelmi, iisdem Anſelmi explicationibus uti quæſt. 3. de Creat. inter disputatas art. 1. ad 7. & art. 14. itidem ad 7.

8 Sed antequam ad caput 9. procedamus, non inutiliter noto hoc dictum, *ex nihilo nihil fieri* principium eſſe per ſe notum in ſenſu 2. interpretationis Authoris noſtri, illius ſcilicet, qua dicit quòd nihil non poteſt eſſe materia, vel aliquid exiſtens, unde fiat aliquid. Noto denique in illis verbis Authoris poſitis in fine capitis: *Hac ipsa voce qua dicitur, quia illa fecit, ſive quia ista facta sunt; intelligitur, quia cùm illa fecit, aliquid fecit; & cùm ista facta sunt, non niſi aliquid facta sunt.* Noto, inquam, Anselmum, tamquam verum Philoſophum, docere nos, veram actionem nec eſſe, nec intelligi poſſe ſine termino, & ſine paſsione in ipſo; correlationemque eſſe inter factionem, & factum. At ipse solis actionibus ad extra, non vero immanentibus, tribuebat cum proprietate nomen actionis; quod in alijs locis obſervare licet, præsertim in Dialogo de veritate.

CAPUT IX.*

* Al. pars cap. 8.

Quod ea quæ facta sunt ex nihilo, non nihil erant, antequam fierent, quantum ad rationem facientis.

VERUM videor mihi videre quiddam quod non negligenter discernere cogit, ſecundum quid ea quæ facta ſunt, antequam fierent, dici poſsint fuiſſe nihil. Nullo namque pacto fieri poteſt aliquid rationabiliter ab aliquo, niſi in facientis ratione præcedat aliquod rei faciendæ quaſi exemplum, ſive (ut aptius dicitur) forma, vel ſimilitudo, aut regula. Patet itaque quoniam priusquam fierent univerſa, erat in ratione ſummæ naturæ, quid, aut qualia, aut quomodo futura eſſent: quare, cum ea quæ facta ſunt, clarum ſit nihil fuiſſe, antequam fierent, quantum ad hoc, quia non erant quod nunc ſunt, nec erat ex quo fierent; non tamen nihil erant, quantum ad rationem facientis, per quam & ſecundum quam fierent.

COMMENTARIUS.

CAPIT. IX.

Verum videor mihi videre, &c. ¶

1 Explicato in capite antecedenti, quomodo ſumma eſſentia cuncta fecerit ex nihilo, ex parte rerum ipsarum, ſcire reſtat, quomodo eas fecerit, ex parte ſupremæ eſſentiæ facientis: an temerè, vel à caſu, an impetu naturæ; an potius rationabiliter, & ſapienter, ac eoque voluntariè, & liberè. Ad quod ſcire conducit, utrum res factæ, antequam fierent, eſſent aliquid in ratione aliqua ipsarum, vel idea. Ex uno ſequitur aliud. Si enim fuit ratio, & idea in ſuprema Eſſentia, in Deo, per quam, & ſecundum quam res, quæ antea nihil erant, id, quod sunt, fierent: Deus non temere, non à caſu, non impetu naturæ, ſed ſapienter, ac libere cuncta fecit. Sequitur etiam res creatas, quamvis in se penitus nihil fuerint, antequam factæ fuerint à Deo, non tamen fuiſſe nihil in ſua cauſa, aut ex parte Dei, illas facere potentis. Ut hoc oſtendat, totus eſt Author in præsenti capite.

2 *Nullo namque pacto fieri potest, &c.* ¶ Mundum non niſi rationabiliter, & cum cognitione factum à Deo fuiſſe ſupponit Author, neque hoc judicavit indigere probatione. Nam quòd temere, & à caſu, aut naturæ cæco impetu, tot & tantæ, cum

cum ordine tali, tamque admirabili concentu, res prodierint, cogitatio penitus fatua est, atque irrationalis. *Deus* inquit Augustus. 11. de Civit. Dei cap. 10. *non aliquid nesciens fecit; quod nec de quolibet homine Artifice recte dici potest.* Itaque quod de homine Artifice dici nequit, quid mirum quòd supponat Anselmus de summa natura, de Deo ipso, nec suspicari posse? At rationabiliter fieri quidpiam, ait, est impossibile, nisi in facientis ratione præcedat aliquod rei faciendæ quasi exemplum, sive forma, vel similitudo, aut regula. Rectè quidem: nam ut inquit Augustus. in lib. Octog. trium qq. (quæst. 46.) *tanta vis in ideis constituitur, ut nisi his intellectis, sapiens esse nemo possit.* At idea idem est quod exemplum, forma, similitudo, aut regula. *Exempla rerum*, ait idem Aug. 7. de Civit. Dei cap. 28. sunt quas *Plato vocat ideas.* Et in lib. citato 83. qq. cap. 46. *Ideas*, inquit, *Plato primus appellasse perhibetur: non tamen si hoc nomen, antequàm ipse instituerat, non erat, ideo vel res ipsæ non erant, quas ideas vocavit, vel à nullo erant intellectæ:: Ideas igitur latine possumus vel formas vel species dicere, ut verbum è verbo transferre videamur. Si autem rationes eas vocemus, ab interpretandi quidem proprietate discedimus:: Sed tamen quisquis hoc vocabulo uti voluerit, à reipsa non aberrabit. Eidea* namque vel *idea* græcum est vocabulum, cuius thema seu radix est verbum *eido*, quod significat videre. Rationem vocat in fine capitis noster Author, quod antea vocavit exemplum, & formam. Loco speciei similitudinem ponit, quæ idem significat. Unde Angelicus Præceptor 1. part. quæst. 15. art. 1. Ideam etiam similitudinem rei faciendæ rectè appellat. Quod exemplum dicunt Aug. & Anſ. vocat D. Thom. art. 3. ejusdem quæst. exemplar; hancque distinctionem intercedere dicit inter ideam *secundum quod exemplar*, & ideam secundum *quod est ratio; quòd nimirum secundum quod exemplar est, se habet ad omnia, quæ à Deo fiunt, secundum aliquod tempus: secundum autem quod principium cognoscitivum est, propriè dicitur ratio, & potest etiam ad scientiam speculativam pertinere.* Nempe, idea ut est ratio, etiam ad pure possibilia se habet: non sic ut exemplar. Rationem etiam dicit Anselmus esse in Deo faciente per quam, & secundum quam fierent universa: non vero exprimit; amittat, an servet rationis nomen, dicaturque exemplum, aut exemplar secundum respectum ad executivam rerum factionem. Verumtamen non negat. Regulam recte pariter exemplar appellat Author, eo quòd & Artifex ad regulam illam, & per illam operetur. Sed ut in cap. 11. Author dicturus est, maximum discrimen est inter ideam regulamve creati Artificis, & regulam vel ideam Artificis supremi.

3 Nota tamen mecum, Lector, illa verba *per quam, & secundum quam:* nam per ea cognosces Authorem docere nos velle illam in Deo rationem, formam, regulam aut exemplar non influere dumtaxat dirigendo ad effectum, sed etiam efficiendo. Si enim tantum dirigeret; secundum illam, non per illam faceret Deus. Sed quia etiam facit, propterea dixit Author *per quam, & secundum quam.* Quapropter, & D. Thom. art. 3. citato dicit quòd idea *secundum quod est principium factionis rerum, exemplar dici potest.* Et in quæst. 14. art. 8. ait: *quod scientia Dei est causa rerum. Sic enim scientia Dei se habet ad omnes res creatas sicut scientia Artificis se habet ad artificiata. Scientia autem Artificis est causa artificiatorum, eo quod Artifex operatur per suum intellectum. Unde oportet, quod forma intellectus sit principium operationis, sicut calor est principium calefactionis.*

4 In hac vero Dei ratione, seu rerum idea, erat, inquit Author quid, aut qualia, aut quo modo futura essent. Et verisimè hoc dicit: quandoquidem juxta rationes in quatuor primis capitibus exhibitas, atque digestas nullum est, quamtumvis minimum bonum, nullum, quantumlibet exiguum, & tantillum ens in rebus creatis, quod à Deo non procedat, quod à Deo factum non sit. Si ergo nihil potest fieri à Deo, nisi rationabiliter, nisi sapienter; opus est ut in Deo sit ratio, aut idea per quam res creatæ, vel quantum ad quid, vel quantum ad qualitates, aut quantitatem, vel quantum ad modum factæ, vel faciendæ sunt. Concluſio ergo Authoris est, quod res, quamvis sint ex nihilo, seu factæ sint ex nihilo, eo quod in se nihil erant, aut non erat aliquid unde fierent, non tamen erant nihil quantum ad rationem facientis; sed aliquid erant intelligibile, non extra Deum, sed in ipsa Dei ratione, vel idea. Ratio quippe, seu idea Dei de creabili re est in aliquo sensu ipsa res intellecta, ut D. Thomas dicit art. 2. quæstionis præcitatæ: *facile est videre*, ait, *si quis consideret, ideam operati esse in mente operantis sicut quod intelligitur, non autem sicut species qua intelligitur, quæ est faciens intellectum in actu. Forma enim domus in mente ædificatoris est aliquid ab eo intellectum, ad cujus similitudinem domum in materia format.*

Col-

Colligitur quoque ex Auguſtino libro 83. Qq. in 46. & in lib. de Trinit. cap. 10. Ergo in ſua ratione vel idea aliquid res fuerunt prius quam à Deo crearentur, quamvis in se nihil penitus eſſent, neque aliquid fuerit unde eſſent, aut ab eo formarentur.

CAPUT X.*

* Al. cap. 9.

Quòd illa ratio ſit quædam rerum locutio, ſicut faber dicit prius apud se quod facturus eſt.

ILLA autem forma rerum, quæ in ejus ratione res creandas præcedebat, quid aliud eſt quàm rerum quædam in ipſa ratione locutio; veluti cùm faber facturus aliquod ſuæ artis opus, prius illud intra ſe dicit mentis conceptione? Mentis autem ſive rationis locutionem hic intelligo, non cùm voces rerum ſignificativæ cogitantur; ſed cùm res ipſæ vel futuræ vel jam exiſtentes acie cogitationis in mente * conſpiciuntur. Frequenti namque uſu cognoscitur quia rem unam tripliciter loqui poſſumus. Aut enim res loquimur ſignis ſenſibilibus, id eſt, quæ ſenſibus corporis ſentiri poſſunt, ſenſibiliter utendo; aut eadem ſigna, quæ foris ſenſibilia ſunt, intra nos inſenſibiliter cogitando; aut nec ſenſibiliter, nec inſenſibiliter his ſignis utendo; ſed res ipſas, vel corporum imaginatione, vel rationis intellectu, pro rerum ipſarum diverſitate, intus in noſtra mente dicendo. Aliter namque hominem dico, cum eum hoc nomine, quod eſt, *homo*, ſignifico: aliter cum idem nomen tacens cogito: aliter cùm eum ipſum hominem mens, aut per corporis imaginem, aut per rationem intuetur; per corporis quidem imaginem, ut cum ejus ſenſibilem figuram imaginatur: per rationem vero, ut cùm univerſalem ejus eſſentiam, quæ eſt, animal rationale mortale, cogitat. Hæ vero tres loquendi varietates ſingulæ verbis ſui generis conſtant: ſed illius, quam tertiam, & ultimam poſui, locutionis verba, cùm de rebus non ignoratis ſunt, naturalia ſunt, & apud omnes gentes ſunt eadem. Et quoniam omnia alia verba propter hæc ſunt inventa: ubi iſta ſunt, nullum aliud verbum eſt neceſſarium ad rem cognoscendam; & ubi iſta eſſe non poſſunt, nullum aliud eſt utile ad rem oſtendendam. Poſſunt etiam non abſurde dici tanto veriora, quanto magis rebus, quarum ſunt verba, ſimilia ſunt, & eas expreſſius ſignificant; exceptis namque rebus illis, quibus ipſis utimur pro nominibus ſuis ad eaſdem ſignificandas, ut ſunt quædam voces, velut A vocalis: exceptis, inquam, his, nullum aliud verbum ſic videtur rei ſimile, cujus eſt verbum, aut ſic eam exprimit, quomodo illa ſimilitudo, quæ in acie mentis rem ipſam cogitantis exprimitur. Illud igitur jure dicendum eſt maxime proprium, & principale rei verbum. Quapropter ſi nulla de qualibet re locutio tantum propinquat rei, quantum illa quæ hujusmodi verbis conſtat; nec aliquid aliud tam ſimile rei vel futuræ, vel jam exiſtenti in ratione alicujus poteſt eſſe: non immerito videri poteſt apud ſummam ſubſtantiam, talem rerum locutionem, & fuiſſe, antequam eſſent, ut per eam fierent; & eſſe, cùm facta ſunt, ut per eam ſciantur.

COMMENTARIUS.

CAPIT. X.

Illa autem forma rerum &c. ¶

1 Quærit Author in hoc capite ubinam ſit, vel quid ſit illa idea, forma. aut ratio de qua in proximo egit. Platoni, celeberrimo omnium ex antiquis, judice S. Auguſt. Philoſopho, aliqui PP. primorum Eccleſiæ ſæculorum attribuère, ideas per ſe ſubſiſtentes extra mentem poſuiſſe Dei. S. Martyr Juſtinus, quamvis, & ipſe Platonicus, cohortatione ad Græcos, eum inſimulat, acuſatve quaſi qui primùm ideam connumeraverit, ut tertium atque diſtinctum à Deo, & à materia principium; poſtmodum autem in cogitationibus Dei collocaverit. Verum doctiſsimus Monachus Congreg. S. Mauri Domnus Prudentius Maràn, noviſsimus Editor operum ejus, cùm in generali Præfatione part. 2. cap. 1. tum ad loca oportuna cohortationis Juſtini ad Græcos, ex ipſo probat Platone variis in locis, ex Plutarcho de placitis Philoſophorum, ex Theodoreto, nusquam Platonem ideas niſi in Dei cogitationibus ſtatuiſſe. Utebatur ſiquidem Plato, Attico teſte apud Euſeb. præparat. Evang. lib. 15. cap. 13. exemplo Artificis, ita ut quod intelligebat Artificem intra se cogitando facere, ad formandum extra se & corporaliter opificium, in Deum transferret, antequam formaret, & ordinaret hunc Mundum. Ad S. Juſtinum quod attinet, idem Author ibidem num. 8. ait non diu fuiſſe cum Platonicis aut Scholam Platonicam frequentaſſe; unde non eſſet mirum, quòd in Platonica doctrina non multum fuerit verſatus, non ſatis Platonem caluerit. De Platone autem hoc in num. 4. illuſtre perhibet teſtimonium. *Egregie ille quidem*, ait, *& luculenter docuit, Deum omnia ad idearum ſuarum exemplar creaſſe, nec quidquam eſſe in Mundo, quod non ideæ divinæ reſpondeat. At inſcienter prorſus, & abſurdè Mundum eſſentiæ divinæ accuratam eſſe & omnibus numeris inſtructam imaginem ſibi fingebat, nec quidquam eſſe in Deo, cujus non aliqua expreſſa ſit in Mundo imago.*

2 Noſter ergo Author tam in antecedenti, quàm in præſenti capite, quamvis ſe nunquam fatetur Platonicum (neque Peripateticum) Platonicè meditatur. Nec mirum; cum Platonicus fuerit Auguſtinus, cujus doctrinam ſequi in hoc opere honori ſibi tribuit Anſelmus. Lege Præfationem. Sed à Platone in comparando Mundum cum Deo, vel in tribuendo ipſi Mundo Dei perfectam rationem imaginis, aut in vocando ipſum Mundum Dei unigenitum, longiſsime, infinite diſtat. Itaque ſi Anſelmus legit Platonem, nequaquam ipſi caput inclinavit tamquam Magiſtro. Ne aliquid diceret, aut diſcurreret contra Sacram Scripturam, & SS. Catholicosque Patres, ipſi tantummodo cordi fuit; quidquid ſenſerit Ariſtoteles, quidquid Plato, quidquid aſius, quicumque fuerit, Philoſophus. Expoliavit tamen Egiptios, ut nos ditaret. Ergo, ut ad propoſitum convertatur oratio, ab exemplo Artificis Anſelmus (quod fecerat Plato) colligit ſummam eſſentiam, Deum, intra ſe cogitando, atque loquendo, illam Mundi ideam; aut formam concepiſſe, expreſsiſſeque. Advertit tamen non de aliqua locutione ſenſibili ſe locutum, ſed de mentali dumtaxat. Ad cujus majorem intelligentiam notare facit, tripliciter rem uſu frequenti nos loqui. Primus modus loquendi eſt, cum verba lingua carnali proferimus; præſertim ab alijs modis loquendi ſeparatus, quando verba abſque ulla ſignificationis eorum cognione pronunciamus. Secundus modus eſt, quando lingua tacente carnali, in ſilentio intra nos eadem verba, nihil attendendo ad ſignificationem, cogitamus, aut mente, vel ſenſu interno revolvimus. Tertius modus eſt, quando non verba ſenſibilia, nec ſenſibiliter, nec inſenſibiliter, id eſt, nec lingua, nec ſenſu interno, nec mente pronunciamus, ſed res ſolas ſignificatas per verba; ut cùm figuras corporum intra nos cogitamus, aut ſenſibilem figuram alicujus hominis, quem vidimus, imaginamur; vel quando quaslibet rerum ſenſibiles ſpecies, aut ſimilitudines in memoria hinc inde revolvimus; aut denique quando neque figuras, aut qualitates ſenſibiles corporum cogitamus, neque ſenſu imaginamur, aut exprimimus, ſed ſolam eſſentiam: ut cum v. g. hominem intelligimus eſſe animal rationale. Ex his tribus verborum generibus ea quæ primi, & ſecundi generis ſunt, non omnibus gentibus, ut recte inquit Author, communia ſunt, ſed varia ſecundum varium ipſarum Nationum placitum. Illa vero quæ tertij, & ultimi generis verba ſunt, naturalia ſunt, ut etiam veriſsime docet Author;

at-

atque apud omnes gentes ſunt éadem. At & veriora ſunt hæc quám prima, & ſecunda, eo quód majorem habent cum rebus, quas exprimunt, ſimilitudinem, easque expressius ſignificant. Quapropter, & quia non hæc propter illa, sed illa propter hæc ab hominibus inventa ſunt, ideo jure maxime, & principaliter convenit ipſis ratio, & natura verbi. Quod non solum Anselmus, sed etiam dicit Auguſtinus lib. 15. de Trin. cap. 11. *Verbum quod foris ſonat, ſignum est verbi quod intus lucet, cui maxime verbi competit nomen. Nam illud, quod profertur carnis ore, vox verbi est: verbumque, & ipſum dicitur propter illud, à quo, ut foris appareret, assumptum est* At tota explicatio triplicis generis verborum conformis itidem doctrinæ ejusdem S. Auguſtini eſt 15. de Trinit. cap. 10. & 11. & lib. 9. cap. 10. Sed advertendum quòd. cum Anselmus deffinit, vel dicit universalem hominis eſſentiam eſſe *animal rationale mortale*, sensu loquitur antiquorum Philosophorum, ſicut, & alij quandoque Patres. Propriam suam aperit mentem lib. 2. cur Deus Homo cap. 11. his verbis: *non puto*, inquit, *mortalitatem ad puram, ſed ad corruptam hominis naturam pertinere:: Nam ſi pertineret ad veritatem humanæ naturæ mortalitas, nequaquam poſſet eſſe homo, qui eſſet immortalis, &c.*

3 Illud autem quod dixi de tertij generis verbis ſic intelligendum eſt, ut verbum, quod acie mentis exprimitur, proprius, & principalius ſit, quàm ea verba etiam ejusdem tertij generis quæ non mente, sed sensu interno gignuntur, vel proferuntur. *Nam nullum aliud verbum*, inquit noſter Author, *ſic videtur rei ſimile, cujus est verbum, aut ſic eam exprimit quomodo illa ſimilitudo, quæ in acie mentis, rem ipſam cogitantis, exprimitur. Illud igitur jure dicendum est maximè proprium, & principale rei verbum.* Hoc solum verbum eſt, quod Deo competere poteſt, & quod Author tum in verbis sequentibus, tum in alijs succedentibus capitibus, in quibus ſcilicet de locutione, & verbo loquitur, ipſi Deo, ſummæve ſubſtantiæ attribuit. Et hoc neceſſario consequitur ex eo quod in capite 27. probat Deum eſſe summum, & individuum Spiritum: immo ex alijs quoque capitibus, scilicet 15. 17. & 25. in quibus probat, tum Deo convenire non poſſe id, quod melius eſt absolutè non eſſe, quàm eſſe, ſicut corpus; tum nullis accidentibus subjacere: tum denique nullis partibus constare, sed eſſe subſtantiam, & eſſentiam summe ſimplicem.

4 *Quapropter ſi nulla de qualibet re locutio tantum propinquat rei, &c.* Caput concludit Author colligendo, & aſſerendo nullam aliam locutionem Deo tribuendam, quam locutionem immaterialem, & ſic internam, ut mentis dumtaxat, nullius vero sensus locutio ſit. Ratio ipſius eſt, quia nulla locutio ſic rei propinquat, vel nulla tam perfecta rei ſimilitudo aut expressio eſt, ſicut locutio quæ solius mentis eſt; ac menti divinæ, & summæ ſubſtantiæ semper id tribuendum quod in quocumque genere melius absolute, & perfectius eſt. Ergo ſi nulla locutio invenitur tam perfecta, immò ipsa melior omnibus, & perfectior eſt; illa sola Deo tribuenda eſt. Tribuenda eſt, inquit, ut per eam res, quæ non erant, fierent; & factæ, per eamdem recognoscantur. Advertendum eſt tamen, Anselmum adhuc non aperire in præsenti capite, quo sensu hæc in summa eſſentia rerum locutio ſit, vel non ſit ipsarum ſimilitudo: an omni cum proprietate, an secùs; sed quadam ratione superiori, & eminenti. Hoc explicandum reservat usque ad caput trigessimum primum.

5 In præsenti oportunum non judicavit: quippe cùm probè ſciret, à faciliori-bus, & notioribus ascendendum. Contentus id ponere quod cuique propria experientia notum eſt, ſe ſcilicet, dum rem intra ſemetipsum concipit ac loquitur, quandam rei ſimilitudinem intra se efformare, & quaſi pingere in tabula mentis. Quod in Opifice clarius intelligitur. Itaque cum Artifex quilibet exprimere ſeu producere in materia illam formam, aut ſimilitudinem, quam prius intra ſe cogitandó, & loquendo facit, eo meliori quo poſsit modo conetur; cumque eadem ſimilitudo in mente ſervata ipſi in poſterum ad recognoscendum suum opus, per eamdem, & ſecundum eamdem factum, deſerviat; hinc egregie colligit Author, rerum locutionem Deo non defuiſſe antequam ab eodem fierent, ut per ipſam efficerentur: eamdemque locutionem in ipso Deo ſemper manere ut per ipsarum rerum formam vel ideam inceſſanter recognoscantur. Locutionem accipit Anselmus non tam ex parte principii, quàm exparte termini: quamvis locutio utrumque præferat, hoc eſt, & actionem loquendi, & rem locutam, ſive verbum. At S. Doctor, quia paulatim, vel de gradu in gradum mentem ad quærendum Deum, attributa, proceſsiones, & divinas perſonas effert; propterea quoque paulatim, & gradatim naturam hujus locutionis ac proprietates detegit, ostendit. Interim notes volo, Anselmum in his ultimis verbis, *talem rerum locutionem & fuiſſe, antequam eſſent, ut per eam*

fie-

fuerunt, satis significare, ut jam in capite diximus antecedenti, Deum per suam scientiam non solum res quæ fecit, ac facit, cognoscere, verum etiam feciſſe, ac facere. Confer cap. 7. quæſt. 1. lib. de Concord. præscient. &c. cum lib. arb.

CAPUT XI. *

* Al. cap. 10.

Quòd tamen multa ſit in hac ſimilitudine fabri, diſſimilitudo.

SED quamvis ſummam ſubſtantiam conſtet prius in ſe quaſi dixiſſe cunctam creaturam, quàm eam ſecundum eamdem, & per eamdem ſuam intimam locutionem conderet: quemadmodum faber prius mente concipit, quod poſtea ſecundum mentis conceptionem opere perficit: multa tamen in hac ſimilitudine intueor diſſimilitudinem. Illa namque nihil omnino aliunde aſſumpſit, unde vel eorum quæ factura erat, formam in ſeipſa compingeret; vel ea ipſa, id quod ſunt, perficeret: faber vero penitus nec mente poteſt aliquid corporeum concipere imaginando, niſi id quod aut totum ſimul, aut per partes, ex aliquibus rebus aliquo modo jam didicit; nec opus mente conceptum perficere, ſi deſit aut materia, aut aliquid, ſine quo opus præcogitatum fieri non poſsit: quamquam enim homo tale aliquod animal poſsit cogitando vel pingendo, quale nusquam ſit, confingere; nequaquam tamen hoc facere valet, niſi componendo in eo partes, quas ex rebus alias cognitis in memoriam attraxit. Quare in hoc differunt ab invicem illæ in creatrice ſubſtantia, & in fabro ſuorum operum faciendorum intimæ locutiones; quòd illa nec aſſumpta, nec adjuta aliunde, ſed prima, & ſola cauſa ſufficere potuit ſuo * artifici ad ſuum opus perficiendum: iſta vero nec prima, nec ſola, nec ſufficiens eſt ad ſuum incipiendum. Quapropter ea quæ per illam creata ſunt, omnino non ſunt aliquid, quod non ſunt per illam. Quæ vero per iſtam fiunt, penitus non eſſent, niſi eſſent aliquid quod non ſunt per ipſam.

* Al. ſummo.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XI.

Sed quamvis ſummam ſubſtantiam &c. ¶

1. Author in duobus capitibus antecedentibus, & in hoc atque ſequenti, adjunctis quoque 29. ac 30. eò animum intendit ut probet, ſeu ratione oſtendat veritatem, quæ ſemper firmiſsima fuit & eſt in æternum, illorum nempe verborum S. Joannis quibus ſuum incipit Evangelium. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: & ſine ipso factum est nihil, quod factum est.* In capitibus 9. & 10. ſatis ſolide ac ſufficienter oſtendit verbum internum in ſumma ſubſtantia extitiſſe, priusquam res fuiſſent creatæ à Deo, ut ſecundum illud atque per illud ad extra producerentur; insuperque probavit idem omnino verbum poſt rerum productionem in eadem ſemper ſubſtantia permanere. Quamvis usque ad 30. caput determinare differat, utrum unum aut plura ſint verba in Deo. Hucusque ſatis habet quod vere conſtat, ſupremam ſubſtantiam, ſeu Deum, prius intra ſe quaſi dixiſſe univerſas creaturas, quàm quod juxta ipſam, & per ipſam intimam ſuam locutionem conderet univerſum: eum ad modum quo faber prius concipit mente, quod poſtea ſecundum ideam mente conceptam atque formam, opere perficit.

Si-

7 Simili quidem via S. Auguſtinus in libris de Trinitate præsertim in 15. oſtendit Verbum exiſtere in Deo; tracto ſcilicet exemplo à nobis metipſis, à mente noſtra cogitante, intra ſe loquente, atque adeo promente, ſeu producente ſpirituale verbum. Sed D. Athanaſius Oratione 1. contra Arianos propinquius accedit ad medium probandi exiſtere Verbum Divinum, quo in præsenti noſter utitur Anselmus. Numero „ ſiquidem 11. in Editione Monachorum Congregationis S. Mauri ait: Cum (Paulus) „ item Gentiles confutaret, ait; *Inviſibilia enim ipſius ex creatione Mundi, per ea* „ *quæ facta sunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus, & divi-* „ *nitas.* Quæ vero ſit virtus Dei, idem iterum his verbis docet; *Chriſtus Dei virtus,* „ *& Dei ſapientia.* Nec enim hoc in loco Patrem voluit ſignificare, ut ſoletis (Arriani) inter vos dictitare, ajentes, Pater sua ipſius eſt ſempiterna virtus. Non ita sane „ eſt. Nec enim dixit, ipse Deus eſt virtus; sed ejus eſt virtus. Nemini porrò dubium „ fuerit, quin id, quod ejus eſt, non idem ſit quod ipſe: Nempe poſtquam creationis „ meminiſſet, valde congruenter de opificis in ipſa creatione virtute loquitur, quæ quidem virtus Verbum eſt Dei, per quod omnia facta sunt... Si porro omnia per Filium „ facta ſunt, & in eo conſiſtunt: is qui rite creatam naturam voluerit contemplari, Verbum quoque à quo eſt condita, neceſſario contemplabitur, ac Patrem per ipſam intelligere incipiet... Admodum convenienter Paulus Gentiles increpans, quod concentum „ & ordinem rerum creatarum contemplantes, nihil de Verbo earum opifice cogitarent „ (namque res creatæ ſuum indicant Opificem) ut per ipsas etiam verum Deum agnoscerent, abſtinerentque à rerum creatarum cultu, admodum, inquam, convenienter „ dixit: *sempiterna quoque ejus virtus & divinitas*, ut his Filium ſignificaret. Hæc „ S. Athanaſius. In quibus vides Apoſtolum Authorem fuiſſe non ſolum Athanaſio, ut „ contra Arrianos poſſet ex prædictis verbis arguere, sed etiam Anselmo ut ſola ratione probare valeret locutionem, & Verbum æternum in Deo exiſtere. Lege quoque, ſi vis, eumdem Athanaſium in num. 17.

8 Sed oportet scire quale ſignanter ſit propoſitum noſtri Authoris in præsenti capite. Hoc igitur non ſolum huius ſed & ſequentis eſt, oſtendere magnum discrimen eſſe inter creatum Artificem, & increatum, atque unius inter, & alterius intimam & mentalem lucutionem idearumque formationem. Dicamus ergo rationes discriminis quas nos docet Author in hoc capite, poſtea dicturi quam in ſequenti affert. Prima eſt quod ſupremus Artifex ut suam de rebus conciperet ideam, nihil aliunde emendicavit; sed de ſeipso ſolo, & per ſolum seipſum, illam intra seipsum expreſsit: Artifex vero creatus non ſic: nam quamvis operis ideam ingenio ſuo intra ſe format: non tamen de ſuo, vel de semetipso, sed ex ſuppetijs hinc inde petitis. Nullus quippe homo quamcumque operis ideam fingit, cujus species atque notitia, per partes ſaltem, ipſi aliis ex rebus, vel per omnes, vel per aliquem ex quinque senſibus non ſit miniſtrata. Id omnium docet experientia, non valentium, quamtumvis nitantur, effingere formam, seu quodcumque figmentum, cujus aliquam speciem aliunde non hauserint. Audi præterea D. Auguſtinum 11. de Trin. cap. 8. ajentem: *Neque colorem, quem nunquam vidit, neque figuram corporis, nec ſonum quem nunquam audivit, nec ſaporem quem nunquam guſtavit, nec odorem quem nunquam olfecit, nec ullam contrectationem corporis, quam nunquam ſenſit, potest quisquam omnino cogitare.* Et in cap. 7. ait, nihil nos poſſe vel meminiſſe vel cogitare quod penitus memoria exciderit, & neque in aliquo ſimili, neque in veſtigio aliquo remanserit. Ergo Opifex homo, ut rectè inquit noſter Author, componere aliud ex alijs, addere, minuere, ordinare, fingere poteſt; non tamen ideam totam de nullo alio, quàm de seipso, concipere atque formare. Supremus vero Artifex à nullo extra se rerum ideam habere quivit, quippe qui universa ex nihilo fecerit, ut jam in primis capitibus præsertim 9. Author ipse probavit.

9 Secunda dissimilitudinis ratio eſt, quòd locutio seu idea supremi Artificis prima omnium fuit: locutio autem vel ideæ formatio à creato Artifice, non prima, sed saltem poſt locutionem Dei fuerit, neceſſe ſit. Tertia, quòd ipsa summi Artificis locutio, & idea per se sola ſufficere potuit, ut per eam ipse supremus Opifex eamdem executioni mandaret, & reipsa ſuffecit. Cum enim præter Deum, & res creatas nihil aliud fuerit aut ſit; & omnes res creatæ per ipsam locutionem, formam rerum, vel ideam à Deo creatæ fuerint (primum conſtat ex capitibus à primo usque ad 9. Secundum autem ex 9. & 10.) infallibiliter sequitur nullam materiam, nullum miniſterium, juvamen, inſtrumentum, Deum accipere extra se potuiſſe ad condendum universa. Ergo manifeſtissimum eſt, Deum, præter suam intimam locutionem, alià luce, alià specie, alià notitia, alicujus auxilio, miniſteriove, ad producendum extra

se Mundum, nequaquam indiguiſſe : sed neque ulla prorsus materia, quæcumque illa cogitetur. At Opifex creatus multis opus habet ut ideam extra se ponat. In primis indiget materia, deinde aliorum ministerio, instrumentisque : aut si propriis ipse manibus faciat, saltem eget, præter materiam, instrumento, tempore, &c. Quarta denique differentia est ; quòd res factæ per divinam locutionem, quidquid sunt, habent penitus per illam : neque essent nisi illa esset, & essent ab illa : á contrario locutio, & idea creati Opificis non esset, si à rebus factis nihil haberet : neque opera ejus essent, si prius per partes, saltem secundum esse naturale, non essent ; v. g. domus, si antea non essent lapides, ligna, &c. Hinc clare introspicitur quod dicunt Patres, Deum nempe nihil extra se cognoscere ; res non ideo sciri aut videri à Deo quia sunt ; sed potius esse quia à Deo sciuntur. *Non enim nescivit* (verba sunt Augustini 15. de Trinitate capite 13.) *quæ fuerat creaturus. Quia ergo scivit, creavit ; non quia creavit, scivit ; nec ea aliter scivit* creata, quàm creanda. Non enim ejus sapientiæ aliquid accessit ex eis ; sed illis existentibus sicut oportebat, & quando oportebat, illa mansit, ut erat. Ita & scriptum est in lib. Eccles. *Antequam crearentur omnia nota sunt illi, sic & postquam consumata sunt. Sic, inquit, non aliter.* Hinc etiam melius intelligitur comparatio quam posuimus D. Thom. in Commentario ad cap. 9. scientiæ divinæ cum scientia artificis humani : non enim comparatio est nisi quantum ad rationem causæ efficientis, nec solum exemplaris. De cetero D. Thom. intelligendus est cum omnibus illi discrepantiis quas ex nostro Authore supra eruimus, & explicuimus.

CAPUT XII.*

*Al. cap. 11.

Quòd hæc summæ essentiæ locutio sit summa essentia.

SED cùm pariter ratione docente sit certum quia quicquid summa substantia fecit, non fecit per aliùd quàm persemetipsam : & quicquid fecit, per suam intimam locutionem fecit ; sive singula singulis verbis, sive potius uno verbo simul omnia dicendo ; quid magis necessarium videri potest, quàm hanc summæ essentiæ locutionem non esse aliud quàm summam essentiam ? Non igitur negligenter prætereundam hujus locutionis considerationem puto : sed priusquam de illa possit tractari, diligenter ejusdem summæ substantiæ proprietates aliquas studiose investigandas existimo.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XII.

Sed cum pariter ratione docente sit certum &c.

1 Jam in primis capp. monuimus ne excideret à memoria illud principium quod in illis statuitur : *Omnia esse per summam substantiam, seu à summa substantia ; & quòd summa substantia per se omnino est quidquid est.* Ex hoc principio etiam nunc colligit, quòd locutio, aut Verbum Dei ipsi consubstantiale sit, seu cum Deo una eademque substantia. Sed notare operæ pretium est, hoc cap. pendens, & imperfectum manere usque ad capita 29. & 30. per quæ perficitur ejus discursus, atque proinde cum rationibus ibi contentis conjungendus est. Ergo ex hoc præsenti, & ex illis citatis capp. quasi unum caput faciendum est, vel pro uno capite Lectori ad intelligentiam deputandum est. Quapropter & ego rationes cap. 29. quæ necessariam conexionem habent cum discursu præsenti, seu potius illud promovent, huc traham, & exponam.

2 Ergo proposita assertio sic ab Authore solidissime, atque acutissime probatur. Per summam substantiam, aut essentiam, hoc est, per Deum, universa facta sunt, quæ summa substantia, aut Deus non sunt. At per suam artem, locutionem, ideam, Ver-

Verbum denique suum Deus fecit universa: igitur hæc rerum idea, locutio, hoc Verbum Dei est ipsa summa substantia, summa essentia, ipse Deus. Nam si non esset ipsa suprema substantia; esset aliud ab ipsa: ergo & ab ea factum: cum probatum fuerit à cap. 1. usque ad 9. universa, nullo excepto, nisi ipsa suprema natura, ab eadem, & per eamdem condita fuisse. Si autem illa idea, illa locutio, illud Verbum Dei non est ipsa suprema natura, essentia, substantia, ipse Deus, certissime continetur inter universa, quæ non sunt illa suprema substantia, essentia, Deus. Quid ergo consequentius quàm quòd si universa præter summam essentiam Dei, præter ipsum Deum, creata sunt, etiam ipsa idea divina, ipsa locutio Dei, ipsum Dei Verbum creatum sit? At si hoc ita esset; non omnia præter summam essentiam, præter Deum, fecisset ipsa summa essentia, ipse Deus, per suam ideam, per suam locutionem per suum verbum. Non enim possibile est, ut idea, locutio, aut Verbum fiat per eamdem ideam, per eandem locutionem, per idem Verbum. Impossibile quippe est ut idem sit causa, & effectus, aut quòd causa se ipsam efficiat. Quòd enim fit, posterius est eo per quod fit; & nihil est posterius se ipso. Neque idem potest simul esse, & non esse: causa autem intelligitur esse; et pro tunc, cùm causa intelligitur esse, adhuc non intelligitur quod ejus effectus sit. Quòd autem Deus per suam locutionem, verbum, & ideam universa præter se ipsum condiderit, probatum, & expositum manet in tribus capp. antecedentibus.

3 Confirmatur, & promovetur Authoris ratio. Si locutio Dei, quæ idea rerum est & exemplar, facta est; aut facta est irrationabiliter, & ignoranter; quod de Deo præcipue jam diximus in cap. 9. absurdam esse cogitationum, & penitus fatuam: aut prorsus necessarium est, ut per aliam locutionem, ideam, & exemplar fieret, quemadmodum de cœteris diximus rebus factis. At si ita fuisset; aut nullus esset finis, & terminus in his locutionibus, & productis exemplaribus, quod non solum est absurdum, sed etiam impossibile, aut tandem ad aliquam locutionem, & exemplar deveniendum est, quæ facta, vel factum non fuerit; alioquin nulla res unquam producta fuisset: quippe prius necessario producenda esset tota illa infinita processio locutionum, & exemplarium. At infinita processio impertransibilis est, sive ad terminum pervenire nunquam potest. Ergo si hæc prius finienda erat, quam quælibet res ad extra produceretur, nulla unquam res produceretur. Res enim quælibet à Deo, uti in cap. 9. & 10. dictum est, irrationabiliter, sive absque ratione fieri non potuit. Si ergo ratio rerum, vel idea non posset fieri nisi præcederet factio aliarum retrò, & retrò rationum sine fine; inevitabiliter sequitur, impossibilem esse effectivam, sive executivam rerum productionem.

4 Patentius hìc videtur vis rationis secunda S. Thom. qua in 1. part. „ quæst. 2. art. 3. demonstrat Deum existere. Secunda via, inquit, est, ex „ ratione causæ efficientis. Invenimus enim in istis sensibilibus esse ordinem causarum „ efficientium; nec tamen invenitur, nec est possibile, quòd aliquid sit causa efficiens „ sui ipsius, quia sic esset prius se ipso, quod est impossibile. Non autem est possibile quòd „ in causis efficientibus procedatur in infinitum, quia in omnibus causis efficientibus ordinatis primum est causa medij, & medium est causa ultimi, sive media sint plura, sive unum „ tantum. Remota autem causa, removetur effectus. Ergo si non fuerit primum in causis „ efficientibus, non erit ultimum, nec medium. Sed si procedatur in infinitum in causis efficientibus, non erit prima causa efficiens, & sic non erit nec effectus ultimus; „ nec causæ efficientes mediæ: quod patet esse falsum. Ergo est necesse ponere aliquam „ causam efficientem primam, quam omnes Deum nominant. Manifestius, inquam, vis hujus ratiocinii conspicitur in idea Dei vel exemplari de rebus: quia clarior est necessitas locutionis, sive expressionis ideæ & exemplaris in Deo ad res extra se producendas, quàm subordinatio, vel concatenatio causarum efficientium. Nota vero in hoc ratiocinio D. Thom. qualiter includitur ratio nostri Anselmi qua probat nullam rem esse posse causam efficientem sui ipsius, eo quod nulla res possit esse prius se ipsa.

5 Neque vis ratiocinii debilitatur, etiam si dicatur locutionem, quamvis facta non fuerit, potuisse velut quandam proprietatem à summa essentia dimanare, aut pullulare. Semper vim suam recuperat principium ab Anselmo stabilitum: quòd, videlicet, proprie, & in rigore tunc casùs non omnia essent facta, & creata à Deo præter summam essentiam: neque universa facta essent per ipsam summam substantiam. Tum quia ut dictum est, ipsa locutio fieri non potuit per se ipsam: & tamen probatum manet à N. Authore, quod universa præter ipsam summam essentiam facta fuerint ab ipsa summa essentia per suam intimam locutionem. Ergo responsio data chymerica est.

Præ-

6 Præterea ſtabilitum eſt quoque ab Authore ſuprenam eſſentiam, ut ſuprema ſit, opus habere ut non ab alio diſtincto, vel per aliud à ſe, aliquid ſit, ſed per se ipsam ſit quidquid eſt. At ſi locutio ejus dimanat, aut pullulat ab ipsa, ut res vere diſtincta; ſuprema eſſentia non eſt per ſe ipsam locutio, idea, & rerum exemplar. Non ergo erit per se quidquid eſt, ſed erit locutio, idea & exemplar per aliquid à se ipsa diſtinctum. Igitur nec erit suprema eſſentia, cum summe non ſit: quippe cui reſtabit eſſe locutio, ideaque rerum, & exemplar.

7 Si iterum reſpondeatur, summam eſſentiam non deſinere propterea summe eſſe: quandoquidem vel virtualiter, vel eminenter eſt illa locutio, idea, & exemplar. Repono. Vel eſſe illam rerum locutionem, ideam, & exemplar virtualiter, aut eminenter, eſt eſſe magis perfecte, æque, aut minus perfecte locutionem &c. vel non? Si hoc ultimum; inſtauratur factum argumentum: deeſſet enim illa major perfectio, quæ haberetur in locutione formali, idea, & exemplari. Si primum, aut secundum; fruſtra dimanatio alterius locutionis, verbi, ideæ, & exemplaris, vel minus perfecti aut æque perfecti; cum ante dimanationem illud idem jam eſſet ſuprema eſſentia, aut magis perfectè, aut ſaltem æque perfecte. Ergo undique munitum eſt veritate, & impenetrabilitate ratiocinium Anſelmi.

8 Ex eo nunc melius vim intelligas alterius ratiocinii D. Aug. contra Arianos tract. 1. in Joan. circa med. Exeat nunc, inquit, nescio quis infidelis Arianus, & dicat, quia Verbum Dei factum eſt. Quomodo poteſt fieri, ut Verbum Dei factum ſit, quando Deus per Verbum fecit omnia? Si & Verbum Dei ipsum factum eſt, per quod aliud Verbum factum eſt? Si hoc dicis, quia hoc eſt Verbum Verbi, per quod factum eſt illud; ipsum dico ego unicum Filium Dei. Si autem non dicis Verbum Verbi, concede non factum, per quod facta sunt omnia. Non enim per ſe ipsum fieri potuit, per quod facta sunt omnia. Noſter itaque Author idem omnino probat quod Aug. Conſubſtantialitatem, nimirum, Verbi Dei: at paulatim, & gradatim ſuas Concluſiones explicando ac mentem ſuam detegendo. Non enim facit perſonam, ut jam in ſua præfatione monuit, Chriſtiani, ex his, quæ fidei ſunt, arguentis, & alia probantis, & concludentis; ſed personam agit volentis ratione accedere ad fidem; vel potius alicujus Chriſtiani ſecum cogitantis, & inveſtigantis rationes eorum quæ ſunt fidei, quibus alios adhuc non credentes ad fidem trahat. Hæc ergo ratio eſt cur in præsenti noſter Author quaſi dubitando dicat: *quod quidquid fecit per suam intimam locutionem fecit; ſive ſingula ſingulis verbis, ſive potius uno verbo ſimul omnia dicendo*: dubitando, inquam, non de eo quod Deus quidquid fecit, per ſuam fecerit locutionem intimam, ſed utrum per hanc locutionem unum aut multa dixerit verba, quo, vel quibus omnes res intra se dixerit. Hoc ergo dubium non eſt proprie dubium, sed mentis præciſio, & resolutionis ſuspenſio usque ad tempus magis opportunum.

9 *Non igitur negligenter prætereundam hujus locutionis conſiderationem puto, &c.* ¶ Iam supra diximus hoc cap. ab Authore relinqui ſuspensum, pendulum & imperfectum, conſiderandumque eſſe tamquàm partem cap. 29. Hoc eſt quod ipſe ſignificat in his verbis. Rationem autem hujus suspenſionis indicat ipſe in hac eadem poſtrema cap. periodo. Nempe hæc locutio multa indiget conſideratione; eſt enim productiva Verbi Deo conſubſtantialis, atque proinde eſt etiam generatio: unde consequenter Verbum, quod eſt terminus ejus, eſt quoque Filius; & Deus, à quo procedit, eſt Pater. De Patre ergo, Filio, & Spiritu Sancto non levi calamo tractandum eſt. At hic tractatus præmiti non debet tractatui de perfectionibus, & proprietatibus abſolutis divinæ Subſtantiæ. Proprietates, quæ dicuntur attributa eſſentiæ divinæ, prius subjacent conſiderationi noſtræ, quàm proprietates relativæ: quemadmodum prius nobis cognoscibilis eſt eſſentia, quàm personæ. Præterea relationes quaſi inſunt ſubſtantiæ divinæ, & quaſi ordine naturæ poſteriores sunt. Ergo recta methodus exigit ut prius de natura divina ejusque proprietatibus, & attributis eſſentialibus, absolutis, & communibus agatur, quàm de proprietatibus notionalibus, & relativis. Author vero noſter cùm demonſtraverit exiſtentiam summi boni, summi entis, supremæ eſſentiæ, ſubſtantiæ atque naturæ, quæ ſine dubio Deus eſt, per ea quæ facta sunt; demonstraveritque hanc summam eſſentiam per se eſſe quidquid est, atque cætera cuncta per ipsam: ſicut neceſſarium fuit, ostendere quo modo facta fuerint per ipsam ex parte termini actionis; an ex nihilo an non ex nihilo, sed ex aliquo præcedente ſubjecto; ita neceſſarium fuit statim dicere quomodo creata fuerint ex parte causæ; an rationabiliter, & sapienter; an non rationabiliter, neque sapienter, sed

te-

temerè, casu, impetuque naturæ. Quapropter necessarium pariter fuit id dicere de locutione mentali ideæ, & exemplaris rerum productiva, seu expressiva, quod sufficeret ad complendam doctrinam de creatione rerum, quæ quoddam medium Authori fuere demonstrandi divinam naturam, & creatricem essentiam.

CAPUT XIII.*

* Al. cap. 12.

Quòd sicut omnia per summam essentiam facta sunt, ita vigeant per ipsam.

COnstat ergo per summam naturam esse factum, quicquid non est idem illi. Dubium autem non nisi irrationali menti esse potest, quód cuncta quæ facta sunt, eodem ipso sustinente vigent, & perseverant esse quandiù sunt, quo faciente de nihilo habent esse quod sunt, Simili namque per omnia ratione, qua collectum est omnia, quæ sunt, esse per unum aliquid, unde ipsum solum est perseipsum, & alia per aliud; simili, inquam, ratione potest probari quia quæcunque vigent, per unum aliquid vigeant: unde illud solum viget per seipsum, & alia per aliud. Quod quoniam aliter esse non potest, nisi ut ea, quæ sunt facta, per aliud vigeant; & id, à quo facta sunt, vigeat per seipsum: necesse est ut sicut nihil factum est, nisi per creatricem præsentem essentiam; ita nihil vigeat, nisi per ejusdem servatricem * præsentiam.

* Al. potentiam.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XIII.

Constat ergo per summam naturam esse factum, quidquid non est idem illi, &c. ¶

1 Ostenso modo rationali, quo summa substantia, seu Deus cuncta creavit ex nihilo: resumit conclusionem iam certam, quòd per summam naturam factum sit quidquid ipsa non est, ut hoc pacto finis superiorum Capitulorum sit principium succedentium, & fiat inter ipsa quædam scholastica concatenatiò. Cum itaque ostensum iam fuerit, existere unam summam naturam, unum Deum, principium, & causam omnium, quæ sunt, & quidem non secundum partem, sed secundum totum *esse*, idest, penitus ex nihilo; & non modo quodam irrationabili, sed potius summa sapientiâ: suâ sponte indagandum venit per quid subsistant, conserventur, seu vigeant in *esse*, res creatæ: Sit, necne, essentia suprema, sicut creatrix, ita & conservatrix: vel an sicut Deus cuncta per se ipsum creavit, ita & per se ipsum eadem in *esse* creato conservet. Dubitare de hoc, dubio videlicet possitivo, non nisi irrationali menti, inquit Author, accidere potest. Sed tamen quia sunt quædam mentes quasi irrationales, quæ scilicet multa asserunt sine ratione; & sunt aliæ, quamvis dociles, parum tamen penetrantes, & quæ de assertionibus manifestis rationem etiam si ingeniosis promptam, invenire non possunt: propterea hic locum indicat Author, unde ratio probativa actionis conservativæ Dei capienda sit.

2 *Simili namque per omnia ratione, &c.* ¶ Locus ubi quærenda est ratio cur Deus omnia sicut creavit, conservet, omnia præcedentia capita sunt, præsertim à cap. 1. usque ad 5.: nam simili per omnia, inquit, ratione, qua probatum est, omnia quæ sunt in rerum natura, præter Deum, facta esse ab ipso Deo, probatur etiam conservari à Deo. Immo, si audimus S. Joannem Damasc. sequentem D. Athanas. de Incarnatione Verbi, & Nazianc. Oratione 34. efficatior est ratio pro conservatione, quàm pro creatione. Nam in ejus sententia impossibilius rationi apparet tribuere hu-

jus universi conservationem casui, non Deo, quàm ejusdem universi existentiam ac dispositionem. *Verum illud quoque*; inquit, Damasc. de Fide Orthod. cap. 3. *si lubet, concedamus: cujus vero erit, eadem iuxta illas, quibus primùm condita sunt, leges conservare, & custodire? Alterius profectò, quàm casùs: atque hoc quidnam aliud sit nisi Deus?*

3 Sed age probemus assertionem per similem rationem, ut dicit Author, qua probatum est ab ipso, omnia per Deum existere, & esse, & Deus solus per se ipsum. Cunctæ res creatæ perseverant in suo esse, magis, vel minus. Ergo per participationem ab uno summe perseveranti in suo *esse*. Probo consequentiam. Ea quæ magis vel minus aliquod obtinent attributum, non illud attributum in sua plenitudine habent: alioquin non impariliter illud possiderent. Necesse est ergo, ut illud participando consequantur. Ergo vel ab alio similiter participante, vel à non participante, sed per se ipsum illud attributum habente. Non primum: cùm de illo eadem procedat ratio. Ergo à subsistenti per semetipsum, atque in omni plenitudine. Hoc ergo vel unum est, vel plura sunt. Non plura: quia plenitudo in quacumque ratione nequit haberi partita, seu partim habita, partim non. Igitur una solùm concipitur. At si plenitudo est una duntaxat, nequeunt esse plures naturæ, in quibus sit plenitudo. Ergo una est tantummodo subsistens per se natura, à qua cætera habeant ut magis aut minus subsistant, & permaneant in suo *esse*. Hoc autem esse nequit nisi per illius operationem summæ naturæ subsistentis. Ergo sicut cùm primum esse acceperunt res creatæ, illud non nisi per operationem summæ naturæ, non nisi per actionem Dei, dantis esse, habere potuerunt; ita subsistere nequeunt in eodem *esse*, nisi à Deo sustineantur per suam actionem omnipotentem. Hæc est ultima, quam Author in hoc cap. deducit consequentiam. *Necesse est ergo*, inquit, *ut sicut nihil factum est, nisi per creatricem præsentem essentiam; ita nihil vigeat, nisi per ejusdem servatricem præsentiam.*

4 In quibus verbis noto, Anselmum exprimere, Deum, non per aliquid à se distinctum, sive res creando, seu conservando, eas contingere, sed per suammet essentiam. Hoc autem multoties repetito, repetendoque principio, etiam præcontinetur; quòd nimirum Deus per se, & á se est quidquid est; cætera verò cuncta non per se, sed penitus ab ipso sunt quidquid sunt. Nam illud à summa Dei natura, per quod Deus res creando, aut servando, contingeret, si esset re ipsa distinctum; absdubio esset sicut cætera factum; aut non omnia præter ipsum Deum, essent facta; neque Deus esset per se ipsum quidquid est. Si autem esset factum; tunc contra ipsum vim haberet argumentum in cap. antecedenti formatum contra locutionem divinam, vel ideam, & rerum exemplar, si fuisset facta, vel factum. Si autem potentia, vel actio per quas Deus res primo fecit, & in suo *esse* conservat, non essent ipse Deus, ipsa divina substantia, & tamen factæ non essent: Quid consequentius quàm non omnia præter ipsum Deum, præter ipsam summam essentiam esse à Deo facta? Quid itidem consequentius quàm quòd tunc Deus non per seipsum esset, quidquid esset? Per potentiam esset potens; per actionem esset agens: Deus autem non esset ipsa potentia, ipsa actio. Ergo Deus non esset per seipsum, sed per aliud quod non esset ipse, Potens, & Agens. Ne ergo hæc absurda, & probata jam falsa, sequantur, dicendum est, ut recte colligit Author, Deum per suam creatricem præsentem essentiam omnia ex nihilo condidisse, & per ejusdem suæ essentiæ servatricem præsentiam omnia in suo *esse* conservare.

5 Nec est locus ut dicatur subsistere creaturas, seu in *esse* permanere per aliquam inditam vim à summa natura, infixamve *esse* proprio creaturarum, quando ipsas creavit. Non, inquam, est locus: nam cum hæc indita, aut infixa vis pariter creatura foret, pari ratione indigeret à suprema natura conservari. Idem ergo argumentum fieret de ipsa, & iterum de alia, alia, & alia, si fingerentur: & sic usque in infinitum. Sed neque potens esset illa vis naturis creatis communicare id cujus ipsamet indiga esset.

6 Neque iterum scrupulum moveat circa propositum dogma, quòd sint plures substantiæ creatæ, & quod de ratione substantiæ sit esse subsistens, seu existere per se. Hic scrupulus facile depellitur considerando, creaturas non simpliciter, & absolute, relate ad omnia entia, appellari, & esse substantias; sed per analogiam, comparative ad Deum; quamvis absolute, vel simpliciter, facta comparatione cum entibus creatis minutioribus, quæ accidentia vocantur. Dicuntur ergo creaturæ substantiæ, & quod subsistunt vel per se existunt, eò quòd per se petant, & quasi jus naturale habeant, ut à Deo

tan-

tantum ſuſtinente conſerventur in *eſſe* ; non autem cum dependentia ab alia ſuſtinente creatura. Hujusmodi naturæ ſunt ſpiritus Angelici, & anima rationalis. Subſtantiæ vero corporeæ, aut materiales, etiam quæ completæ à metaphyſicis appellantur, aliquam dependentiam habent, ut conſerventur, ab influentia aliarum creaturarum. Dicuntur ſubſtantiæ, quia non ſicut accidentia inſunt, aut dependent à ſuſtinente ſubjecto. Verumtamen hujusmodi ſubſtantiæ dicuntur à D. Thom. in 1. parte quæſt. 104. art. 2. in corp. à Deo conſervari in *eſſe*, mediantibus aliquibus cauſis creatis. Sed hoc non ſic eſt intelligendum. ut Deus immediate ſeu proxime per se ipsum res etiam corporales in ſuo *eſſe* non conservet ; sed ita accipiendum eſt, ut ſicut Deus multa quæ per ſe ſolum poſſet facere, nonniſi cooperantibus creaturis facere vult, ita quæ per ſe solum conſervare poteſt, conservare non vult niſi aliis concurrentibus cauſis. *Cùm enim multæ sunt causæ ordinatæ*, inquit ibidem S. Doctor, *neceſſe est, quòd effectus dependeat, immò quidem & principaliter, à causa prima, secundario verò ab omnibus cauſis medijs. Et ideo principaliter quidem prima causa est effectus conservativa ; secundario vero omnes mediæ causæ.* Sic ergo vita animalium conservatur à cibo & potu, qui varij ſunt pro animalium differentia, & varietate. Sic etiam ignis conservatur à lignis, aut alia materia combuſtibili. Sic etiam aliæ res alijs mediis, & modis conservantur, At ſi bene conſideretur, etiam tota hæc activa creaturarum conservatio proxime dependet ab actione Dei conservativa. Si enim Deus ſuspenderet actionem suam, neque cibus & potus poſſent alere, nec alia quæcumque causa in conservationem alterius rei creatæ valeret influere. Itaque ipsa actio unius creaturæ qualitercumque alterius conservativa, proxime ſive immediate dependet à conservante Deo, ab actione ipſius Dei, qua omnia in suo *eſſe*, ſtatuque, operationeque conservat. Itaque inconcuſſa manet Authoris concluſio, non ſolùm fide divina, sed etiam ratione, quòd nempe summa natura Deus, ſicut creatrix proxime per ſe ipsam, ita & per ſe ipsam omnium neceſſario ſit conservatrix.

CAPUT XIV.*

* Al. cap. 13.

Quòd illa ſit in omnibus, & per omnia, & omnia ſint ex illa, & per illam, & in illa.

QUOD ſi ita eſt, imò quia ex neceſsitate ſic eſt, conſequitur ut ubi ipſa non eſt, nihil ſit. Ubique igitur eſt, & per omnia, & in omnibus. At quoniam absurdum eſt, ut, ſcilicet, quemadmodum nullatenus aliquid creatum poteſt exire creantis, & foventis immenſitatem ; ſic creans, & fovens nequaquam valeat aliquo modo excedere factorum univerſitatem ; liquet quoniam ipſa eſt, quæ cuncta alia portat, & ſuperat, claudit, & penetrat. Si igitur hæc illis, quæ ſuperius ſunt inventa, jungantur ; eadem eſt, quæ in omnibus eſt, & per omnia, & ex qua, & per quam, & in qua omnia.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XIV.

Quod ſi ita eſt ; immo quia ex neceſsitate ſic eſt, conſequitur, ut ubi ipsa non eſt, nihil ſit &c. ¶

1 Ex concluſione capitis antecedentis, quòd nimirum summa ſubſtantia cuncta per se ipsam proxime conservet, colligit in hoc capite unam ex ipſius eſſentiæ proprietatibus, vel attributis, videlicet, immenſitatem. Itaque infert quòd ſi per Dei creantem, & conservantem subſtantiam omnibus rebus præsentem, cunctæ exiſtunt, & perſiſtunt creaturæ, ex hoc ſine dubio à poſteriori conficitur, nihil eſſe ubi ipsa non fuerit, ſive

ubi

ubi non sit præsens divina essentia atque substantia. Nam remota causa, removetur effectus. Si ergo præsentia divinæ substantiæ operantis causa est ut res creatæ sint atque *esse* perseverent, ita ut ipsa sit prima, principalis, & essentialis causa conservationis rerum creaturarum corporalium, & unica rerum spiritualium, necessario sequitur à contrario ut absentia substantiæ Dei inferat necessario absentiam existentiæ rei creatæ. Ubi affirmatio est vel causa unica, vel præcipua, & essentialis affirmandi, negatio est causa certa, & infalibilis negandi illud, cujus affirmatio conexionem habet necessariam cum affirmatione ejusdem causæ. Sed consultò dicit Author, quòd ubi suprema substantia sive Deus non sit, ibi nihil sit; non è converso, ubi nihil sit, summa substantia nón sit: ne putaretur divinam substantiam, aut Deum operatione sua creativa, & conservativa, aut locis creatis ac rebus, circunscribi.

2 Deducit iterum ex utraque conclusione, ex hac proxime dicta, & ex illa capitis antecedentis, quòd summa essentia, & Deus ubique sit, & per omnia, & in omnibus: id est, non solùm in cunctis locis, verum etiam in omnibus omnino, quæ aliquid, & qualitercumque in se ipsis sunt, vel existunt, attingendo nimirum per se ipsum intime omnia, intrinsecùs, & extrinsecùs, totum & parte, substantiam, accidentia, relationes, modos, omnia denique rerum omnium. Nam si nihil omnino est, nisi per summam essentiam seu Deum, per suam substantiam proxime operantem & dantem *esse* rebus; quid consequentius quàm quòd summa substantia rebus in cunctis intime sit? *Quare summa natura*, inquit Author, infra in cap. 23., *secundum rei veritatem aptius dicitur ubique esse secundum hanc significationem, & ut intelligitur esse in omnibus quæ sunt, quàm si intelligitur tantùm in omnibus locis.*

3 *At quoniam absurdum est &c.* ¶ Duo in his Author judicat absurda; & quòd factura sive creatura eggredi ullatenus queat sui creatoris, & conservatoris immensitatem; & quòd creator, & conservator aliquo modo, id est spirituali magnitudine, amplitudine perfectionis, independentia, virtute ac potestate, omnia à se facta non superet, non excedat. Sicut enim primum est absurdum, propter indigentiam quam jam exposuimus creaturæ & dependentiam ab operatione proxima creatoris, & conservatoris, atque proinde ab ejus immensitate: ita secundum dicere absurdum est propter summam perfectionem summæ essentiæ. Siquidem jam in primis capitibus probatum est, excessum maximum absdubio esse inter id quod per se, & à se est quidquid est, & illud quod non per se, sed ab alio est omne quodcumque est. At non solum quælibet singula creatura, sed ipsamet universitas, sive omnis congregatio creaturarum non per se sed ab alio, id est, à summa essentia, à Deo est quod est, & conservatur in *esse* quandiu subsistit. Necesse est igitur maximus interveniat excessus ex parte Dei super Universum, super omnium congregationem creaturarum. Tacite in his iterum explodituv error „ Platonis appellantis Mundum, unum, unigenitum, Deum genitum. Inscienter prorsus, inquit Doctiss. Editor operum S. Justini Domn. Prudentius Maràn, Monachus „ Congreg. S. Mau. Præf. part. 2. num. 4. & absurdè Mundum essentiæ divinæ accuratam esse, & omnibus numeris instructam imaginem sibi fingebat, nec quidquam esse „ in Deo, cujus non aliqua expressa sit in Mundo imago. Sic loquitur (Plato) in Timæo pag. 1047. *Dicamus autem quam ob causam Mundi Author generationem atque hoc universum constituerit. Bonus erat; bono autem nulla unquam ulla de re inest invidia. Hujus igitur ex pers cùm esset, voluit omnia sibi quam simillima fieri.* Et concludens dialogum Plato, sic complet errorem suum: *mortalia, & immortalia animalia capiens, ac completus sic Mundus, sic animal visibile, vissibilia comprehendens, intelligibilis Dei imago, sensibilis, maximus, pulcherrimus, & perfectissimus extitit, unum hoc Cœlum, unigenitus.*

4 Quia tamen Plato agnoscebat non posse non esse inter Deum, quia æternus est, & Mundum qui factus, aliquod discrimen, quomodo putas huic objectioni ipsum occurrere cogitasse? Audi ilium in eodem dialogo pag. 1052. sic loquentem: *Postquam igitur moveri, & vivere animadvertit creatum illud id eorum immortalium simulacrum is qui genuit Pater, admiratus ac oblectatus est, magisque exemplari simile perficere cogitavit. Quemadmodum ergo ipsum exemplar est animal sempiternum, ita etiam hoc universum tale, quantum fieri poterat, perficere instituit. Ac animalis quidem natura erat æterna; id autem rei creatæ omnino aptingi non poterat. Quam ob rem excogitat mobilem quamdam æternitatis imaginem; & dum cœlum exornat, æternitatis in uno permanentis æternam imaginem numero progredientem erat: Quam tempus vocavimus.* Et non multo post: *Tempus*, ait, *ergo simul cum Cœlo creatum est, ut simul genita simul dissolvantur.*

tur , & qua earum aliquando futura ſit diſſolutio : tum etiam ut æternæ naturæ exemplari , quantum fieri potest , quàm ſimillimus ſit Mundus. Nam exemplar per omnem est æternitatem : Mundus vero per omne tempus solus fuit , est , & erit. Hæc omnia debemus laudato editori S. Juſtini , ibidem de Græco in Latinum vertenti. Ergo hunc errorem funditus evertit noſter Author dicendo ſummam eſſentiam vel Deum cuncta alia portare , ſuperare. Portat omnia Deus , ut inquit Apoſt. *Verbo virtutis ſuæ. Quia in manu ejus* , ut dicit Pſalmus (id eſt , in ſua potentia ſibi ſubjiciente ut faciat de rebus quidquid voluerit , & in ſua virtute ſubſtinente , ne pereant) *ſunt omnes fines terræ.* Superat : quia ut loquitur Iſaias cap. 40. *Omnes gentes quaſi non ſint , ſic ſunt coram eo , & quaſi nihilum , & innane reputatæ ſunt ei. Cui ergo ſimilem fecistis Deum ? Qui ſedet ſuper girum terræ. :: Qui extendit velut nihilum Cælos.* Claudit : quia , ut in eodem cap. dicit idem Propheta , *Menſus est pugillo aquas , & cœlos palmo ponderavit : Appendit tribus digitis molem terræ.* Penetrat : quia ut in cap. 66. ipſe Dominus per eundem Prophetam dicit , *Cœlum ſedes mea , terra autem ſcabellum pedum meorum.* Vel , ut Italica verſio a noſtro Sabatier recens edita habet : *Cœlum mihi Thronus , & Terra ſuppedaneum pedum meorum.* Et in libro Sapientiæ dicit ipſa Divina Sapientia : *Profundum abyſſi penetravi.* Ideſt , ſicut jam diximus , etiam intimius *eſſe* rerum omnium creat , conſervat , ac ſua operatione tangit. Verùm exceſſum , & excellentiam ſupremi entis , noſtri Dei , ſuper omnes Creaturas , melius , & profundius explicat Anselmus à cap. 26. uſque ad 29. præſertim in hoc ultimo citato. Alia ſunt multa capita ex quibus idem exceſſus certiſsime colligitur.

5 Cum Anſelmo in explicatione immenſitatis alij SS. PP. conſentiunt. Digniſsimi tamen ſunt qui legantur Hilarius lib. 1. de Trinitate num. 6. Aug. Ep. 137. ad Voluſianum num. 3. Noſter Greg. lib. 2. Moralium cap. 11. D. Thom. tota quæſt. 8. 1. partis.

6 *Si igitur hæc illis , quæ superius ſunt inventa , jungantur , &c.* ¶ Si ea quæ in his duobus capp. poſtremis ratione inventa ſuut , cum his , inquit Anſelmus , quæ ſuperius , ideſt , à primo cap. usque ad 11. probata ſunt , conjungantur , evidenter ſequitur , quòd Deus eſt , à quo, per quem , ex quo , & in quo ſunt omnia ; & quòd ipſe Deus eſt in omnibus , & per omnia. Nam quamvis Author usque ad ultimum capitulum non exprimat nomen Dei , nihilominus Deum ſemper ſignificat in his omnibus capp. per nomina , *ſumma eſſentia , ſumma ſubstantia , ſumma natura. Videtur ergo* , ait in citato poſtremo cap. *immò incunctanter aſſeritur quia nec nihil est id quod dicitur Deus : & huic ſoli ſummæ eſſentiæ propriè nomen Dei aſsignatur.* Ratio cur S. Doctor nomen Dei usque ad finem ſilentio præmit , quamvis rem per nomen *Deus* ſignificatam perpetuo exprimat , eſt , ut jam ſupra diximus , quoniam perſonam agit trahentis rationibus infidelem ad fidem , aut etiam demonſtrantis id quod cuique á natura ſignatum eſt , atque inditum , ſed tamen maximis vitijs quaſi obliteratum. Huiusmodi eſt natura Dei apud quosdam , qui dicuntur Athei. Leges prima capp. Proslogij , & librum apologeticum contra Gaunilonem , & ibidem noſtrum Commentarium.

CAPUT XV.*

* Al. cap. 14.

Quid poſsit aut non poſsit de illa dici ſubſtantialiter.

IAM non immerito valde moveor , quàm ſtudioſe poſſum , inquirere quid omnium , quæ de aliquo dici poſſunt , huic tam admirabili naturæ queat convenire ſubſtantialiter. Quamquam enim mirer ſi poſsit in nominibus vel verbis , quæ aptamus rebus factis de nihilo , reperiri quod digne dicatur de creatrice univerſorum ſubſtantia ; tentandum tamen eſt ad quid hanc indagationem ratio perducet. Itaque de relativis quidem nulli dubium quia nullum eorum ſubſtantiale eſt illi , de quo relative dicitur.

Quare ſiquid de ſumma natura dicitur relative, non eſt ejus ſignificativum ſubſtantiæ. Unde hoc ipſum quod ſumma omnium ſive major omnibus quæ ab illa facta ſunt, vel aliud aliquid ſimiliter relative dici poteſt; manifeſtum eſt quoniam non ejus naturalem deſignat eſſentiam. Si enim nulla earum rerum unquam eſſet, quarum relatione ſumma, & major dicitur: ipſa nec ſumma, nec major intelligeretur: nec tamen idcirco minus bona eſſet, aut eſſentialis ſuæ magnitudinis in aliquo detrimentum pateretur. Quod ex eo manifeſte cognoscitur, quoniam ipſa quicquid boni vel magni eſt, non eſt per aliud quàm per ſeipſam. Si igitur ſumma natura ſic poteſt intelligi non ſumma; ut tamen nequaquàm ſit major aut minor, quàm cúm intelligitur ſumma omnium: manifeſtum eſt quoniam ſummum non ſimpliciter ſignificat illam eſſentiam, quæ omnino major,& melior eſt, quàm quicquid non eſt, quod ipſa eſt. Quod autem ratio docet de ſummo, non diſſimiliter invenitur in ſimiliter relativis. Illis itaque quæ relative dicuntur, omiſsis, quia nullum eorum ſimpliciter demonſtrat alicujus eſſentiam; ad alia discutienda ſe convertat intentio. Et quidem ſi quis ſingula diligenter intueatur, quicquid eſt præter relativa, aut tale eſt, ut ipſum omnino melius ſit, quàm non-ipſum; aut tale, ut non-ipſum in aliquo melius ſit, quàm ipſum. Ipſum autem, & non-ipſum, non aliud hic intelligo, quàm verum non-verum, corpus non-corpus, & his ſimilia. Melius quidem eſt omnino aliquid, quàm non-ipſum: ut, ſapiens quàm non-ipſum ſapiens, id eſt, melius eſt ſapiens, quàm non-ſapiens. Quanvis enim juſtus non ſapiens melior videatur, quàm non juſtus ſapiens: non tamen melius ſimpliciter eſt, non-ſapiens quàm ſapiens: omne enim non-ſapiens, ſimpliciter in quantum non-ſapiens, eſt minus quàm ſapiens: quia omne non-ſapiens melius eſſet, ſi eſſet ſapiens. Similiter omnino melius eſt verum, quàm non-ipſum, id eſt, quàm non-verum; & juſtum quàm non-juſtum, & vivit quàm non-vivit. Melius autem eſt in aliquo non-ipſum quàm ipſum: ut non-aurum quàm aurum. Nam melius eſt homini eſſe non aurum quàm aurum: quanvis forſitam melius eſſet alicui aurum eſſe, quam non-aurum eſſe: ut plumbo. Cùm enim utrumque, ſcilicet, homo, & plumbum, ſit non-aurum: tanto melius aliquid eſt homo, quám aurum; quanto inferioris naturæ eſſet, ſi eſſet aurum: & plumbum tanto vilius eſt; quanto pretioſius eſſet, ſi aurum eſſet. Patet autem ex eo quód ſumma natura ſic intelligi poteſt non-ſumma, ut nec ſummum omnino melius ſit, quàm non-ſummum; nec non-ſummum alicui melius, quàm ſummum; multa relativa eſſe, quæ nequaquam hac contineantur diviſione. Utrum autem aliqua contineantur, inquirere ſuperſedeo; cùm ad propoſitum ſufficiat, quod de illis notum eſt, nullum, ſcilicet, eorum ſimplicem ſummæ naturæ ſubſtantiam deſignare. Cùm igitur quicquid aliud eſt, ſi ſingula diſpiciantur, aut ipſum ſit melius quàm non-ipſum; aut non-ipſum in aliquo ſit melius quàm ipſum: ſicut nefas eſt putare, quòd ſubſtantia ſummæ naturæ ſit aliquid, quo melius ſit aliquo modo non-ipſum: ſic neceſſe eſt ut ſit quicquid omnino melius eſt, quàm non-ipſum. Illa enim ſola eſt, qua penitus nihil eſt melius; & quæ melior eſt omnibus, quæ non ſunt quod eſt ipſa. Non eſt igitur corpus vel aliquid eorum quæ corporei ſenſus discernunt. Quippe his omnibus melius eſt aliquod quod non eſt quod ipſa ſunt. Mens enim rationalis, quæ nullo corporeo ſenſu quid, vel qualis, vel quanta ſit, percipitur; quanto minor eſſet, ſi eſſet aliquid eorum, quæ corporeis ſenſibus ſubjacent; tanto major eſt, quàm quodlibet eorum. Pe-

ni-

nitus enim ipſa ſumma eſſentia tacenda eſt eſſe aliquid eorum, quibus eſt aliquid, quod non eſt quod ipſa ſunt, ſuperius: & eſt omnino, ſicut ratio docet, dicenda quodlibet eorum, quibus eſt omne, quod non eſt quod ipſa ſunt, inferius. Quare neceſſe eſt eam eſſe viventem, ſapientem, potentem, & omnipotentem, veram, juſtam, beatam, æternam, & quicquid ſimiliter abſolute melius quàm non-ipſum. Quid ergo quæratur amplius quid ſumma illa ſit natura; ſi manifeſtum eſt quid omnium ſit, aut quid omnium non ſit?

COMMENTARIUS.

CAPIT. XV

Jam non immerito valde moveor, quàm ſtudiosè poſſum, inquirere, &c. ¶

1 Authoris intentio hoc in cap. aperta eſt: inveſtigare, nimirum, de prædicatis ſubſtantialibus, vel abſolutis, non autem relativis, quæ de Suprema Dei natura, & Deo dici affirmativè queunt, aut negari. Sed non eſt immorandum in adverbio *ſubſtantialiter* quaſi hic inquirere inſtituat, quænam ſit eſſentia Dei metaphyſica, vel quæ prædicata eſſentiam Dei metaphyſicam conſtituant: ipſe quippe ſatis liquidò manifeſtat, non hoc agere; ſed discernere tantummodo inter omnis generis prædicata, præter relativa, quæ ſummæ naturæ congruere possint, quæve non poſsint. Unde adverbium *ſubſtantialiter* nihil aliud ſignificat quàm illa prædicata, quæ ad ſe dicuntur, veluti ad ſe ſubſtantia dicitur. In Deo duo ſunt tantum prædicamenta, vel ut melius loquamur, ſuperprædicamenta, ſubſtantia ſcilicet, & relatio. Propterea ipſe S. Doctor omnia præter relativa quæ Deo conveniunt dicit eſſe ſubſtantiam; & quae non conveniunt, dicit non convenire divinae ſubſtantiae.

2 *Quamquam enim mirer ſi poſsit in nominibus, vel verbis, &c.* ¶ Non negat Anſelmus quòd multa nomina de divina natura dici queant; ſed dubitat utrum ſatis digne. Cur dubitet, manifeſtum facit in capp. 27. & 28. Sed præcipue in 65. Quapropter in Commentario ſuper hoc ultimum caput de hac nominum dignitate, aut indignitate opportunius loquemur. In præſenti notandum eſt Anſelmum, cujus genius, & conſilium ſemper fuere brevitati ſtudere atque compendio, unam voluiſſe brevem inſtruere regulam omnia Dei attributa dignoscendi, quæ de ipſo absque præjudicio ſuæ Majeſtatis affirmari queunt; quæ vero non poſsint affirmari, ſed semper ipſi repugnare. Recta quidem methodo procedit Author. Nam cùm oſtenderit in ſuperioribus, exiſtere unam ſummam naturam creatricem, & ſervatricem omnium quæ præter ipſam exiſtunt, vel quæ ipſa ſuprema natura non sunt: quid proximius quàm inveſtigare poſtmodum, quæ, quid, aut qualis ſit hæc tam excelſa natura? De quacumque re prius ſcire oportet, an ſit: poſtea vero, quid, quanta, & qualis ſit. Quòd vero in capite antecedenti immenſitatem divinæ naturæ ex antecedenti collegerit Author, cùm nunc de omnibus indiscrimatim attributis ſermonem faciat, aut facturus erat; hoc non quaſi ex inſtitutò fecit, ſed eo quòd obvia eſſet ex rerum conservatione immediate consequentia. Unde poſtea loco suo de immenſitate, & æternitate, ut pote quæ ſpecialem præseferunt dificultatem, ſingillatim ex propoſito agit.

3 *Itaque de relativis quidem nulli dubium quia nullum eorum ſubſtantiale eſt, &c.* ¶ Hac voce *quia*, *& quoniam* ſicut hic, ita, & alibi ſæpe utitur Author in orationibus compoſitis ex verbis ſciendi, & aſſerendi. Observat in hoc exactè grammaticæ præcepta, quæ præscribunt ut in verbis sciendi, & affirmandi, vel negandi, & aliis quæ ad talia verba reducuntur, utamur *quia vel quoniam*, ducendo verba determinata ad tempus præsens indicandi, vel de indicativo. Itaque in his verbis quamvis dici poſsit *quin* pro *quia*, nimirum, *de relativis nulli dubium quin, &c.* voluit tamen Author potius ponere *quia*, eó quod non proprie eſt oratio dubitandi, sed conſtanter aſſerendi relativa nulli subſtantialia eſſe de quo relative dicuntur. Sed ad rem. Nemo dubitat, inquit, quin relativa non ſignificent ſubſtantiam. Omnes Philoſophi ſciunt subſtantiam ſignificari *ad se*, non ad aliud; relationem vero *ad aliud* ſignificari. Hinc Aug. 7. de Trinit. cap. 4. num. 9. *Absurdum eſt*, inquit,

quit, *ut substantia relativis dicatur.* Videatur quoque D. Thom. 1. part. quæst. 13. art. 2. in corp.

4 *Unde hoc ipsum quod summa omnium, &c.*] Ex eo quod nullum relativum substantiam significet, colligit relationem, qua natura divina, summa, vel major omnibus dicitur, nihil substantiale per se ac formaliter designare. Loquitur Author in sensu, ut diximus, formali, videlicet, non de re quæ summa dicitur, aut major omnibus, sed de respectu ipso quo eadem divina natura comparata cum omnibus aliis rebus dicitur omnibus major, & summa atque supra naturas omnes. Quòd vero per hæc nomina significantia majoritatem, aut summitatem naturæ divinæ, non significetur formaliter substantia, hoc modo probat. Fingamus nullam extitisse, nec voluisse Deum existere aliquando creaturam. At in ea hypotesi non possumus essentiam divinam, neque majorem omnibus, neque summam intelligere; relativa siquidem natura simul sunt, & cognitione; & major se ipso nemo est sed altero est major, neque summus ad se dici potest, sed comparatus cum aliis, & tamen eam essentiam, quam nec majorem, nec summam intelligeremus, absque omni prorsus bonitatis, magnitudinis, perfectionis suæ detrimento, aut diminutione intelligeremus. Ergo ea nomina relativa nihil perfectionis, bonitatis, aut substantiæ significant, si eorum attendatur significatum formale. Probat minorem ex suo jam stabilito in primis capp. generali principio. Summa natura non per aliud, sed per se tantum est quidquid bonitatis, perfectionis, magnitudinis est. Ergo sive aliud præter ipsam summam naturam sit, sive non sit, ipsa omnino inviolabilis, integra cum tota sua bonitate, magnitudine atque perfectione manebit. Omnis ejus perfectio, bonitas, magnitudo, entitas maneat necesse est, manente eo per quod est sua bonitas, perfectio, magnitudo, entitas. At sive creaturæ essent sive non essent, permaneret in suo *esse* eadem divina natura, per quam ipsa est bona, perfecta, magna, & quidquid est. Igitur intacta, & integerrima ejus perfectio, bonitas, magnitudo, entitas manerent. Vel sic: Quamvis nulla existeret creatura, existeret natura divina. Sed natura divina est per se ipsam, nequaquam per aliud, quidquid est. Ergo etiam nulla existente creatura, natura divina maneret cum omni perfectione, qua ipsa natura est, quamque nunc habet.

5 At nulla existente creatura, natura divina non esset relative, & formaliter omnibus major, summa omnium. Ergo ratio majoris omnibus rebus, aut ratio summæ, relative formaliter nihil significat substantiæ, nihil bonitatis, nihil perfectionis. Designant absdubio hæc duo relativa excellentiam divinitatis, vel etiam divinitatem, naturamque Dei; sed non simpliciter, inquit Author: ideſt, non significant essentiam divinam primo, & formaliter; sed ipsam iam existentem, priusque per alia nomina significatam, nobis representant cum creaturis comparatam, seu cum respectu ad creaturas. Relativum duo simul significat; unum ut dicunt Scholastici, in recto, & aliud oblique, vel in obliquo: in recto rem quam refert; in obliquo correlativum, sive id ad quod refert.

6 *Quod autem ratio docet de summo, non dissimiliter invenitur in similiter correlativis.* Notanda Lectori sunt tam in opere hoc quàm reliquis libris omnia usque ad apices Anselmi verba: quia nullum aut pene nullum sine causa profert. Opera eius sunt seriâ, morosâ ac profunda meditatione plena. Itaque in his verbis notanda sunt hæc *in similiter relativis.* Vult nos docere se intelligendum esse loqui de relativis ad extra ad creaturas: nempe idem sentiendum esse quod dictum est ab ipso de relatione majoritatis aut summitatis, idem, inquam, sentiendum esse de omnibus nominibus, quæ significent relationes ad creaturas. Non eandem prorsus rationem habent in Deo relationes, quæ sunt ad intra, & illæ quæ sunt ad extra. Non potest dici quòd summa essentia intelligi queat, non existente paternitate, filiatione, spiratione, aut non existentibus Patre, Filio, & Spiritu Sancto; sicut potest intelligi natura divina reipsa non summa formaliter, aut omnibus major, nulla existente creatura. Patres enim Arianis tamquam magnum inconveniens perpetuo opponebant, quòd si Filius non esset æternus sed incœpisset, tunc neque Pater fuisset semper, ac proinde neque æternus Pater, sed pariter cum Filio Pater incœpisset esse Pater. Unde de his relationibus alia est ratio; significent aut non significent per se, & formaliter aliquam perfectionem relativam; quasi metaphysice substantiæ divinæ adjunctam, additam. Indicant ad minus conexionem penitus necessariam cum natura summè perfecta; quod sufficit ut sine ipsis nequeat summa natura intelligi æque bona atque perfecta, atque proinde nulla, divina natura. Horum ad intra relativorum adhuc non meminit Author, quia tempus non erat, neque occasio. Meditatio quippe rationis gradatim, atque methodo procedere debet.

Illis

7 *Illis itaque, quæ relative dicuntur, omiſsis, &c.* ¶ Ex his patet quæ ſupra diximus, Authorem, nimirum, animum intendiſſe ut omnibus prædicatis abſolutis de divina ſubſtantia prædicabilibus regulam securam præscriberet: ſiquidem excipit duntaxat relativa, *quia nullum eorum*, inquit, *ſimpliciter demonstrat alicujus eſſentiam.* Nota quòd non dicit nullum relativum alicujus eſſentiam demonſtrare, ſed addit *ſimpliciter.* Hoc eſt, ut mox dixi, non demonſtrat eſſentiam primo, & per se, & tamquam ſignificatum formale, ſed tamquam ſignificatum appellativum: nempe ipsam jam per aliud nomen deſignatam, & notam, iterum representat cum altera re comparatam. Ut perfecte caleas discrimen ſignificati per se, & formalis à ſignificato appellativo, juvare te poterit lectio Dialogi *de Grammatico* à noſtro Authore compoſiti, quem reperies in editione Gerberonii poſt opera S. Doctoris Theologica. Sed neque hìc deſumas eſſentiam propriè acceptam, quæ dicitur subſtantia, eo quòd ipsum dicentem *eſſentiam* audias; sed intellige *eſſe* omne non relativum. *Quoniam multæ sunt eſſentiæ*, inquit Dialogo de Casu Diaboli cap. 8. *præter illam quæ proprie dicitur substantia.*

8 *Et quidem ſi quis ſingula diligenter intueatur &c.* ¶ Ab his verbis ſtatuere incipit Author regulam dignoscendi perfectiones quas *ſimpliciter ſimplices* Scholaſtici vocant. Originalem Authorem hujus notionis Anselmum communiter agnoscunt Theologi, ab ipsoque talem regulam aut definitionem ſe accepiſſe libenter fatentur. Anselmus verumtamen quamvis ab alio formatam non acceperit, colligere quivit quoddam ſemen in libro 15. Aug. de Trinit. cap. 4. quin ex hoc aliquid gloriæ inventioni ipſius detrahatur.

9 Regula itaque Anselm. hæc eſt. *Quidquid est præter relativa, aut est omnino melius ipsum quàm non ipsum, aut tale ut non ipsum in aliquo melius ſit, quàm ipsum.* Jam antea lectorem monui, omnia verba Anselmi eſſe notanda, & memoriâ retinenda, ad capiendam sententiam ejus. In hac regula notanda sunt verba illa: *omnino*, *non-ipsum*, *in aliquo.* Nempe, ut ipse toto poſtea cap. exemplis declarat, *non-ipsum* non accipitur omnia negando, tamquam eſſet melius ipsum eſſe, quam omnino nihil eſſe; aut eſſe *non-ipsum*, id eſt nihil eſſe, melius, quàm ipſum eſſe. Hoc enim ſensu nulla eſſet discretio inter perfectiones, & perfectiones, attributa, & attributa, nomina, & nomina, fruſtraque regula ea secernendi adhiberetur. Omnia enim æque de Deo dicerentur, cum pariter quidvis eſſe, melius ſit quàm nullo modo eſſe; & nullo modo eſſe, numquam ſit melius, quàm aliquo modo eſſe. Propterea igitur conjunctione facit Anselmus quasi unum ex negatione, & aliquo possitivo ſive ex *non* & *ipsum*: nempe ut indicet, negationem ad omnia non se extendere, sed ad *ipsum* tantumodò: id eſt, quòd ſit aliquid, sed non ipsum; aut quod non sit ipsum, sed aliquid aliud. Verba vero, *omnino*, *in aliquo*, *in omni*, ſatis per alia quæ ſubjicit Author dilucidantur, *ſimpliciter*, nimirum, *& absolute.* Id eſt, non ſatis eſſe ad perfectionem, quæ digna ſit prædicari de Deo; quòd ſit melior, facta comparatione, vel cum nihilo, vel cum hoc, illove tantum ſubjecto; ſed quòd ſubjectum quodvis cum ipsa melius fieret, & eſſet, quàm ſine ipsa: & vice versa, perfectio indigna de Deo dici, qua-cum licet hoc, illud ve ſubjectum melius ſit, quàm ſine ipsa, non tamen, omne ſubjectum. Exempla ſunt Authoris: melior eſt ſimpliciter, absolute, in quocumque subjecto, sapientia, in quantum talis, quàm ejus defectus in eodem ſubjecto. Non [melior eſt, inquit, non ſapiens juſtus, quàm ſapiens injuſtus, ob defectum ſapientiæ in uno, exiſtentiam ſapientiæ in alio; sed quia non ita malum eſt carere ſapientia, quàm carere virtute, ſive juſtitia. Signum vero, ſubjungit Author, quòd non defectus ſapientiæ juſtum meliorem faciat, eſt, quòd ſi eſſet ſimul juſtus, & ſapiens, melior eſſet quàm juſtus ſine ſapientia. Itaque ſapientia eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, ſive digna de suma ſubstantia prædicari, quia ſive hoc, ſive illud, seu quodcumque ſubjectum ſine sapientia concipias, non ita bonum illud cogitas, quam ſi cum ſapientia cogitares. Idem quod in ſapientia, tibi accideret in juſtitia, veritate, amore, benignitate, vita, ſpiritualitate, potentia, omnipotentia, immenſitate, infinitudine, æternitate, & multis ſimilibus aliis.

10 Perfectio auri, verbi cauſa, non est hujusmodi. Esto enim aliquod cogites ſubjectum revera melius cum auri perfectione, quàm ſine ipsa; & aliquod non ita bonum ſine ipsa, immo minus bonum, quàm cum ipsa; sed non omne. Meliùs certe foret plumbum; ſi tranſiret ad perfectionem auri, quàm manendo in suo *eſſe* plumbi ſine tali perfectione: conſequenter non ita bonnm, ut est, aurum eſſet, ſi plumbum fieret. Veruntamen melius eſſet aurum, ideſt ſubjectum quod dicitur aurum, ſi deſineret eſſe au-

rum, transeundo ad perfectionem hominis, aut cujusvis animalis, aut viventis, quàm permanendo in *eſſe* auri. Quod in auro, intellige in multis aliis.

11 *Patet autem ex eo quòd ſumma natura ſic intelligi potest non ſumma &c.* ℣ Ex conſtituta regula iterum colligit, & confirmat, relationem ſummæ, vel majoris aut aliarum ſimilium denominationum naturæ divinæ ad creaturas, in præfata regula, propter ſuperius dicta, non contineri: ideſt, quòd natura divina non concipitur melior, quando concipitur ſumma omnium, quàm dum concipitur non ſumma: Quippe relatio melioris, aut ſummæ non facit naturam divinam meliorem; neque defectus harum relationum minus bonam formaliter facit. Quamvis, ſi exiſtentibus creaturis, ipſa natura divina non eſſet formaliter omnibus melior, vel omnium ſuprema, ſequeretur quòd ipſa natura divina non eſſet natura divina. Cæterum in his verbis Authoris, quæ ob oculos nunc habemus, manifeſtum videtur, quòd ſupra dixeram, ipſum in hoc capite non de cunctis in universum relationibus loqui, tam ad intra, quàm ad extra; ſed de his quæ ad extra ſunt tantum, vel ad exiſtentes, aut præteritas, aut futuras creaturas. Unde cum ſuperſedeat ab inquirendo de aliquibus relationibus, utrum cum illis divina ſubſtantia absolute, vel ſimpliciter ſit formaliter melior quàm ſine ipſis, non eſt cur ex hoc capite poſsit quis trahere S. Doctorem in favorem alterutrius partis, aſſerentis, vel negantis, divinas personales relationes in suo conceptu formali perfectionem aliquam præseferre, atque divinæ naturæ aliquid perfectionis addere.

12 *Cum igitur quidquid aliud est, ſi ſingula dispiciantur, aut ipsum ſit melius quàm non-ipsum &c.* ℣ Ad confirmationem ſupradictorum iterum notanda ſunt verba: *Si ſingula dispiciantur, &, aliquo modo.* Itaque generalem deducit conclusionem de perfectionibus, quæ poſtea ab ſcholaſticis dictæ sunt juxta præfatam regulam *ſimpliciter ſimplices*, quòd ſcilicet de natura ſuprema aſſerendæ formaliter sunt; & vice verſa negandæ illæ perfectiones, quæ tales non sunt. Formaliter, inquam: ideſt, non prædicatione tantum causali, virtuali, aut per quandam equivalentiam, sed prædicatione propria, metaphyſica, & formali. Nam jam in principio, & deinde per multa capita satis concluſit omnia entia eſſe à summo *Ente*, & cuncta bona à summo bono; atque proinde Deum, tamquam causam, omnia entia, quæ facta sunt ab ipso, & cuncta bona creata, in se præhabere, & præcontinére: unde non de illa prædicatione, sed de alia magis propria atque formali in hoc capite loquatur necesse eſt. Nam ſi non niſi de prædicatione causali, virtuali, aut æquivalentiæ loqueretur in præsenti; in vanum distingueret inter nomina, & nomina, perfectiones, & perfectiones; cum omnes perfectiones creaturarum causatæ ſint à Deo. Itaque perfectiones, quæ absolutè non sunt meliores ipsæ quàm non ipsæ, continentur in Deo causaliter. Ergo prædicatio, quam negat Author de his & concedit de aliis, eſt prædicatio propria methaphyſica & formalis. Denique per attributa quæ non dicantur de Deo propriè, eſſentialiter, & formaliter, non intelligitur Deus melior, quàm ſine talibus attributis: quemadmodum non concipitur melior à nobis dum concipitur ut creator, ut conservator, ut causa omnium rerum, quam dum illum cogitaremus ſine actu creandi, causandi, & conservandi. Tam bonus eſſet Deus, ſi non creaſſet hunc Mundum, neque quidpiam aliud, quàm modo eſt: & tamen nulla tunc perfectio diceretur de ipso per comparationem ad creaturam, vel hoc sensu ſcilicet, quòd causaviſſet talem, aut talem perfectionem. Manifeſtum eſt ergo Anselmum in præsenti cap. sermonem non inſtituiſſe de prædicatione impropria, virtuali, aut æquivalentiæ.

13 Sed undenam tandem colligit Author eam consequentiam tam universalem? Ex eo, nimirum, quòd *ſumma ſubſtantia ſola est, qua penitus nihil est melius; & quæ melior est omnibus, quæ non sunt quod est ipsa.* Quaſi dicat: demonſtravimus quòd ſumma ſubſtantia ſit summum bonum, & summè bona: ergo neceſſe eſt ut ſit propriè, & formaliter omne id ſine quo non eſſet summum bonum, nec summè bona, quia ſine illo non tam bona, sed minus bona: & vice versa; non ſit id omne cum quo non eſſet in ſummo gradu bona. Unde poſtremò colligit, ſummam naturam, neque corpus, neque aliud corporeum eſſe, sed purum ſpiritum; quia melior, quàm corpus, aut aliquid corporeum, eſt spiritus: & à contrario, ex eadem regula infert quòd divina natura ſit vivens, sapiens, potens; omnipotens, vera, justa, beata, æterna, & multa ſimilia. En quaſi uno verbo omnia attributa divina probata. Sed adhuc compendioſius ea probat in Proslog. cap. 5. Nota verò S. Doctorem non discernere naturam divinam quatenus in abſtracto, & quatenus in concreto: Unde eodem modo loquitur ſemper de ipsa, ac ſi loqueretur non de natura Dei, sed de Deo. Et merito quidem, ſecundum quod natura divina ſe habet ad extra: ſic enim conſiderata poteſt accipi etiam ut principium *quod* producendi, & conservandi creaturas; quia Pater, Filius, & Spi-

ri-

ritus Sanctus, ſicut sunt per unam, & eandem naturam unus Deus, ita & unus creator, unus conservator, unus omnipotens. Ratio hujus eſt quia divinitas formaliter eſt Deus; & Deus formaliter eſt divinitas. Unde in fine cap. 6. docuit nos Author *quòd ſumma eſſentia, & summè Ens, idest, summe existens ſive ſumme subſiſtens non dissimiliter ſibi conveniunt, quàm lux, & lucere, & lucens.* Sed ut ad regulam redeamus, noto Ang. Præcept. eádem usum fuiſſe quæſt. 2. de Scientia Dei art. 1. in uno ex argumentis, ad probandum eſſe ſcientiam in Deo.

14 Si autem aliam regulam ultra quæras ut ratio dignoscat qua-cum perfectione quodcumque ſubjectum, ſi ipsam haberet, melius eſſet; & qua-cum non omne subjectum eſſet melius, ſed aliquod subjectum cum ea minus bonum: non aliam quæras, ut in libris de Trinit. conſtanter docet Aug. quàm regulas rationis æternas, aut æternæ veritatis, inditas in nobis, vel non inditas, sed permanentes in Deo (de quo nunc disputare nolo, neque meam pronuntiare sententiam) secundum quas ultimo de veritatibus ratio judicat. Legatur itaque D. Aug. 9. de Trinit, cap. 6. & 7. Sed audiatur interim 15. de Trinit. cap. 4. Conditor, ait, nobis mentem, rationemque naturalem dedit, qua viventia non viventibus, ſensu prædita non ſentientibus, intelligentia non intelligentibus, immortalia mortalibus, impotentibus potentia, injuſtis juſta, ſpecioſa deformibus, bona malis, incorruptibilia corruptibilibus, immutabilia mutabilibus, inviſibilia viſibilibus, incorporalia corporalibus, beata miſeris præferenda videamus. Ac per hoc quoniam rebus creatis creatorem ſine dubitatione præponimus, opportet ut eum, & summè vivere, & cuncta sentire, atque intelligere, & mori, corrumpi, mutarique non poſſe, nec corpus eſſe, sed ſpiritum omnium potentiſsimum, juſtiſsimum, specioſiſsimum, optimum, beatiſsimum fateamur. Audi illum iterum ſic in lib. 1. de Doct. Chriſt. cap. 9. docentem: Nemo eſt tam impudenter inſulsus qui dicat, unde ſcis immutabiliter sapientem vitam mutabili eſſe præferendam? Id ipſum enim quod interrogat unde sciam, omnibus ad contemplandum communiter, atque incommutabiliter, præſto eſt. Et hoc qui non videt, ita eſt, quaſi cæcus in ſole, cui nihil prodeſt ipſis locis oculorum ejus tam claræ ac præſentis lucis fulgor infusus. Qui autem videt, & refugit, consuetudine umbrarum carnalium invalidam mentis aciem gerit. Pravorum igitur morum quaſi contrariis flatibus ab ipsa patria repercutiuntur homines, posteriora atque inferiora ſectantes potius, quam illud quod eſſe melius, atque præstantius confitentur. Hæc omnia Auguſt. quibus Anselmi doctrinam mire illuſtrat atque confirmat.

CAPUT XVI.*

* Al. cap. 15.

Quòd idem ſit illi eſſe juſtam, quod eſt eſſe juſtitiam: & eodem modo de his, quæ ſimiliter de illa dici poſſunt: & quod nihil horum monſtret, qualis illa, vel quanta ſit, ſed quid ſit.

SED fortaſſe cùm dicitur juſta, vel magna, vel aliquid ſimilium non oſtenditur quid ſit; ſed potius qualis vel quanta ſit. Per qualitatem quippe, vel quantitatem, quodlibet eorum dici videtur. Omne namque quod juſtum eſt, per juſtitiam juſtum eſt: & alia hujus modi ſimiliter. Quare ipſa ſumma natura non eſt juſta, niſi per juſtitiam. Videtur igitur participatione qualitatis, juſtitiæ, ſcilicet, juſta dici ſumme bona substantia: quod ſi ita eſt, per aliud eſt juſta, non per ſe. At hoc contrarium eſt veritati perſpectæ: quia bona, vel magna, vel ſubſiſtens, quod eſt omnino, per ſe eſt, non per aliud. Si igitur non eſt juſta, niſi per juſtitiam; nec juſta eſſe poteſt, niſi per ſe: quid magis conſpicuum, quid magis neceſſarium, quàm quòd eadem natura eſt ipſa juſtitia: & cùm dicitur eſſe juſta per juſtitiam, idem eſt quod per ſe; & cùm juſta

per

per ſe dicitur eſſe, non aliud intelligitur, quàm per juſtitiam. Quapropter, ſi quæratur, quid ſit ipſa ſumma natura, de qua agitur; quid verius reſpondetur, quàm juſtitia? Videndum igitur quomodo intelligendum ſit, quando illa natura, quæ eſt ipſa juſtitia, dicitur juſta. Quoniam enim homo non poteſt eſſe juſtitia, juſtitiam autem habere poteſt: non intelligitur juſtus homo exiſtens juſtitia, ſed habens juſtitiam. Quoniam igitur de ſumma natura non proprie dicitur quia habet juſtitiam, ſed existit juſtitia: cùm dicitur juſta, proprie intelligitur exiſtens juſtitia; non autem habens juſtitiam. Quare, ſi cùm dicitur, exiſtens juſtitia, non dicitur qualis eſt, ſed quid eſt; conſequitur, ut, cùm dicitur juſta, non dicatur, qualis ſit, ſed quid ſit. Deinde, quoniam de illa ſuprema eſſentia eſt idem dicere quia eſt juſta, & quia eſt exiſtens juſtitia: & cùm dicitur, eſt exiſtens juſtitia, non eſt aliud, quàm eſt juſtitia: nihil differt in illa, ſive dicatur, eſt juſtitia, ſive, eſt juſta. Quapropter, cùm quæritur de illa, quid eſt, non minus congrue reſpondetur, justa, quàm, juſtitia: quod vero in exemplo juſtitiæ ratum eſſe conſpicitur, hoc de omnibus, quæ ſimiliter de ipſa ſumma natura dicuntur, intellectus ſentire per rationem conſtringitur. Quicquid igitur eorum de illa dicatur, non qualis, vel quanta; ſed magis quid ſit monſtratur. Sed palam eſt, quia quodlibet bonum ſumma natura ſit, summé illud eſt. Illa igitur eſt ſumma eſſentia, ſumma vita, ſumma ratio, ſumma ſalus, ſumma juſtitia, ſumma ſapientia, ſumma veritas, ſumma bonitas, ſumma magnitudo, ſumma pulchritudo, ſumma immortalitas, ſumma incorruptibilitas, summa immutabilitas, ſumma beatitudo, summa æternitas, ſumma poteſtas, ſumma unitas; quod non eſt aliud, quàm ſumme ens, ſumme vivens: & alia ſimiliter.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XVI.

Sed fortaſſe cùm dicitur juſta, vel magna, &c. ¶

1 Caput hoc, & caput ſequens conſonant cum Aug. 6. de Trinit. cap. 7. & 15. cap. 5. ac 6. De ſequenti capite poſtea dicemus. Nunc vero de eo quod præ manibus habemus, aliqua, licet pauca, dicamus. Cum Author in antecedenti capite de his quæ de ſumma ſubſtantia proprie, & formaliter prædicari queunt, aut non prædicari, ſolide egerit pro ſuo more: conſequens erat ut in hoc de modo, quo attributa in Deo prædicentur, disputaret. Quærit igitur an juſtitia, magnitudo, aliaque ſimilia, ſicut accidentia, vel accidentaliter de ſumma Dei natura prædicentur, an potius eſſentialiter: an etiam ſolum in concreto, an quoque omni rigore in abſtracto. Resolutio eſt generalis, quia de conſimilibus eádem ratio eſt, idemque ferendum judicium. Hoc pacto Anselmus frequenter vitat prolixitatem. Primo agit personam arguentis, proponitque rationem dubitandi, ab his nimirum verbis quibus caput incipit: *Sed fortaſſe cum dicitur juſta, &c.* Secundò respondentis, & pro parte adverſa resolventis personam accipit: ab his, nempe: *Quod ſi ita eſt, per aliud eſt juſta, non per ſe, &c.* Ratio dubitandi ex modo noſtro concipiendi accipitur: quia ita in rebus creatis affuefacti ſummus. Quippe cùm dicimus; ſumma divina natura eſt juſta, eſt ſapiens, eſt magna: nobis occurrit quædam prædicatio accidentalis: juſtitia, & ſapientia nobis objiciuntur tamquam quædam inhærentes qualitates; magnitudo vero ceu quoddam incrementum quantitatis. Unde videtur quòd non quid ſit, ſed qualis vel quanta ſit ſumma natura, illæ propoſitiones ſignificent. Itaque Author in virtute aut æquivalentia ita objectionem, dubiumve proponit. In nobis juſtitia, ſapientia, & ſimilia, tamquam accidentia, & veræ qualitates prædicantur: magnitudo

au-

autem ſicut quantitas vera. Ergo videtur quòd ita contingat in Deo. Modo quo arguendi ſæpiſſime utitur Ang. Præc. In ſpecimen ſit tota quæſt. 14. 1. partis.

2 Arguendo pro parte adverſa ſimul Author resolvit, has & ſimiles prædicationes de ſumma natura non eſſe accidentales ſicut in nobis, ſed eſſentiales: quia non solùm in concreto veræ ſunt, ſed etiam, & magis propriè, in abſtracto, ita ut non faciant hunc ſenſum: Summa natura afficitur vel eſt affecta juſtitiâ, ſapientiâ, aut habet juſtitiam, ſapientiam, magnitudinem, ſic ut ſumma natura non ſit juſtitia, ſapientia, & magnitudo; ſed faciunt hunc: ſumma natura eſt magnitudo, ſapientia, juſtitia, & ſic de reliquis. Ad hoc probandum iterum recurrit ad ſuum ſtabilitum ab initio univerſale principium: *Summa natura per ſemetipſam, non per aliud, eſt quid quid eſt.* Unde legitime infert: ergo & juſta, ſapiens, magna, & quodlibet aliud attributum. Ergo non eſt juſta, ſapiens, magna, per juſtitiam, ab ipſa natura divina diſtinctam, neque per diſtinctam à se sapientiam, aut magnitudinem. Ergo non tamquam per vera accidentia, qualitates aut quantitatem, ſer per ſuam ſubſtantiam veramque eſſentiam. Ergo magis propriè dicitur, quòd summa natura ſit juſtitia, & reliqua, quàm quod habeat juſtitiam, sapientiam, magnitudinem, &c.

3 Terminis brevioribus. Summa natura ex jam ſtabilito principio, per ſe ipsam eſt juſta, ſapiens, magna, &c. At eſt juſta per juſtitiam, sapiens per sapientiam, magna per magnitudinem, & ſic de reliquis attributis. Ergo summa natura ipsa eſt juſtitia per quam eſt juſta, sapientia per quam eſt sapiens, magnitudo per quam eſt magna, &c. Sed summa natura, summa eſſentia, ſumma subſtantia nequaquam in se differunt, sed idem omnino ſunt. Ergo juſtitia, sapientia, magnitudo, & reliqua attributa divinæ naturæ nihil aliud sunt quàm summa subſtantia, summa eſſentia. At summa natura nequaquam accidentaliter, sed omnino eſſentialiter eſt ſumma subſtantia, summa eſſentia. Ergo nullo modo accidentaliter, sed penitus eſſentialiter eſt juſtitia, sapientia, magnitudo, &c.

4 Subsumit Author applicando, & extendendo discursum ad omnia attributa divina, insuperque illum conjungendo cum hoc principio. *Sed palam est quia quodlibet bonum summa natura ſit, summe illud est.* Et quare summè illud eſt? quia ſi non summè, minus perfectè, atque adeo non eſſet absolute summum bonum, neque summum ens, cùm non eſſet summe: cujus contrarium in primis capp. probatum manet. Infert subinde Author poſtremam consequentiam: ergo summa natura eſt summa vita, summa ratio, summa salus, summa juſtitia, summa sapientia, summa veritas, summa bonitas, summa magnitudo, summa pulcritudo, summa immortalitas, summa incorruptibilitas, summa immutabilitas, summa beatitudo, ſumma æternitas, summa poteſtas, summa unitas; quod non eſt aliud, quam summè ens, summè vivens; & alia ſimiliter: ideſt, in illa omnium suprema natura tantumdem valet prædicatio in concreto, quantum in abſtracto, & vice versa, nulla differentia ex parte rei. Profunditas hujus ultimæ illationis in eo conſiſtit, quòd summa natura non poſsit eſſe summè juſta, v. g. niſi per summam juſtitiam. At summa natura summe eſt quidquid eſt: ergo non niſi per summam juſtitiam poteſt eſſe summe juſta: ſi ergo natura divina eſt sua juſtitia; natura divina eſt juſtitia summa. Eadem eſt vis rationis, & consequentiæ in reliquis attributis. Et en quoque unica ratione probatum, per eademque principia, quòd attributa divina non prædicentur de Deo in quale, sed tantum in quid. Hoc autem amplius, & magis ex propoſito tractat, inveſtigat, & probat Author in sequenti capite. Sed ante quam ad illud transeamus, audiatur Parens Aug. 7. de Trinit. cap. 1. Anselmo ſicut, & alibi frequentiſſime lucem præferens, & præſtans: *Quod ſi hoc est ibi eſſe quod ſapere, non per illam sapientiam quam genuit, sapiens est Pater, alioquin non ipse illam, sed illa eum genuit. Quapropter quæ causa illi est ut sapiens ſit, ipsa illi causa est, ut ſit. Proinde ſi sapientia, quam genuit, causa illi est ut sapiens ſit, etiam ut ſit, ipsa illi causa est.* Consonat quoque Bern. Serm. 80. in Cant. & 5. lib. de Conſideratione capp. 7. 8. & 9. conſonat, inquam, in hoc modo dicendi, & probandi. D. Thom. in varijs art. ut id probet quod hic Anſelmus, eodem in ſubſtantia utitur principio, hoc nimirum: *Deus est suum eſſe.* Quid aliud eſt, *Deus est suum eſſe*, niſi Deus eſt per ſe ipſum, quidquid eſt? Aut, Deus eſt quod eſt, & qui eſt; ut alij dicunt PP.?

Al. cap. 16.

CAPUT XVII.*

Quod ita ſit ſimplex, ut omnia quæ de ejus eſſentia dici poſſunt unum, idemque ſint in illa; & nihil de ea dici poſſit ſubſtantialiter, niſi in eo quod quid eſt.

QUID ergo, ſi illa ſumma natura tot bona eſt, erit ne compoſita tam pluribus bonis; an potius non ſunt plura bona, ſed unum bonum tam pluribus nominibus ſignificatum? Omne enim compoſitum ut ſubſiſtat, indiget his, ex quibus componitur; & illis debet quidem quod eſt, quia quicquid eſt, per illa eſt; & illa quod ſunt, per illud non ſunt: & id circo penitus ſummum non eſt. Si igitur natura illa compoſita eſt ex pluribus bonis, hæc omnia, quæ omni compoſito inſunt, in illam incidere neceſſe eſt; quod nefas falſitatis aperta ratione deſtruit, & obruit tota, quæ ſupra patuit, neceſsitas veritatis. Cum igitur natura nullo modo compoſita ſit; & tamen omni modo tot illa bona ſit: neceſſe eſt ut illa omnia non plura, sed unum ſint. Idem igitur eſt quodlibet unum illorum, quod omnia, ſive ſimul, ſive ſingula; ut cum dicitur juſtitia vel eſſentia, idem ſignificat, quod alia, vel omnia ſimul, vel ſingula. Quemadmodum itaque unum eſt, quicquid eſſentialiter de summa ſubſtantia dicitur: ita ipsa uno modo, una conſideratione eſt, quicquid eſt eſſentialiter. Cum enim aliquis homo dicitur, & corpus, & rationalis, & homo; non uno modo vel conſideratione hæc tria dicitur. Secundum enim aliud eſt corpus, & secundum aliud rationalis; & ſingulum horum non eſt totum id, quod eſt homo. Illa vero summa eſſentia nullo modo ſic eſt aliquid, ut illud idem ſecundum alium modum, aut secundum aliam conſiderationem non ſit: quia quicquid aliquo modo eſſentialiter eſt. hoc eſt totum quod ipſa eſt. Nihil igitur quod de ejus eſſentia vere dicitur, in eo quod qualis, vel quanta; sed in eo quod quid ſit, accipitur. Quicquid enim eſt, vel quale, vel quantum, eſt etiam aliud in eo quod quid eſt, unde non ſimplex, sed compoſitum eſt.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XVII.

Quid ergo, ſi illa ſumma natura tot bona eſt, erit ne compoſita, &c. ¶

1 Oſtenso ab Authore, quòd omnia quæ de ſumma natura dicuntur attributa, non accidentaliter, aut per modum realium accidentium, sed ſubſtantialiter, vel tamquam vere, & realiter ſubſtantia prædicentur: reliquum erat declarare, utrum hæc cuncta attributa eam ſummam naturam conſtituerent tamquam partes ſubſtantiales, & eſſentiales, vel phyſicæ; ſicut homo ex corpore, & anima conſtituitur rationali; vel metaphyſicæ, ceu quælibet alia ſubſtantia, & eſſentia ex genere ac differentia componitur. Itaque in hoc cap. Author probat nullam eſſe in ſuprema natura compoſitionem, neque phyſicam ex ſubjecto, & forma, neque metaphyſicam ex genere, & differentia, ſed potius eſſe omnimodam ſimplicitatem, & unitatem.

2 In tam paucis verbis quæ continet hæc prima periodus per modum interrogationis, difficultatem ſeu dubium proponit Author, ipſumque reſolvit. Dubium con-

continetur in prima parte: *Quid ergo, ſi illa ſumma natura tot bona eſt, erit ne compoſita tam pluribus bonis?* Reſolutio vero in parte ſecunda: *An potius non ſunt plura bona, ſed unum bonum tam pluribus nominibus ſignificatum?* Qui modus meditandi, idest, dubitandi, & resolvendi est Anselmo in hoc opere familiaris; sed magis in toto fere Proslog. Imitatur etiam in hoc Aug. in lib. de Trinit. Interrogatione ſæpe loco aſſertionis firmiſsimæ utimur, vel negationis. Scriptura paſsim. *An ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum?* Et 1. ad Chorint. 9. *Non sum liber? Non sum Apostolus?*

3 Ergo dubitandi ratio ex eo fit, quòd in capite antecedenti nominata sunt plura bona; quæ ideo nos multa concipimus, & quia aliqua in rebus creatis revera multa ſecundum distinctionem phyſicam, aut metaphyſicam ſunt; & quia ſic ad distinguendum, propter limitationem nostri intellectus, aſſuefacti ſummus. Si autem in ſumma natura multa sunt, aut ſaltem multa concipimus, erit in Deo aliqua, vel realis, vel metaphyſica, & per rationem compoſitio. Ex multis quippe conjunctis in unum compoſitio fit. En, inquam, ratio dubitandi.

4 Resolutio Authoris est, quód non plura, sed unum duntaxat bonum ſint, multis nominibus ſignificatum. Dum Author dicit multa eſſe nomina, satis ostendit multa à nobis concipi, aut multos de hoc uno bono nos formare conceptus, ideasve, quas propterea multis nominibus nominamus. Unum quippe conceptum, unicam notionem, non niſi nugando, otioseve loquendo, multis ſynonimis vocibus exprimendo, repetimus. Quare hæ multæ sunt voces grammaticales multi compoſiti ſoni; sed nomen conficiunt non niſi unum, eo quòd non niſi unam conceptionem, verbumque unicum mentis exprimant. Quòd vero hæc ſit Anselmi mens, ex nullo melius quàm ex eodem ipso, probabitur. *Certe vita es* (alloquitur Deum Anſ. in Proslog. cap. 19.) *Sapientia es, veritas es, bonitas es, beatitudo es, æternitas es, & omne verum bonum es. Multa sunt hæc: non potest angustus intellectus meus tot uno ſimul intuitu videre; ut omnibus ſimul delectetur.* Idem omnino post Anselmum dixit Meliſluus Bern. loquendo de Deo 5. de Conſid. cap. 13. *Visus sum*, inquit, *protulisse multa: sed unum est. Unus Deus ſignatus est pro captu nostro, non pro suo statu. Divisus est hic, non ille. Voces diversæ, semitæ multæ: sed unum per eas ſignificatur, unus quæritur.* Et paul. infra cauſam præbet: *nobis, quia non poſſumus cum Deo ſimplicitate contendere, dum contendimus apprehendere unum, occurrit veluti quadruplicatum. Facit hoc speculum, & ænigma per quod interim videri datur.*

5 Sed ad Anselum iterum ſe convertat oratio. Sententia igitur ejus est, quòd licet nos loquendo de Deo varias conceptiones inter ſe conjunctas, & quodam modo compoſitas, paturiamus, non propterea aliqua ſit, ſeu est in Deo phyſica, aut metaphyſica compoſitio. *Nempe tu es*, inquit, in cap. 18. Proslog. loquendo cum Deo, *ipsa unitas nullo intellectu divisibilis.* Hanc de omnimoda ſimplicitate Dei resolutionem probat Author ex eodem universali toties à nobis laudato principio. Ens summum, summa natura, summum bonum, nullius alterius rei, ut ſit atque subſiſtat, egère poteſt. Non itaque ullam ſive phyſicam seu metaphyſicam compoſitionem admitere Deus valet. Probat consequentiam. Omne compoſitum ea ratione, qua compoſitum eſt, opus habet quibus componitur, ut ſit, atque subſiſtat; cùm partes, utpote quæ dant eſſe compoſito, se habeant ut causæ conſtituvæ, atque intimæ; compoſitum vero ut effectus conſtitutus. Summum igitur ens, summa natura, summum bonum, ipse Deus, ſi ullam haberet compoſitionem, quæcumque illa foret, partibus, quibus componeretur, indigeret. Si ergo Deus nullius eſt indigus; nullam compoſitionem habet.

6 Præterea. Summa natura, ſummum ens, ſummum bonum, per seipſum eſt, quidquid eſt. Compoſitum vero, quodcumque fuerit, eſt per ſuas partes componentes, quæ utpote causæ, diſtinguuntur ab ipso. Ergo Deus nullo modo poteſt eſſe compoſitus. Confirmatur. Partes compoſit, aut verè ſunt, aut saltem intelliguntur ſine compoſito, & prius quàm compoſitum; compoſitum vero neque eſſe, nec intelligi valet absque suis partibus. Non ergo idem sunt partes quæ componunt, aut conſtituunt, & ipſum compoſitum. Si ergo compoſitum eſt, & ſubſiſtit per ſuas partes; non eſt neque ſubſiſtit per ſemetipſum. Itaque ſummum ens, summa eſſentia, Deus ſi aliquo modo eſt compoſitus, non eſt neque ſubſiſtit omni modo per seipsum, ſed magis per aliud. Nimirum ſi compoſitus fuerit phyſice, non erit aut subſiſtet phyſice per ſemetipsum: Si autem compoſitus metaphyſice, tunc non erit metaphyſice *ens*

per

per ſeipsum. Ergo Deus non erit ſummum *ens*, & summa eſſentia, summaque ſubſtantia, quia non summè erit id quod eſt. In eo enim sensu, in quo fuerit compoſitus, non erit id quod eſt. At Deus est summum ens. Ergo neque phyſice neque metaphyſice eſt compoſitus. Vere ergo dicit quoque Author in Proslog. cap. 22. *Tu solus, ergo, Domine ee quod es, & es qui es. Nam quod aliud est in toto, & aliud in partibus :: Non omnino est quod est.*

7 Dicet quis : contra metaphyſicam compoſitionem, cùm rationis ſit, non ipſius Dei, nihil omnia valerent iſta. Et ego dico, quòd non parùm valeant; immo maxime valent. Nam aliud eſt quòd compoſitio ſit aut fiat in ratione; aliud quòd non ſit compoſitio ipſius rei, prout exiſtentis in ratione. Primum est verum; secundum autem falsum. Nam ſi ſubjectum compoſitionis non ſit res intellecta, sed ratio ipsa; compoſitio affirmabitur de ratione, ejusve conceptionibus, non autem de re. Erit ergo ratio duntaxat quæ compoſita in suis conceptionibus affirmabitur; ſed nequaquam res. Unde ſi hujusmodi adſtruatur compoſitio; quidquid fuerit de proprietate compoſitionis, neque Author, ut puto, neque ego ſuper hoc contendemus. Sed ſi de re, licèt non prout in se, ſed prout in ratione, aſſeratur compoſitio: tunc suam vim recuperant Anselmi argumenta. Nam quod in ratione ſaltem compoſitum est, non ubique & per ſeipsum est quidquid est. At quod hujusmodi est, non est summum *ens*; cùm non ſit ſummum, quatenus est in ratione. Ergo non absolutè, & ſimpliciter, & in omni sensu erit ſummum ens. Hoc autem est inconveniens: ergo &c.

8 Denique. Quod summè est, nullibi, neque per ullam potentiam potest deſinere eſſe quòd est. At quod in ratione nostra, & per rationem nostram compoſitum est, alicubi & per aliquam potentiam potest deſinere eſſe quod est. Probo minorem. Omne compoſitum in ea ratione qua compoſitum est, diſſolubile est. Deinde. Quod per rationem compoſitum est, per eandem disolvi potest. At ratio nostra aliqua potentia est. Ergo quod ab ipsa compoſitum est, per aliquam est potentiam diſſolubile. Quod autem dissolvitur, deſinit eſſe illud quod erat. Ergo ſit ſummum *ens*, summè est; & quod summè est, nullibi neque per ullam potentiam potest non eſſe; summum *ens* neque in ratione, neque per rationem disolvi potest. Ergo neque in ratione aut per rationem valet eſſe compoſitum. Conferatur cap. 18. Proslog. & cap. 1. lib. Apologetici contra Gaunilonem.

9 In hoc itaque sensu intelligendum eſt quod in hoc capite collegit Author: *Quemadmodum itaque unum est, quidquid eſſentialiter de summa substantia dicitur: ita ipsa uno modo, una conſideratione est, quidquid est essentialiter.* Nempe ſumma ſubstantia in quacumque conſideratione est quidquid est & eodem modo, quia adhuc in quacumque conſideratione remanet incompoſita eſſentialiter, indistincta, omnino ſimplex: non quòd non niſi uno modo, una conſideratione ex parte nostri, summam substantiam conſideremus; quippe qui eam multis nominibus ſignificamus, neque uno ſimul intuitu videmus, ut in cap. 18. Proslog. jam diximus aſſerere Authorem. In eodem sensu, ex parte nimirum rei ſignificatæ, dicit in præsenti: *idem igitur est quodlibet unum illorum nominum, seu bonorum, quod omnia, sive simul sive ſingula; ut cum dicitur justitia, vel eſſentia, idem ſignificat; quod alia, vel omnia ſimul, vel ſingula.* Anselmum Bernard. sequitur, & quaſi transfert verba ſermone 80. in cant. dicens : *sola summa, & increata natura, quæ est Trinitas Deus, hanc ſibi vindicat meram, ſingularemque suæ eſſentiæ ſimplicitatem, ut non aliud & aliud, non alibi quoque & alibi, sed ne modo quidem, & modo, invenitur ea. Nempe in ſemet manens, quod habet, est, & quod est, semper & uno modo est.* Lege quoque D. Thom. 1. parte quæſt. 13. art. 4. & quæſt. 3. art. 5. & art. 7. Sed non poſſum non transferre verba corporis hujus ultimi citati art. cùm in Deo, inquit, non ſit compoſitio, neque quantitativarum partium, quia corpus non eſt; neque compoſitio formæ, & materiæ; neque in eo ſit aliud natura, & suppoſitum, neque aliud eſſentia & eſſe; neque in eo ſit compoſitio generis, & differentiæ; neque ſubjecti, & accidentis: manifeſtum eſt, quòd Deus nullo modo compoſitus eſt, sed omnino ſimplex.

10 Secundo (& en rationem S. Anselm.) Quia omne compoſitum eſt poſterius ſuis componentibus, & dependens ex eis: Deus autem eſt primum ens &c. Quintò; quia omne compoſitum eſt aliquid, quod non convenit alicui ſuarum partium. Et quidem in totis diſsimilium partium manifeſtum eſt: nulla enim partium hominis eſt homo, neque aliqua partium pedis eſt pes. In totis vero ſimilium partium, licet aliquid, quòd dicitur de toto, dicatur de parte, ſicut pars aeris eſt aer, & aquæ aqua; aliquid tamen dicitur de toto, quod non convenit alicui partium; non enim ſi tota aqua

eſt

„ eſt bicubita, & pars ejus. Sic igitur in omni compoſito eſt aliquid quod non eſt ip-
„ ſum; puta in albo eſt aliquid quod non pertinet ad rationem albi: tamen in ipſa
„ forma nihil eſt alienum. Unde cum Deus ſit ipsa forma, vel potius ipſum eſſe, nullo
„ modo compoſitus eſſe poteſt. Ecce in hac ultima D. Thom. ratione contentam quo-
que quam ex Anselmo ſupra poſuimus ex cap. 22. Proslog. Habetur etiam in cap. 18. ejusdem Proslog. Cæterum Dioniſ. Carthuſian. in primum lib. ſentent. quæſt. 2. circa finem. multa verba, expreſſo nomine Anselmi, uno contextu transcribit, tum ex cap. 22. Proslog. tum ex 16. Monolog. tum denique ex preſenti cap. Ita ut hoc poſtremum citatum transferat majori ex parte. Verba tamen ex Proslog. quamvis uno contextu ab ipſo transcribantur, non ſic in originali ſunt, ſed per alia verba interrupta.

11 *Cum enim aliquis homo dicitur, & corpus, & rationalis, & homo, &c.* ¶ Quod de ſumma ſubſtantia Author inficiatur, id eſt, metaphyſicam compoſitionem, liquido affirmat de homine, dum dicit, non uno modo vel conſideratione hæc tria, *corpus*, *rationalis*, *& homo* dici de illo; ſed ſecundum aliud, & aliud; & quòd ſingulum horum, nempe *corpus* ac *rationale*, non eſt totum quod eſt homo. Si autem quodlibet horum non eſt totum; ſine dubio eſt pars: non phyſica, quia hic ſermo non eſt de partibus phyſicis, cùm rationale non ſit pars phyſica, ſed differentia metaphyſica. Quòd autem dicit non uno modo, & conſideratione hominem dici *corpus*, *rationale*, *& hominem*, ideo dicit, quia totum diſtinguitur à partibus, & partes à toto, & inter se ipſas adinvicem: homo autem eſt totum; *corpus* vero, & *rationalis* ſunt partes. Hinc ſupra transcribimus verba ex ipſius Proslog. ubi ait quod ſi quidpiam, aliud ſit in partibus, aliud in toto, non eſt omnino id quod eſt. *Non omnino*, inquit: quia totum non diſtinguitur à partibus ſimul junctis, sed à qualibet ex illis: vel quia totum non eſt *eſſe* partium, etiam ut conjunctarum, per veram identitatem, & ſimplicitatem, sed per unionem & compoſitionem. Propterea dicebat Bóetius: *Hoc vere unum, in quo nullus est numerus, nullum in eo aliud præter id quod est.* Hoc verè unum eſt ipse Deus. Hoc verè unum, ſicut Boetius, & in eodem sensu, quo Boetius, defendit in præsenti noſter Author.

12 *Nihil igitur quod ejus eſſentia vere dicitur &c.* ¶ Ex dictis concludit Author, quòd nulla prædicatio de ſumma natura eſt in quale quid, quemadmodum eſſentiales differentiæ creaturarum de ipſis *in quale quid* prædicantur; sed quòd omnis prædicatio de ſumma ſubſtantia ſit *in eo quod quid.* Ratio ipſius eſt, quam jàm ſatis exposuimus: Illud, nimirum, quod prædicatur *in quale quid*, aliud eſſe (intellige metaphyce) in eo & ab eo *quod quid* eſt: quapropter non ſimplex sed compoſitum eſt. Hac etiam de causa dicit in cap. 26., quòd Deus non est propriè subſtantia (puta, prædicamentalis) quia nullis eſt admixta differentijs.

CAPUT XVIII. *

*Al. cap. 17.

Quod ſit ſine principio, & ſine fine.

EX quo igitur hæc tam ſimplex natura creatrix, & vigor omnium fuit, vel, usque quo futura eſt? An potius neque ex quo, nec usque quo eſt; sed ſine principio, & ſine fine eſt? Si enim principium habet; aut ex ſe, vel per se hoc habet; aut ex alio vel per aliud; aut ex nihilo, vel per nihil. Sed conſtat per veritatem jam perſpectam, quia nullo modo ex alio vel nihilo, vel per aliud vel per nihil eſt. Nullo igitur modo per aliud vel ex alio, aut per nihil, vel ex nihilo initium ſortita eſt. Ex ſeipsa vero, vel per ſe initium habere non poteſt: quamquam ex seipsa, & per ſeipſam ſit. Sic enim eſt ex ſe, & per ſe; ut nullo modo ſit alia eſſentia, quæ eſt per ſe, & ex ſe & alia per quam & ex qua eſt. Quicquid autem ex aliquo, vel per aliquid incipit eſſe, non eſt omnino idem illi, ex quo vel per quod incipit eſſe. Summa igitur natura non incœpit per ſe vel ex se. Quoniam igitur nec per ſe, nec ex se, nec per aliud, nec

ex alio, nec per nihil, nec ex nihilo habet principium: nullo modo habet principium. Sed neque finem habebit. Si enim finem habitura eſt, non eſt summe immortalis, & ſumme incorruptibilis: Sed conſtat quia eſt summe immortalis, & incorruptibilis: non habet igitur finem. Amplius; ſi finem habitura eſt; aut volens, aut nolens deficiet. Sed pro certo non eſt ſimplex bonum, cujus voluntate perit ſummum bonum: at ipſa eſt verum, & ſimplex bonum: quare ſua ſponte non deficiet ipſa, quam certum eſt eſſe ſummum bonum. Si vero nolens peritura eſt; non eſt summe potens, nec omnipotens: ſed rationis neceſsitas aſſeruit eam summe potentem eſſe, & omnipotentem. Non ergo nolens deficiet. Quare ſi nec volens, neque nolens ſumma natura finem habebit, nullo modo finem habebit. Amplius: ſi illa ſumma natura finem habet, vel principium, non eſt vera æternitas: quod eſſe ſupra inexpugnabiliter inventum eſt. Deinde cogitet, qui poteſt, quando incœpit, aut quando non fuit hoc verum; ſcilicet, quia futurum erat aliquid: aut quando deſinet, & non erit hoc verum; ſcilicet, quia præteritum erit aliquid. Quòd ſi neutrum horum cogitari poteſt, & utrumque hoc verum ſine veritate eſſe non poteſt: impoſsibile eſt vel cogitare quòd veritas principium vel finem habeat. Denique; ſi veritas habuit principium, vel habebit finem: antequam ipſa inciperet, verum erat tunc quia non erat veritas: & poſtquam finita erit, verum erit quia non erit veritas. Atqui verum non poteſt eſſe ſine veritate: erat igitur veritas, antequam eſſet veritas; & erit veritas; poſtquam finita erit veritas; quod inconvenientiſsimum eſt. Sive igitur dicatur veritas habere, ſive intelligatur non habere principium vel finem, nullo claudi poteſt veritas principio vel fine: quare idem ſequitur de ſumma natura, quia ipſa ſumma veritas eſt.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XVIII.

Ex quo igitur &c. ¶

1 Demonstrata jam ſumma natura Dei undequaque perfecta, ſeu quocumque modo, & conſideratione incompoſita, summè una, summè ſimplici: in hoc cap. agit de antiquitate ejusdem ac duratione in suo *eſſe* tam absolutè perfecto. Et quamvis in ea regula universali perfectionis *ſimpliciter ſimplicis*, cap. 15. stabilita, comprehensa fuerit absdubio æternitas: nihilominus quia non ita dilucida æternitatis idea, seu notio est, quàm aliarum est ratio perfectionum, neque à dubijs, & difficultatibus tam expedita; propterea operæpretium judicavit noſter Author operoſius de æternitate, ſicut & poſtea ob eamdem rationem de Immenſitate facit, disputare.

2 Itaque quærit, utrum hæc natura ita ſit antiqua, ut numquam incæperit eſſe aliquando? An licet habuerit, vel non habuerit initium, ſit tamen aliquando finem habitura? Utrumque dubium his, quibus incipit caput, verbis comprehendit: *Ex quo igitur hæc tam ſimplex natura, creatrix, & vigor omnium, fuit, vel usque quo futura est?* ſtatimque ſibimetipſi respondens modo interrogatorio dubium reſolvit, dicens: *An potius nec ex quo, nec usquequo est; ſed ſine principio, & ſine fine est?* Adverte, quod ajendo *nec ex quo nec usquequo*, corrigit vulgarem improprietatem loquendi. Sed ad rem. Quòd ſumma natura initium non habuerit; ita probat ab illis verbis: *Si enim principium habet*, usque ad *nullo modo habet principium.* Probat itaque hoc modo: ſi incæpit eſſe ſumma natura; aut per ſe incæpit, aut per aliam cauſam, aut per nullam. Conſtat jam per ea quæ in principio hujus operis probata, rataque manent, quia nullo modo ex his potuit habere principium: non ergo potuit incipere eſſe. Lege sex capp. priora.

Sed

3 *Sed neque finem habebit, &c.* ¶ Probat hanc ſecundam partem hoc modo. Conſtat etiam ex capp. 15. & 16. ſummam naturam eſſe ſumme immortalem, & incorruptibilem. At ſumme immortalis ac incorruptibilis non eſſet, ſi finem aliquando habitura ſit, ſi poterit aliquando ceſſare eſſe: nam ſumma immortalitas eſt ſumma poteſtas vitam propriam retinendi, & ſemper ſervandi; ſummaque incorruptibilitas eſt repugnantia ſumma amittendi proprium *eſſe*, ſive omnino, ſeu per converſionem in aliud, ſubſtantialiter vel accidentaliter. Ergo ſumma natura numquam finem habitura eſt, neque habere poterit, ſive in toto, ſive in parte. At partes (jam dictum eſt) nullas habet.

4 *Amplius, &c.* ¶ Probat ſecundo. Quia pariter ex dictis conſtat ſummam naturam eſſe ſummum bonum, & ſumme potentem, atque omnipotentem: primum conſtat ex cap. 1. ſecundum vero ex regula univerſali capitis 15. ergo etiam ex his rationibus ſumma natura, Deus, finem habere non potest. Probat conſequentiam. Nam vel volens, vel nolens, ſumma natura finem habitura eſſet, ſi finem poſſet habere: quia cùm probatum jam fuerit á cap. 9. usque ad 17. ſed præſertim in ipſis 15. & 16. ſummam naturam eſſe rationalem, & ſapientem, immò ſummam rationem, ſummamque ſapientiam, ſine dubio voluntatem etiam haberet. Sed non eſt habitura finem, ipſa volente: quia hoc eſſet contra rationem ſummi boni, cujus non potest eſſe mala ac perverſa voluntas; qualis eſſet certe voluntas interitus tanti boni. Sed neque nolente ipſa natura, finem habitura eſſet: quia hoc pugnat cum ratione ſummæ potentiæ, & omnipotentiæ. Summe potens, & omnipotens ipſe eſt qui omnia quæ vult potest: & quæ non vult, eſſe, aut fieri non poſſunt: neque vim, aut coactionem pati potest. Ergo ſuprema natura vel Deus nullo modo finem habere potest.

5 *Amplius, &c.* ¶ Probat 3. Quia jam ex cap. 15. conſtat, ſummæ naturæ æternitatem competere: melior est enim ipſa abſolute, quam non-ipſa. Et contra rationem veræ, & ſimplicis æternitatis est, principium aut finem habere: æternum quippe dicitur id quod ſemper est. Ergo etiam ex hoc cap. aut ex ratione æternitatis, probata manet repugnantia in ſumma natura principium habendi aut finem.

6 *Deinde, &c.* Probat 4. probando ſimul, ſicut in probatione tertia, ſummam naturam non poſſe habere neque principium neque finem. Non poſſe habere principium ita nunc probat. Conetur quis quantum voluerit; non inveniet initium veritatis hujus propoſitionis: *aliquid erat futurum*: nam multa nunc fiunt quæ antea non erant, ergo futura erant. At ſi inveniri non potest initium veritatis talis propoſitionis; aliqua veritas est æterna. Ergo cum veritas æterna non poſsit eſſe creata, ſequitur quòd ſit increata. Sed veritas increata non potest eſſe niſi ſumma eſſentia, quæ idem omnino est quod ſumma ſubſtantia, ſumma natura. Ergo ſumma natura etiam ex hac ratione probatur numquam incepiſſe. Quòd vero nemo, quamtumvis conetur, principium invenire poſsit veritati prædictæ propoſitionis de futuro, ſic probat. Quamtumlibet conetur, non poterit invenire quando non fuerit vera talis propoſitio. Ergo non potest illius veritatis invenire principium. Probat antecedens; vel potius ego explico vim Anſelmianæ argumentationis. Propoſitio de futuro, quæ affirmat aliquid eſſe futurum, non potest eſſe falsa, quin propoſitio de præsenti numquam ſit vera: nam ſi aliquando vera est; propoſitio de futuro numquam fuit falsa: qui enim dicit, *hoc erit*, verum dicit, modò hoc aliquando ſit: & qui dicit, *hoc non erit*, falsum dicit, ſi hoc ſit aliquando. Ergo ſi negari non potest quòd aliquid vel aliqua fiant, & ſint in præſenti tempore, quæ antea non fuerunt; negari non potest, quod semper ultra, & ultra, ſive retro, & retro progrediendo, ſi quis dixerit de his quæ nunc in tempore fiunt, & ſunt, antequam fierent, *hæc erunt*; verum semper, & semper diceret. At ſi verum semper, & semper diceret, ſignum evidens est quòd est aliqua veritas æterna per quam semper vera eſſet, ſi fieret illa propoſitio. Ergo cùm veritas æterna non poſsit eſſe, niſi ſuprema natura, vel eſſentia, vel ipse Deus, inevitabiliter ſequitur ſummam eſſentiam, Deum ipsum eſſe ſine principio, & ſemper fuiſſe. Ratio hujus argumenti est quia propoſitio vera eſſe non potest ſine veritate: & quia ab eo quod res est, vel non est propoſitio dicitur vera, vel falſa.

7 Eádem prorsus ratione probat Author Deum finem habere non poſſe, per veritatem propoſitionis de præterito. Nam oratio quæ affirmat, *hoc fuit vel hoc præteritum est*, numquam potest non eſſe vera, aut in sempiternum erit vera: non enim poteſt fieri ut quod præteritum est, aliquando non ſit præteritum. Ergo veritas per quam vera erit semper prædicta oratio, numquam deſinit eſſe veritas, sed in

ſem-

sempiternum erit veritas. Ergo talis veritas finem habere non potest. Sed hæc veritas per quam propositio de præterito vera sine fine est, non potest esse nisi Deus: quia res præterita esse non potest; cum oratio sit vera de præsenti, res vero præterita non sit jam præsens. Ergo etiam ex hac ratione probatur Deum numquam finem habiturum sed semper extiturum. Quod autem multa jam fuerint quæ non sunt, de quibus formari possit semper propositio de præterito, à nemine negari potest.

8 „ Neque expositio hæc de veritate orationis præteriit Anselmum: ipsam „ enim postmodum aperte tradidit in Dialog. de Veritate cap. 10. per hæc verba: un„ de jam intelligere potes quomodo summam veritatem in meo Monologio probavi non „ habere principium vel finem, per veritatem orationis. Cum enim dixi, *quando non* „ *fuit verum quia futurum erat aliquid*: non ita dixi ac si absque principio ista ora„ tio fuisset, quæ assereret futurum aliquid esse; aut ista veritas esset Deus: sed „ quoniam non potest intelligi quando, si oratio ista esset, veritas illi deesset: ut „ per hoc, quia non intelligitur quando ista veritas esse non potuerit, si esset ora„ tio in qua esse posset; intelligatur illa veritas sine principio fuisse, quæ prima cau„ sa est hujus veritatis. Quippe veritas orationis non semper posset esse, si ejus cau„ sa non semper esset. Etenim non est vera oratio, quæ dicit futurum esse aliquid, „ nisi re ipsa sit aliquid futurum; neque aliquid est futurum, si non sit in summa „ veritate. Similiter de illa intelligendum est oratione, quæ dicit, quia præteritum „ est aliquid. Nam si nullo intellectu veritas orationi huic, si facta fuerit, deesse po„ terit; necesse est ut ejus veritatis, quæ summa causa est illius, nullus finis intel„ ligi possit. Idcirco namque vere dicitur præteritum esse aliquid, quia ita est in re; „ & ideo est aliquid præteritum, quia sic est in veritate summa. Quapropter si num„ quam potuit non esse verum, futurum esse aliquid: & numquam poterit non esse „ verum, præteritum aliquid esse; impossibile est summæ veritatis fuisse, aut finem „ futurum esse.

9 Verosimillimum est D. Ans. ex lib. Arist. *Peri Hermenias* excitatum fuisse ad formandam hanc suam ultimam probationis rationem. Sic autem ille Philosophus in cap. 8. argumentatur, ut probet nullum esse contingens, sed omnia fieri ex „ necessitate. Si est album nunc, verum erat dicere prius, quoniam erit album. Qua„ re semper fuit verum dicere: quodlibet eorum, quæ facta sunt, quoniam est, vel „ erit. Si autem semper verum fuit dicere, quoniam est, vel erit; non potest hoc „ non esse, vel non futurum esse: quod autem non potest non fieri, impossibile est „ non fieri: & quod impossibile est non fieri, necesse est fieri. Omnia igitur, quæ „ futura sunt, necesse est fieri. Nihil igitur utrumlibet contingit, neque à fortuna „ erit, sed omnia ex necessitate. S. Ansel. legisse hunc Aristotelis librum immo, & caput, patet ex lib. 2. cur Deus homo cap. 17. ubi Aristotelem expresse citat eo in loco ubi agit de propositionibus singularibus, & futuris. *Hæc est illa necessitas inquit, quæ (ubi tractat Arist. de propositionibus singularibus, & futuris) videtur utrumlibet destruere, & omnia esse ex necessitate adstruere.*

10 Sicut Anselmus quodammodo accepisse videtur prædictam arguendi formam ab Aristotele, quamvis in diversa materia, & ad probandum rem valde diversam, ita D. Thomas accepit ab ipso Anselmo, & rationes unde argueret, & solutionem pro firmanda unica veritate æterna. Itaque quæst. de Verit. art. 5. & approbat superiorem Anselmi de Veritate discursum, & ipsius explicationem. Format insuper primum, secundum, tertium, sextum, ac septimum argumentum ex tota hac Anselmi argumentatione, & ex ultima quam postea exponemus. Neque tacet nomen Anselmi, sed ipsum in responsione ad primum, & in corp. art. expressè laudat. Citat *librum de Veritate* (cùm tamen *Dialogus* inscriptus sit hic tractatus) & Monologium; sine dubio in loco, quem nunc exponimus. In 1. vero part. quæst. 16. art. 7. ubi idem quod in supra citato articulo de Veritate inquirit, *utrum* nimirum *veritas creata sit* „ *æterna*, tertium argumentum sic ppoponit: Id quod est verum in præsenti, sem„ per fuit verum esse futurum. Sed sicut veritas propositionis de præsenti est „ veritas creata, ita veritas propositionis de futuro. Ergo aliqua veritas „ creata est æterna. Et respondet. Quód illud quod nunc est, ex eo „ futurum fuit antequam esset, quia in causa sua erat ut fieret. Unde sublata causa non esset futurum illud fieri. Sola autem causa prima est æterna. Unde ex „ hoc non sequitur, quod ea quæ sunt, semper fuerit verum ea esse futura, nisi „ quatenus in causa sempiterna fuit, ut essent futura: quæ quidem causa solus Deus est. Ecce in hac parte quoque S. Ans. Doctrinam, quamvis S. Thom. illum expresse

non

non citet. Hæc responsio Angelic. Præcep. passim allegatur à Thomistis, in constitutionis futuri quæst. præsertim : Sed nescio an unquam D. Ans. cujus originaliter est, debitam laudem rependerint. In promptu tunc non habebant articulum 5. citatum quæst. 1. de Veritate in disputat.

11 Sensus itaque Anselmi, sicut & D. Thom. est, quòd licet per hoc, quòd hoc, vel illud nunc fiat, & esse incipiat, certissime cognoscamus, verum semper fuisse, hoc vel illud esse futurum, causa tamen talis veritatis esse nequivit existentia hujus vel illius, quod in tempore præsenti fit. Tum quia veritas, quæ semper, & ab æterno actu causa esset veritatis illius propositionis de futuro, necesse est ut semper, & ab æterno extiterit ; cùm non entis nullæ sint qualitates : atque adeo non-ens, nullius veritatis causa potest esse : nam res quæ nunc fit, antequam fieret, non erat. Ergo cùm pro tota retro æternitate facta non fuerit, non potuit esse causa prædictæ veritatis. Tum etiam, quia si existentia rei, quæ nunc fit, posset esse causa veritatis ab æterno, posterior absdubio esset effectu suo : veritas enim illius orationis semper, & ab æterno esset, si semper, & ab æterno esset oratio. Impossibile est autem ut effectus sua causa prior, & quidem non tantum tempore sed etiam æternitate, sit : sicut esset illa veritas tota æternitate prior causá suá, si res quæ in tempore fit, vel existentia rei quæ fit in tempore, esset illius veritatis sempiternæ causa. Itaque oratio non est actu vera, nisi ab eo quod res, causa ejus veritatis, actu est vel non est : propositio vero de futuro non est vera de futuro, seu non est futura sua veritas, sed est vera de præsenti : qui enim dicit *Anti-Christvs erit* ; non dicit veritatem hujus propositionis esse futuram ; sed affirmat verum esse nunc, existentiam Anti-Christi aliquando futuram. Itaque existentia Anti-Christi affirmatur tamquam futura : veritas autem ipsius afirmationis tunc jam est, quando Anti-Christus asseritur futurus. Veritas ergo hujus enunciationis *Anti-Christus erit*, si nunc est veritas, nunc quoque causatur. Ergo nunc est ipsius causa. Nunc autem non est Anti-Christus. Ergo existentia Anti-Christi non potest esse illius veritatis causa. Eadem omnino ratio est ut non possit esse causa veritatis hujus propositionis, si semper, & ab æterno fuisset talis propositio. Ergo alia profectò quærenda est causa, quæ semper fuerit, & ab æterno. Hæc autem non est nisi causa prima, id est, Deus. Ergo inevitabiliter concluditur Deum existere, & quidem sine principio, sive semper, & ab æterno per veritatem propositionis de futuro. Pariter concluditur per orationem de præterito, quòd finem numquam sit habiturus, sed semper existet.

12 *Deniqne. Si veritas habuit principium, vel habebit finem, &c.* ¶ Ultima denique ratio Anselmi qua probat Deum, neque principium habuisse, neque finem habiturum, hujusmodi est. Si Deus habuit principium, vel habebit finem, pariter veritas principium habuit, finemque habebit. At impossibile est ut veritas habuerit principium, vel habitura sit finem, Probat hoc. Si veritas incepit esse ; antequam inciperet, verum erat, quia tunc non erat veritas : & postquam finita fuerit, verum erit tunc quòd tunc non est veritas. Sed ex hoc sequitur veritatem neque potuisse habere principium, neque posse finem habere. Ergo veritas est sine principio, & sine fine. Probat minorem. Verum non potest esse aliquid sine veritate. Ergo si antequam esset veritas, semper verum erat quia tunc non erat veritas ; & postquam finierit veritas, verum tunc erit quòd tunc non est veritas ; veritas non potuit habere principium, neque habere finem. Quippe non potuit semper, & ab æterno esse vera hæc propositio, *Veritas non est*, nisi per veritatem æternam, secundum dicta in argumento præcedenti : neque potest esse vera semper hæc propositio, *Veritas posquam desierit esse ; quod tunc non est, sed fuit veritas* nisi per veritatem sempiternam, & sine fine. Ergo cum contradictio sit non esse veritatem, & simul veritatem esse; absolute impossibile est quòd aliquando non fuerit veritas aut aliquando desinat esse veritas. Veritas igitur est æterna sine principio, & fine. Veritas autem æterna sine principio, & sine fine non nisi Deus esse potest. Ergo Deus est æternus sine principio, & sine fine.

13 Hac ratione usus est quoque Aug. lib. 2. Soliloquior. cap. 2. ad probandum immortalitatem animæ rationalis. Sic enim cum sua ptopria ratione aut mente, tamquam si esset alia persona, colloquitur, eo modo quo Anselmus in hoc opere secum solo meditatur. *Videtur ne tibi*, inquit Aug. *Verum aliquid esse posse, ut veritas non sit* ? Et respondet ratio. *Nullo modo.* Aug. *Erit igitur veritas, etiam si Mundus intereat. R. Negare non possum.* A. *Quid si ipsa veritas occidat, nonne verum erit, veritatem occidisse* ? R. *Et illud quis neget* ? *Aug. verum autem non*

potest esse, si veritas non sit. R. *Jam hoc paulo ante concessi.* R. *Nullo modo, igitur occidet veritas.* R. *Perge ut cæpisti. Nam ista collectione nihil est verius.*

14 D. Thom. quoque quæst. de Veritate art. 5. eadem utitur ratione: & in quæst. de mente art. 10. in argumento 3. & 1. part. quæst. supra citata 16. art. 7. argumento 4. Ad quod respondet. *Quod quia intellectus noster non est æternus, nec veritas enuntiabilium, quæ à nobis formantur, est æterna, sed quandoque incepit. Et antequam huiusmodi veritas esset, non erat verum dicere veritatem talem non esse nisi ab intellectu divino, in quo solum veritas est æterna.* Ubi advertas moneo S. Doct. solùm negare veritatem orationum seu propositionum nostrarum esse æternam, veritatem, inquam, formalem, & internam ipsius propositionis, non autem negat sed concedit æternam esse veritatem causalem, seu causam veritatis talis propositionis, casu quo tunc à nobis fieret. Nam concedit veritatem esse ab intellectu divino, in quo solum veritas est æterna: & hoc est quod dicit noster Author veritatem, nimirum, esse æternam, atque adeo existere Deum sine principio, & sine fine, quia quamvis ponatur veritatem incæpisse, & aliquando non esse, semper esset verum veritatem tunc non esse, antequam inciperet esse: & si fingatur veritatem finem aliquando habituram, non poterit non esse tunc verum, fuisse veritatem, & tunc non esse. Cum ergo hæc verificari non possint sine veritate, absdubio sequitur numquam veritatem defeciisse, aut deficere posse. At ex hoc S. Doct. Anſ. non aliud colligere vult, nisi Deum principium aut finem habere non posse; quia veritas, quæ necessario est sine principio, & fine, esse non potest, secundum quod ab essentia rei non distinguitur, nisi essentia ipsius Dei; secundum autem quod formalis veritas dicitur in significando, vel enunciando, non potest esse nisi in intellectu divino, qui ab æterno posset enunciare, veritatem non esse, si veritas posset deficere. Non autem vult D. Anſ. veritatem in nostris orationibus, aut enunciationibus æternam esse, aut non habere principium vel finem; cum supra jam viderimus sentire contrarium: sed tantum quòd si veritate deficiente, casu ficto quòd deficeret, nos aliquid tunc enunciare possemus, dicendo veritatem non esse, verum sine dubio diceremus. Unde colligit etiam quòd, cùm enunciatio vera esse non possit nisi per conformitatem cum aliqua re vera, vel aliqua veritate, quæ regula, mensura, & causa ipsius veritatis enuntiationis sit, sequitur aliam esse veritatem primam, æternam, & indefectibilem, quæ absdubio non est nisi in Deo, & intellectu divino. Hoc autem est quod negat D. Thom. de nostris enunciationibus, & concedit de simplici enunciatione in mente divina. Ergo quamvis sibi Ang. Præcept. in citato argum. 4. rationem ultimam Anselmi objiciat, aut objicere videatur, non diversæ, sed ejusdem est sententiæ: quia argumentum D. Thom. eò respicit, ut probet veritatem aliquam creatam esse æternam, quia veritas enunciationum nostrarum, quæ absdubio creatæ sunt, æterna videtur esse, cùm principio videatur carere, & fine. Responsio autem D. Thom. negat unam veritatem; sed alteram concedit: negat veritatem formalem nostrarum enunciationum carere principio, & fine, concedit vero veritatem enunciationis intellectus divini neque principium, neque finem habere. Non ergo improbat rationem Anselmi ad probandum veritatem Dei esse sine principio, & sine fine, sed potius approbat, & vim atque efficaciam habere, indirecte concedit.

CAPUT XIX.*

*Al. cap. 18.

Quomodo nihil fuit ante aut erit post illam.

SED ecce iterum insurgit nihil, & quæcumque hactenus ratio, veritate, & necessitate concorditer attestantibus, differuit, asserit esse nihil. Si enim ea quæ supra digesta sunt necessariæ veritatis munimine firmata sunt: non fuit aliquid ante summam essentiam, nec erit aliqaid posteam: quare nihil fuit ante eam, & nihil erit post eam. Nam aut aliquid

quid aut nihil neceſſe eſt præcesiſſe, vel ſubsecutum eſſe. Qui autem dicit, quia nihil fuit ante ipsam, & nihil erit poſt ipſam, id pronunciare videtur: quia fuit ante ipsam, quando nihil erat; & erit poſt ipsam, quando nihil erit. Quando ergo nihil erat, illa non erat; & quando nihil erit, illa non erit. Quomodo ergo non incœpit ex nihilo, aut quomodo non deveniet ad nihilum: ſi illa non dum erat, cùm jam erat nihil; & eadem jam non erit, cum adhuc erit nihil? Quid ergo molita eſt tanta moles argumentorum; ſi tam facile demolitur nihilum molimina eorum? Si namque conſtituitur ut ſummum eſſe nihilo, & præcedenti ſuccedat, & ſubsequenti decedat: quicquid ſupra ſtatuit verum, necesse deſtituitur per inane nihilum. An potius repugnandum eſt nihilo, ne tot ſtructuræ neceſſariæ rationis á nihilo expugnentur; & ſummum bonum, quod lucerna veritatis quæſitum, & inventum est, amittatur pro nihilo? Potius igitur aſſeratur, ſi fieri poteſt, quia nihil non fuit ante summum eſſentiam, nec poſt illam; quàm cùm locus datur ante vel poſt illam nihilo, per nihilum reducatur ad nihilum illud eſſe, quod per ſeipſum conduxit id, quod erat nihil, ad eſſe. Duplicem namque una pronunciatio gerit ſententiam; cùm dicitur quia nihil fuit ante ſummam eſſentiam. Unus enim ejus senſus eſt, quia priusquam summa eſſentia eſſet, fuit, cùm erat nihil. Alter vero ejus eſt intellectus, quia ante summam eſſentiam non fuit aliquid, veluti ſi dicam, nihil docuit me volare: aut hoc ſic exponam, quia ipſum nihil, quod ſignificat non aliquid, docuit me volare; & erit falſum; aut quia non me docuit aliquid volare; quod eſt verum. Prior itaque ſenſus eſt, quem ſequitur ſupra tractata inconvenientia, & omnimoda ratione pro falſo repellitur. Alter vero eſt, qui ſuperioribus perfecta cohæret convenientia, & tota illorum contextione verus eſſe compellitur. Quare cùm dicitur quia nihil fuit ante illam, ſecundum poſteriorem intellectum accipiendum eſt; nec ſic eſt exponendum, ut intelligatur aliquando fuiſſe, quando illa non erat, & nihil erat; ſed ita ut intelligatur quia ante illam non fuit aliquid. Eadem ratio eſt duplicis intellectus, ſi nihil dicatur poſt illam eſſe futurum. Si ergo hæc interpretatio, quæ facta eſt de nihilo, diligenter discernitur, veriſsime nec aliquid nec nihil ſummam eſſentiam aut præcesiſſe, aut ſubſecuturum eſſe, & nihil fuiſſe ante vel poſt illam eſſe ſecuturum concluditur, & tamen nulla jam conſtitutorum ſoliditas nihili inanitate concutitur.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XIX.

Sed ecce iterum inſurgit nihil, &c. ¶

1 Objicit sibi Anselmus in hoc cap. quandam difficultatem, quæ licet puerilis appareat, non ita facilis eſt pueris, aut tyronibus explicatu. Præterquam quod, ut non semel ad memoriam jam reduximus, ipſe S. Doct. in sua præfatione monuit, hanc fuiſſe voluntatem eorum, qui suis petitionibus ad scribendum illum impulerunt, ut scilicet neque pene fatuis objectionibus respondere grave sibi foret, aut calamo temperaret, illas omittendo. Sed certe non ita superflua, & contemptibilis eſt, ut apparet, hæc objectio, Nam Ariani apud D. Hilarium de Trinit. lib. 6. num. 14. Secundum editionem Congregationis S. Mauri, ut Dei Filium ex nihilo extitiſſe probarent, hujuscemodi arguebant: Filius Dei aut erat, antequam nasceretur, aut non

non erat : si erat , nasci non potuit cum ad hoc nascatur ut sit : Si vero non erat, ergo ex nihilo extitit ; & erat , (id est tempus , vel aliquod momentum) quando non erat.

2 Simili modo Anselmus quasi aliam agendo personam , contra semetipsum arguit. Aut ante summam essentiam fuit nihil , aut fuit aliquid : & similiter , aut erit aliquid post summam essentiam , aut erit nihil. Sed sive unum sive alterum dicatur , non semper fuit summa essentia , vel sine principio ; cum ante ipsam fuerit, aut aliquid , aut nihil ; neque erit semper , & sine fine , quia post ipsam , aut nihil, aut aliquid erit. Non ergo videtur esse sine principio , & sine fine. Hæc objectio S. Doct. usque ad illa verba durat : *An potius repugnandum est nihilo , &c.* In quibus aliam jam agendo personam vel respondendo objectioni , negat aliquid valere argumentum , & dicit meram fallaciam esse. Fallaciam detegit ab his verbis : *Duplicem namque una pronunciatio gerit sententiam , &c.* Ita dilucide S. Doctor sensum discernit , ut fere nullum opus sit majori luce.

3 Nihilominus in summa dicam quod ipse magis extense. Nempe distinctio est quòd in sensu affirmativo utraque pars disjunctivæ propositiouis falsa est : in negativo autem , utraque vera. In forma sic distingue : Aut fuit ante summam essentiam nihil , aut aliquid , id est , non fuit aliquid , concede : Ante summam essentiam fuit nihil , aut aliquid ; hoc extremum nega. Primus sensus verus est , quia vere negat ante summam essentiam fuisse , aut nihil , aut aliquid : Verum est enim , neque nihil , neque aliquid fuisse ante illam : unde confirmatur per hunc sensum summam essentiam carere principio. Alius sensus , cùm sit affirmativus , falsissimus est : affirmat enim fuisse ante summam essentiam unum è duobus , nihil scilicet , aut aliquid: & inde sequeretur summam essentiam aliquando incæpisse. Itaque propositio in sensu affirmativo contradictoria non est , cum non sit affirmatio , & negatio , sed est solum affirmatio prædicati possitivi , & negativi , quamvis non simul , sed disjunctive : unde potest esse , & est affirmatio falsa , tam unius quàm alterius prædicati. In alio vero sensu , nimirum , ante summam essentiam , aut fuit nihil , aut non fuit aliquid , contradictio est : sed propterea illam disjunctive concedimus , id est , concedimus unum ex extremis verum esse , illud nempe quod dicit : ante summam essentiam non fuisse aliquid ; quia hoc verissimum est. Eodem omnino modo distinguenda , & explicanda est alia dilemmatis pars , quæ probare intendit , summam essentiam , vel Deum sine non carere , aut finem aliquando habiturum.

* Al. cap. 19.

CAPUT XX. *

Quòd illa sit in omni loco , & tempore.

QUamquam autem supra concluſum ſit , quia creatrix hæc natura ubique , & in omnibus, & per omnia ſit : & ex eo quia nec incœpit , nec deſinet eſſe , conſequatur quia ſemper fuit , & eſt, & erit : ſentio tamen quiddam contradictionis ſubmurmurare ; quod me cogit diligentius , ubi & quando illa ſit , indagare. Itaque ſumma eſſentia , aut ubique , & ſemper eſt , aut tantum alicubi , & aliquando , aut nusquam , & nunquam : quod dico , aut in omni loco , & tempore, aut determinate in aliquo , vel in nullo. Sed quid videtur repugnantius, quàm ut quod veriſsimè , & ſumme eſt , id nusquam , & nunquam ſit? Falſum eſt igitur nuſquam vel nunquam illam eſſe. Deinde , quoniam nullum bonum , nec penitus aliquid eſt ſine ea : ſi ipſa nusquam vel nunquam eſt , nusquam vel nunquam aliquod bonum eſt , & nusquam vel nunquam omnino aliquid eſt. Quod quàm falſum ſit , nec dicere opus eſt : Falſum igitur eſt , & illud , quòd illa nusquam aut nunquam ſit. Aut

eſt

eſt ergo determinate alicubi , & aliquando ; aut ubique & ſemper. At ſi determinate eſt in aliquo loco vel tempore : ibi & tunc tantum , ubi & quando ipſa eſt , poteſt aliquid eſſe. Ubi vero , & quando ipſa non eſt , ibi & tunc penitus nulla eſt eſſentia ; quia ſine ea nihil eſt : Unde conſequetur , ut ſit aliquis locus , & aliquod tempus , ubi , & quando omnino nihil eſt. Quod quoniam eſt falſum ; ipſe namque locus , & tempus ipſum aliquid eſt ; non poteſt eſſe ſumma natura alicubi vel aliquando determinate. Quod ſi dicitur quòd determinate ipſa per ſe alicubi , & aliquando eſt , ſed per potentiam ſuam eſt ubicunque vel quandocunque aliquid eſt ; non eſt verum : quoniam enim potentiam ejus nihil aliud, quàm ipſam eſſe manifeſtum eſt ; nullo modo potentia ejus ſine ipſa eſt. Cùm ergo non ſit alicubi , vel aliquando determinate ; neceſſe eſt ut ſit ubique , & ſemper , id eſt , in omni loco , & tempore.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XX.

Quamquam autem ſupra concluſum ſit , &c.

1 Author in hoc cap. & duobus ſequentibus agit ſimul de immenſitate, & æternitate ſummæ naturæ , vel Dei , varias ſibi objiciendo difficultates. Itaque memoriâ retinendum eſt , quæſtiones Authorem versare in utramque partem : *quod genus diſputandi* , ut recte monent Editores Monachi Benedictini operum S. Aug. in præfatione ad librum de diverſis quæſtionibus ad Simplicianum , *lectorem ſagacem poſtulat , vigilemque.* Supponit Anſ. in hoc cap. conſtare ſatis ex præcedentibus ſummam naturam ubique eſſe , & in omnibus , & per omnia , atque æternam ita eſſe ut nec incæperit , nec deſitura ſit : ex quo ſequitur indubie quòd , & fuerit ſemper , & eſt , & erit. Agnoscit tamen multas , nec parvi momenti , ſupereſſe contra utrumque difficultates , quæ nonnulla indigeant explicatione.

2 Igitur in cap. hoc perſuadere intendit , ſummam naturam in omni loco eſſe ac tempore : cujus contrarium probare nititur in ſequenti. Prima ratio ad ſuadendum primum , ab his verbis incipit : *itaque ſumma eſſentia , aut ubique , & ſemper eſt , aut tantum alicubi , & aliquando , &c.* Et concludit ibi : *falſum eſt igitur nusquam , vel numquam illam eſſe.* Secunda ratio ibi : *Deinde quoniam nullum bonum.* Et concludit idem quod prima ex inconvenienti maximo , quòd niſi ita eſſet, cum jam in cap. 14. probatum ſit , res cunctas eatenus eſſe , quatenus ſumma natura vel Deus in omnibus eſt , dando eis totum eſſe per ſuam operationem , nusquam , & numquam , ſive in nullo loco ac tempore aliquid eſſet.

3 Tertia ratio ibi : *aut eſt ergo determinate alicubi , &c.* Tribus modis dici poſſe propoſuerat in prima ratione ſummam naturam eſſe relate ad extra : aut in omni loco , & tempore , aut in aliquo duntaxat , aut in nullo. Hoc ultimum falſum eſſe hucusque probavit : 2. id eſt , in aliquo tantum eſſe , hinc probare incipit falſum pariter eſſe. Probat per idem principium , per quod aliud jam probavit. Nempe , absque præſentia hujus ſummæ naturæ per ſuam intimam operationem , omnino nihil eſt. Si ergo non eſt niſi in uno determinate loco , non niſi in eo aliquid eſt : reliqua vero loca erunt omnino vacua , quandiu eſſentia divina in aliquo loco exiſtat duntaxat: in hoc enim tantum operabitur.

4 Præterea. Repugnat quòd ſit ſumma eſſentia , & ſimul non ſit in aliquo tantum loco. At eſſet , & ſimul non eſſet , ſi quando eſt in uno loco , in alijs non eſſet. Hanc probat minorem. Repugnat quòd ſint alia loca absque præſentia eſſentiæ ſummæ. Ergo ſi eſſent alia loca , & in illis non eſſet ſumma eſſentia , quandiu eſſet in aliquo determinate loco ; eſſet ſimul , & non eſſet in uno loco tantum. Probat antecedens. Ipſa loca aliquid ſunt. Sed probatum manet ſummam eſſentiam per

ſuam operationem agere, & producere quidquid creaturæ aliquomodo eſt; atque inſuper eandem exiſtere ubi operatur. Repugnant igitur aliqua loca absque præſentia ſummæ eſſentiæ. Eadem omnino ratio eſt de temporibus: eò quod etiam ipſa tempora aliquid ſunt.

5 *Quod ſi dicitur quod determinate ipsa per se alicubi, & aliquando est, sed per potentiam suam, &c.* ¶ Oculatiſsimus Author vidit quia ſibi poterat forſam responderi, ſufficere eſſentiam divinam eſſe in uno loco per præſentiam, & inde ſuam virtutem ad reliqua extendere. Quemadmodum Rex cùm in Regia tantum inhabitet, in omni tamen Regno ſuo eſt per ſuam poteſtatem, & dominationem. Verùm huic responſioni facile occurrit Anſelmus ex capp. 16. & 17. in quibus demonſtratum eſt, potentiam, ſeu quodcumque aliud attributum in ſumma eſſentia, non accidens, aut quid diſtinctum ab ipſa eſſe, ſed ipsam ſubſtantiam ſupremam, & omnimodam ſimplicitatem. Non ergo poteſt eſſe ſupremæ eſſentiæ potentia, ubi non ſit æque proxime ſubſtantia ejus. Confert etiam cap. 4. lib. de Fide Trinitatis, ſeu Epiſt. de Incarnat. Verbi.

6 *Cum ergo non ſit alicubi, vel aliquando determinate, &c.* ¶ Secundum legitimam dialecticæ regulam, conſequentiam colligit Author ultimam: à negatione ſcilicet cæterarum partium disjunctivæ propoſitionis ad affirmationem unius tantum quæ ſupereſt. Dixerat in principio: ſumma eſſentia aut in nullo eſt tempore, & loco, aut in aliquo determinatè; aut in omni. Conſtat ex probationibus falsum eſſe, quòd in nullo, aut in aliquo tantum determinate, ſive tempore ſeu loco, ſit. Reliquum eſt ergo quòd in omni ſit, tam tempore quàm loco.

---

*Al. cap. 20.

CAPUT XXI.*

Quòd in nullo ſit loco aut tempore.

QUòd ſi ita eſt, aut tota eſt in omni loco vel tempore; aut tantum quælibet pars ejus; ut altera pars ſit extra omnem locum, & tempus. Si vero partim eſt, & partim non eſt in omni loco vel tempore, partes habet: quod falſum eſt. Non igitur partim eſt ubique, & ſemper. Tota autem quomodo eſt ubique, & ſemper? Aut enim ſic eſt intelligendum, ut tota ſimul ſit in omnibus locis vel temporibus, & per partes in ſingulis: aut ſic, ut tota ſit etiam in ſingulis. Verum ſi per partes eſt in ſingulis; non effugit partium compoſitionem, & diviſionem: quod valde alienum à ſumma natura inventum eſt. Quapropter non eſt ita tota in omnibus locis, & temporibus, ut per partes ſit in ſingulis. Reſtat altera pars discutienda, ſcilicet, qualiter ſumma natura ſit tota in omnibus, & ſingulis locis, & temporibus. Hoc nimirum eſſe non poteſt, niſi aut ſimul aut diverſis temporibus. Sed quoniam ratio loci, aut ratio temporis, quas hactenus ſimul progreſſas eiſdem veſtigiis una potuit indagare proſecutio, hic ab invicem digredientes disputationem videntur diverſis quaſi fugere anfractibus, ſingillatim ſuis inveſtigentur diſcuſsionibus. Primum ergo videatur, ſi ſumma natura tota poſsit eſſe in ſingulis locis, aut ſimul aut per diverſa tempora. Deinde idipſum in temporibus inquiratur. Si igitur tota eſt ſimul in ſingulis locis, per ſingula loca ſunt ſingulæ totæ. Sicut enim locus à loco diſtinguitur, ut ſingula loca ſint: ita id, quod totum eſt in uno loco, ab eo quod eodem tempore totum eſt in alio loco diſtinguitur, ut ſingula tota ſint. Nam quod totum eſt in aliquo loco, nihil ejus eſt quòd non ſit in ipſo loco. At de quo nihil eſt, quod non ſit in aliquo loco, nihil eſt de eo, quod ſit eodem tempore extra eundem locum. Quod igitur totum eſt

in

in aliquo loco, nihil eſt ejus, quod eodem tempore ſit extra ipſum locum. Sed de quo nihil eſt extra quemlibet locum, nihil ejus eſt eodem tempore in alio loco. Quare quod totum eſt in quolibet loco, nihil ejus eſt ſimul in alio loco. Quod igitur totum eſt in aliquo loco, quomodo totum quoque ſimul eſt in alio loco; ſi nihil de eo poteſt eſſe in alio loco? Quoniam igitur unum totum non poteſt eſſe ſimul in diverſis locis totum: conſequitur ut per ſingula loca, ſingula ſint tota, ſi in ſingulis locis ſimul aliquid eſt totum. Quapropter ſi ſumma natura tota eſt uno tempore in ſingulis omnibus locis; quot ſingula loca eſſe poſſunt; tot ſingulæ ſunt naturæ ſummæ: quod irrationale eſt opinari. Non eſt igitur tota uno tempore in ſingulis locis. At verò ſi diverſis temporibus tota eſt in ſingulis locis; quando eſt in uno loco, nullum bonum, & nulla eſſentia eſt interim in aliis locis: quia ſine ea prorſus aliquid non exiſtit. Quod abſurdum eſſe vel ipſa loca probant quæ non nihil, ſed aliquid ſunt. Non eſt itaque ſumma natura tota in ſingulis locis, diverſis temporibus. Quod ſi nec eodem tempore nec diverſis temporibus tota eſt in ſingulis locis; liquet quia nullo modo eſt tota in ſingulis omnibus locis. Nunc igitur eſt indagandum, ſi eadem ſumma natura ſit tota in ſingulis temporibus, aut ſimul aut diſtincte per ſingula tempora. * Sed quomodo eſt aliquid totum ſimul in ſingulis temporibus, ſi ipſa tempora ſimul non ſunt? Si vero ſeparatim, & diſtinctè tota eſt in ſingulis temporibus, quemadmodum aliquis homo totus eſt heri, & hodie, & cras; proprie dicitur quia fuit, & eſt, & erit. Ergo ejus ætas, quæ nihil aliud eſt, quàm ejus æternitas, non eſt tota ſimul; ſed eſt partibus extenſa per temporum partes. At ejus æternitas nihil aliud eſt, quàm ipſa. Summa igitur eſſentia erit diviſa per partes, ſecundum temporum diſtinctiones. Si enim ejus ætas per temporum curſus producitur; habet cum ipſis temporibus præſens, præteritum, & futurum. Quid autem aliud eſt ejus ætas, vel exiſtendi diuturnitas, quàm ejus æternitas? Ergo cùm ejus æternitas nihil aliud ſit, quàm ejus eſſentia; ſicut ſupra digeſta ratio indubitabiliter probat: ſi ejus æternitas habet præteritum, præſens, & futurum; conſequenter quoque ejus eſſentia habet præteritum, præſens, & futurum. At quod præteritum eſt, non eſt præſens vel futurum: & quod præſens eſt, non eſt præteritum, nec futurum: & quod futurum eſt, non eſt præteritum vel præſens. Quomodo ergo ſtabit quod ſupra rationabili, & perſpicua neceſsitate claruit, ſcilicet, quia illa ſumma natura nullo modo eſt compoſita, ſed ſummè ſimplex, & ſummè incommutabilis; ſi aliud, & aliud eſt in diverſis temporibus, & per tempora diſtributas habet partes: aut potius, ſi illa vera ſunt; imo quia liquido vera ſunt; quomodo hæc poſsibilia ſunt? Nullo igitur modo creatrix eſſentia, aut ætas, aut æternitas ejus recipit præteritum vel futurum. Præſens enim quomodo non habet, ſi vere eſt? ſed fuit, ſignificat præteritum; &, erit, futurum. Nunquam igitur illa fuit, vel erit: quare non eſt diſtincte, ſicut nec ſimul tota in diverſis ſingulis temporibus. Si igitur, ſicut diſcuſſum eſt, nec ſic eſt tota in omnibus locis vel temporibus, ut ſimul ſit tota in omnibus, & per partes in ſingulis; nec ſic, ut tota ſit in ſingulis: manifeſtum eſt quia non eſt ullo modo in omni loco vel tempore tota. Et quoniam ſimiliter perviſum eſt, quia nec ſic eſt in omni loco vel tempore; ut pars ſit in omni, & pars ſit extra omnem locum vel tempus; impoſsibile eſt, ut ſit ubique, & ſemper. Nullatenus enim poteſt intelligi eſſe ubique, & ſemper; niſi aut tota aut pars. Quòd ſi nequaquam

* Al. cap. 21.

eſt

eſt ubique, & ſemper ; aut erit determinate in aliquo loco vel tempore; aut in nullo : determinatè autem eam in aliquo non poſſe eſſe , jam diſcuſſum eſt. In nullo igitur loco vel tempore , id eſt , nusquam , & nunquam eſt. Non enim poteſt eſſe , niſi aut in omni aut in aliquo. Sed rurſus cùm conſtet inexpugnabiliter non ſolum quia eſt per ſe, & ſine principio , & ſine fine ; ſed quia aliquid ſine ea nec usquam nec unquam eſt: neceſſe eſt illam eſſe ubique , & ſemper.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XXI.

Quod ſi ita eſt , &c. ¶

1 Arguit Author in hoc cap. pro parte contraria. Unde patenter colligitur , adhuc non deffiniſſe in antecedenti quid ultimo ſentiat , aut qua ratione , quove ſenſu id concluſerit , quod ibi concluſit : sed resolutionem suspensam ſibi reservat quousque argumentis ſuis in utramque partem se vertat. Qui modus agendi fere conſimilis eſt ei quem in *disputatis* D. Thom. observat. Itaque in hoc cap. argumenta proponit, quæ probare videntur ſummam naturam , ſeu Deum in omni loco , & tempore ſimul eſſe non poſſe. Et primo quidem probat non poſſe per partes eſſe , eò quòd ipſius , ut jam in cap. 17. concluſum eſt , nullæ ſint partes. Ergo cum vel tota vel per partes possit tantummodo eſſe in omni loco vel tempore , reſtat , ut ſi eſt , tota ipsa ſit. Verum quòd neque tota ſimul exiſtere queat in omnibus locis , vel temporibus probat, majoris perspicuitatis ergo , cum diſtinctione , id eſt , primo probando de locis , poſtea de temporibus.

2 *Primum ergo videatur ſi ſumma natura tota poſsit eſſe in ſingulis locis , &c.* ¶ Hanc partem primam in alias duas ſubdividit Author. Nam poteſt natura ſuprema , vel conſiderari exiſtere in omnibus ſimul , quemadmodum ſol multos ſimul illuminat homines ; vel poteſt conſiderari quòd non ſimul , sed succeſsive exiſtat in omnibus locis , veluti etiam ſol successive , aut in diverſis temporibus , universum orbem illuſtrat. Unde primo impoſsibilitatem Anselmus probat exiſtendi ſimul : deinde, quòd exiſtat , adhuc successive. Primum ex quadam contradictione , quæ sequi videtur , ſic probat. Si tota natura divina ſimul eſſet in omnibus locis , ſequeretur eſſe & non eſſe tota in quolibet loco. Ergo non eſt ſimul. Probat antecedens. Nam imprimis eſſet ; quia ita ſupponitur. Aliunde non eſſet. Probat minorem. Si tota eſt in uno loco , nihil eſt ejus in altero loco. Ergo ſi eſſet in uno , non eſſet in altero. Probat antecedens. Si tota eſt in uno loco , nihil ejus eſt quod non ſit in eo loco. Si autem ſimul eſt in altero, aliquid ejus eſt quod non ſit in illo primo loco. Ergo tota eſt in eo , & non eſt tota. Probat minorem. Alter locus non eſt ille primus locus , ſed diſtinctus. Ergo ſi in hoc , & in illo ſimul eſt natura ſuprema , aliquid ejus eſt quod non ſit in uno ; quia in altero ſimul eſt , qui non eſt ille , sed locus diſtinctus. Ergo non eſt tota in uno loco ; cum aliquid ſit ejus quod intra eum locum non ſit. Si ergo nihilominus eſſe ibi tota supponitur ; erit tota , & ſimul non erit tota in eodem loco. Quod eſt aperta contradictio.

3 En argumentum , quo Heterodoxi Sacramentarij obſtinati nitentes , realem corporis Domini in Euchariſtia præsentiam inficiantur. Sed quàm inepte , ex eo patet , quòd contradictio æque repugnet reali , & ſubſtantiali presentiæ naturæ divinæ; ſi hæc eſt vera contradictio , quam arguunt , & non potius apparens , & fallax , veluti ipsam Anselmus extimavit. Ergo ex terminis eſſe aliquid totum hic , & ſimul ibi totum , nullam veram includit , neque præsefert contradictionem. Immeritò etiam propter hoc argumentum quis pro se Anselmum ſtare putet in sententia , qua fert unum corpus ſimul eſſe non posse , inspecta quacumque Dei potentia , in duobus totum , aut pluribus locis. Immeritò , inquam ; cùm Parens Anselmus , præter quam quod non dumtaxat de corpore , sed de quocumque toto ſpirituali , & etiam ſimplici , atque adeo

adeo improprie toto, argumentationem instituit, non agit in hac occasione docentis personam, neque definientis vel asserentis, sed contra se ipsum objicientis. Unde solum proponit scholasticè repugnantiam quæ infirmæ cuique rationi, mentive occurrit.

4 Itaque cùm ratio debilis ac parum instructa comprehendere non possit, quo pacto tota natura suprema simul tota sit in pluribus locis, convertit se, si forsàm asseri queat, tot esse summas naturas, quot loca sunt, in quibus sit. Ast hoc, cùm propter dicta, tum ex se, illico apparet, & quidem clarissime, penitus irrationale. Deinde, cùm neque in hoc pedem figere queat, cogitat, utrum assentire possit, quòd tota sit summa natura successive, sive in diversis temporibus, per omnia loca; quæ altera est pars hujus subdivisionis ab Authore discutienda. Sed neque hoc ratio invenit esse possibile. Eò quòd, ut inquit Anselmus, secundum dicta in cap. antecedenti, ubi summa natura non est, nihil penitus est. Ergo si non simul, sed diversis temporibus est divina natura in omnibus locis, non est nisi unica res, nec nisi unus locus uno tempore. Quod falsissimum est. Itaque ex omnibus colligit arguendo, quòd si nec simul, nec successive potest summa esse natura in omnibus locis, nullo modo videtur esse posse in cunctis locis. Sed memento, adhuc agere Authorem objicientis personam, non definientis.

5 *Nunc igitur indagandum, si eadem summa natura sit tota in singulis temporibus &c.* Hucusque Author objiciendo adversus immensitatem pugnavit. Hinc arguere incipit contra alteram partem, quæ æternitati respondet: Quòd, nimirum, nequeat esse summa substantia, neque simul, neque successive in cunctis temporibus. Ad probandum simul esse non posse, objicit id quod objiciunt nostris temporibus Authores negantes præsentiam physicam futurorum ab æterno in æternitate, vel antequam in propria natura sint. *Sed quomodo* (objicit Anselmus, & hi Authores cum eo, atque adeo contra eum) *est aliquod totum simul in singulis temporibus, si ipsa tempora simul non sunt?* Quod æquivalenter idem est ac si objiciatur, hoc non apparere posse.

6 *Si vero separatim, & distincte tota est in singulis temporibus, quemadmodum aliquis homo totus est heri & hodie, & cras &c.* Ab hinc arguit contra aliam: & argumenta ejus valde perspicue, maximaque cum conexione proposita sunt. Quare nulla, etiam tardis mentibus, opus habent explicatione. Colligitur tamen ex capite sequenti Authorem huic ultimæ rationi assentiri. Neque poterat non judicare, in ætate aut æternitate Dei nullum esse futurum, vel præteritum. Quòd vero hoc sequeretur, si summa natura Dei, si Deus non esset simul, sed successive in omnibus temporibus, est vera Authoris sententia. Itaque haberi potest instar argumenti; *sed contra est*, quod in Div. Thoma frequentissime est ipsa ipsius mens atque sententia.

7 *Si igitur, sicut discussum est, nec sic est tota in omnibus locis vel temporibus &c.* Hinc Author resumit omnes conclusiones in hoc capite à principio deductas per varias rationes, & argumenta: & ex omnibus demum colligit, adhuc personam gerens objicientis, aut investigantis, quòd in nullo tempore summa essentia sit vel loco, id est, nusquam, & numquam.

8 *Sed rursus cum constet inexpugnabiliter non solum, quia est per se &c.* Quamvis illud, quod proxime diximus, Author collegerit in hoc capite, nihilominus ad memoriam iterum reducit alteram oppositam consequentiam in capite antecedenti omni certudine deductam, videlicet esse necesse ut summa natura sit ubique, & semper. Quod utrumque quo modo inter se cohereat, verumque sit, explicat in capite sequenti.

CAPUT XXII.

Quomodo sit in omni, & in nullo loco, & tempore.

QUomodo ergo convenient hæc tam contraria secundum prolationem, & tam necessaria secundum probationem? Fortasse quodam modo est summa natura in loco vel tempore, quo non prohibetur sic esse simul tota in singulis locis vel temporibus; ut tamen non sint plures

totæ, ſed una ſola tota; nec ejus ætas, quæ non eſt, niſi vera æternitas, non ſit diſtributa in præteritum, præſens, & futurum. Non enim videtur hac lege loci ac temporis cogi, niſi ea quæ ſic ſunt in loco vel tempore, ut loci ſpatium vel temporis diuturnitatem non excedant. Quare, ſicut de his quæ hujusmodi ſunt, unum idemque totum ſimul non poſſe eſſe totum in diverſis locis vel temporibus omni veritate aſſeritur: ita in his quæ hujusmodi non ſunt, idipſum nulla neceſsitate concluditur. Jure namque dici videtur, quod tantùm ejus rei ſit aliquis locus, cujus quantitatem locus circunſcribendo continet, & continendo circunſcribit; & quod ejus rei ſolùm ſit aliquod tempus cujus diuturnitatem tempus metiendo aliquo modo terminat, & terminando metitur. Quapropter cujus amplitudini, aut diuturnitati, nulla meta vel à loco vel à tempore opponitur; illi nullum eſſe locum vel tempus vere proponitur. Quoniam namque nec locus illi facit, quod locus; nec tempus, quod tempus: non irrationabiliter dicitur, quia nullus eſt ejus locus, & nullum tempus eſt ejus tempus. Quod vero nullum locum aut tempus habere conſpicitur, id profecto nullatenus loci aut temporis legem ſubire convincitur. Nulla igitur lex loci aut temporis naturam ullam aliquomodo cogit, quam nullus locus aut tempus aliqua continentia claudit. Quænam autem rationalis conſideratio omnimoda ratione non concludat, ut creatricem, ſummamque omnium ſubſtantiam, quam neceſſe eſt alienam eſſe, & liberam à natura, & jure omnium, quæ ipſa fecit de nihilo, nulla loci cohibitio vel temporis includat; cum potius ejus potentia, quæ non eſt aliud, quàm ejus eſſentia, cuncta à ſe facta ſub ſe continendo concludat? Quomodo quoque non eſt impudentis imprudentiæ dicere, quòd ſummæ veritatis aut locus circunſcribat quantitatem, aut tempus metiatur diuturnitatem, quæ nullam penitus localis vel temporalis diſtenſionis magnitudinem ſuſcipit vel parvitatem? Quoniam itaque loci hæc eſt vel temporis conditio, ut tantummodo quicquid eorum metis clauditur, nec partium fugiat rationem, vel qualem ſuſcipit locus ejus ſecundum quantitatem, vel qualem patitur tempus ejus ſecundum diuturnitatem; nec ullo modo poſsit totum à diverſis locis vel temporibus ſimul contineri: quicquid vero loci vel temporis continentia nequaquam coercetur, nulla locorum vel temporum lege ad partium multiplicitatem cogatur; aut præſens eſſe totum ſimul pluribus locis aut temporibus prohibeatur: quoniam, inquam, hæc eſt conditio loci aut temporis, proculdubio ſumma ſubstantia, quæ nulla loci vel temporis continentia cingitur, nulla eorum lege conſtringitur. Quare quoniam ſummam eſſentiam totam, & inevitabilis neceſsitas exigit nulli loco vel tempori deeſſe, & nulla ratio loci aut temporis prohibet omni loco vel tempori ſimul totam adeſſe: neceſſe eſt eam ſimul totam omnibus, & ſingulis locis, & temporibus præſentem eſſe. Non enim quia huic loco vel tempori præſens eſt, idcirco prohibetur illi, vel illi loco aut tempori ſimul, & ſimiliter præſens eſſe: nec quoniam fuit aut eſt aut erit; ideo æternitatis ejus aliquid evanuit à præſenti tempore cum præterito quod jam non eſt; aut tranſit cum præſenti, quod vix eſt; aut venturum eſt cum futuro quod nondum eſt. Nullatenus namque cogitur vel prohibetur lege locorum vel temporum alicubi aut aliquando eſſe vel non eſſe, quod nullo modo intra locum vel tempus claudit ſuum eſſe. Nam ſi ipſa ſumma eſſentia dicitur eſſe in loco aut tempore; quanvis de illa, & de localibus ſive temporalibus naturis una ſit prolatio, propter loquendi conſuetudinem; diverſus tamen eſt

intellectus, propter rerum diſsimilitudinem. In illis namque duo quædam eadem prolatio ſignificat, id eſt, quia præſentia ſunt locis, & temporibus, in quibus eſſe dicuntur; & quia continentur ab ipſis. In ſumma vero eſſentia unum tantum percipitur, id eſt, quia præſens eſt; non etiam quia continetur. Unde, ſi uſus loquendi admitteret, convenientius dici videretur eſſe cum loco vel tempore, quàm in loco vel tempore. Verius enim ſignificatur contineri aliquid, cùm dicitur eſſe in alio; quàm cùm dicitur eſſe cum alio. In nullo itaque loco vel tempore proprie dicitur eſſe, quia omnino à nullo alio continetur: & tamen in omni loco vel tempore ſuo quodam modo dici poteſt eſſe; quoniam quicquid aliud eſt, ne in nihilum cadat, ab ea præſente ſuſtinetur: in omni loco, & tempore eſt, quia nulli abeſt; & in nullo eſt, quia nullum locum aut tempus habet, nec in ſe recipit diſtinctiones locorum aut temporum: nec hic vel illic, vel alicubi vel tunc, vel nunc vel aliquando: nec ſecundum labile præſens tempus, quo utimur, eſt; aut ſecundum præteritum vel futurum, fuit vel erit: quoniam hæc circunſcriptorum, & mutabilium propria ſunt; quod illa non eſt. Et tamen hæc de ea quodammodo dici poſſunt; quoniam ſic eſt præſens omnibus circunſcriptis, & mutabilibus; ac ſi illa circunscribatur eisdem locis, & mutetur temporibus. Patet itaque quantum ſatis eſt ad diſſolvendum, quæ inſonabat, contrarietatem; qualiter ſumma omnium eſſentia ubique, & ſemper, & nusquam, & nunquam, id eſt, in omni, & in nullo loco, aut tempore ſit; juxta diverſorum intellectuum concordem veritatem.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XXII.

Quomodo ergo conveniant hæc tam contraria ſecundum prolationem, & tam neceſſaria ſecundum probationem?

1 Hic jam aperit ſuam mentem Noſter Author, ſuam jam ſtatuit ſententiam; Respondetque argumentis in antecedenti capite ſibi à se ipso objectis. Non inficiatur argumenta, in debito ſensu intellecta, ſuam vim obtinere. Itaque utrumque concedit eſſe veritate fulcitum; nimirum, & quòd in omni loco & tempore ſumma ſubſtantia ſit, & quòd in nullo, ſeu loco, seu tempore. Utrumque, dico, ſub diſtinctione verum judicat: atque proinde in ſensu quodam utrumque falsum. Falſum in ſenſu rigido, atque vulgari loquendi: verum autem, in sensu magis libero, subtiliori, ac ſublimiori. Falsum; ſi eſſe in omni loco, vel tempore, incluſionem, continentiam, circunscriptionem, coartationem ſignificet: Verum; ſi in imam omnibus, proximamque summæ eſſentiæ præſentiam, seu rebus, seu locis, ſeu temporibus, indicet, qua cuncta conservat, continet, circundat, comprehendit, ſuſtinet, ſupportat. Hic autem omnia ſatis diſtincta, immo valde perspicua habes incipiendo ab illis verbis: *Nam ſi ipsa ſumma eſſentia dicitur eſſe in loco ac tempore; quamvis de illa & de localibus sive temporalibus naturis una sit prolatio, propter loquendi consuetudinem &c. usque ad finem capitis.* Quæ cuncta sunt pulchra, sunt opportuna.

2 N. Bern. 5. de Conſid. cap. 6. in compendium totam hanc sui dilecti Fratris Anselmi doctrinam coartavit, atque pulcherrime delineavit. *Quæris*, inquit, *de Deo, ubi non ſit? Ne hoc quidem dixerim. Quis ſine Deo locus? Incomprehenſibilis est Deus: sed non parum apprehendisti; ſi hoc tibi de eo compertum est, quòd nusquam ſit, qui non clauditur loco, & nusquam non ſit, qui non excluditur loco. Suo autem illo ſublimi atque incomprehenſibili modo, ſicut omnia in ipso, sic ipse in omnibus est.* Hucusque Melifluus.

For-

3 *Fortasse quodam modo est summa natura in loco & tempore &c.* Ab his ergo verbis incipit Anſelmus respondere ad argumenta in contrarium. Summa reſponſionis eſt: quòd argumenta de impoſsibilitate exiſtendi unum, & idem totum in diverſis ſimul locis vel temporibus, vim duntaxat, & veritatem habeant in iis, quæ juri loci, vel temporis subdita à natura ſunt: in his, nimirum, quorum *quantitatem locus circunscribendo continet, & continendo circunscribit; & quorum diuturnitatem tempus metiendo aliquo modo terminat, & terminando metitur.* Hujusmodi sunt corpora; quæ ut ipse quoque Author in cap. 13. Proslog. ait, omnino ſunt circunſcrtpta. Alia vero creata, ceu ſpiritus Angelici, ceu anima rationalis, partim circunscripta, ut ibidem ait, partim incircunscripta ſunt. Propterea addit hic forsam, quòd tempus ejus rei tantummodo ſit, cujus diùturnitatem tempus metiendo aliquo modo terminat, & terminando metitur: propterea, inquam, addit fortassis hæc verba, *aliquo modo*, quia subſtantia animæ rationalis, vel ſpirituum, per se neque tranſit cum tempore, neque aliquid ſubſtantiæ cum futuro tempore ipſi advenit; sed quia, ut inquit Aug. creatura spiritualis movetur per tempus, ideo ipſius motus, & operatio tempore terminantur, & ad præsens coercentur: unde fit, ut ratione motus animi, & operationis intellectus, & voluntatis, mensuram etiam, & terminum à tempore accipiat ipsa ſubſtantia spiritum creatorum, rationalisque animæ. Aut etiam addidit illa verba, quia quælibet ſubſtantia tranſit cum tempore, uno ex his duobus, vel tribus modis; vel transmutationem patiendo ſubſtantialem, ut omnia ſublunaria; vel accidentalem, ut in se ipsa anima rationalis; vel in ſuis operationibus, ut omnes spiritus Angelici ſimulque ipsa anima rationalis.

4 *Quapropter cujus amplitudini, aut diuturnitati, nulla meta, vel à loco, vel à tempore opponitur, &c.* ¶ Cum verò eſſentia divina, inquit Author, libera penitus ſit à legibus loci ac temporis, nulla eſt ratio ut cum rebus, legibus temporis, ac loci subditis, confundatur. Qua propter nullum tempus eſt tempus ejus, nullus locus eſt locus ejus: Unde nullâ metâ loci, aut temporis est coercenda.

5 *Quænam autem rationalis consideratio omnimoda ratione non concludat &c.* ¶ Naturam divinam nulla loci, vel temporis lege cohiberi, nullo loco, vel tempore includi, & contineri, quibusdam rationibus probat Author. Prima est: Summa natura nequit eandem subire legem cum suis creaturis, à ſe ipsa ex nihilo factis: tum quia, quæ maximè in natura ac dignitate distant, irrationale est cogitare quòd eodem jure censeantur: tum quia quæ fecit tempora, ac loca, etiam leges temporum, & locorum instituit. At legum conditor, præcipue ſupremus, legibus suis non coercetur; his præſertim, quæ ſimul cum rebus cæteris factæ ſunt. Ergo summa natura nulli tempori aut loco potest eſſe ſubjecta. Ergo neque ab ullo tempore, aut loco comprehendi. Ergo ſic poteſt existere in uno loco, vel tempore tota absque coextenſione, ut ſimul tota ſit extra & supra illud tempus, aut eum locum; atque proinde cum eadem libertate, & superioritate æque tota ſimul in omni tempore & loco.

6 Secunda ratio eſt, quòd summa natura sua vi atque omnipotentia omnibus ſic dominatur, ut cuncta, ne in nihilum eant, contineat, atque concludat, ut in capp. præsertim 13. & 14. probatum eſt. Non ergo poteſt ſumma natura à se contentis contineri, neque concludi. Tertia eſt ratio, quòd suprema natura eſt summa veritas, ut pariter oſtensum jam eſt in capp. 15. 16. & 18. at veritas summa absoluta eſt ab omni tempore, & loco: tum quia veritas, ut per se patet, non eſt corporea, neque quantitatem habet: tum quia neque cum tempore tranſit, peritve: nam deficiente tempore, & loco, manet veritas; quòd ſcilicet fuerit, & quid fuerit tempus, vel locus, & quod jam non ſit tempus illud, vel locus; & hæc veritas ubique, & semper veritas eſt. Non itaque veritas mensuratur per tempus, aut locum, neque comprehenditur ab ullo tempore aut loco. Ergo neque summa essentia. Ergo non prohibetur ſimul esse in omni tempore, aut loco.

7 Hinc rectè colligitur, Authorem conſtanter, & palàm sentire Deum realiter, & phyſice (in sensu Scholæ) ſimul existere, aut, ſi ita dicere licet, coexistere, ſicut omni loco, ita omni tempori, futuro, præterito, & præsenti. Dicit enim de ipso Deo, vel de summa natura, & concludit: *Non quia huic loco, vel tempori præsens est, idcirco prohibetur illi vel illi loco, aut tempori ſimul & ſimiliter præsens esse.* Et proximè ante hæc verba dixerat: *neceſſe est eam ſimul totam omnibus, & ſingulis locis, & temporibus præsentem eſſe.* At huic loco, & tempori præsenti realiter, & phyſice est præsens: ergo ſi, ut inquit Author, ſimul, & ſimiliter præsens est locis & temporibus aliis; præsens quoque phyſice aliis temporibus, præterito, futuro, ſicut &

om-

omnibus aliis locis, ſimul eſt. Hanc ſententiam usque ad ultimum ſpiritum sustinuit Author. Nam in extrema periodo vitæ suæ, copioso & splendenti calamo propugnavit, in lib. nimirum Concordiæ præscient. cum liber. arbitrio quæst. 1. cap. 4. & toto cap. 5. legatur etiam cap. 21. de casu Diab. & capp. 19. & 20. Proslog.

8 Sed non niſi perversè colliget quis Heterodoxus Sacramentarius, Anselmum pro sua hæreſi, negante veram, & realem præsentiam corporis Christi in Eucharistia, starè; ex eò nimirum, quód de corporibus dicat ferè in principio hujus cap. unum idemque totum ſimul non poſſe totum esse in diverſis locis; addat necne, quia hoc *omni veritate asseritur*. Perversè, inquàm, hoc colliget: cùm ipse S. Doct. hoc non aſserat niſi de his, *quæ ſic sunt in loco vel tempore, ut loci spatium, vel temporis dinturnitatem non excedant*. Et adjungit: *quòd tantum ejus rei ſit locus aliquis, cujus quantitatem locus circunſcribendo continet, & continendo circunscribit*. Corpus autem Christi Domini in Eucharistia non ſub his circunstantiis existit, sed modo alio ſublimiori, & à lege loci corporalis libero. Et quamvis in Cœlo ſit, veluti in loco corporeo, & coextenso; sed cùm in Sacramento non ſit proprie in loco, non propterea ex hoc ſequitur esse extra cœlum, neque totum, aut partem in alio loco. Ergo non extenditur usque huc Anselmi doctrina.

9 Præterea. Anselmus in hoc cap. aperte dicit, neque summam essentiam neque potentiam infra leges loci aut temporis esse, sed valde ſupra; omnemque locum, omne tempus, omnemque naturam omnipotentiæ Dei subesse. Ergo liquido ſentit, omnes á se impoſitas, ſive locis, ſive corporibus leges tandiu vim obtinere, quandiu sua omnipotentia illas conservaverit. Cùm ergo Authorem ſuum, ſive conditorem cogere nequeant hæ leges, ut ipsas conservet; alioquin non esset ſupra ipsas, neque ſuæ omnipotentiæ subditæ essent, sed vice versa, subjecta eisdem, atque inferior omnipotentia; haud dubium quin secundum Anselmum Deus facile queat miraculum facere maximum quòd catholicè credimus in Eucharistia.

10 Ad convictionem vero pertinaciæ, audiatur in Epist. 105. lib. 4. hujus Gerberonianæ Editionis, quam sequimur. *Credo*, inquit, *Sacro-Sanctum Corpus Dominicum, quod in altari quotidie ex Sacerdotis officio consecratur, omni execrata dubitatione, veram ejus carnem esſe quæ paſſa est in Cruce, & verum Sanguinem, quæ manavit à latere. Et infra: Qui vero autumant eum post consecrationem panem esſe materialiter, & Corpus Domini figuraliter tantum, & non veraciter, carnales carnaliter ſapientes, non parum contra fidem dessipiunt, eò quòd magis ſuis corporalibus oculis quam Veritatis attestationibus credunt*. Ecce quàm Catholice cum Catholico loquens, apertiſsime fidem de Eucharistia nostram profitetur. Confert orationes ipſius à 27. usque ad 35. ubi apertiſsime quoque devorat, extirpat, exterminat omnes antiquas & modernas circa hoc Sacratiſsimum Myſterium hæreses. In hoc præsenti opere, quòd versamur, perſonam agit trahentis ad fidem unius Dei, qualem credimus, per rationes varias infidelem; unde opportunum adhuc non erat de his, absque omni neceſsitate, tractare myſteriis.

11 Non aliter D. Thom. in 1. part. quæſt. 8. artic. 2. conſimile 3. format argumentum. *Quòd est*, inquit, *totum alicubi, nihil ejus est extra locum illum. Sed Deus ſi est in aliquo loco, totus est ibi (non enim habet partes) ergo nihil ejus est extra locum illum. Ergo Deus non est ubique*. Ecce argumentationem Anſelmi. Sed audi ſimile responſum. *Quod ergo est*, ait, *totum in aliquo loco totalitate quantitatis non potest esſe extra locum illum, quia quantitas locati commensuratur quantitati loci: unde non est totalitas quantitatis, ſi non ſit totalitas loci. Sed totalitas eſſentiæ non commensuratur totalitati loci. Unde non oportet, quòd illud, quod est totum totalitate eſſentiæ in aliquo; nullo modo sit extra illud:: Et ideo, ſicut anima est tota in qualibet parte corporis, ita Deus totus est in omnibus, &* „ *ſingulis*. Et in lib. 1. Sentent. diſtinct. 37. quæſt. 2. art. 1. in resolutione ait. Quòd „ esſe in aliquo diverſimodè convenit ſpiritualibus, & corporalibus; quia corpus eſt in „ aliquo, ut contentum, ſicut vinum eſt in vaſe; sed ſpiritualis ſubſtantia eſt in aliquo „ ut continens, & conservans. Cujus ratio eſt, quia corporale per eſſentiam suam, quæ „ circumlimitata eſt quantitatis terminis, determinatum eſt ad locum, & per consequens „ virtus, & operatio ejus in loco eſt; sed ſpiritualis ſubſtantia, quæ omnino absoluta „ à ſitu, & quantitate eſt, habet eſſentiam non omnino circumlimitatam loco. Unde „ non eſt in loco niſi per operationem; & per consequens virtus, & eſſentia ejus in „ loco eſt. Sic propriſsime Deo in loco eſſe convenit, & ubique, & non quidem, ut „ mensuratum loco, sed ut dans loco naturam locandi, & continendi; ſicut dicitur eſſe

„ in nomine, in quantum dat homini naturam humanitatis, & in qualibet re eſſe dici-
„ tur, in quantum dat rebus proprium eſſe, & naturam.

12 Vides D. Thom. ſic obiicientem, & respondentem, quantum ad sensum, ſicut Anselmus: & tamen in 3. parte quæſt. 76. art. 4. ubi ex propoſito de Sacramento Euchariſtiæ agit, catholice, & manifeſtiſsime aſſerit, sub hoc Sacratiſsimo Myſterio ſimul cum ſubſtantia Corporis Chriſti propriam ipſius corporis exiſtere quantitatem, *quamvis non ſecundum modum commensurationis*, ut ibidem dicit ad 3. Confert diſtinctionem ſupra citatam Magiſtri in ipso medio, ubi ſicut Anselmus, vel ſimimili modo, Dei explicat immenſitatem.

13 *Nam ſi ipsa summa eſſentia dicitur eſſe in loco aut tempore.* Hinc jam diſsipat Author illam quæ apparebat contrarietatem: nempe quòd Deus ſit in omni loco & tempore, & tamen in nullo ſit tempore, vel loco. Non eſt, inquit, in loco, aut tempore, locali, aut temporali modo, quemadmodum ſunt corpora in tempore, vel loco; ſed valde diverso modo: neque modo, quo ſunt spiritus ubi sunt, sed altiori, illimitato, & incomprehenſibili. Est autem in omni tempore, & loco quatenus ſic præsens eſt, immò intimiùs est in omni loco, in omni tempore, in omni natura, in omni re, quàm vel corpora præsentia ſunt locis vel temporibus, in quibus sunt, aut alia quælibet substantia creata, ubi aſsistit, aut ubi operatur. Itaque ait, quamvis nostra consuetudo loquendi ferat, ut æque dicamus, Deus eſt hic, aut ibi, aut illic, tunc, vel nunc, vel aliquando, vel in præsenti, præterito aut futuro tempore, ſicut dicimus, hoc corpus, vel illa res eſt hic, aut ibi &c. nihilominus diversa valde eſt intelligentia. Nam in aliis rebus ſimul cum præsentia phyſica intelligimus, vel incluſionem, vel continentiam, vel coartationem, vel limitationem, & majorem, aut minorem à loco, & tempore dependentiam, cum ipſisque ligamen; at in Deo non niſi præsentiam proximam, & intimam omni rei, omni loco, & tempori intelligimus, nequaquam vero continentiam, incluſionem, cohibitionem, dependentiam, aut limitationem ipſius divinæ subſtantiæ. Intelligimus potius, ipsam omnia continere, circumdare, ſuperare, conservare, ſibique ſubjicere per suam intimam, & proximam omnibus omnipotentem, & ſubſtantialem operationem.

14 *Unde ſi usus loquendi admitteret, &c.* ℑ Hæc in fine verba noto ut ocaſsionem habeam dicendi D. Thom. in 1. lib. Sentent. diſtinct. 37. quæſt. 2. art. 1.
„ eadem ſibi proponere pro 1. argumento. Eſſe enim, inquit, ubique ſignificat in om-
„ ni loco eſſe. Sed, ſicut dicit Anselmus (Monol. cap. 22.) *ſi usus admitteret, ma-*
„ *gis dicendus eſſet Deus cum omni loco, quam in omni loco. Ergo videtur, quòd*
„ *Deus non proprie dicatur ubique eſſe.* Deinde 3. ſic conficit argumentum. *Potest*
„ *objici ex Authoritate Anselmi, qui dicit, quòd omne quod est in loco, & tem-*
„ *pore, ſequitur leges loci, ac temporis.* Hæc autem verba non inveniuntur in D. Anselmo, nec quantum ad sensum: poſſunt tamen aliquo modo colligi ex ipſismet, quæ nunc versamur, quatenus dicit Anselmus, *quòd verius ſignificatur contineri aliquid, cum dicitur eſſe in alio; quàm cum dicitur eſſe cum alio.* Sed D. Thom. ut videre eſt in editione Patris Nicolai, & in novissima Veneta anni 1747. cum admonitionibus prævìis Patris Bernardi Mariæ de Rubais, non semper ipsa Authorum verba profert, sed quandoque sensum duntaxat, quandoque neque verba neque sensum in verbis contentum, sed consequentiam, quæ rectè secundum sensum colligi poteſt. Nempe D. Thom. credo, quòd bona fide ex alijs collectoribus, Magiſtro sententiarum, Gratiano, & beato Alberto Magno, multa ſicut in ipſis legebantur, acceperit.

15 Sed ad rem quod præsertim attinet, eſt in concordiam reducere utrumque S. Doct. Anselmum, & D. Thom. Nam Anselmus hoc loco dicit, quia Deus *in nullo loco vel tempore proprie dicitur eſſe*: D. vero Thom. art. citato in resolutione ait, *quia proprissime Deo in loco convenit eſſe, & ubique.* Hæc quamvis videantur valde contraria, nequaquam oppoſita sunt: Nam uterque S. Doct. inter se conveniunt, quòd ſi *eſſe in loco* accipiatur ad eum modum, quo corpus eſt in loco, Deus non proprie in loco eſſe dicatur. Anselmus negat Deum proprie dici in loco eſſe vel tempore, quia omnino à nullo alio continetur. Continentia autem pertinet ad eum modum, quo corpora sunt in loco, & tempore. D. Thom. vero idem ibidem dicit: *Dicendum est ergo*, inquit, *quòd ſi eſſe in hoc loco sumatur secundum quod corpus in loco eſſe dicitur; ſic non convenit Deo eſſe ubique niſi metaphorice.* Unde subjungit: *ſi autem accipiatur eſſe in loco per modum, quo substantia spiritualis in aliquo eſſe dicitur; ſic propiſsime Deo in loco eſſe convenit, & ubique: & non quidem ut mensuratum loco, sed ut dans loco naturam locandi, & continendi.* Et hoc quidem eſt

quod

quod quantum ad sententiam dicit Anselmus in consequentibus verbis : *& tamen in omni loco , vel tempore suo quodam modo dici potest esse , &c.* Responsio vero S. Thom. procedit *secundum modum , quo corpus in loco esse dicitur.* Et quidem bona est : quamvis S. Anselmus etiam corrigere velit improprietatem sermonis.

CAPUT XXIII.

Quomodo melius intelligi possit esse ubique, quàm in omni loco.

VErùm cùm constet eamdem summam naturam non magis esse in omnibus locis , quàm in omnibus quæ sunt ; non velut quæ contineatur , sed quæ penetrando cuncta contineat : cur non dicatur esse ubique hoc sensu ; ut potius intelligatur esse in omnibus , quæ sunt, quàm tantúm in omnibus locis : cùm hunc intellectum , & rei veritas exhibeat , & ipsa localis verbi proprietas nequaquam prohibeat? Solemus namque localia verba sæpe irreprehensibiliter attribuere rebus , quæ nec loca sunt , nec circunscriptione locali continentur : velut si dicam ibi esse intellectum in anima , ubi est rationalitas. Nam cùm ibi , & ubi , adverbia localia sint ; non tamen locali circunscriptione aut anima continet aliquid , aut intellectus aut rationalitas continentur. Quare summa natura secundum rei veritatem , aptius dicitur ubique esse , secundum hanc significationem ; ut intelligatur esse in omnibus , quæ sunt , quàm si intelligatur tantùm in omnibus locis. Et quoniam , sicut supra expositæ rationes docent , aliter esse non potest ; necesse est eam sic esse in omnibus quæ sunt , ut una eademque perfecte tota simul sit in singulis.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XXIII.

Verum cum constet , &c. ¶

1 Explicato iam modo quo summa essentia dici possit , & debeat constanter asseri in omni loco , & tempore esse : in hoc cap. & sequenti explanare aggreditur , & feliciter explanat , quòd melius dicitur summam essentiam vel Deum esse ubique , & semper , quàm in omni tempore , & loco. Verum de tempore , in sequenti ; nunc de loco. Et quidem multa sunt , inquit , præter loca : nam loca sunt propria corporis , ut dictum est ; & Boetius dicit , per se notum esse sapientibus incorporalia non esse in loco. At ostensum est jam capp. 13. & 14. summam naturam in omnibus esse quæcumque sunt , & quocumque modo sint. Ergo non satis exprimitur divinam realem præsentiam esse in omnibus rebus , dicendo , quòd suprema natura , vel ipse Deus in omnis loco sit. Ergo melius dicitur esse ubique: eò quòd adverbium *ubique* meliùs omnia comprehendat atque significet. Neque propterea judicat Author hoc cum omni proprietate de tali natura dici. Nam *ubique* adverbium locale est: & ipsemet Author in cap. antecedenti dixit , quod *in nullo loco , vel tempore proprie dicitur esse , quia omnino à nullo alio continetur.* Unde Aug. lib. 83. quæst. cap. 20. ait , *quòd Deus non alicubi est. Quod enim alicubi est , continetur loco.* Quare si non est alicubi ; neque est ubique. Fatendum est tamen non sic inclusionem , & continentiam per adverbium *ubique* significari sicut per *alicubi* significatur ; immo adverbium *ubique* maximam amplitudi-

nem

nem, & incomprehenſionem aliquo modo ſignificare. Itaque, & propter hoc, & quia *ſolemus localia verba, ut inquit Author, ſæpe irreprehenſibiliter attribuere rebus, quæ nec loca ſunt, nec circunſcriptione locali continentur; velut cum dicimus, ibi eſſe intellectum in anima, ubi eſt rationalitas*: Ideo satis apte, attenta noſtra loquendi inopia, & meliùs dicitur, summam eſſentiam ubique eſſe, quàm in omni loco. Concluſio ergo S. Doctoris eſt, quod juxta supra, id eſt, in tribus capp. antecedentibus, expoſitas rationes, neceſſe ſit summam eſſentiam ſic eſſe in omnibus, quæ sunt, ut una eademque perfecte tota ſimul ſit in ſingulis. Deus enim proxime, & intime per suam subſtantiam, & potentiam, quæ re nequaquam diſtinguitur ab ipſa ſubſtantia, & per suam subſtantivam quoque operationem, secundum quod se habet ex parte Dei, quamvis ex parte termini ſit contingens atque temporalis, in omnibus, quæ ſunt, & in ſingulis ſimul operatur; ſimul cuncta, ac ſingula in eſſe conſervat; & univerſa, quandiu vigent, per ipſum Deum ſimpliciſsimum, ut dictum fuit in cap. 13. & 14. & 17. vigent.

2. Sed antequam recedamus hinc, notanda ſunt illa verba: *Non tamen locali circunſcriptione, aut anima continet aliquid, aut intellectus, & rationalitas continetur.* Nota, ajo, quòd non dicit absolute animam nihil continere sed *locali circunſcriptione.* Sciebat enim animam vi sua corpus continere, sed ſpirituali modo, non corporali. *Spiritualia*, ait D. Thom. 1. part. quæſt. 8. art. 1. ad 2. *continent ea, in quibus ſunt, ſicut anima continet corpus.* Hic tamen modus continendi, utpote ſpiritualis, & abditiſsimus, nobis pro hoc ſtatu naturaliter incomprehenſibilis eſt. Quanto magis incomprehenſibilis erit modus, quo Deus eſt in rebus, & continet omnia? Intellectus vero, & rationalitas non continentur locali circunſcriptione: non ſolùm, quia corpora non ſunt, neque corporalia, sed quia animam ſuo modo excedunt: ad multa quippe alia intelligendo se extendunt, immo & ad ipsum Deum, qui infinite ſuper animam eſt.

CAPUT XXIV.

Quomodo melius intelligi poſsit eſſe ſemper, quàm in omni tempore.

EAMdem quoque ſummam ſubſtantiam conſtat ſine principio, & ſine fine eſſe; nec habere præteritum aut futurum; nec temporale, hoc eſt, labile præſens quo nos utimur: quoniam ætas ſive æternitas ejus, quæ nihil aliud eſt quàm ipſa, immutabilis, & ſine partibus eſt. Nonne ergo, ſemper, quod videtur deſignare totum tempus, multo verius (ſi de illa dicitur) intelligitur ſignificare æternitatem, quæ ſibi ipſi nunquam eſt diſsimilis; quàm temporum varietatem, quæ ſibi ipſi ſemper eſt in aliquo non ſimilis? Quare ſi dicitur ſemper eſſe: quoniam idem eſt illi eſſe, & vivere; nihil melius intelligitur, quàm æterne eſſe vel vivere, id eſt, interminabilem vitam ſimul perfectè totam obtinere: videtur enim ejus æternitas eſſe interminabilis vita ſimul perfecte tota exiſtens. Cùm enim ſupra jam ſatis liqueat quòd eadem ſubſtantia non ſit aliud quàm vita ſua, & æternitas ſua; nec ſit aliquomodo terminabilis, nec niſi ſimul, & perfecte tota: quid aliud eſt vera æternitas, quæ ſoli illi convenit, quàm interminabilis vita ſimul, & perfecte tota exiſtens? Nam vel hoc ſolo, veram æternitatem ſoli ineſſe illi ſubſtantiæ, quæ ſola non facta, ſed factrix eſſe inventa eſt, aperte percipitur; quoniam vera æternitas principii finisque meta carere intelligitur; quod nulli rerum creatarum convenire, eo ipſo quód de nihilo factæ ſunt, convincitur.

COM-

COMMENTARIUS.

CAPIT. XXIV.

Eandem quoque ſummam ſuſtantiam conſtat ſine principio, & ſine fine eſſe, &c. ¶

1 Supponit Author ex cap. 18. ſummam ſubſtantiam principium non habere, neque finem. Supponit etiam, neque præteritum, neque futurum in ſe admittere, neque quidpiam labilis temporis, præſentis nimirum momenti, quod & noſtram metitur ætatem, replicatum, & repetitum, facitque horas, dies, menſes, & annos. Supponit hoc, inquam, cum ex capp. 21. & 22. tum ex 16. & 17. nam in his duobus ultimis probatum fuit ſummam ſubſtantiam non ſolum eſſe æternam, & quidquid abſolute eſt melius eſſe, quam non eſſe, verum etiam eſſe ipſam æternitatem ſubſtantivè ſignificatam, non ſolum in concreto, & adjectivè, &, ſive æternitas ſeu quodcumque aliud ipſi ſummæ ſubſtantiæ attributum fuerit, ei omnimoda ſimplicitate convenire, ex principio videlicet generali à ſe in primis capp. ſtabilito, *quod ſumma eſſentia per ſe eſt quidquid eſt, non per aliud*: in capp. vero 21. & 22. probatum eſt ſummam naturam non eſſe proprie in tempore, ſed omnia tempora transcendere, & infinite ſuperare, eo quod ſucceſsio temporum eſt per partes, arguitque compoſitionem in rebus temporalibus, ſubſtantialem, aut accidentalem, aut ſaltem ſucceſsionem operationum vitalium, & intrinſecús perfectivarum ipſius viventis. Quibus ſuppoſitis, colligit melius dicendum eſſe de ſumma ſubſtantia, quòd ſemper ſit, quàm quód in omni tempore. Et ratio eſt, quia licet adverbium *ſemper*, ſecundum quód primò à nobis cogitatur, qui temporales ſummus, tempus omne videatur deſignare; (tempus eſt enim quod directa, & prima conceptione in preſenti materia apprehendimus) nihilominus dum cogitationes noſtras transferimus ad Deum, aptius utimur hoc adverbio ad ſignificandam veram Dei æternitatem, quàm his vocibus *omne tempus*, vel *omne ævum*, vel omne ſeculum. Nam *ſemper* de ſe idoneum eſt, ut quancumque perpetuitatem, & ſine initio, & ſine fine, & ſine motu, vel ſucceſſione ſignificet: tempus autem non ita poteſt ſignificare, quia eſſentialem rationem importat ſucceſſivam, oppoſitam adeo rationi æternitatis, quæ nullas partes in ſe habet: ævum ſucceſſione non caret, cúm ſit regula, vel menſura motionum Angelorum, atque proinde uniforme penitus non eſt, cùm tam diſtantes ſint inter ſe ſpecies Angelorum, ſi neque duo, ut fert communior ſententia, poſſunt eſſe in una eademque ſpecie: ſæculum vero ſolemus dicere menſuram centum annorum. Æternitas ſicut pugnat cum ſucceſſione, ita & cum varietate, & difformitate, vel diverſitate.

2 *Quare ſi dicitur ſemper eſſe, &c.* ¶ Suppoſita majori aptitudine in hoc adverbio *ſemper* ad ſignificandum æternitatem, colligit quod ſi dicitur Deus ſemper eſſe, nihil aliud melius per hoc intelligitur, quàm quòd Deus æternè eſt, vel vivit, id eſt, quòd ſimul perfecte interminabilem vitam totam obtineat, & possideat. Ratio eſt, quia Deus cùm juxta capp. 16. & 17. per ſe ipſum ſit quid quid eſt, & quidquid habet; & per ſummam ſimplicitatem cuncta, quæ de ipſo dicuntur, ſit; ita ut nullum prædicetur in quale, ſed universa in quid; neceſſe omnino eſt, ut idem ſit illi eſſe, quod vivere, & idem vivere quod eſſe; & idem vivere, & eſſe quod æterne eſſe, atque vivere.

3 *Videtur enim ejus æternitas eſſe interminabilis vita, ſimul perfecte tota exiſtens.* ¶ Ponit Author Boetij satis notam deffinitionem æternitatis, ut probet, quod antea dixerat, *ſemper eſſe* ſignificare æternitatem summæ naturæ, seu Dei, in quantum idem omnino ibi eſt vivere, & eſſe. Æternitas, ut D. Thom. inquit 1. part. quæſt. 10. art. 1. ad 2. *Videtur attendi magis ſecundum operationem, quam ſecundum eſſe.* Unde nos quia licet non deſinamus penitus eſſe (manet enim ſemper eſſe materiæ, & animæ rationalis) vivere tamen ceſſamus in morte, dicimur poſtea jam non durare. Vivit anima rationalis, & ideo durat: nos autem poſt mortem jam non vivimus, & ideo jam non duramus. Ætas ergo noſtra cum morte finita fuit. Æternitas autem, ut supra in hoc cap. inquiebat Author, idem eſt quod ætas ipſius Dei. Hæc autem ætas immutabilis, & ſine partibus eſt. Deffinitionem hujus ætatis vel æternitatis datam á Boetio aliquantulum immutat Anselmus, sed meâ sententiâ in melius. Nam Boetij deffinitio, quam defendit, cujusque partes explicat in 1. part. quæſt. 10. art. 1. Doct. Ang. hæc eſt: *Interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio.*

Hæc vero deffinitio non tam perfectum ſignificandi modum præsentat, quam Anselmi deffinitio. Primùm, quia quaſi diſtinctionem facit inter vitam interminabilem, & poſſessionem totalem, atque perfectam, cum hæc ponatur in primo casu, illa vero in secundo: unde videtur, quod ratio formalis æternitatis conſiſtat in totali, & perfecta poſſessione vitæ interminabilis, non autem pariter in ipsa vita interminabili: quemadmodum in hac altera deffinitione personæ tradita ab eodem Boetio: *Rationalis naturæ individua substantia*, tota formalis ratio personæ conſiſtit directe in *individua substantia*, quamvis non ſine rationali natura: ut patet in Deo, in quo multiplicatur ratio personæ, & ipsa persona absque multiplicatione naturæ: una eſt divinitas, & tres sunt personæ. At vita interminabilis formaliter, & in primo casu vel nominativo ſignificata, eſt de ratione æternitatis, vel saltem interminabilitas: æternitas quippe formaliter, & directe præsefert excluſionem principij, & finis æque ac carentiam ſuccessionis, aut varietatis. Deinde, vox *poſſessio* non tam determinate, & ſine omni ambiguitate *eſſe* vitæ phyſicum, & naturale, ſicut vox *existens* deſignat; nam poteſt intelligi poſſessio per intellectum, aut cognitionem, ſicut ea, in qua conſiſtit beatitudo. Quis enim negabit Deum per cognitionem, & gaudium ſui ipſius perfecte, & ſimul totam ſuam interminabilem vitam possidere? Sed non propterea Boetij reprobamus deffinitionem à D. Thom. & ab Scholis approbatam: ſed tantum dicimus ab Anselmo converſam in meliorem.

4 *Cum enim supra iam satis liqueat, &c.* ¶ Suam veræ æternitatis deffinitionem probat, vel legitimam eſſe oſtendit Author. Ait enim: cum jam supra, id eſt in cap. 16. ſatis liqueat quòd Dei ſubſtantia non aliud ſit quàm vita ſua, & æternitas ſua; nec ſit aliquo modo ſuccessiva, neque compoſita, ſed ſimpliciſsima, ut pariter liquet ex cap. 18. nec ſit ullo modo terminabilis, ut æque conſtat ex cap. 18. immo ex sequentibus: quid aliud poteſt eſſe vera æternitas, quæ ſoli Deo convenit, quàm interminabilis vita ſimul, & perfecte tota exiſtens?

5 Dices: hoc ſolum probat quòd æternitas ſit vita, non autem probat quòd ſit formaliter, aut metaphyſice vita. Imprimis respondeo jam nos in cap. 18. oſtendiſſe Authorem nullam admitere diſtinctionem metaphyſicam inter divinas perfectiones. 2. Respondeo æternitatem in sua ratione formali includere vitam: quia nihil aliud intelligitur eſſe, quàm vita ſimpliciter æterna, aut ætas Dei ſine principio, ſine fine, ſine ſucceſsione, ſine alteratione, ſine varietate, ſine diverſitate.

6 *Nam vel hoc solo, &c.* ¶ Supponit Author in his verbis, alias eſſe rationes, propter quas vera æternitas nequeat creaturæ convenire (quas in Proslog. cap. 20. legere potes) ſed putat hanc ſolam ſufficere, quòd nempe creatura ex nihilo facta ſit: unde ſequitur principij meta ac finis non carere, quibus ex ſua ratione caret æternitas. Sed in hoc aliqua apparet difficultas: quippe non ita certum eſt creaturas fieri ab æterno non potuiſſe. Nam præter opiniones, quæ in Scholis pro utraque parte verſantur; D. Aug. 11. de Civitate Dei cap. 4. ſat innuit hoc non penitus impossibile ab ipſo reputari, dum dicit: *Qui autem à Deo quidem factum* (mundum) *fatentur, non tamen volunt eum temporis habere, sed suæ creationis, initium, ut modo quodam vix intelligibili semper ſit factus.* Dum, inquam, ait S. Doct. *modo quodam vix intelligibili* indicat, non prorsus hoc ſibi inintelligibile eſſe. Ergo neque omni modo impoſsibile. Impossibile quippe absolutè, ut D. Thom. 1. part. ait, quæſt. 25. art. 3. in corp. *Nullus intellectus potest illud concipere.* Præterea. Ipse D. Thom. etiam 1. part. quæſt. 46. art. 2. aſſerit non eſſe demonſtrabile, mundum incæpiſſe, aut non ſemper fuiſſe, per actionem, nimirum, factivam Dei. Et in fine art. dicit ſententiam ſuam ſic eſſe intelligendam, ut demonſtrabile non ſit, quòd Deus non potuerit aliquam ſaltem creaturam, hanc, vel illam, puta Angelum, creare ab æterno. Deinde. Spiritus, & rationales Animæ, cum naturaliter immortales ſint, naturaliter etiam ſinem non habent. Quomodo ergo dicit Author, finem non habere *nulli rerum creatarum convenire, eo ipso quòd de nihilo factæ ſunt*?

7 Sed Author intelligendus eſt, non solùm de actuali carentia initij, & finis, sed etiam de impoſsibilitate initium habendi & finem; id quod nullæ creaturæ competere poteſt, eo ipso quòd de nihilo facta ſit, seu non de aliquo. Ex ſua ergo ratione poteſt eſſe, vel non eſſe; cum à se ipsa, vel per se ipſam non ſit. Quòd hujusmodi eſt, poteſt intelligi vere aut cum initio, aut cum fine, quamquam neutrum re ipsa habeat. Hæc eſt doctrina Authoris Proslog. cap. 20. interrogantis: *Qualiter es* (ad Deum loquitur) *ultra ea quæ finem non habebunt*? Et præter alias, hanc etiam nfert rationem: *Quia illa cogitari possunt habere finem; tu vero, nequaquam. Nam ſic illa*

qui-

quidem habent finem quodam modo; tu vero nullo modo. Et in Apologetico contra Insipientem, cap. 1. *Procul dubio*, inquit, *quidquid alicubi, aut aliquando non est, etiamsi est aliquando; potest tamen cogitari non esse, sicut non est alicubi, aut aliquando.* Et paulo infra. *Et si dicatur tempus semper esse & Mundus ubique; non tamen illud totum semper, aut iste totus est ubique: Et sicut singulæ partes temporis non sunt, quando aliæ sunt, ita possunt numquam esse cogitari &c.*

8 D. Thom. 1. part. quæst. 10. art. 4. in corp. ita huic Anselmi doctrinæ conformis loquitur, ut ab ipso, quod dicit, desumpsisse videatur. *Dato*, inquit, *quod tempus semper duret, tamen possibile est signare in tempore & principium, & finem accipiendo aliquas partes ipsius, sicut dicimus principium, & finem diei, vel anni, quod non contingit in æternitate.* Fatendum est tamen D. Anselmum quæstionem ex proposito non tractare, utrum Mundus, vel tempus, vel aliqua creatura absolute potuerit esse ab æterno, necne. Neque ex verbis ipsius, vel in hoc præsenti cap. vel in Proslog. vel in Apologetico, vel alibi unum, aut alterum satis firmiter colligi potest.

CAPUT XXV.*

* Al. part cap. 24.

Quòd nullis mutabilis sit accidentibus.

SED hæc essentia, quam patuit omnimodè sibi esse eamdem substantialiter, nonne est aliquando à se diversa vel accidentaliter? Verum quomodo est summe incommutabilis, si per accidentia potest, non dicam esse; sed vel intelligi variabilis? Et è contra, quomodo non est particeps accidentis; cùm & hoc ipsum quòd major est omnibus aliis naturis, & quòd illis dissimilis est, illi videatur accidere? Sed quid repugnant quorundam, quæ accidentia dicuntur, susceptibilitas, & naturalis incommutabilitas; si ex eorum assumptione nulla substantiam consequatur variabilitas? Omnium quippe, quæ accidentia dicuntur, alia nonnisi cum aliqua participantis variatione adesse, & abesse posse intelliguntur, ut omnes colores; alia omnino nullam vel accedendo, vel recedendo mutationem circa id de quo dicuntur, efficere noscuntur, ut quædam relationes. Constat namque quia homini post annum præsentem nascituro, nec major, nec minor, nec æqualis sum, nec similis. Omnes autem relationes has, utique cùm natus fuerit, sine omni mei mutatione, ad illum habere potero, & amittere, secundum quod crescet, vel per qualitates diversas mutabitur. Palam itaque fit quia eorum quæ accidentia dicuntur, quædam aliquatenus attrahant commutabilitatem, quædam vero nullatenus substrahant incommutabilitatem. Sicut igitur summa natura accidentibus mutationem efficientibus nunquam in sua simplicitate locum tribuit: sic secundum ea, quæ nullatenus summæ incommutabilitati repugnant, aliquando dici aliquid non respuit; & tamen aliquid ejus essentiæ, unde ipsa variabilis intelligi possit, non accidit. Unde hoc quoque concludi potest, quia nullius accidentis susceptibilis est: quippe quemadmodum illa accidentia, quæ mutationem aliquam accedendo vel recedendo faciunt, ipso suo effectu vere accidere rei, quam mutant, perpenduntur: sic illa, quæ à simili effectu deficiunt, improprie dici accidentia deprehenduntur. Sicut igitur semper sibi est omnimodò eadem substantialiter: ita nunquam est à se diversa ullo modo, vel accidentaliter

ter. Sed quoquomodo ſeſe habeat ratio de proprietate nominis accidentium ; illud ſine dubio verum eſt , quia de ſumme incommutabili natura nihil poteſt dici , unde mutabilis poſsit intelligi.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XXV.

Sed hæc eſſentia, quam patuit omnimode ſibi eſſe eandem ſubſtantialiter &c.

1 Quærit in hoc cap. Author de immutabilitate ſummæ eſſentiæ , vel Dei: & poſſet quis judicare , quòd præpoſtere , eo quòd D. Thom. tractet 1. de immutabilitate , quàm de æternitate , & ex immutabilitate æternitatem probet ; non vice versa. Sed responderi poteſt primo, quòd alia ſit D. Thom. agendi ratio in ejus Theologica ſumma ; alia vero fuit Authori noſtro. D. Thom. Theologos ibi , & quidem Catholicos , inſtruit : quare non erat cur , nec semel , præpoſtera methodo ageret. D. vero Anſelmus , ut non semel diximus , & ipse admonuit in præfatione ad præsens opus , & repetiit in Proemio ad Proslog. personam agebat cujusdam secum cogitantis , atque meditantis de rationibus , vel accedendi ad ea quæ sunt fidei , vel intelligendi , quæ jam credit : unde non eſt cur tam ordinatæ disputandi methodi exactores ſimus. Deinde,etiam ſatis verè responderi poteſt , non jam Authorem in hoc cap. quærere , ſit vel non ſit ſumma eſſentia immutabilis , cùm eam jam antea ſimul cum æternitate ſtatuerit ; sed quo pacto ita ſit , cùm multa occurrant , quæ in specie contraria , aut incompatibilia videantur.

2 Has ergo intendit Author in præsenti cap. conciliare apparentes contrarietates. Conſimili modo proponit , ac disolvit eas , quo utitur Auguſt. 5. de Trinitate cap. 16. Unde hoc Monologii cap. illi alteri Auguſtini omnino reſpondet. Itaque Author incipit dubitando , ibi : *Sed hæc eſſentia quam patuit omnimode.* At ſtatim vertit se in partem oppoſitam mutabilitati ſummæ eſſentiæ per accidentia , ibi : *Verum quomodo est ſumme incommutabilis &c.* Sed ecce ſe vertit in favorem mutabilitatis , illic: *Et è contra , quomodo non est particeps accidentis &c.* Denique resolvit dubitationem explicando ſimul , qua ratione quove sensu capax ſit accidentium ſumma eſſentia absque detrimento ullo immutabilitatis omnibus (ut dicitur) numeris absolutæ. Hoc agit ab illis verbis : *Sed quid repugnant quorundam quæ accidentia dicuntur , ſubsceptibilitas &c.* usque ad finem capitis.

3 Argumentatio adversus summæ incommutalitatem eſſentiæ , ab acceſſu desumpta variarum in tempore relationum , diſsimilitudinis , majoritatis &c. relate ad creaturas , eadem eſt cum ea P. Aug. lib. & cap. supra citatis: *Quomodo ergo obtinebimus nec ipsa relativa eſſe accidentia , quoniam nihil accidit Deo temporaliter , quia non est mutabilis , ſicut in exordio hujus disputationis tractavimus? Ecce Dominum eſſe non sempiternum habet , ne cogamur etiam sempiternam creaturam dicere &c.*

4 „ Solutio vero Anselmi , & explicatio hujus difficultatis perfecte imi-
„ tatur eam quam tradit ibidem ipse P. Aug. Quomodo , inquit , igitur obtinebimus
„ nihil ſecundum accidens dici Deum , niſi quia ipſius naturæ nihil accidit , quo mute-
„ tur , ut ea ſint accidentia relativa quæ cum aliqua mutatione rerum , de quibus dicun-
„ tur , accidunt. Sicut amicus relative dicitur :: Nummus autem cùm dicitur pretium,
„ relative dicitur , nec tamen mutatus eſt , cum eſſe cæpit pretium : Neque cum dicitur
„ pignus , aut ſi qua ſunt ſimilia. Si ergo nummus poteſt nulla ſui mutatione totiens di-
„ ci relative , ut neque cum incipit dici , neque cum deſinit , aliquid in ejus natura,
„ vel forma , qua nummus eſt , mutationis fiat ; quanto facilius de illa incommutabi-
„ li Dei ſubſtantia debemus accipere , ut ita dicatur aliquid relative ad creaturam , ut
„ quamvis temporaliter incipiat dici , non tamen ipſi subſtantiæ Dei accidiſſe aliquid in-
„ telligatur , sed illi creaturæ ad quam dicitur. Hæc omnia Aug.

5 Duplicis generis relationes in verbis præcedentibus magnus P. Aug· distinguit : alias , quæ inter creaturas non niſi cum earundem eveniunt mutatione , ut amicitia : alias , quæ absque omni prorsus mutatione ; ut pignoris , & pretii relatio. Sed hæc dis-

distinctio non à conceptu formali & proprio relationum, sed á causa, aut ipsarum fundamento desumpta est. Nam si relatio aliqua eo tantum quia relatio, sive ex conceptu intra genus relationis, immutationem secum traheret subjecto: quævis relatio cum immutabilitate pugnaret, semel ac re ipsa adventitia cuique foret. Unde differentia in eo posita est, quòd quædam relationes non adveniunt, nisi cum aliqua nova actione, vel passione subjecti perfectiva; ut prædicta amicitiæ: aliæ vero, ut pignoris, & pretii, adveniunt, licet non sine aliqua nova actione, sed non in ipso nummo, qui nihil facit, aut patitur, ut pretium sit, neque ut pignus sit; sed in homine ita per suam liberam voluntatem noviter disponente, aut decernente. Ratio igitur Aug. Hæc est: Nummus cum sit creatura de se corruptibilis atque mutabilis, potest noviter aliquam habere relationem, v. g. pretij, quin in se quidquam entitatis, perfectionis ve recipiat, vel amittat, sola mutatione facta ex parte hominis. Ergo multo melius Deus aliquam potest accipere recentem relationem, absque omni suæ incorruptibilis substantiæ mutatione, per solam suæ mutabilis creaturæ transmutationem, alterationem, passionem, actionem.

6 Hoc idem est, quod Anselmus suo probat opportunissimo, claroque exemplo. Nempe, licet non de omnibus relationibus inter creaturas propugnet accidere posse absque omni mutatione ex parte utriusque correlativi; propterea enim consultò dicit, *ut quædam relationes* (sciebat quippe relationes creaturarum in actione fundatas, & passione, ut relationes Patris, & Filij, cum mutatione tam Filij quàm Patris advenire) nihilominus judicat, & merito, relationes æqualitatis, majoritatis, pignoris, similitudinis, necnon dissimilitudinis, accidere cuique, jam antea existenti, posse absque omni ipsius mutatione, solo mutato, aliterve intrinsecus se habente altero correlativo. Propterea non modò dicit, *sine omni mei mutatione*, sed statim addit de altero correlativo, *secundum quod crescet, vel per qualitates diversas mutabitur.* Præter quam quod supponit ejusdem correlativi penitus novam existentiam per nativitatem futuram, dum ait: *Constat namque quia homini post annum præsentem nascituro.* Et quæ major transmutatio, quàm de non esse simpliciter ad esse? Hæc autem mutatio atque varietas ex parte unius saltem, eo necessaria est ut relatio temporalis Dei ad creaturas, quæ esse non potest sine aliqua actione Dei temporali, causam aut rationem obtineat, cur contingenter de Deo prædicetur, cùm ipse undecumque ens sit necessarium; & quare ipsi recenter adveniat, non multoque post abeat, cùm ipse idem omnino semper sit: semperque ab æterno fuerit, & in æternum erit. Nam si quæritur: cur Deus non semper fuit Dominus creaturæ, non semper ipsâ infinite major, eique dissimilis (& sic de reliquis) sed recèns, & solùm in tempore? Responsio habetur in promptu: quia nimirum non semper fuit creatura, sed in suo tempore tantum.

7 Neque opus est ut judicemus Anselmum has relationes in Deo reales non admisisse, sed secundum nostram rationem tantum, aut fictionem cum reali fundamento in ipsa vera mutatione creaturæ. Non, inquam, est necesse, immo colligitur contrarium: nam in exemplo, quod apponit de se ipso relate ad alterum hominem nasciturum, clare percipitur, quòd illud idem judicabat potiori jure admitti in Deo posse. Relationes similitudinis, æqualitatis, majoritatis, minoritatis inter duos existentes homines, & unius ad alterum, nullum est inconveniens quòd reales utrimque judicentur. Quin etiam reales frequentiori opinione judicantur. Has vero omnes, dicit Anselmus de se ipso, quòd posset habere in futurum & amittere, *absque omni sui mutatione.* Judicavit ergo nullum inconveniens adversus divinam immutabilitatem, quòd etiam in Deo possent in tempore esse, ac desinere cum aliquo simili, licet eminentiori, modo, similes reales relationes.

8 D. Thom. 1. part. quæst. 13. art. 7. hoc inconveniens non flocci facere videtur: atque propterea nullam in Deo admittit temporalem relationem realem, *sed secundum rationem tantum, in quantum creaturæ* (inquit) *referuntur ad ipsum.* Hoc discrimen inter duos SS. Doct. ex diverso, quem forsam habebant conceptum relationis, obvenire potuit. Anselmus, ut ex cap. 15. constat, concipiebat relationem (saltem creatam) tamquam nullam essentiam simpliciter significantem, atque proinde neque per ejus adventum nihil melius aliquo modo constituentem sive formantem subjectum; sicut á contrario, nec minus bonum, illud relinquentem per ipsius relationis recessum, vel defectum. Unde & propterea in præsenti capite hujusmodi relationes dicit, quòd *improprie dici accidentia deprehenduntur.* D. Thom. vero magna cum adhæsione sequens in omnibus (manifestos excipio errores) Aristotelem, ut decem forsam impleret vera, ac distincta prædicamenta, distinxisse videtur rea-

realitet inter relationem, ejusque fundamentum : unde, & semper relatio esset verum accidens, non substantia, non quantitas, non qualitas, nec aliud quidpiam prædicamentorum : ex quo absdubio consequitur, Deo non posse ullam in tempore realem advenire relationem, quia tunc Deo aliquid realiter adveniret extra ejus substantiam, esset que illud verum accidens, quo non est dubium quin Deus intrinsecus mutaretur. Certum est tamen D. Thom. in art. supra citato non hanc afferre rationem ; sed quòd Deus, & creatura non unius ordinis sint. Hæc mihi ratio non parvam ingerit difficultatem ; cum nihil obstante ordinis excessu, creatura ibidem dicatur, præsertim in responsione ad 4. & 5. realem subjectionis relationem habere ad Deum. Veruntamen cum Anselmus non multum nitatur in eò quòd relatio ad creaturas sit, vel non sit propriè accidens, nihilque præcipuum curare aliud, nisi quod de summe incommutabili natura nihil possit dici, unde mutabilis possit intelligi : non multum, sed vel parum vel nihil inter se distant SS. Doctores. Quod autem dixi D. Thom. videri realiter distinguere inter relationem, & ejus fundamentum, intelligendum est de relatione propriè prædicamentali, vel saltem cujus correlativum sit sub prædicamento. Nam aliàs certissimum est D. Thom. agnovisse, atque docuisse summam realem identitatem inter relationes Patris æterni, Filij ejus, atque Spiritus S. ab utroque procedentis, & essentiam divinam, atque omne fundamentum talium relationum. Lege in 1. part. quæst. 28. art. 2.

9 Dixi etiam supra D. Thom. & S. Anselmum diversum fortasis de relatione habuisse conceptum, ideamve. Hoc tamen cave intelligas de relationibus divinis, sed de relationibus prædicamentalibus, seu quæ inveniuntur in creaturis, vel ad creaturas : de his D. Thom. putat re ipsa subjecto inesse, atque proinde vera realia esse accidentia. At D. Anselmus nequaquam de ratione omnis relationis creatæ judicat, quòd naturaliter inhæreat, neque sit verum propriumque, & realiter accidens. Con-
„ fert cum præsenti cap. cap. 15. *Sed audi* D. Thom. art. proxime citato 1. partis, si
„ consideremus, inquit, (etiam in rebus creatis) relationes secundum id, quod rela-
„ tiones sunt, sic inveniuntur esse assistentes, non intrinsecus affixæ quasi significantes
„ respectum quodam modo contingentem ipsam rem relatam, prout ab ea tendit in
„ alterum. Si vero consideretur relatio secundum quod est accidens, sic est inhærens
„ subjecto, & habens esse accidentale in ipso ::: Quidquid autem in rebus creatis ha-
„ bet esse accidentale, secundum quod transfertur in Deum, habet esse substantiale.
„ Nihil enim est in Deo, ut accidens in subjecto : sed quidquid est in Deo, est ejus
„ essentia. Sic igitur ex ea parte qua relatio in rebus creatis habet esse accidentale in
„ subjecto, relatio realiter existens in Deo habet esse essentiæ divinæ, idem omnino
„ existens. In hoc vero quod ad aliquid dicitur, non significatur aliqua habitudo ad
„ essentiam, sed magis ad suum oppositum. Et super prim. sentent. distinct. 8. quæst.
„ 4. art. 3. ad 4. ait : Quòd debilitas esse relationis consideratur secundum inhæren-
„ tiam sui ad subjectum : quia non ponit aliquid absolutum in subjecto, sed tantum
„ per respectum ad aliud. Unde ex hoc habet magis, quod veniat in divinam prædica-
„ tionem : quia quanto minus addit, tanto minus repugnat simplicitati.

10 Concludo ergo fatendo ingenuè P. Anselmum non omnino firmum esse in negando relationibus creatis proprietatem accidentium : ait enim in fine capitis : *Sed quoquo modo sese habeat ratio de proprietate nominis accidentium, illud sine dubio verum est, quia de summe incommutabili natura nihil potest dici, unde mutabilis possit intelligi.*

CAPUT XXVI.*

* Al. cap. 25.

Quomodo illa dicenda sit esse substantia : & quòd sit extra omnem substantiam, & singulariter sit quicquid est.

SED si ratum est quod de ejus naturæ simplicitate perspectum est : quomodo substantia est ? Nam cùm omnis sustantia admixtionis differentiarum, vel mutationis accidentium sit susceptibilis ; hujus immutabilis sinceritas omnimodæ admixtioni, sive mutationi est inaccesibi-

lis

lis : quomodo ergo obtinebitur eam esse quamlibet substantiam : nisi dicatur substantia pro essentia, & sic sit extra sicut est supra omnem substantiam ? Nam quantum illud esse, quod per se est quicquid est, & de nihilo facit omne aliud esse, diversum est ab eo esse, quod per aliud fit de nihilo quicquid est : tantum omnino distat summa substantia ab his quæ non sunt idem quod ipsa. Cumque ipsa sola omnium naturarum habeat à se, sine alterius naturæ auxilio, esse quicquid est : quomodo non est singulariter, absque suæ creaturæ consortio, quicquid ipsa est ? Unde si quando illi est cum aliis nominis alicujus communio : valde proculdubio intelligenda est diversa significatio.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XXVI.

Sed si ratum est quod de hujus naturæ simplicitate perspectum est : quomodo substantia est ? ℑ

1 Argumento, quod adversus summam divinæ essentiæ simplicitatem confectum præcedenti cap. fuit, superato : aliud sibi in præsenti cap. facit ex ipso nomine substantiæ, quòd non semel in hoc opere summæ essentiæ tributum fuit. Itaque in præsenti cum propositione, & expositione hujus difficultatis, simul statuit, qua ratione prædicentur, quæ de Deo, & creaturis prædicantur ; univoce scilicet, an per analogiam, atque cum maxima differentia. De hoc D. Thom. quærit 1. part. quæst. 13. art. 5. & in alijs quæ omitto locis : et in sententia cum Anselmo communicat. Anselmus hujus capitis doctrinam à cap. 5. lib. 7. Aug. de Trinit. hausit. Ergo dubium in verbis jactis propositum, est, utrum conveniat, aut quomodo conveniat Deo nomen substantiæ.

2 *Nam cum omnis substantia, &c.* ℑ Proponitur in his verbis ratio dubitandi : quæ ita formari potest. Summa essentia, ut dictum, est, est summe simplex. Sed conceptus, ratiove substantiæ opponi videtur summæ simplicitati. Ergo vel summa essentia non est dicenda substantia ; vel non est simplicitas summa. Dictum est frequenter à cap. 4. quòd substantia sit. Quomodo ergo simul esse potest summe simplex ? Aut si est summe simplex, ut probatum est, quomodo potest esse substantia ? Quod autem substantia repugnare videatur summæ simplicitati, sic probatur. Substantia, cum sit una ex decem categorijs, sive unum ex decem prædicamentis, est genus per varias differentias contrahibile, cum quibus facere potest metaphysicam saltem compositionem. At etiam hæc compositio dicta est jam à nobis cum Authore in cap. 17. quòd pugnet summa cum simplicitate.

3 Amplius. Substantia ex propria sua ratione capax est accipiendi veræ realia accidentia. Pugnant autem accidentia cum simplicitate summa, atque cum summa immutabilitate, qua, ut dictum est in cap. proximo, gaudet essentia divina. Probatur major. Substantia eò dicitur substantia, quòd accidentibus subsistat : constat ex Aug. ubi supra inquiente, *corpus subsistit, & ideo substantia est : illa vero in subsistente, atque subjecto corpore, quæ substantiæ non sunt, sed in substantia :: Res ergo mutabiles, neque simplices proprie dicuntur substantiæ ; Deus autem si subsistit, ut substantia proprie dici possit, inest in eo aliquid tamquam in subjecto, & non est simplex.*

4 Ecce argumentum Anselmi in Aug. Nam prima ratio dubitandi continetur in illis verbis : *nam cum omnis substantia admixtionis differentiarum sit susceptibilis.* Secunda vero ex Aug. desumpta invenitur in his : *vel mutationis accidentium sit susceptibilis.* Responsio vero ad utramque dubitandi rationem statim redditur in illis verbis : *Quomodo ergo obtinebitur &c.* Ergo resolutio Anselmi est, quòd substantia non dicitur de Deo proprie, nisi quatenus pro eodem accipitur ac essentia per se existens

tens: ita ut non intelligatur Deus esse substantia prædicamentalis, & ad unum duntaxat genus determinata, quæ propterea, sicut actu non includit perfectiones ad alia prædicamenta spectantes, ita & capax est accipiendi illas omnes; atque insuper in potentia tantummodo varias sub se comprehendit substantiales differentias, sive, aptius loquendo, essentiales. Itaque dicit Author, quòd essentia summa, sicut vere super omnem substantiam est prædicamentalem, pariter est extra circunstantias talem rationem substantiæ comitantes. Quòd autem Deus sit super omnem substantiam prædicamentalem ex eo patet quòd summa essentia sit: summa autem essentia, ut sit summa, necesse est ut sit super omnem essentiam: non autem esset, si sub aliquo genere comprehenderetur; cùm genus aliqua essentia sit.

5 *Nam quantum illud esse quod per se est quidquid est &c.* Asignat Author aliam adhuc rationem, cur summa essentia, super omnem & extra omnem substantiam sit: quòd nempe, ut in principio hujus operis per multa capp. dictum est, summa essentia existit per se, & à se, nequaquam per aliud; cœtera vero existunt per illam, & per illam conservantur, cùm ab eadem facta fuerint ex nihilo. At maxima distantia intercedat necesse est inter essentiam, quæ per se, & à se est quidquid est, nequaquam per aliud, neque ab alio, & illam omnem essentiam, omnesque res, quæ non nisi ab illa existunt, & persistunt, & ex nihilo factæ sunt. Non ergo cum suis creaturis potest existere Deus sub genere, quodcumque illud sit.

6 *Cumque ipsa sola omnium naturarum, &c.* Ex proximo antecedenti, quod in his verbis resumit, colligit, quòd de summa essentia quidquid prædicatur, singulari modo prædicatur, quo certe modo nequit prædicari quidpiam de ulla creatura. Unde aperte sentit, nullum nomen univocum esse Deo, & creaturis. Ratio ab ipso jam data sic formari, & explicari potest. Prædicatio univoca nulla est de his, quæ non continentur sub uno genere, & prædicamento. Summa essentia, ut probatum est, sub nullo, neque genere, neque prædicamento continetur. Non ergo quidpiam potest de ipsa & creaturis univoce prædicari. Probatur major. Univoca prædicatio fit secundum unam & eandem perfectè rationem, sub qua sunt ea, de quibus est univoca prædicatio. At quæ sub nullo, vel genere, vel prædicamento sunt; neque sub una, & eadem simpliciter, & perfecte existunt ratione. Probo minorem. Genus vel prædicamentum nihil aliud est, quàm una perfectè, & simpliciter ratio, sub se plures continens species, de quibus potest prædicari. Quæ autem sub nullo vel genere, vel prædicamento sunt, contineri nequeunt sub eo, tanquam species sub una simpliciter ratione, quæ de ipsis prædicari valeat. Ergo &c. Nulla itaque potest esse univoca prædicatio de Deo & creaturis, si sub uno genere aut prædicamento nequeunt contineri, sed potius Deus est supra, & extra omnia prædicamenta, omniaque genera.

7 Deinde. Omne quod prædicetur de summa essentia, nisi singulari modo, qui creaturæ non conveniat, prædicetur, indignum est ut de summa essentia dicatur. Ergo si univoce, & absque ulla differentia prædicetur, indigna est de Deo talis prædicatio. Probo antecedens. Omne quod non aliquo singulari modo, qui non conveniat creaturæ, prædicetur; tamquam aliquid, saltem non positive infinitum, neque positive increatum, prædicatur: hoc, quodcumque illud sit, indignum est, quod de summa Dei essentia prædicetur. Probatur major. Quod non prædicatur tamquam positive infinitum, & increatum, prædicatur tamquam capax limitationis, & creationis, sive non repugnans positive limitationem, & creationem. At quod hujusmodi prædicatur, non singulari modo prædicatur, qui non conveniat creaturæ. Ergo &c. Probo minorem. Prædicatum quod positive non pugnat cum ratione, & idea creaturæ, non est ita singularis prædicationis, ut non possit convenire creaturæ. Sed prædicatum, quod non repugnat, sed permittit limitationem, & creationem, non pugnat cum ratione, vel idea creaturæ: ratio quippe & idea creaturæ est, ut sit limitata, atque creata. At hoc prædicatum indignum est quod de summa Dei essentia prædicetur: quia Deo repugnat limitatio, atque creatio; vel essentia Dei limitationem, & creationem positive repugnat. Ergo essentia Dei non potest admittere illud prædicatum, quod positive non repellat finitudinem, & creationem.

8 Confirmatur magis expresse ex ipsa littera textus. Summa Dei essentia undecumque sic est à se, ut per aliud vel ab alio esse non possit. At prædicatum, quod positive non repugnat finitudinem, & creationem, neque est positive à se, nec positive repugnat esse per aliud vel ab alio. Ergo indignum & incapax est, quod de Deo prædicetur tale prædicatum. Alioquin Deus ratione alicujus prædicati non esset positi-

ve

ve, à se, neque positive repugnaret esse per creationem ab alio. Manet ergo inconcussum non posse quidpiam de Deo, ejusque creaturis univoce prædicari.

9 *Unde, si quando illi est &c.* ¶ Cap. concludit Author ex antedictis colligendo prædicationes de summa essentia, & creaturis, quamvis non univocas, non tamen æquivocas, sed analogicæ esse communicationis. Quamvis enim dicat, quòd valde diversa intelligenda est significatio in prædicatione alicujus nominis de Deo simul, & creaturis asserti; nihilominus fatetur alicujus nominis communionem. Nominis vero communio non est, ubi penitus diversa est significatio: tunc enim vox materialis, vel grammaticalis communis est tantum, non vero nomen: ut jam in commentario diximus super cap. 17. Conferatur etiam cap. 65.

10 Si vero quis retorquere contra nos velit ultimam probationem ad repellendam univocationem, dicendo, quòd tunc casus, id est, in analogia sequitur idem inconveniens. Non est ita: quia nomen quod per analogiam prædicatur de Deo, & creaturis includit actu in sua significatione totum Deum, licet non totus in eo Deus exprimatur. Neque idem illud formaliter nomen cum toto suo significato tum expresse, tum implicite, potest descendere ad creaturas, aut de illis prædicari, sed cum quadam duntaxat imitatione sui de creaturis dicitur; sicut revera non nisi quædam umbra, vestigium, similitudo aliquorum divinorum attributorum, & naturæ Dei in creaturis invenitur. Itaque nomen dictum de Deo retinet clàm, sive intus modum singularem, & maximam differentiam, quam impossibile est convenire creaturis. Semper enim præsefert in occulto infinitudinem, & existentiam à se cum repugnantia factionis, vel creationis, & physicæ, vel metaphysicæ compositionis. Totum hoc asseritur de Deo, quando quodlibet de ipso nomen prædicatur. Legatur etiam cap. 31.

11 In summa igitur hæc dicit Author. 1. substantia, secundum quod accepta est, vel derivat nomen suum à substando, vel subsistendo accidentibus, proprie non dicitur de Deo; quod etiam asserit Aug. Ait enim libro supra citato 7. de Trinit. cap. 5. *Manifestum est, Deum abusive substantiam vocari.* 2. neque substantia dicitur de Deo, ut contrahibilis est per differentias, aut tamquam verum genus: in quo dictamine Anselmum secutus est Ang. Præcept. 1. contra Gent. cap. 25. & 1. parte quæst. 3. art. 5. Sed significantius loquendo de substantia, super lib. 1. Sentent. distinctione 8. quæst. 4. art. 2. ubi expresse quærit: *Utrum Deus sit in prædicamento substantiæ.* Resolutio est negativa. Duæ ejus probativæ rationes æedem sunt cum his, quas in hoc cap. tradit Anselmus. *Nomen*, inquit, *substantiæ imponitur à substando: Deus autem nulli substat.* 2. ait, *sumitur ex ratione ejus quod est in genere. Omne enim hujusmodi addit aliquid supra genus, & ideo illud quod est summe simplex, non potest esse in genere.* Eadem est sententia Magistri Sententiarum in distinct. citata. Quam probat quoque sicut nos ex D. Aug.

12 3. Substantia dicitur de Deo extrahendo nomen à sua primitiva significatione, & usu, & transferendo illud ad significandum id, quod hoc nomen *essentia*, quæ proprie, & vere convenit Deo. Et hæc doctrina est etiam D. Aug. in eodem loco proxime subjicientis: *ut nomine usitatiore intelligatur essentia, quod vere ac proprie dicitur.* Sed quia postea nomen substantiæ, juxta usum scholæ, designatum, & acceptum est ad significandum quamlibet per se, sive non in subjecto, existentem essentiam; ideo jam absolute potest dici quòd substantia non abusive, sed proprie dicatur de Deo. 4. substantia etiam pro essentia usurpata, neque quidvis aliud univoce prædicatur de Deo, & ejus creaturis. 5. denique: nomina quæ de Deo dicuntur, & creaturis non equivoce, sed analogice de ipsis prædicantur. Hoc asserit etiam D. Thom. 1. part. qnæst. 13. art. 5. 1. contra Gent. cap. 33. & 34.

* Al. cap. 26.

CAPUT XXVII.*

Quòd non contineatur in communi tractatu ſubſtantiarum ; & tamen ſit ſubſtantia, & individuus ſpiritus.

CONſtat igitur quia illa ſubſtantia nullo communi tractatu ſubſtantiarum includitur, á cujus eſſentiali communione omnis natura excluditur. Nempe cùm omnis ſubſtantia tractetur aut eſſe univerſalis, quæ pluribus ſubſtantiis eſſentialiter communis eſt ; ut, hominem eſſe, commune eſt ſingulis hominibus : aut eſſe individua, quæ univerſalem eſſentiam communem habet cum aliis ; quemadmodum ſinguli homines commune habent cum ſingulis, ut homines ſint : quomodo aliquis ſummam naturam in aliarum ſubſtantiarum tractatu contineri intelligit, quæ nec in plures ſubſtantias ſe dividit, nec cùm aliqua alia per eſſentialem communionem ſe colligit ? Quoniam tamen ipſa non ſolum certiſsime exiſtit, ſed etiam ſumme omnium exiſtit ; & cujuslibet rei eſſentia dici ſolet ſubſtantia ; profectò ſi quid digne dici poteſt, non prohibetur dici ſubſtantia. Et quoniam non noscitur dignior eſſentia, quàm ſpiritus aut corpus : & ex his dignior eſt ſpiritus, quàm corpus : utique eadem aſſerenda eſt eſſe ſpiritus, non corpus. Quoniam autem nec ullæ partes ſunt ejusdem ſpiritus, nec plures eſſe poſſunt ejusmodi ſpiritus ; neceſſe eſt ut ſit omnino individuus ſpiritus. Quoniam enim, ſicut ſupra conſtat, nec partibus eſt compoſitus, nec ullis differentiis vel accidentibus intelligi poteſt eſſe mutabilis ; impoſsibile eſt, ut qualibet ſectione ſit diviſibilis.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XXVII.

Conſtat igitur, quia illa ſubſtantia &c. ¶

1 Hoc cap. magis pars antecedentis, cum ejus ſit continuatio, & proſecutio, appellari potest, quàm cap. diversum. Sed parum hoc intereſt. Ergo ex dictis colligit Author Divinam ſubſtantiam nullo communi tractatu ſubſtantiarum includendam eſſe. Sentit itaque Author ſubſtantiam divinam collocari non poſſe, ut jam ſupra diximus in cap. antedenti, in Categoria, prædicamento ve ſubstantiæ : hoc enim intelligit per communem tractatum ſubſtantiæ, ut ex Dialogo de *Grammatico* capp. 16. 17. & 18. conſtat. Hæc consequentia legitime deducta est à dictis in cap. præcedenti. Substantia, quæ genus eſt, non prædicatur de Deo. At prædicamentum ſubstantiæ unum ex decem generibus ſupremis est.

2 *Nempe cum omnis ſubstantia tractetur aut eſſe universalis, &c.* ¶ Quamvis probatum jam fuerit Deum non contineri ſub aliquo prædicamento, ſignanter ſub prædicamento ſubſtantiæ, nihilominus hoc iterum probat, magisque explanat S. Doct. ex ratione quodam modo diſtincta, & magis logicali. Ratio itaque à præjactis incipit verbis : *nempe cum omnis ſubstantia tractetur, &c.* ideſt, cùm in tractatu de ſubſtantia dicatur, quòd omnis ſubſtantia aut univerſalis eſt, aut individua, &c. Ad captum vero incipientium ſic poteſt aptari. Metaphyſici de prædicamento ſubſtantiæ cum Ariſtotele tractantes, ſeu potius logici, duplicem diſtinguunt ſubſtantiam, cùm primam, ſcilicet, tùm ſecundam. Primam dicunt ſubſtantiam individuam, ſingularem, quæ divisa ab alijs, cum ejsdem iterum ſe colligit in aliquam ſubſtantiam communem;

ut

ut hic homo, Petrus, exempli gratia. Secundam vocant, quæ universalis eſt, pluribusve communis individuis; ceu homo, aquila, Leo: quæ per multa individua cum sola diverſitate numerica, divisa se propàgat: ſicut homo in homines ſingulos multos, Aquila in multas individuas ſimiles aquilas, & Leo ſimiliter in multos. At ſumma divina ſubstantia, neque eſt secunda, quia non dividitur in plures ſimiles ſubſtantias, quippe, ut in primis capp. probatum eſt, una neceſſario tantummodo eſt, non ſolum ratione, sed & in se ipsa: neque prima, quia etiam ibi probatum eſt summam eſſentiam ſic, quidquid eſt, per ſe, vel á se habere, ut nihil participet cum alijs; immo omnia eſſe ipſius summæ eſſentiæ participantia: prima vero ſubſtantia alias habet, aut habere poteſt comparticipes, id eſt, cum quibus propterea communionem habet, ſimilitudinem, unamque ſimpliciter rationem. Ergo ſumma eſſentia collocari non poteſt in categoria, prædicamentove ſubſtantiæ.

3 Ex hac ratione convincitur etiam tres divinas personas, quamvis substantia ſint, non eſſe, neque unam neque tres primas ſubſtantias: quia neque eſſentia divina multiplicatur in eis, ut per rationem possit recolligi in unum, atque universalis fieri; neque tres personæ dividunt per partes illam eſſentiam, aut cum participatione ipſius communicant in ea; sed unaquæque totam, indivisam, summe ſimplicem illam in se habet; & omnes ſimul unam, & eandem. Unde propterea non sunt, aut poſſunt nominari tres ſubſtantiæ, vel eſſentiæ, aut tres Dij: ſicut tres humanæ personæ, vere tres ſubſtantiæ, tres homines appellantur.

4 Hæc ratio, & doctrina Anselmi satis D. Aug. respondet in 1. de Trinit. cap. 6. dicenti: *Sicut dicuntur Abraham, Isaac, & Jacob, tria individua, ita tres homines, & tres animæ. Cur ergo, & Pater, Filius, & Spir. S. si secundum genus, & speciem, & individuum etiam ista dixerimus, non ita dicuntur tres eſſentiæ, ut tres ſubstantiæ, seu personæ?* Et multa alia ibi tradit, ut probet essentiæ trium divinarum personarum nec convenire eſſe genus, neque speciem.

5 *Quoniam tamen ipsa non solum certissime existit, &c.* ¶ Rationem affert Anselmus cur Deus digne queat dici ſubſtantia, eo sensu quo digne nos poſſumus de Deo loqui: nimirum, in usu jam eſt (ut supra diximus) quamlibet ſimpliciter eſſentiam, quæ in subjecto non exiſtit, sed in se ipsa ſuſtinetur, appellare subſtantiam. At summa eſſentia extra omne ſubjectum exiſtit, & non solum in se, & per se absque omni fulcro, tam interno, quam externo conservatur in suo eſſe; sed eſt etiam omnium ceterarum rerum per suam omnipotentem virtutem fulcimentum, ut in capp. 13. & 14. oſtensum fuit. Ergo, rectè poteſt Deus dici subſtantia, satis digne, & proprie pro noſtro captu. Conſ. D. Thom. 1. p. q. 3. art. 5. ad 1. quatenus dicit, quod nomen subſtantia: *Significat eſſentiam, cui competit ſic eſſe, id est, per se eſſe.*

6 *Et quoniam non noscitur dignior eſſentia, &c.* ¶ Anselmus hic accipit corpus pro quacunque re corporea, quæ spiritus non eſt, vivat vel non vivat, sentiat, vel non sentiat. Qua vero regula spiritus supra corpus dignitas, & nobilitas dignoscatur, diximus jam in Comment. super cap. 15. Qua etiam regula tribuenda eſt Deo spiritus perfectio præ corporis natura, ſtabilita quoque ibidem manet ab Authore.

7 *Quoniam autem nec ullæ partes sunt ejusdem ſpiritus &c.* ¶ Probat Author per dicta, & colligit, non niſi unum eſſe poſſe summum ſpiritum, seu Deum. Ratio eſt. Ille, qui ſic eſt ſimplex, ut nec partes habeat actu, nec in potentia, neceſſe eſt, ut unus, & individuus, tam phyſice, quàm logice ſit. Intellectus quippe non poteſt dividere in plures spiritus eum, qui saltem logice partes non habet, ſicut genus habet species, & species individua. At ſpiritus summus, id eſt, Deus, secundum dicta, ita eſt ſimplex, ut nullas actu, vel potentia partes habeat: non actu, quia juxta capp. 16. & 17. summa identitate, & ſimplicitate est quidquid est: non potentia, quia quod nullas in se admittit partes metaphyſicas, non potest habere genus metaphyſicum, neque differentiam; ſine quibus nec genus logicum habet species, neque species logica genus habet, neque individua speciem. Ergo omnino neceſſe eſt ut unus, & individuus ſit tantum summus ſpiritus; atque proinde non niſi unus Deus queat eſſe. Denique. Quia jam constat nullam Deum admittere univocationem cum creaturis, neque eſſe poſſe sub prædicamento, vel sub genere. Ergo nec re, nec intellectu, aut cogitatione possibile est ut ſint plures summi spiritus, aut plures Dij, sed unus tantummodo. D. Thom. 1. part. quæst. 11. art. 3. probat etiam Deum eſſe

unum

unum ex summa ejus simplicitate : & ex eodem principio idem probat super primum sentent. distinct. 24. quæst. 1. art. 1. & distinctione 19. quæst. 4. art. 2. ubi inquirit : *utrum in divinis sit totum universale.* Lege illum.

CAPUT XXVIII.*

* Al. cap. 27.

Quòd idem spiritus simpliciter sit, & creata, illi comparata, non sint.

VIdetur ergo consequi ex præcedentibus, quòd iste spiritus, qui sic suo quodam mirabiliter singulari, & singulariter mirabili modo est, quadam ratione solus sit : alia vero quæcunque videntur esse, huic collata, non sint. Si enim diligenter intendatur, ille solus videbitur simpliciter, & perfecte, & absolute esse ; alia vero omnia fere non esse, & vix esse : quoniam namque idem spiritus, propter incommutabilem æternitatem suam, nullo modo secundum aliquem motum dici potest, quia fuit, aut erit ; sed simpliciter, est : nec mutabiliter est aliquid, quod aliquando aut non fuit, aut non erit ; neque non est, quod aliquando fuit, aut erit ; sed quicquid est, semel, & simul, & interminabiliter est. Quoniam, inquam, hujusmodi est esse ejus ; jure ipse simpliciter, & absolute, & perfecte dicitur esse. Quoniam vero omnia alia secundum aliquid mutabiliter aliquando aut fuerunt, aut erunt, quod non sunt ; aut sunt, quod aliquando non fuerunt, vel non erunt : & quoniam hoc quia fuerunt, jam non est : illud autem, scilicet, quia erunt, nondum est ; & quia in labili, brevissimoque, & vix existente præsenti sunt, vix est. Quoniam ergo tam mutabiliter sunt ; non immeritò negantur simpliciter, & perfecte, & absolute esse ; & asseruntur fere non esse, & vix esse. Deinde, cum omnia, quæcunque aliud sunt quàm ipse, de non esse venerint ad esse, non per se, sed per aliud : & cum de esse redeant ad non esse, quantum ad se, nisi sustineantur per aliud : qnomodo illis simpliciter convenit, aut perfecte sive absolute esse ; & non magis, fere vix non esse? Cùmque esse solius ejusdem ineffabilis spiritus intelligi nullo modo possit, aut ex non esse inceptum, aut aliquem pati posse ex eo, quod est, in non esse, defectum : & quicquid ipse est, non sit per aliud, quàm per se, id est, per hoc quod ipse est : nonne hujus esse merito solùm intelligitur simplex, perfectumque, & absolutum ? Quod vero sic simpliciter, & omnimoda ratione solum est perfectum, simplex, & absolutum, id nimirum quodammodo jure dici potest solum esse : Et è contra, quicquid per superiorem rationem, nec simpliciter, nec perfectè, nec absolute esse; sed vix esse, aut fere non esse, cognoscitur ; id utique aliquo modo recte, non esse dicitur. Secundum hanc igitur rationem ille solus creator spiritus est : & omnia creata, non sunt ; nec tamen omnino non sunt, quia per illum, qui solus absolute est, de nihilo aliud facta sunt.

COM-

COMMENTARIUS.

CAPIT. XXVIII.

Videtur ergo consequi ex præcedentibus, &c. ¶

1 Statuit Author in cap. antecedenti Deum esse summam spiritualem substantiam, sive summum spiritum, quia natura spiritus dignior est, quàm quæcumque substantia corporea. Statuit pariter sic unum esse summum spiritum, vel Deum, ut absolute nec concipi queant plures summi spiritus, plures Dii. Statuit denique in cæteris capp. antecedentibus, Deum summe in omnibus perfectionibus defecatis esse perfectum, & à se, atque per se ipsum omnes has perfectiones habere, & esse. Ex his igitur tot assertis colligit nunc Author, quòd summus spiritus, Deus noster *quadam ratione solus ipse sit.* Nempe respicit Anselmus ad illud, quod Exodi 3. cap. ℣. 14. Dominus de se ipso dixit ad Moysem. *Ego sum, qui sum: & dices ad eos, qui est, misit me ad vos.* Supér quod Aug. uno verbo comprehensivo, compendiosoque dicit id in toto hoc cap. egregie illustratum ab Anselmo. *Est* enim, inquit Aug. 7. de Trinit. cap. 5. *Vere solus, quia incommutabilis est.* Hilarius lib. 1. de Trinitat. num. 5. *Admiratus sum, ait, plane tam absolutam de Deo significationem, quæ naturæ divinæ incomprehensibilem cognitionem aptissimo ad intelligentiam humanam sermone loqueretur. Non enim aliud proprium magis Deo, quàm esse, intelligitur; quia id ipsum quòd est, neque desinentis est aliquando, neque cæpti, &c.*

2 Noster Mag. Greg. 16. Mor. cap. 37. in editione Monach. Cong. S. Mauri, mirè consonat Anselmo, qui etiam simul respicere quivit ad illa verba Job. „ cap. 25. ℣. 13. *Ipse enim solus est, &c.* Itaque sapientissimus ait Greg. Nunquid „ non sunt Angeli, & homines, cœlum, & terra, aer, & maria, cuncta volatilia, quadrupedia, atque repentia? Et certe scriptum est: *Creavit ut essent omnia.* Cum ergo in rerum natura, tam multa sint, cur beati viri voce nunc dicitur: „ *Ipse enim solus est?* Sed aliud est esse, aliud principaliter esse, aliud mutabiliter, „ atque aliud immutabiliter esse. Sunt enim hæc omnia, sed principaliter non sunt. „ Quia in semetipsis minime subsistunt, & nisi gubernantis manu teneantur, esse „ nequaquam possunt ::: Cuncta quippe ex nihilo facta sunt, eorumque essentia rursum ad nihilum tenderet, nisi eam Author omnium regiminis manu retineret :: In „ omni igitur causa solus ipse intuendus est, qui principaliter est. Qui etiam ad Moysen dicit. *Ego sum qui sum, &c.* Vir itaque S. despiciat quidquid exterius terret: „ & mentis oculo supressis omnibus, intueatur unum, in cujus essentiæ comparatione esse „ nostrum non esse est, & dicat: *Ipse solus est.*

3 „ Noster itidem P. Bern. 5. de Considerat. cap. 6. cum Anselmo cete„ risque Patribus currit. Quis est? (loquitur de Deo) Non sane occurrit melius, quam „ *qui est.* Hoc ipse de se voluit responderi:: Merito quidem. Nihil competentiùs æter„ nitati, quæ Deus est. Si bonum, si magnum :: &c. in hoc verbo instauratur: *quod est,* „ *est.* Nempe hoc est ei esse quod hæc omnia esse. Si & centum talia addas, non re„ cessisti ab esse. Si ea dixeris, nihil addidisti: Si non dixeris, nihil minuisti. Si vi„ disti hoc tam singulare, tam summum esse: nonne in comparatione hujus, quidquid „ hoc non est, judicas potius non esse quam esse? Quid item Deus? Sine quo nihil „ est. Tam nihil esse sine ipso, quàm nec ipse sine se potest. Ipse sibi, ipse omnibus „ est. At per hoc quodam modo ipse solus est, qui suum ipsius est, & omnium esse. Hucusque Bernad.

4 Multo ante hos omnes S. Justinus Philosophus, & Martyr Cohortat. ad Græc. num. 22. in Edition. Congreg. S. Mauri tradit, excellentem inter eosdem Græcos Philosophum Platonem à Moyse sumpsisse doctrinam, quæ certe consentanea est in„ terpretationi Patrum. Plato, inquit S. Just. in illo diligenter elaborato opere, Timeo, „ in quo de rebus divinis disputare instituit, idem de Deo scripsit, ac Moyses. Ait

„ enim : *Primum meo quidem judicio discernendum quidnam ſit illud , quod semper* „ *quidem existit , factum autem non est ; & quid illud quod ſit quidem semper, num-* „ *quam autem existit.* An non hoc , ò Græci, his , qui intelligere poſſunt, unum , & „ idem videbitur, ſolo articulo * diverſum ? Dixit enim Moyses , exiſtens ille. Plato „ autem , exiſtens illud : utrumque autem ſemper exiſtenti Deo congruere manifeſtum eſt. Ipse enim ſolus , qui ſemper exiſtat , nec factus ſit. Hæc ibi S. Juſtinus. Ubi Plato idem videtur dicere per illa verba : *Quod semper quidem existit , factum non est*, quod Anselmus cæterique PP. dicunt de æternitate , & immutabilitate Dei : hoc quippe contraponit his quæ loquitur de creatura : *& quid illud quod ſit quidem semper, numquam autem existit.* Creatura , clarum eſt , quòd non ſemper fiat ſubſtantialiter , ſed ſecundum ſubſtantiam aliquando facta exiſtat, præsertim ſpiritus , & anima rationalis. Ergo hoc dicit Plato ob creaturæ perpetuam mutationem , & variationem ſecundum tempora , vel ævum ; quemadmodum hìc explicatur ab Anselmo.

NOTA. Qui græce ſciunt , perfectè calent, quid ſibi velint hæc S. Juſtini verba : *Solo articulo diverſum.*

5 Hæc ſufficere poterant pro interpretatione litteræ noſtri Authoris : præcipue cum ipse amplius , & clarius in hoc cap. ſcribat , quam alibi frequenter aſſolet. Sed nihilominus propter candidatos aliquid adhuc ex noſtro dicamus. Itaque S. Doct. non intendit dicere quòd Deus ſolus in omni ratione ſit ; quòd creata nulla ratione ſint: Sed addit quòd Deus , vel ſummus ſpiritus *quadam ratione solus ſit* ; alia vero *illi collata* ſivè in comparatione ipſius *non ſint.*

6 *Si enim diligenter intendatur &c.* ¶ Sensum jam explicat , ſeu illam quandam rationem , ſub qua Deus ſolus eſt ; alia vero non ſint. Nempe , in ſensu abſolute perfecto , & ſimpliciter tali ſolus Deus eſt ; & ſub eodem ſensu alia omnia non ſunt : quia fere non sunt , & vix ſunt. Deus ergo ſolus poteſt dici , & vere dicitur, quòd ſit absque ulla determinatione , non hoc , vel illud, non hìc, aut ibi , non in hoc vel illo tempore , ſed absolute , perfecte , & ſimpliciter eſt ; id eſt , *ipsum eſſe* , quod omne eſſe , omnis perfectio , omnis duratio eſt. Creatura vero non poteſt dici quòd ſit ſine additamento , ac determinatione ; ſed ſolùm quòd ſit hoc vel illud , Angelus , homo , Aquila , Leo , &c. hìc , vel illic ; hoc vel illo tempore , aut *ævo*. Itaque quando Deus dicitur , *qui est* , uno verbo infinitum dicitur : quando autem creatura dicitur eſſe hoc , vel illud , homo v. g. vel equus , tantillum *eſſe* dicitur , & infinitum *non-esse* dicitur : unde creatura includit in ratione ſua infinitas negationes. At Deus nullum *eſſe* negat , ſed omne *eſſe* in ſe perfectiſſime , & ſimpliciſsime includit.

7 *Quoniam namque idem ſpiritus , propter incommutabilem æternitatem ſuam , &c.* ¶ Id quod diximus , alio modo explicat Anselmus intelligendo *eſſe* pro ipſum *existere* de præsenti. Nam quamvis ens , eſſentia , & eſſe , ut ipse dixit in fine cap. 6. ſic adinvicem ſe habeant , ſicut lux , lucere , & lucens ; nihilominus quantum ad modum ſignificandi melius explicatur infinitudo , & æternitas , dum dicitur , *Deus esse, qui est , vel qui existit* , quam ſi dicatur , *Deus est eſſentia , vel , ipsum ens.* Qua propter supra inquiebat Bern. Quòd nihil competentius æternitati , quàm hæc expreſsio : *Qui est.* Itaque dicit Anselmus Deum ſimpliciter , perfecte , & absolute eſſe, atque exiſtere , quia in eo nullus est motus , neque tranſitus de non eſſe ad eſſe , cùm numquam inceperit ; neque de eſſe ad ſic , vel ſic eſſe , neque de ſic eſſe ad aliter eſſe; ſed quod eſt , semper ipse fuit ; & quod fuit, semper est , & quod ſemper fuit & eſt, ſemper futurus eſt. Uno verbo : quia ſemel , & ſimul & interminabiliter eſt quidquid eſt. Creatura vero quia á contrario tranſit de non eſſe ad eſſe , de eſſe ſic , ad aliter eſſe ; vel ſubstantialiter , ſicut omnes res ex materia , & forma compoſitæ ; vel ſaltem accidentaliter , velut omnes Spiritus Angelici , & animæ rationales ; ideo non ſimpliciter , non perfecte , non abſolute eſt & exiſtit , ſed fere non eſt , & vix eſt. Itaque omnis creatura per totam retro æternitatem non fuit. Spiritualis autem quamvis in futurum ſempiterna erit , hoc tamen habet ex beneficio Dei ; & in quolibet momento absolutè in nihilum redigi à Deo poteſt : deinde , licet ejus ſubſtantia tota ſimul exiſtat , non tamen tota ſimul exiſtit ejus vita , sed per partes ; ita ut actu in unico momento vivat , quamvis in potentia habeat vivere in perpetuum. Certe videndo Deum , vivunt Angeli , & animæ rationales , æterna vita ; sed non absolutè, perfectè , & ſimpliciter æterna , sed per participium , & cum initio , licet non reali fine: quod dico , quia , ut inquit Author cap. 20. Proslog. abſolute poteſt intelligi cum fine ſui *eſſe* , quamquam re ipſa numquam finitura. Corporalis vero , & compoſita ex materia , & forma creatura , etiam ſubſtantialiter corrumpitur , aut corrumpi poteſt , & non ſolum anichilari : & mutationes , & varietates accidentales , magis , vel minus , omni-

bus

bus creaturis communes ſunt. Quapropter de omnibus propriè dicitur quod fuerint, & futuræ ſunt, ſaltem ſecundum formas, vel affectiones, & operationes accidentales, ita ut aliquid fuerint, quod jam non ſint, aliquid futuræ ſunt, quod nondum ſunt, & aliquid ſunt, quod nec fuerunt, nec futuræ ſunt. Hac de cauſa non dicit Author abſolute de omnibus creaturis, quòd mutabiliter aliquando aut fuerunt, aut erunt, quod non ſunt, aut ſunt quod aliquando non fuerunt, vel non erunt; ſed cum hoc temperamento, *ſecundum aliquid.* Sciebat enim quod explicuimus de ſpiritualibus ſubſtantiis, corruptibiles ſcilicet, vel mutabiles ſecundum ſubſtantiam naturaliter non eſſe.

8 *Deinde, cum omnia, qnæcumque aliud ſunt quam ipſe, de non eſſe venerint ad eſſe, non per ſe, ſed per aliud &c.* Aliam adjicit rationem Author cur Deus ſimpliciter perfectè, & absolutè eſt, & exiſtit; cœtera vero dici non possint ſimplicitet eſſe, perfecte, & absolute. Ratio hujusmodi eſt. Deus ſolus eſt qui nullo modo intelligi poteſt, aut ex non eſſe incœpiſſe eſſe, aut aliquando deſinere eſſe: ut constat ex cap. 18. cum quinque ſequentibus, & amplius conſtabit ex libro Apologetico contra Gaunilonem: & ipse solus eſt qui non per aliud, quám per se ipsum, id eſt, per ſuam omnimodam ſimplicitatem, & nequaquam per aliud, neque ab alio, ſcilicet neque à causa formali, materiali, neque efficienti, neque inſtrumentali, est quidquid ipse Deus eſt; ut pariter conſtat á cap. 1. usque ad 7. cœtera omnia ab ipso Deo ex nihilo creata ſunt, ut ex eisdem capp. adjectis tribus ſequentibus, jam quoque demonſtratum eſt; & niſi ab ipso Deo retinerentur, subſtinerentur, conservarentur in eſſe, abirent in nihilum, ut æquè patet ex capp. 13. & 14. Ergo solus Deus ſimpliciter, perfecte, & absolute eſſe dicendus eſt; cunctæ vero creaturæ non ſimpliciter, perfectè, & absolute eſſe, & existere judicandæ ſunt, sed in comparatione Dei vix eſſe, & fere non eſſe. At, ſubjungit denique Author: Quod nec ſimpliciter, nec perfecte, nec absolute, sed vix eſſe aut fere non eſſe cognoscitur, id utique aliquo modo recte non eſſe dicitur: ſicut á contrario id quod ſolum perfectum, ſimplex, & absolutum eſt, id quodam modo iure dici poteſt ſolum eſſe. Ergo juxta prædictas rationes ſolus creator ſpiritus, solus Deus nominandus eſt *qui est*, vel ſolus ipse eſt; omnia vero creata possunt dici, quòd non ſint, vel quòd magis non ſint quàm ſint, quamvis de nihilò ab ipso Deo aliquid facta ſint.

CAPUT XXIX.*

*Al. cap. 28.

Quòd ejus locutio idipſum ſit, quod ipſe, & ipſi ſit conſubſtantialis, cùm non ſint duo, ſed unus ſpiritus.

IAM vero his quæ de proprietatibus hujus ſummæ naturæ ad præſens mihi ducem rationem ſequenti occurrerunt, perspectis; opportunum exiſtimo ut de ejus locutione, per quam facta ſunt omnia, ſi quid poſsim, conſiderem. Etenim cùm omnia, quæ de illa ſupra potui animadvertere, rationis robur inflexibile teneant, illud me maxime cogit de illa diligentius discutere, quia idipſum, quod ipſe ſummus ſpiritus eſt, probatur eſſe. Si enim ille nihil fecit, niſi per ſeipſum; & quicquid ab eo factum eſt, per illam eſt factum: quomodo illa eſt aliud, quàm quod eſt idem ipſe? Amplius: aſſerunt utique inexplicabiliter ea, quæ jam inventa ſunt, quia nihil omnino potuit unquam, aut poteſt ſubſiſtere præter creantem ſpiritum, & ejus creaturam. Hanc vero ſpiritus ejusdem locutionem, impoſsibile eſt inter creata contineri: quoniam quicquid creatum ſubſiſtit, per illam factum eſt; illa vero per ſe fieri non potuit. Nihil quippe per ſeipſum fieri poteſt: quia quicquid fit, poſterius eſt eo per quod fit; & nihil eſt poſterius ſeipſo. Relinquitur itaque ut hæc ſummi ſpiritus locutio, cùm creatura eſſe non poſsit, non ſit aliud quàm ſummus ſpiritus. Denique ipſa locutio nihil aliud poteſt intelligi, quám

ejus-

ejuſdem ſpiritus intelligentia, qua cuncta intelligit. Quid enim eſt aliud illi rem loqui aliquam, hoc loquendi modo, quàm intelligere? Nam non, ut homo, non ſemper dicit quod intelligit. Si igitur ſumme ſimplex natura non eſt aliud, quàm quod eſt ſua intelligentia, quemadmodum eſt idem, quod eſt ſua ſapientia: neceſſe eſt, ut ſimiliter non ſit aliud, quam quod eſt ſua locutio. Sed quoniam jam manifeſtum eſt ſummum ſpiritum unum tantum eſſe, & omnimode individuum: neceſſe eſt ut ſic illi hæc ſua locntio ſit conſubſtantialis, ut non ſint duo, ſed unus ſpiritus.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XXIX.

1 *Jam vero his, quæ de proprietatibus hujus ſummæ naturæ, &c.* ¶ In fine Commentarij cap. 12. monui, illud cap. ab hoc ita pendere, ut illud putandum ſit tamquam 1. pars, & hoc tamquam 2. ſicut cap. quod proxime ſequitur tamquam 3. & ultima unius ejusdemque capitis. Diximus etiam ibi Authorem reliquiſſe pendentem, imperfectum, & quodammodo ſuſpensum discursum usque ad præsens caput, ea ſcilicet de causa, quia prius tractare voluit, ſicut recta methodus exigebat, de unitate Dei, ſive de Deo, ut uno ipſiusque attributis, vel proprietatibus, ut loquitur noſter Author, quàm de Deo ut trino. Itaque perſpectis, ait Anselmus, his, quæ de proprietatibus ſummæ eſſentiæ, quatenus eſſentia eſt, ipſi, duce ratione, occurrerunt; opportunum jam exiſtimat de tribus personis divinis incipere tractare. Aliquid jam tetigit in prædicto cap. à quo nunc initium facere vult, tamquam ab eo quod huc proprie pertineat. Ergo ad cognitionem totius Trinitatis, non per divinas ſcripturas, ſed ratione ducente per ea, quæ facta sunt, tamquam per veſtigium Trinitatis quod invenitur in omnibus ſubſtantijs creatis ſecundum D. Thom. in 1. diſtinct. 3. quæſt. 2. art. 3. & præsertim per creaturas rationales, tamquam in quibus eſt quædam imago Sanctiſsimæ Trinitatis juxta D. Aug. 14. de Trinit. cap. 18. & eundem Ang. Præcept. diſtinct. citata quæſt. 3. art. 1. & 1. part. quæſt. 93. art. 5. accingit ſe Author. Eò per rationes in undecim primis capp. exhibitas, animum intendit, ut inveniret in Deo eſſe locutionem intimam, & mentalem, non aliunde acceptam, qua cunctam quaſi dixit creaturam; exprimendo, ſcilicet, rationem, ideam, & exemplar omnium rerum. Sed ſcire reſtat utrum hæc locutio accidentalis, an conſubſtantialis ſit ipſi Deo dicenti, ſimulque ab eo diſtincta. Si enim hæc locutio consubſtantialis fuerit Deo dicenti, & ſimul ab eo realiter diſtincta; ſtatim obtinebimus jam duas in Deo eſſe personas, alteram dicentem, & alteram dictam. Quamvis ſi solum conſubſtantialis probetur, ſimul probabitur, quòd ſit realiter diſtincta: consubſtantialitas enim, proprie loquendo, non eſt unius ad se ipsum, sed unius ad alterum. Prædictam locutionem Deo non eſſe accidens, vel non diſtingui à divina eſſentia, ſed eſſe idem cum ipsa, incæpit Author probare in supra dicto cap. 12. Probationem illam iterum hic resumit, & ab ea greſſum facit, ut quæ ſequuntur cum antecedentibus conjungat; nimirum quæ pertinent ad Deum, ut Trinum, cum his, quæ spectant ad Deum, ut unum. Nos autem propter rationem quam in dicto cap. dedimus, per anticipationem totius fere præsentis cap. Commentarium ibi fecimus. Quapropter non eſt cur nunc multum immoremur. Brevi itaque, & fere ſine expoſitione rationes Authoris dabimus.

2 *Illud me maxime cogit de illa diligentius discutere, &c.* ¶ Ergo quod intendit Author probare eſt, locutionem divinam per quam cunctas creaturas, & intra se quaſi dixit, & extra se ex nihilo fecit, ut in cap. 9. cum duobus sequentibus probatum eſt, indiſtinctam eſſe à summa eſſentia, à summo spiritu, à Deo. Sed antequam probationes exhibeamus, iterum monendum eſt, Authorem paulatim in hoc opere progreſſum facere. Quapropter cum usque ad cap. 27. non fuerit usus nomine Dei, nec nomine ſpiritus, sed duntaxat nominibus, "summa eſſentia, summa natura, „ summa subſtantia, summum ens, summum bonum, summum magnum; á prædicto cap. utitur jam loco *summæ eſſentiæ*, &c. nomine *summi ſpiritus*, eò quod ibidem probaverit summam ſubſtantiam eſſe debere potius ſpiritum, quàm corpus. Itaque cum ſpi-

ſpiritus melius , quàm nomen ſubſtantia , suppoſitum ſignificet , hinc jam tacite ſimul probatum habet summum spiritum , cujus eſt prædicta locutio , ſicut eſt ipſius summæ eſſentiæ , summæ subſtantiæ , suppoſitum , immo & personam eſſe. Persona quippe deffinitur à Boetio : *Rationalis naturæ individua subsistentia , vel incommunicabilis existentia* : ut corrigit Ricardus à S. Victore 4. de Trinit. cap. 18. qui ſic deffinit personam divinam : *Persona est divinæ naturæ incommunicabilis existentia.* Ergo ſive secundum unam , ſive secundum aliàm deffinitionem , summus , & individuus spiritus proculdubio persona eſt ; cum summus spiritus ſit summa eſſentia , summa subſtantia , atque adeo , & summa natura , quæ non alia eſt , quam natura divina , vel Dei : Hæc autem natura probata eſt jam eſſe rationalis tum cap. 15. tum 16. immo , & in 9. & 10. in quibus probatum est summam eſſentiam cuncta feciſſe rationabiliter , ſive per rationem , ideam , & exemplar. Habemus ergo summum individuum ſpiritum , cujus est dicta locutio , eſſe veram personam. Videamus ergo quomodo ipsa locutio persona quoque poterit eſſe : hoc autem non in hoc solo cap. sed paulatim quoque per sequentia multa capp. usque ad 43. Author complete probat. Ergo nunc cum ipso probemus primum , locutionem summi spiritus id ipsum eſſe, quod ipſe ſummus spiritus.

3 *Si enim ille nihil fecit niſi per se ipsum , &c.* ¶ Hæc est 1. ratio Authoris , quæ jam non semel dicto cap. 12. propoſita ab eo est. Summus spiritus , vel Deus nihil fecit , niſi per se ipsum : ut probatum manet à 1. cap. usque ad 9. at quidquid fecit , per suam locutionem fecit : ut etiam ostensum est in cap. 9. cum duobus sequentibus. Ergo nihil consequentius , quàm quod summus spiritus id ipsum est , quod sua locutio ; & sua locutio non aliud quam ipse summus spiritus.

4 *Amplius , &c.* ¶ Inventum est jam , & demonstratum in 1. cap. quòd nihil omnino potuit , aut poteſt eſſe , præter summam naturam creatricem (quæ, ut jam dictum , eſt summus individuus ſpiritus , & Deus ipse) & ejus creaturam: vel aliter , quòd quidquid eſt , vel eſt increatum , vel creatum. At , prædicta locutio ſummi ſpiritus , vel Dei , non poteſt eſſe creata. Ergo eſt increata. Probatur minor. Deus omnia fecit , ut dictum jam eſt in capp. 9. 10. & 11. per hanc suam locutionem. At non fecit ea per aliquid creatum. Ergo talis locutio non eſt aliquid creatum. Minor probatur. Juxta dicta in cap. 7. Deus non per aliud sed per se ipſum cuncta condidit. Sed ſi feciſſet per aliquid creatum , non feciſſet per ſe ipſum , sed per aliud , cum ipſe non ſit creatus. At cuncta creavit , ut dictum eſt , per ſuam locutionem. Ergo locutio sua non eſt aliquid creatum , sed ipse Deus eſt.

5 *Denique , hæc ipsa locutio nihil aliud potest intelligi, &c.* ¶ Hæc locutio per exemplum Artificis probata eſt ab Authore in cap. 10. quòd locutio ſit interna , verbum mentis , & opificij faciendi idea præcogitata. Ergo hæc locutio, recte dicit Author , quòd nihil aliud poteſt intelligi , quam ejusdem ſpiritus ſive Dei intelligentia , qua cuncta intelligit. Sed intellige Authorem loquentem in sensu reali, & identitatis , non autem in omni ſensu formali. Nam locutio intellecta notionaliter, non idem omnino formaliter intelligitur , quod intelligentia , qua Deus cuncta intelligit , niſi intelligentia etiam notionaliter ſumatur.

6 *Nam non , ut homo , non semper dicit , quod intelligit, &c.* Hominem lingua corporali non semper dicere quod intelligit , experientiâ propriâ unicuique compertiſsimum eſt. Sed linguâ mentis quomodo non ſemper dicit , quod intelligit ? Certe D. Thom. 1. parte quæſt. 27. art. 1. in corp. dicit : *Quicumque intelligit, ex hoc ipso , quod intelligit , procedit aliquid intra ipsum , quod est conceptio rei intellectæ ex vi intellectiva proveniens :: & dicitur verbum cordis.* Deinde. Licet opiniones hinc inde ſint , an beati verbum producant , vel non : quod tamen omnes in hac vita experimur eſt , nihil nos intelligere ſine verbo. Author vero in hoc opere nullum exemplum , nullamque rationem ab ignotis omnino ſed à notis , aliquo modo saltem , adducere debet.

7 Sed quàm primum ſciendum eſt Authorem , ſicut in ſententijs , ita in expreſsionibus , & vocum ſignificationibus Parentem sequi Aug. Neque voces in omnibus sæculis acceptæ in eadem ſignificatione fuerunt , qua vel in tempore D. Thom. vel noſtris temporibus usurpatæ sunt. Itaque Author diſtinguit cum D. Aug. lib. 10. de Trinit. cap. 5. inter noscere , aut intelligere aliquid , & illud cogitare. *Cum aliud ſit non se nosse* , inquit Aug. *aliud non se cogitare (neque enim multarum doctrinarum peritum , ignorare grammaticam dicimus , cum eam non cogitat , quia de medicinæ arte tunc cogitat) Cum ergo aliud ſit non se nosse , aliud non se co-*

gitare, &c. Et lib. 15. de Trinit. cap. 15. rationem ſimul dat de eo quod dicit Anſelmus, hominem non ſemper dicere quod intelligit. *Sempiternum eſt*, ait Aug. *animo vivere, ſempiternum eſt ſcire quod vivit: nec tamen ſempiternum eſt cogitare vitam ſuam, vel cogitare ſcientiam vitæ ſuæ: Quoniam cum aliud atque aliud cœperit, hoc deſinet cogitare, quamvis non deſinat ſcire. Ex quo fit, ut ſi poteſt eſſe in animo aliqua ſcientia ſempiterna, & ſempiterna eſſe non poteſt ejusdem ſcientiæ cogitatio, & verbum verum noſtrum intimum niſi noſtra cogitatione non dicitur, ſolus Deus intelligatur habere verbum ſempiternum ſibique coeternum.*

8 Si autem alicui aliud videtur eſſe intelligere, aliud noscere, vel ſcire: audiat dicentem idem de intelligere Aug. 14. de Trinit. cap. 7. *Duarum vel plurium diſciplinarum peritus, quando unam cogitat, aliam, vel alias etiam ſi non cogitat, novit tamen. Sed numquid recte poſſumus dicere: Iste muſicus novit quidem muſicam, eam non intelligit, quia eam non cogitat; intelligit autem nunc geometricam, hanc enim nunc cogitat? Absurda eſt, quantum apparet, iſta ſententia.* Eandem inter cogitare, & intelligere diſtinctionem tradit in fine cap. 6. ejusdem lib. & in fine lib. 10.

9 Ergo secundum Aug. multa intelligimus, quæ non cogitamus, vel etiam quando de eis non cogitamus. At secundum ipſum in verbis relatis, non dicimus, quando non cogitamus: quia *verbum verum noſtrum intimum niſi noſtra cogitatione non dicitur.* Ergo in doctrina M. Parentis non semper dicimus, quod intelligimus. Quæ propoſitio eſt ipsa Anselmi aſſertio, quam versamur.

10 Quamvis protulerimus verba D. Thom. ex 1. part. deſumpta, in quibus dicere videtur quod nihil intelligatur, niſi dicendo, non poſſumus non alia ipſius „ conferre verba super 1. sentent. diſtinct. 3. quæſt. 4. art. 5. in corp. Respondeo „ dicendum, eò loci inquit, quòd secundum Aug. (de Util. credendi cap. 11.) dif„ ferunt cogitare, discernere, & intelligere. Discernere eſt cognoscere rem per diffe„ rentiam ſui ab alijs. Cogitare autem eſt conſiderare rem ſecundum partes, & proprie„ tates ſuas: unde cogitare dicitur quaſi coagitare. Intelligere autem dicit nihil aliud „ quàm ſimplicem intuitum intellectus in id, quod ſibi eſt præsens intelligibile. Dico „ ergo, quòd anima non ſemper cogitat, & discernit de Deo, nec de ſe:: Sed secun„ dum quod intelligere nihil aliud dicit, quàm intuitum, qui nihil aliud eſt, quàm „ præsentia intelligibilis ad intellectum quocumque modo; ſic anima semper intelligit „ ſe, & Deum indeterminate, & consequitur quidam amor indeterminatus. Alio tamen „ modo, secundum philosophos, intelligitur quòd anima semper se intelligit, eò quod „ intelligitur, non intelligitur, niſi illuſtratum lumine intellectus agentis, & receptum „ in intellectu possibili &c.

11 Et diſtinct. 27. quæſt. 2. art. 1. in corp. ait: Sciendum eſt, quòd in „ operationibus intellectus eſt quidam gradus. Primo enim eſt ſimplex intuitus intellec„ tus in cogitatione intelligibilis, & hoc nondum habet rationem verbi. Secundo eſt „ ibi ordinatio illius intelligibilis ad manifeſtationem, vel alterius, secundum quod ali„ quis alteri loquitur, vel ſui ipſius, secundum quod contingit aliquem etiam ſibi ipſi „ loqui; & hæc primo accipit rationem verbi: inde verbum, nihil aliud dicit, quàm „ quandam emanationem ab intellectu per modum manifeſtantis. Ergo non ſemper ſenſit D. Thom. intelligere idem eſſe quod cogitare, vel dicere; nec ex hoc ipso, quòd quomodocumque intelligamus, dicimus aliquid, vel loquimur. Deus autem cùm æternus ſit, ac summe perfectus, non poteſt quandoque dicere, vel loqui, quandoque non; sed ſemper & semel dicit, ac loquitur, ſicut ſemper & semel cuncta intelligit. Recte ergo dicit noſter Author, quòd non, ſicut homo, non semper dicit, quod intelligit.

12 *Si igitur ſumme ſimplex natura non eſt aliud &c.* Explicata jam prima propoſitione hujus ultimæ rationis, nempe, quòd locutio Dei ſit idem, quod ipſius intelligentia, qua cuncta intelligit, & quod ſicut ſempiterna eſt intelligentia, ita & ſempiterna eſt locutio, nunc ſic procedo cum Authore: Sed ſummus ſpiritus, vel Deus, cum ſit summe ſimplex natura juxta dicta in capp. 16. & 17. non eſt aliud quàm quod eſt ſua intelligentia, quemadmodum eſt idem quod eſt ſua ſapientia. Ergo neceſſe eſt, ut ſimiliter non ſit aliud, quàm quod eſt ſua locutio. At ipse summus ſpiritus, ipse Deus eſt ſumma eſſentia, & ſumma ſubſtantia. Ergo sua locutio pariter eſt ſumma ſubſtantia, summaque eſſentia.

13 *Sed quoniam jam manifeſtum eſt ſummum ſpiritum tantum eſſe &c.* Nunc ſic procedit: ſed manifeſtum eſt per doctrinam cap. 27. ſummum ſpiritum, qui & Deus

Deus eſt, unum tantummodo eſſe, & omnimode individuum, id eſt, tam phyſice, quàm logicè, tam re quàm ratione. Ergo neceſſe eſt ut ipse cum ſua locutione, & locutio sua cum ipso non ſint duo, ſed unus & omnimode individuus spiritus, unus Deus. Aliunde autem locutio à loquente aliquo modo debet diſtingui. Ergo talis locutio non ſolum eſt summa subſtantia, ſed etiam eſt Deo consubſtantialis. Ecce jam inſinuatam ab Authore, & aliqualiter probatam diſtinctionem duarum primarum divinarum personarum, & ipsarum conſubſtantialitatem, & unitatem Deitatis.

CAPUT XXX. *

* Al. cap. 293

Quòd eadem locutio non conſtet ex pluribus verbis ſed ſit unum verbum.

CUR igitur dubitem, quod ſupra dubium dimiſeram; ſcilicet, utrum hæc locutio in pluribus verbis, an in uno verbo conſiſtat? Nam ſi ſic eſt ſummæ naturæ conſubſtantialis, ut non ſint duo, ſed unus ſpiritus: utique ſicut illa ſummè ſimplex eſt, ita & iſta. Non igitur conſtat pluribus verbis; ſed eſt unum verbum, per quod facta ſunt omnia.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XXX.

Cur igitur dubitem, quod ſupra dubium dimiſſeram &c.

1 Hoc cap. nil aliud eſt, quàm consequentia legitima antecedentis. Hæc vero ſuspensa fuerat relicta in cap. 12. ubi lectorem monuimus, Authorem circa hoc pro tunc personam agere quaſi dubitantis, vel ut nos dicere ſolemus, præscindentis, non autem positive hæſitantis. Propterea nunc incipit. *Cur igitur dubitem, quod ſupra dubium dimiſſeram; ſcilicet, utrum hæc locutio in pluribus verbis, an in uno verbo conſiſtat?* Hæc nimirum locutio, per quam summa divina natura, vel Deus cunctas creaturas, antequam faceret, præconcepit, & per ipsam, tamquam per illarum exemplar, ex nihilo fecit. De hac igitur, quia res creatæ plurimæ ſunt, quasi dubitando dixerat: *ſive ſingula ſingulis verbis, ſive potius uno verbo ſimul omnia dicendo.* Nunc autem dubium determinat & pro uno duntaxat verbo ex dictis sententiam colligit, & judicium fert.

2 *Num ſi ſic est ſummæ naturæ consubstantialis &c.* In his paucis verbis, & reſolvendo probat, & probando resolvit, hoc ſcilicet modo. Ex cap. antecedenti constat, quòd ista locutio ita consubſtantialis ſummæ naturæ ſit, ut hæc, & ipſius ſive Dei locutio non ſint niſi unica ſubstantia, unus & individuus omnino ſimplex ſpiritus, id est, Deus. Ergo ſic est una & ſimplex ista locutio, ſicut ſimplex est summa natura, summus ſpiritus, Deus. At hic ita est ſimplex, ut ex distinctis nequaquam conſiſtat. Ergo nec locutio ex distinctis componitur verbis: ſed est unum duntaxat verbum, per quod facta sunt omnia. Et en probatum jam totum initium Evangelii S. Joann. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta sunt, & ſine ipso factum est nihil.* De verbo agit D. Thom. in 1. Sentent. distinct. 27. quæst. 2. ubi in art. 1. quærit, *utrum verbum dicatur proprie in Divinis*, & resolvit, ſicut debet, affirmative. In art. 2. *Utrum dicatur personaliter*: & pariter affirmative resolvit. In disputatis agit per multos articulos quoque de Verbo: & in 1. part. quæst. 34. per tres articulos. Ubi in 1. quærit, *utrum verbum in divinis ſit nomen personale, & resolvit. Dicendum, quòd nomen Verbi in divinis, ſi proprie ſummatur, est nomen personale, & nullo modo*

esen-

essentiale. Et post multa: *Dicitur autem*, ait, *proprie Verbum in Deo secundum quod verbum significat conceptum intellectus. Unde Aug. dicit in 15. de Trinitat. Quisquis potest intelligere Verbum, non solum antequam sonet, verum etiam antequam sonorum ejus imagines, cogitationi involvantur, jam potest videre aliquam Verbi illius similitudinem, de quo dictum est: In principio erat Verbum. Ipse autem conceptus cordis de ratione sua habet, quod ab alio procedat, scilicet à notitia concipientis. Unde verbum secundum quod proprie dicitur in divinis, significat aliquid ab alio procedens, quod pertinet ad rationem nominum personalium in divinis, eò quod personæ divinæ distinguuntur secundum originem.* Et quæst. 27. art. 2. ad 2. ait: *Quod intelligere in nobis non est ipsa substantia intellectus. Unde verbum quod secundum intelligibilem operationem procedit in nobis, non est ejusdem naturæ cum eo, à quo procedit:: Sed Sed intelligere divinum est ipsa substantia intelligentis. Unde Verbum procedens procedit ut ejusdem naturæ subsistens.*

CAPUT XXXI. *

* Al. cap. 30.

Quòd ipsum verbum non sit similitudo factorum; sed veritas essentiæ: facta vero, sint aliqua veritatis imitatio, & quæ naturæ magis sint, & præstantiores quàm aliæ.

SED ecce videtur mihi suboriri nec facilis, nec ullatenus sub ambiguitate relinquenda quæstio. Etenim omnia hujusmodi verba, quibus res quaslibet mente dicimus, id est, cogitamus, similitudines, & imagines sunt rerum, quarum verba sunt: & omnis similitudo vel imago, tanto magis vel minus est vera, quanto magis vel minus imitatur rem, cujus est similitudo. Quid igitur tenendum est de verbo, quo dicuntur, & per quod facta sunt omnia? Erit, an non erit similitudo eorum, quæ per ipsum facta sunt? Si enim ipsum est vera mutabilium similitudo; non est consubstantiale summæ incommutabilitati: quod falsum est. Si autem non omnino vera, sed qualiscunque similitudo mutabilium est; non est verbum summæ veritatis omnino verum: quod absurdum est. At si nullam mutabilium habet similitudinem: quomodo ad illius exemplum facta sunt? Verùm forsitam nihil hujus remanebit ambiguitatis, si quemadmodum in vivo homine veritas hominis esse dicitur; in picto vero similitudo sive imago illius veritatis: sic existendi veritas intelligitur in verbo, cujus essentia sic summe est, ut quodammodo illa sola sit: in his vero, quæ in ejus comparatione quodammodo non sunt, & tamen per illud, & secundum illud facta sunt aliquid; aliqua imitatio illius summæ essentiæ perpendatur. Sic quippe verbum summæ veritatis, quod & ipsum est summa veritas, nullum augmentum vel detrimentum sentiet, secundum hoc quod magis vel minus creaturis sit simile: sed potius necesse erit, omne, quod creatum est, tanto magis esse, & tanto esse præstantius, quanto similius est illi, quod summe est, & summe magnum est. Hinc etenim fortasse, immo non fortasse, sed pro certo, hinc omnis intellectus judicat naturas quolibet modo viventes præstare non viventibus, sentientes non sentientibus, rationales irrationalibus. Quoniam enim summa natura suo quodammodo singulari non solùm est, sed & vivit, & sentit, & rationalis est: liquet quoniam omnium quæ sunt, id quod aliquo modo vivit, magis est illi simile, quàm id quod nullatenus vivit: & quod

mo-

modo quolibet vel corporeo ſenſu cognoſcit aliquid ; magis quàm quod nihil omnino ſentit : & quod rationale eſt , magis , quàm quod rationis capax non eſt. Quoniam vero ſimili ratione quædam naturæ magis minusve ſunt quàm aliæ , perſpicuum eſt. Quemadmodum enim naturà illud præſtantius eſt , quod per naturalem eſſentiam propinquius eſt præſtantiſſimo : ita utique illa natura magis eſt , cujus eſſentia ſimilior eſt ſummæ eſſentiæ. Quod ſic quoque animadverti facile poſſe exiſtimo. Nempe ſi cuilibet ſubſtantiæ , quæ & vivit, & ſenſibilis , & rationalis eſt , cogitatione auferatur quod rationalis eſt ; deinde quod ſenſibilis ; & poſtea quod vitalis ; poſtremó ipſum nudum eſſe , quod remanet : quis non intelligat quòd illa ſubſtantia , quæ ſic paulatim deſtruitur , ad minus , & minus eſſe , & ad ultimum , ad non eſſe gradatim perducitur ? Quæ autem ſingulatim aſſumpta , quamlibet eſſentiam ad minus , & minus eſſe deducunt, eadem ordinatim aſſumpta , illam ad magis , & magis eſſe perducunt. Patet igitur quia magis eſt , vivens ſubſtantia , quàm non vivens ; & ſenſibilis , quàm non ſenſibilis ; & rationalis quàm non rationalis. Non eſt itaque dubium quod omnis eſſentia eò ipſo magis eſt , præſtantiorque eſt, quo ſimilior eſt illi eſſentiæ , quæ ſummè eſt , & ſumme præſtat. Satis itaque manifeſtum eſt in verbo , per quod facta ſunt omnia , non eſſe eorum ſimilitudinem ; ſed veram , ſimplicemque eſſentiam : in factis vero non eſſe ſimplicem abſolutamque eſſentiam ; ſed veræ illius eſſentiæ vix aliquam imitationem. Unde neceſſe eſt non idem verbum , ſecundum rerum creatarum ſimilitudinem , magis vel minus eſſe verum ; ſed omnem creatam naturam eo altiori gradu eſſentiæ dignitatisque conſiſtere , quo magis illi propinquare videtur.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XXXI.

1 *Sed ecce videtur mihi &c.* ¶ Cum in cap. 29. fuerit oſtenſum , rerum locutionem in mente ſpiritus ſummi , in mente Dei , conſubſtantialem ipſi Deo eſſe: & in 30. hanc locutionem verbum unicum eſſe , nequaquam multa : ſtatim ex his oboritur difficilis quæſtio , qualiter hæc vera ſint ſimul cum ratione ſimilitudinis , quæ omni verbo videtur neceſſario convenire , reſpectu omnium , quæ verbo dicuntur. Utrum, nimirum , verbum divinum , per quod , vel quo omnia , quæ fecit , locutus eſt (immo & infinita , quæ non fecit) dicendum ſit ſimilitudo , & imago creaturarum. Rationem dubitandi proponit Author his verbis : *Etenim omnia huiusmodi verba* , usque ad illa; *verum forſitam nihil hujus remanebit ambiguitatis* , *&c.* In quibus jam personam induit dubium resolventis , usque ad finem cap.

2 Argumentum itaque dubitandi ſic efformatur. Verbum eſt ſimilitudo rei intellectæ , cujus verbum eſt. At , ſi perfecta rerum locutio , eſt ſimilitudo ipsarum creaturarum , nequit eſſe Deo conſubſtantialis. Ergo vel non est verbum creaturarum ; vel ſi verbum eſt , non est consubſtantialis ipſi Deo. Probo minorem. Similitudo alicujus eó vera eſt , quia conformis est illi , cujus est ſimilitudo ; & quò magis conformis , eò verior. At illa rerum creaturarum locutio non potest rebus creatis eſſe conformis , & ſimul conſubstantialis summo ſpiritui , vel Deo. Probatur minor. Summus Sp. Deus , ut dictum est in cap. 25. ſumme incommutabilis aut immutabilis est ; creaturæ vero sunt valde mutabiles. At quod cum mutabilibus perfecte conformatur nequit eſſe consubstantiale ſummè immutabili Deo : quippe quod mutabilibus perfecte conformatur , mutabile ſit neceſſe est ; quod verò summè immutabili est consustantiale , nequit non eſſe pariter immutabile. Ergo locutio divina , vel divinum verbum non potest eſſe creaturarum ſimilitudo. Ergo videtur quód illa locutio per quam , ut dictum fuit in capp. 9. 10. & 11. cuncta ex nihilo condidit Deus , verbum proprie non ſit Deo consubstantiale.

3 *Si autem non omnino vera, sed qualiscumque ſimilitudo mutabilium est &c.* ¶ Si autem reſpondeatur, inquit Author, quòd non in omnibus conformatur hæc ſimilitudo cum rebus creatis ſed qualitercumque, atque adeo non omnino vera ſit, sed qualiscumque rerum mutabilium ſimilitudo. Contra ſic Anselmus. Si Verbum divinum non est omnino vera rerum creatarum ſimilitudo; ergo non est verbum ſummæ veritatis; vel ſi est, non est omnino verum. At utrumque abſurdum est, immo ex antecedentibus contrarium manet demonſtratum: manet quippe demonstratum in cap. 15. & 16. ſummam eſſentiam eſſe summam veritatem, & in 29. & 30. Verbum divinum eſſe ipsam Dei eſſentiam, atque ſubstantiam. Ergo verbum divinum non potest non eſſe summe verum, cùm ſit summa veritas.

4 *At si nullam mutabilium habet ſimilitudinem: quomodo ad illius exemplum facta sunt?* Sed pro alia parte ſi arguit Anselmus. Si verbum divinum nullam mutabilium habet ſimilitudinem, videtur quòd Deus non potuerit facere omnia per ſuum verbum. At contrarium probatum manet: manet quippe probatum in cap. antecedenti locutionem divinam eſſe verbum, per quod omnia facta ſunt, ſicut antea diximus fuiſſe probatum, per locutionem divinam Deum omnia condidiſſe. Probatur maior. Dictum eſt in cap. 9. quòd ad faciendum rationabiliter aliquid, opus eſt, ut præcedat in factore aliquod rei faciendæ quaſi exemplum, forma, vel ſimilitudo. At hæc ſimilitudo (ut ibidem dictum) eſt interna locutio mentis divinæ, quatenus verbum eſt. Ergo ſi hoc verbum divinum non eſt ſimilitudo rerum mutabilium, videtur quod Deus nihil potuerit facere per suum verbum. Ergo utrimque difficilis apparet quæſtio; ſive dicatur ſcilicet quòd verbum divinum ſit creaturarum ſimilitudo, ſive negetur.

5 Hoc argumentum ex Anselmo, quem citat, ſibi fecit D. Thom. in disputatis quæſt. 4. de Verbo, art. 5. ut contra ſuam aſſertionem probet, Patrem Æternum omnem non dicere creaturam in suo Verbo. Ad quod reſpondet: Quod Anſelmus accipit ſtrictè nomen ſimilitudinis, ſicut & Dioniſ. 9. cap. de Divinis Nominibus, ubi dicit: Quód in æque ordinatis ad invicem recipimus ſimilitudinis reciprocationem, ut ſcilicet, unum dicatur alteri ſimile, & è converſo: sed in his, quæ se habent per modum causæ, & cauſati non invenitur proprie loquendo reciprocatio ſimilitudinis: Dicimus enim quod imago Hercùlis ſimilatur Herculi; sed non è converſo. Unde quia Verbum divinum non eſt factum ad imitationem creaturæ, ut Verbum noſtrum, sed potius è converſo: Ideo Anselmus vult, quòd Verbum non ſit ſimilitudo creaturæ, sed è converso. Si autem largo modo ſimilitudinem accipiamus, ſic poſſumus dicere, quód Verbum eſt ſimilitudo creaturæ, non quaſi imago ejus, sed quaſi exemplar :: Nec tamen sequitur, quòd in Verbo non ſit ſumma veritas, quia eſt immutabile, creaturis exiſtentibus mutabilibus: quia non exigitur ad veritatem Verbi ſimilitudo ad rem, quæ Verbum dicitur, secundum conformitatem naturæ, ſed ſecundum representationem.

6 Hoc quód dicit D. Thom. Anselmum ſcilicet non omnem excludere ſimilitudinem á verbo æterno, relate ad ſuas creaturas respicere videtur ad illa, quibus ut diximus, pro alia parte arguit Anselmus: *At ſi nullam mutabilium habet ſimilitudinem &c.*

7 *Verum forſitam nihil hujus remanebit ambiguitatis, &c.* ¶ Ab hinc Author, ut jam tetigimus ſupra, quæſtionem resolvere incipit. Sensus ipſius resolutionis eſt, verbum æternum non primario ſimilitudinem eſſe creaturarum, ſic, ut ejus veritas juxta naturam, & veritatem creaturarum, commensuranda ſit, & per conformitatem cum ipſis accipienda; sed principaliter, & ex propria notione ſimilitudinem eſſe perfectam, expreſſam, imaginemque Patris Æterni, ſicut ipſius ſolius eſt Verbum (ut in cap. 33. probabitur) à cujus Patris ſumma, & perfecta undecumque conformitate, seu potius propter abſolutam, & ſumme perfectam cum Patre conformitatem, ita ut ipſum Patrem perfectiſsime, & naturaliter exprimat, dicitur ipſum Verbum ſumme vera Patris ſimilitudo, & veritas, tam prima, tam principalis, tam maxima, ſicut veritas eſt ipse Pater. Quapropter ſicut immutabiliter Pater exiſtit, ita Verbum ejus ſimilitudo perfectiſsima immutabilis æque ſit. At cùm ſimilitudo absolute, & ſumme perfecta Patris Verbum eſſe nequeat, quin conformetur cum eo, ipsumque exprimat, vel manifeſtet etiam ſecundum omnia, quæ in ſua virtute, & omnipotentia præcontinet: propterea etiam (ut mentem meam ſic explicem) ſecundario extenditur ratio ſimilitudinis, & conformitas verbi ad creaturas contentas in omnipotentia Patris. Sed ſicut postea in cap. 33. ait ipse Author, quod licet ſit Verbum Patris unum, & idem, quo & se ipsum, &

cunc-

cunctas dicit creaturas, nihilominus non est verbum creaturarum, sed tantummodo Patris, ita hic non admittit Anselmus quòd Verbum, absolute, seu nihil addito, similitudo dicatur creaturarum; sed solùm quòd simpliciter similitudo nominetur sui Æterni Patris: & quia est similitudo perfecta Patris Æterni per quam, & secundum quam fecit omnia, quæ creavit, & facere potest omnia quæ comprehenduntur in sua omnipotentia, ideo, & consequenter dicatur quodammodo similitudo rerum creatarum, id est, non ratione ipsarum, nec, ut in se ipsis, sed quia in omnipotentia Patris comprehenduntur, cuius ipsum Verbum est perfectissima manifestatio, & similitudo.

8 Itaque secundum hunc sensum, Verbum æternum non est propter representandas, vel manifestandas creaturas, sed est per se, & propter se, & producitur á Patre, ut sit naturalis, consubstantialis, & undecumque perfecta ipsius similitudo. Non ergo vera similitudo est propter conformitatem cum creaturis, vel quia juste, & perfecte manifestat creaturas, sed quoniam perfectissime ostendit Patrem suum, cujus, ut dicit Apost. splendor est, & figura substantiæ ejus. Totum igitur verum est, & quòd Verbum Dei sit similitudo, per quam, & secundum quam fecerit omnia, & quòd nihilominus non sit mutabile propter rerum creaturarum mutabilitatem, nec varietur ullo modo secundum vicissitudinem ipsarum. Primum est verum, quia verissime est similitudo Patris æterni, non solum secundum totum esse, quod suum est, & sibi soli habet, sed etiam secundum quod est communicabile creaturis, seu præcontinet tamquam causa infinitas creaturas: vel ut morem geram Scholasticis, non solùm secundum prædicata Dei formalia, sed etiam secundum virtualia, vel eminentialia. Secundum autem est pariter verum, quia tam esse proprium, & formale Dei, quàm esse Dei ut communicabile, vel esse Dei in ratione causæ, aut esse creaturarum prout sunt in Deo tamquam in causa, est penitus immutabile, ac invariabile. Unde quamvis Verbum divinum sit quodammodo similitudo creaturarum non prout sunt in se ipsis, sed prout sunt in essentia divina, vel tamquam in causa indeterminata, vel potente duntaxat producere creaturas, vel ut determinata per suam divinam voluntatem ad producendum creaturas, non propterea sequitur, quòd sit ullatenus mutabile, neque variabile Verbum divinum. Utroque modo Deus est causa invariabilis, cum utroque modo æterna. Voluntas Dei, per quam omnipotentia Dei est ad producendum creaturas in tempore, determinata, non est temporalis, sed ab æterno est, & semper invariabilis, atque immutabilis. Ergo esse creaturarum etiam quod in se ipsis habent, potest immutabiliter, atque invariabiliter representari à Verbo divino, quatenus sunt in causa determinata invariabili, atque immutabili. Denique esse rerum creatarum, quod extra Deum habent, vel realiter diversum à Deo, semper invariabiliter, & immutabiliter (in sententia Authoris expressa in lib. de Concord. Præscient. quæst. 1. capp. 4. & 5.) sunt in æternitate Dei. Cum ergo Verbum divinum perfectissime ostendat, & representet æternitatem suam, & Patris, & Spiritus S. proculdubio potest representare, & representat invariabiliter, & immutabiliter omnia, quæ sunt intra æternitatem. Igitur si omnia, quæ in quocumque tempore sint, semper manent invariabiliter, & immutabiliter intra æternitatem, potest illa representare, & representat absque ulla variatione, vel mutatione, neque variabilitate, aut mutabilitate ipsius Verbi divini.

9 „ Veritas hujus expositionis amplius patefit ex ipso Authore cap. 34. „ ajente. Cum ipse summus spiritus dicit se ipsum, dicit omnia, quæ facta sunt. Nam „ & antequam fierent, & cum jam facta sunt, & cum corrumpuntur, seu aliquo „ modo variantur, semper in ipso sunt, non quod sunt in se ipsis, sed quod est idem „ ipse. Etenim in se ipsis sunt essentia mutabilis, secundum immutabilem rationem „ creata: in ipso vero sunt ipsa prima essentia, & prima existendi veritas.

10 Ad D. Thom. quod attinet, jam supra vidimus quid responsi dederit ad argumentum desumptum ex Anselmo. Videamus nunc quid respondeat ad hæc verba Anselmi, quæ ferè in ipso præsentis cap. termino reperiuntur, quæque sunt conclusio totius resolutionis: *Satis itaque manifestum est in verbo, per quod facta sunt omnia, non esse eorum similitudinem, sed veram, simplicemque essentiam.* Ad hæc igitur verba en responsio Ang. Præcept. in disput. quæst. 3. de Ideis art. 1. argum. 10. *Intentio*, inquit, *Anselmi est dicere, ut patet inspicienti verba ejus, quòd in verbo non sit similitudo sumpta à rebus ipsis; sed omnes rerum formæ sumptæ à verbo: & ideo dicit, quòd verbum non est similitudo rerum, sed res sunt imitationes verbi; unde per hoc non removetur idea, cum idea sit forma, quam aliquid imitatur.* Anselmum expresse admittere, immo, & firmiter asserere in Deo existere rerum creatarum ideam, jam in hoc cap. diximus, manifestum esse ex capp. 9. & duo-

duobus seqq. Unde non est opus neque conjecturis, neque discursu ad cognoscendum S. Doctorem per doctrinam præsentis cap. non excludere à mente divina rerum creatarum ideas. Unde expositio S. Thom. verissima est; sed non habebat opus nisi ut ad mentem reduceret doctrinam S. Anselmi expressam in dictis capp. Non alia expositione indiget ipse D. Thom. dum in 1. part. quæst. 4. art. 3. ad 4. respondet: *Quòd licet aliquo modo concedatur, quòd creatura sit similis Deo, nullo tamen modo concedendum est, quòd Deus similis sit creaturæ: quia ut dicit Dionis. 9. cap. de divinis nominibus: In his quæ unius ordinis sunt, recipitur mutua similitudo, non autem in causa, & causato. Dicimus enim, quòd imago sit similis homini, & non ex converso, & similiter dici potest aliquo modo, quod creatura sit similis Deo: non tamen quòd Deus sit similis creaturæ.* Non alia, inquam, expositione indiget, nisi collatione cum verbis ipsius proxime transcriptis, & alijs hic pariter supra translatis. Nempe, D. Thom. sic exponendus est, sicut ipse Anselmum exponit. Et certe exemplum, quo utitur imaginis, & prototypi habetur etiam in præsenti, quod exponimus, cap. Anselmi, ibi: *Quemadmodum in vivo homine veritas hominis esse dicitur; in picto vero similitudo, sive imago illius veritatis: sic existendi veritas intelligitur in verbo, cujus essentia sic summe est, ut quodam modo illa sola sit: in his vero, quæ in ejus comparatione quodam modo non sunt, aliqua imitatio illius summæ essentiæ perpendatur.*

11 Hinc recte colligit Verbum divinum nullum in se veritatis detrimentum sentire, nec augmentum, per hoc, quod magis, aut minus sit simile creaturis, neque ex hoc, quod creaturæ mutentur, vel varientur; sicut accidit in nostris similitudinibus, seu impressis speciebus, & in verbis cordis nostri, quæ expressæ rerum dicuntur similitudines. Dum enim cogitamus rem aliquam, quam aliquando vidimus, & quæ jam perijt, similitudo tunc formata in nostra cogitatione de re illa, non habet in se veritatem: quippe rem præsentat, ac si existens esset, atque adeo amisit cum illa re suam conformitatem. Exprimitur tunc in cogitatione res cum existentia, figura, &c. quæ jam non sunt. Unde sicut propositio mentalis, qua judicamus esse justum hominem, qui vere justus est, transit de vera in falsam, mutato homine illo de justo in injustum: ita similitudo simplex menti nostræ impressa, vel etiam per intellectum expressa in verbo, vera est quandiu res ita in se est sicut talis similitudo illam repræsentat; falsa autem fit, seu veritatem suam amittit, re illa in se aliter se habente, ac antea. Ratio hujus est, quia regula, & mensura veritatis nostrarum in mente specierum, atque etiam nostrarum cogitationum, seu simplicium, seu compositarum, sunt res prout in se ipsis sunt: quapropter dicitur, quòd ab eo, quod res est, vel non est, propositio vera, vel falsa est. Unde propter eandem causam, quò melius cogitationes nostræ res, ut sunt, exprimunt, eò sunt veriores.

12 A contrario res creatæ mensura non sunt, nec esse queunt veritatis intellectus divini, atque proinde nec æterni Verbi, neque scientiæ Dei: sed potius intellectus divinus, verbum æternum, & scientia Dei, utpote prima veritas, est mensura veritatis omnium rerum: quapropter inquit Author, res eo veriores, meliores, & præstantiores esse, quò magis propinquæ sunt veritati Divini Verbi; & eò magis esse, quò similiores primæ existendi veritati, quæ ipsum æternum verbum est: quemadmodum naturæ præstantioris est, quod magis propinquum est naturæ præstantissimæ; & majoris essentiæ, quod propinquius est, & similius summæ essentiæ. Ubi noto perspicuâ energiâ dictum ab Anselmo illud quod frequenter in Scholis ex Aristotele decantatur: *Primum in unoquoque genere est mensura cæterorum.* Quamvis Deus, ut in capp. 26. & 27. diximus cùm Authore, sub genere non sit, sed supra omne genus. At propterea majori ratione omnium generum Deus dicendus est suprema, & ineffabilis mensura.

13 Hæc autem omnia melius introspicies, ut puto, lector, si Dialogum Authoris de veritate tota intentione legere non graveris. Ibi enim disces, quòd veritas prima nulli debeat conformari, sed omnia potius cum ipsa: quia veritas prima est causa veritatum omnium cæterarum: unde, & necesse est, ut sit regula prima: regula autem prima regulari per aliam non potest, sicut causa prima causari non potest; sed potius omnia sunt regulanda per primam regulam, quemadmodum omnia causata, per primam causam.

14 Superest nobis duntaxat aliquid dicere de verbo *sentio*, quo hic utitur Anselmus, ibi nimirum: *Quoniam enim summa natura suo quodam modo singulari non solum est, sed, & vivit, & sentit, & rationalis est.* Quo-

mo-

modo ergo Deus ab Anselmo sentire dicitur, si non solum fide, sed etiam juxta rationem ipsius in cap. 27. non corporeus, sed summus spiritus est? Sed sciendum est Anselmum in hoc modo loquendi imitatum fuisse S. Aug. 15. de Trinitate cap. 4. hæc verba de Deo proferentem: *Quoniam rebus creatis creatorem sine dubitatione præponimus, opportet, ut eum & summe vivere, & cuncta sentire, atque intelligere :: fateamur.* Quo tandem sensu hanc vocem loquendo de Deo accipiat Author cum Aug. & accipienda sit ab omnibus, declarat in cap. Proslog. 6. *Si sola*, inquit, *corporea sunt sensibilia; quoniam sensus circa corpus, & in corpore sunt; quomodo* (Deum alloquitur) *es sensibilis, cum non sis corpus, sed summus spiritus, qui corpore melior est? Sed si sentire non est nisi cognoscere, aut non nisi ad cognoscendum; qui enim sentit, cognoscit secundum sensuum proprietatem; ut per visum colores, per gustum sapores; non inconvenienter dicitur aliquo modo sentire, quidquid aliquo modo cognoscit. Ergo, Domine, quamvis non sis corpus, vere tamen eo modò summe sensibilis es quo summe omnia cognoscis; non quo animal corporeo sensu cognoscit.* Legatur D. Thom. 1. part. quæst. 14. art. 1. corp. ubi dicit: *Sensus cognoscitivus est, quia receptivus est specierum sine materia.* Itaque dici potest, quòd Deus sentiat, secundum quod majori evidentia cognoscit, & videt, atque experitur sensibilia, quàm nos per sensus: intelligat vero, secundum quod clarissime agnoscit omnia spiritualia, rerumque essentias.

15 Denique notanda sunt illa verba: *Nempe si cuilibet substantiæ quæ & vivit, & sensibilis, & rationalis est, cogitatione auferatur, quòd rationalis est; deinde quòd sensibilis; & postea quòd vitalis; postremo ipsum nudum esse, quod remanet &c.* Notanda sunt, inquam, hæc verba; quippe, quæ contineant, & præseferant quam Scholastici vocant inter gradus metaphysicos præcisionem objectivam. Si autem pendens animi fueris; ecce alia confirmatoria verba ex Dialog. de Gramm. cap. 3. ubi Anselmus Magistri personam agens, Discipulum interrogat: *An tibi videtur animalis nomen aliquid aliud significare, quàm substantiam animatam sensibilem?* Et statim sub persona Discipuli respondet: *Prorsus nihil aliud est animal, quàm substantia animata sensibilis; nec substantia animata sensibilis aliud est, quàm animal.* Vides satis expressam præcisionem perfectam, sive quæ, ut dixi, appellatur in Scholis objectiva.

CAPUT XXXII.*

Vid. cap. 30.

Quòd summus spiritus seipsum dicat coæterno verbo.

SED cùm ita sit: quomodo illud quod simplex est veritas, potest esse verbum eorum quorum non est similitudo? Cum omne verbum, quo aliqua res sic mente dicitur, similitudo sit rei ejusdem: &, si non est verbum eorum quæ facta sunt per ipsum; quomodo constabit quia sit verbum? Nempe omne verbum alicujus rei verbum est. Denique, si nunquam creatura esset, nullum ejus esset verbum. Quid igitur? An concludendum est, quia si nullo modo esset creatura, nequaquam esset verbum illud, quod est summa, & nullius indigens essentia: aut fortasse ipsa summa essentia, quæ verbum est, essentia quidem esset æterna; sed verbum non esset, si nihil unquam per illam fieret? Ejus enim quod non fuit, nec est, nec futurum est, nullum verbum esse potest. Verùm secundum hanc rationem, si nunquam ulla præter summum spiritum esset essentia, nullum omnino esset verbum in illo: si nullum in illo verbum esset, nihil apud se diceret: si nihil apud se diceret; cùm idem sit illi sic dicere aliquid, quod est intelligere; non aliquid intelligeret: si nihil intelligeret; ergo summa sapientia, quæ non est aliud, quàm idem spiritus, nihil intelligeret: quod absurdissimum est. Quid igitur? Si enim nihil in-

telligeret ; quomodo eſſet ſumma ſapientia ? Aut ſi nullo modo eſſet aliquid præter illam, quid illa intelligeret ? Sed nunquid ſeipſam non intelligeret? At quomodo vel cogitari poteſt quòd ſumma ſapientia ſe aliquando non intelligat ; cùm mens rationalis poſsit non ſolùm ſuimet, ſed & illius ſummæ ſapientiæ reminisci, & illam, & ſe intelligere? Si enim mens humana nullam ejus aut ſui habere memoriam , aut intelligentiam poſſet ; nequaquam ſe ab irrationalibus creaturis , & illam ab omni creatura , ſecum ſola tacite diſputando , ſicut nunc mens mea facit , discerneret. Ergo ſummus ille ſpiritus , ſicut eſt æternus ; ita æternè ſui memor eſt , & intelligit ſe ad ſimilitudinem mentis rationalis : immo non ad illius ſimilitudinem ; ſed ille , principaliter ; & mens rationalis , ad ejus ſimilitudinem. At ſi æternè ſe intelligit , æternè ſe dicit. Si æternè ſe dicit , æternè eſt verbum ejus apud ipſum. Sive igitur ille cogitetur nulla alia exiſtente eſſentia , ſive aliis exiſtentibus : neceſſe eſt verbum illius coæternum illi eſſe cum ipſo.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XXXII.

Sed cum ita ſit: quomodo illud quod ſimplex eſt veritas, poteſt eſſe Verbum eorum, quorum non eſt ſimilitudo ? &c.

1 Ex concluſis in cap. antecedenti ſtatim mentem ſubit dubitatio , quomodo quave ratione erit in ſummo ſpiritu Deo Verbum , ſicut revera existere in cap. 30. dictum eſt ; ſi in ipso ſummo ſpiritu , in ipso Deo , non eſt ſimilitudo creaturarum, cum Verbum ex sua ratione ſimilitudo expreſſa ſit ejus rei , quæ in mente profertur ; & aliunde Author neget Verbum divinum eſſe creaturarum ſimilitudinem ? Cæterum advertas oportet, Authorem in hoc opere perſonam adhuc non agere credentis Trinitatem ; ſed unum Deum , & Trinum ratione duntaxat quærentis. Hoc , Lector , ſicut ipse in præfatione te monuit , & nos ad mentem non ſemel reduximus , & memoriam refricavimus , ut numquam obliviſcaris operæpretium eſt. Ratione itaque probavit jam Author Deum eſſe , & quidem unum tantummodò ; ratione probavit creatorem eſſe omnium ex nihilo , & quidem rationalem , ſapientem : ratione quoque probavit in Deo locutionem mentalem eſſe , ideam , exemplar , per quód , & ſecundum quod creaturas faceret : Deinde ratione probavit , talem locutionem ipsam Dei ſubſtantiam eſſe , atque adeo ipsi Deo conſubſtantialem ; poſttemo ratione probavit hanc divinam rerum locutionem non compoſitam , ſed ſicut ipsa ſubſtantia Dei , ſimplicem eſſe , unde consecutum eſt ut non multa , ſed unum tantum ſit Verbum , quo Deus omnia locutus eſt.

2 Circa rationem Verbi quomodo potuerit eſſe proprie in Deo excitata ſunt dubia in cap. proximo , quæ & ſoluta ſunt. Nunc vero ratio , aut mens indagatrix uſque huc duntaxat perducta , ut cognoscat per supra dictas probationes quod facilius, & magis in promptu eſt , ut creatorem nempe rationabiliter , & ſapienter omnia feciſſe, quæ fecit , atque proinde intra ſe ideam , vel exemplar locutum fuiſſe ipſarum factarum rerum , ut ſapienter illas poſſet facere ; mens , inquam , opus habet , ut elevetur ad intelligentiam Verbi Dei ſecundum totum , quod eſt , & illud credimus. Hoc autem jam inveſtigari non poteſt per illas easdem rationes , quibus indagavit neceſſariam eſſe in Deo locutionem, & Verbum, quo cuncta intra se diceret , prius quàm illa faceret. Nam quamvis per illas , & cæteras hucusque traditas jam obtinuerimus hoc Verbum eſſe Deo loquenti consubſtantiale , atque proinde , & ſit ſumma eſſentia , & prima per ſe ipsum exiſtendi veritas , reſtat adhuc scire , cujus ſit verbum ; creaturarum , an non , ſed vel nullius , vel alterius.

3 Ratio ergo ergo dubitandi prima jam à nobis facta eſt , quomodo ſcilicet Verbum æternum poſsit eſſe verbum creaturarum , cùm ſimilitudo , ut dictum eſt in cap. antecedenti , ipſarum non ſit ? Videtur enim , quòd ſi non eſt creaturarum ſimilitudo , neque Verbum ipsarum ſit : & á contrario , ſi verbum dicatur earum , pariter earun-

rundem dicatur ſimilitudo. Nempe Verbum, ut hic inquit Author, alicujus rei verum eſt. Et D. Aug. 7. de Trinit. cap. 2. *Verbum*, ait, *relative intelligitur*. Ergo Verbum æternum non poteſt eſſe ſui ipſius Verbum. Ergo alterius. Cujus ergo, ſi non ſit verbum creaturarum? At verbum ex propria ratione habet, ut ſit ſimilitudo illius rei, quæ ipso verbo in mente dicitur. Si ergo verbo æterno creaturæ dictæ ſunt á ſummo ſpiritu, à Deo; quid reſtat, niſi ut earundem ſit ſimilitudo? Si autem verbum creaturarum eſt ſimilitudo: falsa ſunt ergo, quæ in cap. antecedenti dicta ſunt. At ſi non falsa, ſed vera ſunt; verbum divinum non poteſt eſſe verbum creaturarum. Si autem non eſt verbum creaturarum: nec locutio. Non itaque Deus rationabiliter, & ſapienter fecit creaturas; cum ſine locutione nulla poſsit exprimi rerum forma, idea, exemplar. Ecce primam rationem dubitandi ab Anselmo propoſitam, & à nobis aliqualiter expoſitam.

4 *Denique, ſi numquam creatura eſſet, nullum ejus eſſet verbum &c.* ¶ Ecce ſecundam dubitandi rationem, quam promovet Author usque ad illa verba: *Sed numquid ſe ipsam non intelligeret?* Itaque ſic procedit. Si verbum in summo ſpiritu, vel in Deo tantummodo neceſſarium eſſet, ut Deus poſſet rationabiliter, & sapienter condere creaturas, ſequeretur, quod ſi nunquam creatura ulla eſſet, sed ſolus Deus, tunc caſus nullum eſſet verbum in Deo. At hoc, ſi vera ſunt dicta, nullo modo eſt aſſerendum; quia probatum eſt, quòd hoc verbum eſt ipsa ſubſtantia Dei; quare deficere numquam potest, sed neceſſe eſt, ut ſit æternum, & immutabile, ſicut ipsa substantia Dei. Probatur major. Nulla exiſtente creatura, neque Deo decernente, ut illa aliquando exiſteret, non videtur eſſe ratio, cur eſſet in summo ſpiritu, vel Deo verbum, ſi verbum ideo ſolum eſt, ut per illud, & ſecundum illud possit Deus producere creaturam; quia eorum, quæ nec fuerunt, nec ſunt, nec aliquando erunt, ſicut nullum eſt exemplar, ita nullum neceſſarium videtur verbum ut per illud, & ſecundum illud producantur, creentur. Ergo ſi verbum divinum deficere numquam poteſt, ſed neceſſe eſt, ut ſit æternum, & tamen nulla exiſtente creatura, nullum eſſet creaturæ verbum; quid consequentius; quàm quod verbum divinum non ideo ſit, quia ſit creaturarum verbum. Cujus ergo erit verbum, ſi non eſt verbum creaturæ? Nam, ſui ipſius, ut dictum est, non poteſt eſſe verbum.

5 *Verum secundum hanc rationem, &c.* ¶ Si autem dicatur, quód verbum permaneat in eſſe abſoluto, in ratione eſſentiæ, sed non in eſſe relativo, aut in eſſe verbi. Contra ratio ſic procedit. Si in summo ſpiritu, ſi in Deo nullum eſſet verbum secundum propriam, & formalem rationem verbi; ſummus ſpiritus, vel Deus nihil intra se diceret: dicere enim mente, nihil aliud est, quàm verbum, aut verba loqui. At impoſsibile est ſummum ſpiritum, Deum nihil dicere intra se. Ergo impossibile est, ut non ſit in Deo relative, & formaliter aliquod verbum. Probatur minor: Impossibile est, nihil intelligat summus spiritus, Deus, cùm, juxta dicta capp. 15. & 16. ſit ſumma ſapientia: abſurdissimum est autem dicere, quòd summa sapientia nihil intelligat. At ſi summus spiritus nihil intra se mente dicit; profecto nihil intelligit, ſive absolute non intelligit: nam ut 29. cap. dictum, in summo spiritu, in Deo, non potest aliud eſſe intelligere, & aliud dicere: neceſſe est ergo dicat aliquid ſummus ſpiritus, Deus. Ergo & quod verbum aliquod in eo eſſet, etſi nulla unquam produceretur creatura. En argumenta, quibus ratio perducitur, ut aſſentiatur verbum relative ſumptum, & perſonale exiſtere in Deo, non ſui, non creaturarum: ergo non alterius, quam Dei, qui loquitur hoc verbum.

6 Sed hoc ſecundum argumentum aliquam habet relationem, ſeu correspondentiam cum cap. 11. lib. 15. S. Aug. de Trinit. ſi attendantur hæc ipſius verba: *Verbum Dei potuit eſſe, nulla existente creatura.* Quamvis re vera ad aliud trahatur ab Aug. Neque ibi aut alibi quidpiam invenio, unde proxime deſumptum ſit. At non hoc ſolum eſt, quod ex proprio fonte nobis communicat. Lege Comment. in Præfationem.

7 Ex hoc tamen argumento nihil eſt cur aliquid pro inconexione possibilium cum omnipotentia colligat quispiam: aut pro verbi generatione, ut per se non ſit ex cognitione possibilium. Nam cum in hoc argumento personam agat Author alicujus ratione proficientis, atque paulatim, & gradatim ad ſummum Trinitatis montem ascendentis, non profert dubitationes, & argumenta, niſi occaſione antea dictorum, & in ſuperioribus capp. probatorum. In præcedentibus vero probationes non proceſſerant niſi de rebus exiſtentibus, & per ſolas res exiſtentes. Quapropter hic non dicit Author: *An concludendum est*, quia ſi nullo modo eſſet possibilis creatura; ſed ait: *Quia ſi nullo modo eſſet creatura, nequaquam eſſet verbum illud, &c.*

Ea-

8 Eàdem regula intelligenda sunt illa verba : *Ejus quòd non fuit, nec est, nec futurum est, nullum verbum esse potest.* Per illa ergo intelligendum est verbum illud, quod usque nunc ratione probatum est, illam esse locutionem, per quam & secundum quam essentia summa, spiritus summus, Deus omnia fecit, verbum sub hoc sensu esse non posse nisi ejus quod aliquando, vel fuit, vel est, vel futurum est. Nam si nulla fuerit, sit, aut futura sit creatura ; nulla fuit profecto, est, aut erit per verbum facta. Nullum ergo erit in hoc sensu creaturæ verbum. Non autem hoc efferre aut extendere debebat Author ad creaturas possibiles, quandoquidem nihil hucusque de illis dixerat, neque per illas locutionem, aut verbum in Deo esse probaverat. Nempe Author animum induxit, doctrinam sequendo Apost. invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, per rationem intelligere. Non dixit Apost. Per ea quæ facta sunt, & factibilia ; sed dixit duntaxat, *per ea, quæ facta sunt.* Quapropter sicut Author non processit probando Deum esse, atque reliqua, quæ de Deo probavit hucusque, nisi per ea, quæ facta sunt, non autem per ea quæ duntaxat possunt fieri : sic in præsenti nec loquitur, nec loqui debebat, attenta sua methodo procedendi, de creaturis pure possibilibus, sed duntaxat de rebus in aliquo tempore factis.

9 Hæc interpretatio quodammodo diversa non est ab ea, quam Ang. Præcept. quæst. 4. de Verbo art. 7. nobis exhibet. Quærit ibi S. Doct. *Utrum eorum, quæ non sunt, nec erunt, nec fuerunt, sit verbum.* Primum ejus argumentum *sed* „ *contra* hujusmodi est. *Anselmus dicit in Monologio, ejus quod nec est, nec erit,* „ *nec fuit, nullum verbum esse potest.* Resolutio vero in corp. art. hæc : Respondeo „ dicendum, quòd aliquid potest esse dupliciter in verbo. Uno modo sicut id quod „ verbum cognoscit, vel quod in verbo cognosci potest : & sic in verbo est etiam „ illud, quod nec est, nec fuit, nec futurum est :: Alio modo dicitur esse aliquid „ in verbo, sicut id quod per verbum dicitur : omne autem, quod aliquo verbo di- „ citur, ordinatur quodam modo ad executionem, quia verbo instigamus alios ad „ agendum, & ordinamus aliquos ad exequendum id quod in mente concipimus : un- „ de etiam dicere Dei dispositio ipsius est, ut patet per Glosam super illud psalmi, „ *semel locutus est Deus.* Unde sicut Deus non disponit, nisi quæ sunt, vel erunt, vel fue- „ runt, ita nec dicit. Unde verbum est horum tantum, sicut ipsorum dictorum ; scien- „ tia autem, & ars, & idea, vel ratio non important ordinem ad aliquam executio- „ nem, & ideo non est simile de eis, & de verbo. Hactenus D. Thom.

10 Nihilominus in 1. part. quæst. 34. art. 3. ad 5. dicit : *Quod eo modo quo scientia Dei est non entium, & verbum Dei est non entium* (*id est* mere possibilium juxta articulum 9. quæst. 14.) *quia non est aliquid minus in verbo Dei, quàm in scientia Dei, ut Aug. dicit. Sed tamen verbum est entium ut expressivum, & factivum ; non entium autem, ut expressivum, & manifestativum.* Non tamen propterea sibi oppositum Ang. Mag. judices ; sed illum interpretari debebis juxta proximam responsionem ad verba Anselmi. Ibi loquitur cum metaphysica, & formali distinctione inter verbum ut verbum, & ipsummet quatenus ratio rerum est, vel idea : hic autem non sic formaliter distinguit nomen à nomine, quamvis utraque munera discernat expressivi, & manifestativi tantum, & expressivi simul, ac factivi.

11 *Aut si nullo modo esset aliquid præter illam, quid illa intelligeret? &c.* ¶ Notare te oportet, Lector, & monitum esse in his, & sequentibus verbis sicut nec in omnibus his capitibus usque ad 39. & 40. Authorem adhuc non exprimere generationem, aut Patrem, aut Filium ; quamvis secundum fidem nostram necesse sit ut loquendo de æterno verbo, & de dictione, qua dicitur à Deo, subaudiantur, & intelligantur tum generatio, tum Pater, tum Filius : ita ut quod de dictione Dei verbi tribuit summæ sapientiæ, summo spiritui Anselmus, de Deo Patre dictum subaudias, Lector prudens, & intelligas. Author enim (quod sæpe advertere est opus) gradatim per rationem ad probandam existentiam Trinitatis, eo modo, quo illam credimus, accedit.

12 Itaque probato, quòd, licet nulla unquam existeret creatura, summa sapientia necessario aliquid diceret mente, & intelligeret : statim occurrit ; sed quid tunc intelligeret ? Cui interrogationi quamvis responderi posset ab aliquo, quòd essentias rerum possibiles tunc intelligeret : tamen hæc responsio incipientibus, & profunda adhuc non intelligentibus, importune redderetur : neque vera esse posset hæc responsio, si directe, & tamquam de objecto primo, principali, aut unico esset intelligenda : quia essentiæ rerum mere possibilium, cum nihil in se sint, non sunt de

se,

se, & in se intelligibiles, sed quatenus duntaxat virtus earum productiva cognoscitur. Hæc vero virtus propter summæ essentiæ simplicitatem, ipsa est divina sapientia, & quidquid Deus est. Quapropter cognosci non potest, & comprehendi virtus rerum productiva sive omnipotentia, nisi per cognitionem, qua simul necessario cognoscatur ipsa summa sapientia, & quidquid est Deus. Nempe ea quæ sunt in virtute, & omnipotentia Dei, non attinguntur, nisi penetrando divinam essentiam. Itaque recte respondet Author: *nunquid se ipsam non intelligeret?*

13 *At quomodo, vel cogitari potest, quod summa sapientia se aliquando non intelligat &c.* ¶ Hæc verba cum illis Aug. correspondentiam habent lib. 15. de Trinit. in fine cap. 6.: *An hæc sapientia, quæ Deus dicitur, non se intelligit, non se diligit? Quis hoc dixerit?* In exemplo autem animæ rationalis Augustinus quoque imitatus est, qui eodem exemplo inter alia, præcipue 9. 10. 14. lib. de Trinit. ad indagandam verbi generationem, atque Spiritus S. Processionem abundanter usus est. Author noster non solum in hoc cap. sed etiam in sequenti per speculum animæ rationalis processum Verbi á Deo ostendere nititur. Idem circa Spiritus Sancti processionem per amorem in 49. facit.

14 Quód vero Author memorem animam dicat esse sui, vel sui ipsius habere memoriam; atque per hoc de summa sapientia idem colligat; non te conturbet, lector: sequitur etiam in hoc Aug. 10. de Trinit. cap. 12. & lib. 14. de Trinit. cap. 6. & 7. & lib. 15. cap. 7. ubi hæc de Sanctissima Trinitate traddit: *Quomodo est enim sapiens, qui nihil meminit, vel sui non meminit? Proinde, quia sapientia Pater, sapientia Filius, sicut sui meminit Pater, ita & Filius: & sicut sui, & Filii meminit Pater, memoria non Filij, sed sua; ita sui & Patris meminit Filius, memoria non Patris, sed sua.*

15 Sed dicit aliquis, inquit Aug. 14. de Trinit. cap. 11. „Non est ista memoria, qua mens sui meminisse perhibetur, quæ sibi semper est præsens. Memoria enim præteritorum est, non præsentium. Ad quod paulo infra respondet Aug. „Sed qui dicit memoriam non esse præsentium, adtendat quemadmodum dictum sit in ipsis sacularibus litteris, ubi majori fuit curæ verborum integritas, quàm veritas rerum: *Nec talia passus Ulysses oblitusve sui est Itachus discrimine tanto.* Virgilius enim cum sui non oblitum diceret Ulyssem, quid aliud intelligi voluit, nisi quod sui meminerit? „Cum ergo sibi præsens esset, nullo modo sui meminisset, nisi ad res præsentes memoria pertineret. Quapropter sicut in rebus præteritis ea memoria dicitur, qua fit ut „valeant recoli, & recordari: sic in re præsenti quod sibi est mens, memoria sine ab„surditate dicenda est, qua sibi præsto est ut sua cogitatione possit intelligi, & utrumque sui amore conjungi.

16 Nempe alia est præsentia, ut in Scholis dicitur, physica, alia intellectualis, aut in esse intelligibili. Physica, etiam intra animam, non sufficit ad intelligentiam, verbique productionem, nisi accedat etiam præsentia rei in esse proxime intelligibili. Hoc facere modo res præsentes, munus proprium memoriæ est: sicut intellectus proprium est officium res facere præsentes in verbo, vel ut actu intellectas. In anima rationali, quia non est omnino simplex, atque proinde potentiæ ipsius non semper in actuali sunt exercitio, aut saltem non circa omnia in individuo, ad quæ se extendere possunt, sed alternatim de uno ad aliud eunt, & redeunt; memoria quandoque facit ut anima præsto sibi sit, ut se ipsam proxime valeat intelligere; quandoque vero hoc non facit: quapropter non semper anima rationalis se ipsam cogitat. In Deo cùm summa in omnibus sit simplicitas, sicut quia sua intelligentia est suum intelligere, & quidem simplicissime, sua memoria suum est meminisse, deo semper facit, ut Deus modo intelligibili sive in esse etiam intelligibili actu præsens sit, ut semper se dicat, atque intueatur. Unde numquam non se dicit, numquam non se cognoscit, & intelligit. Recte itaque colligit Anselmus cum Aug. in Deo esse intellectum, & voluntatem, ex eo quod in anima rationali, optimo inter creaturas Dei speculo, ut pote ad imaginem ejus facta, reperiuntur: ita & memoriam spiritualem pariter esse in Deo, quia una ex tribus animæ potentijs est.

17 Ratio igitur Authoris ad hoc reducitur. Summa sapientia multo magis intellectiva est, quàm anima rationalis, quæ non solum non est ipsa sapientia, sed multoties neque sapiens: est etiam summa sapientia multo magis intelligibilis, quàm rationalis anima; quippe cùm summa sapientia est summa essentia, est summa veritas, à qua infinite distat anima: est etiam propter eandem rationem summa sapientia omnibus modis sibi præsens intimius, quàm sibi præsens potest esse anima rationalis. At rationa-

lis anima & sui, & summæ sapientiæ, aut summi spiritus, vel Dei memor est; & se quoque, & summam sapientiam, summumve spiritum, vel Deum vere intelligit. Multo ergo melius summa sapientia, summus spiritus, Deus memor erit sui, atque se ipsum intelliget. Quòd vero anima rationalis memor suimet sit, & summæ sapientiæ, vel Dei, atque insuper se, & summam sapientiam intelligat, patet ex eo, quòd anima rationalis mente discernit seipsam ab irrationabilibus; & summam sapientiam non solum in hoc cap. sed in toto etiam opere, ab omnibus creaturis discernit.

18 *Ergo summus ille spiritus, sicut est æternus, ita æterne sui memor est &c.* Subjungit Author. At summus spiritus ille, scilicet Deus, est simpliciter æternus juxta dicta non solum in capp. 15. & 16. sed magis signanter in 24. ergo necesse est, ut æternè sui memor sit, & æternè intelligat se. At si æterne se intelligit, æternè se dicit; quia ut in cap. 29. probatum est, in summo spiritu, seu Deo numquam est intelligere sine dictione. Ergo cùm inintelligibile sit dicere sine verbo; sequitur æternum esse verbum apud summum spiritum, apud Deum. Ergo sive cogitetur Deus, nulla existente creatura, sive creaturis existentibus: necesse est, ut summus spiritus, qui est Deus, habeat semper secum Verbum sibi coeternum.

* Al. cap. 31.

CAPUT XXXIII.*

Quòd consubstantiali uno verbo dicat se, & quod facit.

SED ecce quærenti mihi de Verbo, quo creator dicit omnia quæ facit, obtulit se Verbum, quo seipsum dicit, qui omnia fecit. An ergo alio verbo dicit seipsum, & alio ea quæ facit: aut potius eodem ipso Verbo, quo dicit seipsum, dicit quæcunque facit? Nam hoc quoque Verbum, quo seipsum dicit, necesse est idipsum esse quod ipse est: sicut constat de Verbo illo, quo dicit ea, quæ facta sunt à se. Cùm enim, etiamsi nihil unquam aliud esset, nisi summus ille spiritus, ratio tamen cogat Verbum illud, quo se dicit, ex necessitate esse: Quid verius quàm hoc Verbum ejus non esse aliud, quàm quod ipse est? Ergo si & seipsum, & ea quæ facit, consubstantiali sibi Verbo dicit: manifestum est quia Verbi, quo se dicit, & Verbi quo creaturam dicit, una substantia est. Quomodo ergo si una substantia est, duo verba sunt? Sed forsitam non cogit identitas substantiæ Verbi unitatem admittere. Nam idem ipse qui his verbis loquitur, eandem cum illis habet substantiam, & tamen verbum non est. Sed utique Verbum, quo se dicit summa sapientia, convenientissime dici potest Verbum ejus, secundum superiorem rationem: quia ejus perfectam tenet similitudinem. Nam nulla ratione negari potest, cùm mens rationalis seipsam cogitando intelligit, imaginem ipsius nasci in sua cogitatione: immò ipsam cogitationem sui esse suam imaginem, ad ejus similitudinem, tanquam ex ejus impressione formatam. Quamcumque enim rem mens, seu per corporis imaginationem, seu per rationem cupit veraciter cogitare; ejus utique similitudinem, quantum valet, in ipsa sua cogitatione conatur exprimere: quod quanto verius facit, tanto rem ipsam verius cogitat: & hoc quidem, cum cogitat aliquid aliud quod ipsa non est, & maxime cum aliquod cogitat corpus, clarius perspicitur. Cùm enim cogito notum mihi hominem absentem, formatur acies cogitationis meæ in talem imaginem ejus, qualem illam per visum oculorum in memoriam attraxi: quæ imago in cogitatione, verbum est ejusdem hominis, quem cogitando dico. Habet igitur mens rationalis, cùm se cogitando intelligit, se-

ſecum imaginem ſuam ex ſe natam, id eſt, cogitationem ſui ad ſuam ſimilitudinem, quaſi ſua impreſsione formatam : quanvis ipſa ſe à ſua imagine, nonniſi ratione ſola, ſeparare poſsit, quæ imago ejus verbum ejus eſt. * Hoc itaque modo, quis neget ſummam ſapientiam, cùm ſe dicendo intelligit, gignere conſubſtantialem ſibi ſimilitudinem ſuam, id eſt, Verbum ſuum ? Quod Verbum, licet de re tam ſingulariter eminenti proprie aliquid ſatis convenienter dici non poſsit ; non tamen inconvenienter, ſicut ſimilitudo, ita & imago, & figura, & caracter ejus dici poteſt. Verbum autem quo creaturam dicit nequaquam ſimiliter eſt verbum creaturæ ; quia non eſt ejus ſimilitudo, ſed principalis eſſentia, Conſequitur igitur ut ipſam creaturam non dicat verbo creaturæ. Cujus ergo verbo eam dicit, ſi non dicit eam verbo ejus ? Nam quod dicit, verbo dicit ; & verbum alicujus eſt verbum, id eſt, ſimilitudo. Sed ſi nihil aliud dicit, quàm ſe aut creaturam ; nihil dicere poteſt, niſi aut ſuo, aut ejus verbo. Si ergo nihil dicit verbo creaturæ : quicquid dicit, Verbo ſuo dicit. Uno igitur eodemque Verbo dicit ſeipſum, & quæcumque fecit.

COMMENTARIUS.

* Al. cap. 32.

CAPIT. XXXIII.

Sed ecce quærenti mihi de Verbo &c. ¶

2 Cum in capp. præcedentibus probatum fuerit exiſtere in ſummo ſpiritu, in Deo, & Verbum, quo cunctam, quàm fecit aut facit, dixit creaturam ; & quo, etiam ſi nulla unquàm creatura eſſet, ipſe ſummus ſpiritus, ipſe Deus ſe ipsum æterne diceret: nunc inveſtigat Author : *An alio verbo se ipsum, & alio ea, quæ fecit ; an potius eodem ipsò verbo, quo dicit se ipsum, dicat quæcumque fecit ?* Ratio dubitandi poteſt eſſe, tum quòd aliud eſt ſummus ſpiritus, Deus, aliud creaturæ ; & cum tanta diverſitate, ut in nullo genere conveniant, ſicut dictum eſt in capp. 26. & 27. : tum etiam quia in cap. proximo oſtensum eſt, quòd licet creatura numquam exiſteret, atque adeò neque ullum verbum disponens de ipsarum productione, nihilominus eſſet æterne Verbum in ſummo ſpiritu, Deo, ut se poſſet semper dicendo, semper intelligere. Nos autem ea, quæ valde diversa sunt, non uno valemus dicere verbo, ſicut neque unica deffinitione deffinire. Præterea. Quæ ſeparari queunt, ita ut unum eſſe poſsit re ipsa ſine altero, clarum eſt, quòd non unum, & idem ſint. At nulla exiſtente creatura dicitur ab Authore, quòd nullum tunc eſſet verbum (ſubintellige ut factivum) creaturæ, & tamen semper eſſet verbum quo Deus se ipsum dicit. Non ergo videntur eſſe unum, & idem verbum, ſed verba diverſa.

2 *Nam hoc quoque Verbum, quo ſe ipsum dicit, &c.* Quæſtionem reſolvit Author ajendo, & probando, Verbum, quo Deus dicit ſe ipsum & quo dicit creaturam, unum & idem eſſe verbum. Ratio efficaciſsima, & demonſtrativa eſt. Quia etiam ſi nulla exiſteret creatura, ratio in cap. proximo oſtendit, quòd in ſummo spiritu, vel Deo eſſet neceſſario Verbum ſui ipſius. Ergo hoc verbum non eſt creatura. Ergo eſt ipſa ſumma ſubſtantia. Nam juxta probata in primis capp. omnia præter unam summam eſſentiam, summam ſubſtantiam, summam naturam, creata ſunt. At Verbum quo universam dixit creaturam Deus, & per quod, & ſecundum quod cuncta formavit, condiditque ex nihilo, summo eſt spiritui, vel Deo consubſtantiale, vel una eademque ſumma subſtantia cum ipso. Neceſſe ergo eſt ut verbum quo summus spiritus dicit se ipsum, & Verbum quo creaturam dicit, quam fecit, una ſint eademque ſumma substantia. Ea enim *quæ ſunt idem cum tertio, etiam sunt idem inter se, vel secum-ipſis.*

3 *Quomodo ergo ſi una ſubstantia est, duo verba sunt ? &c.* ¶ In vi principii, cujus nunc memoriam fecimus, nempe, *quæ ſunt idem cum tertio, &c.* arguit Author, quòd non duo eſſe verba poſsint, sed unum tantum ; ſicut una tantum ſubs-

tan-

tantia. Sed illico agens pro parte adversa in illis verbis *sed forsitam non cogit identitas substantiæ &c.* ocurrit dicendo, quòd hæc ratio non semper sit efficax; quandoquidem ipsum summum spiritum, scilicet Deum, quem hoc Verbo dicimus loqui, unam, & eandem probavimus cum ipso habere subsţantiam; & tamen verbum non eſt. Ergo ex substantiæ identitate non satis concluditur identitas, & unitas horum verborum in ratione talium.

4 In his verbis nota, lector, accuratam Authoris Theologicam dicendi proprietatem. Nam semper quod in plurali *verba* profert, non cum majori, aut majuscula *V.* scribit, sed cum minori: cum autem in singulari; non cum minori, sed cum majori: ut tacitè nobis innuat, quòd quamvis personam quasi non credentem, sed ratiocinantem agat, semper nihilominus in verbis servat, & exprimit, vel quæ fides docet, vel saltem conformia fidei. Itaque in singulari exprimit Verbum Patri consubstantiale tamquam personam distinctam à persona Patris: quia Verbum in Trinitate nomen eſt proprium, sicut inter homines Petrus, vel Paulus. Non sic accidit in verbis cordis nostri, quæ per se non subsistunt. Quapropter dum Author scribit *Verbum*, assensu fidei ita scribit: quando autem *verba* in plurali; nullo assensu, sed arguendo, duntaxat loquitur.

5 Deinde nota, quòd in illa periodo: *Nam idem ipse, qui his verbis loquitur &c.* Sagaciter noster Author, atque suaviter ex jam per rationem inventis, eandem rationem quasi cogendo perducit, ut assentiatur his, quæ sunt fidei. Ex superioribus capp. inventum eſt, ratione duce, in summa essentia, quæ probata est summus spiritus, & quidem individuus, & consequenter persona (Lege cap. 27.) esse locutionem mentalem, & verbum, tum quo creaturas diceret, antequam faceret, tum quo se ipsum diceret: inventum eſt quoque eadem ratione duce, hanc locutionem, hoc Verbum esse summo spiritui, seu Deo consubstantiale, coeternum, unam cum ipso subsţantiam. Quid ergo reſtat ad probandum hoc Verbum distinctam esse personam à summo individuo spiritu, vel Deo, tale dicente Verbum, nisi ostendere Deum dicentem Verbum, re ipsa Verbum non esse? Hoc est quod supponit in hac periodo noster Author: & hæc suppositio ex dictis satis probata manet. Nam in principio cap. 31. dictum est: *Omnia hujusmodi verba, quibus res quaslibet dicimus, id est, cogitamus, similitudines, & imagines esse rerum, quarum verba sunt.* Similitudo vero, & imago alicujus re vera distincta est ab eo cujus similitudo est, & imago. Quippe inintelligibile est, quòd aliquis sit sui ipsius imago, neque similitudo. Si ergo hoc Verbum, de quo nobis sermo, Verbum summi individui spiritus, vel Dei sit, erit absdubio ejus similitudo atque imago. Ergo & realiter distinctum ab illo. Ergo & persona distincta: cùm nihil ei desit, ut persona sit: nam imprimis est rationalis natura, sicut summus spiritus, vel Deus, qui dicit illud: est præterea realiter, seu in rerum natura distinctum, & est ipsa summa, & divina substantia. Ergo est aliquid per se subsistens. Ergo rationalis naturæ individua substantia. At summus spiritus, qui hoc Verbum dicit, etiam est rationalis natura; tum ex dictis in capp. 15. & 16. & in aliis; tum quia ex ratione ipsa summi spiritus per se patet: insuperque per se est subsistens; cùm dictum fuerit in cap. 27. quòd sit summe simplex, & summe individuus spiritus. Ergo etiam est subsţantia individua, & persona. Ergo tam summus spiritus, vel Deus, qui dicit, quàm Verbum Deus, à se dictum, sunt personæ.

6 Si ergo distinctum realiter est Verbum ab eo, qui hoc Verbum dicit, absdubio sunt duæ distinctæ personæ. Ergo cum aliunde, iuxta dicta, una, & eadem sint substantia; quid consequentius, quàm quòd & sunt duæ personæ, & una sola summa substantia, una sola essentia, una sola natura? Hoc est quod nos docet fides nostra.

7 Sed quia in cap. 31. dictum est, Verbum, quo summus spiriritus, vel Deus cunctam dixit creaturam, similitudinem earum non esse: dubium superst, an idem contingat relate ad summum spiritum, vel Deum dicentem, ita, ut neque Verbum hoc sit ipsius, dicentis illud, similitudo, neque Verbum. Verum hoc dubium confestim repellit Author probando, & quòd hoc Verbum sit ipsius Dei dicentis Verbum, & quòd sit eiusdem similitudo, atque imago. Hoc obtinet Anselmus sugendo librorum S. Aug. de Trinit. 9. & 10. succum atque medullam.

8 *Nam nulla ratione negari potest &c.* ¶ Probat ergo sicut in cap. antecedenti ab exemplo animæ rationalis secundum partem superiorem, scilicet secundum mentem in qua, vel per quam anima rationalis juxta Aug. 14. de Trinit. cap. 8. est ad

ima-

imaginem Dei, & quædam imago Dei. Itaque sic Anselmus meditatur. Nulla ratione negari potest, quia, dum mens, vel anima rationalis se ipsam cogitando intelligit, nascitur in ipsa sua cogitatione sui ipsius imago: immò ipsa cogitatio sui est sua imago, ad ejus similitudinem tanquam ex ejus impressione formata. Ergo quis potest negare, in summo spiritu, vel Deo, qui summa sapientia est, & ad cujus similitudinem mens & anima rationalis sicut creata, & formata est, ita & intelligit, nasci Verbum, & imaginem ejus, cum ipse summus spiritus Deus se dicendo intelligit; nasci, inquam, ex ipso Deo & tanquam ex principio dicente, & tanquam ex objecto, vel specie quasi impressa sui ipsius, hoc est, ex essentia, & substantia sua, quasi esset species impressa?

9 Quòd vero mens, aut anima rationalis intelligat se ipsam; præter quam quòd probatum est in capite proximo, late D. Aug. probat lib. 9. sed præsentim 10., de Trinit, *Nam quid tam in mente*, ait cap. 8. lib. 10. *quàm mens est* ? & lib. 14. cap. 4. in fine, ad 10. lib. se referens: *Nihil*, ait, *tam novit mens, quàm quod sibi præsto est: nec menti magis quidpiam præsto est, quàm ipsa sibi.* Quòd autem, cum mens se noscit, cogitando de se, similitudo, & imago sui ipsius ex ipsamet anima nascatur, tamquam á quasi specie impressa sui ipsius; sic primo suadetur ex ratione P. Aug. 9. de Trinit. cap. 3. Mens non potest accipere á sensibus speciem sui ipsius: tum quia nullam rationalem animam sentire potest per semetipsam, cum per se non sit sensibilis, sed per operationes; quæ cognosci nequeunt ab anima profluere rationali, nisi quia prius in se experitur similes operationes ab animo rationali procedere: tum quia meminisse rerum insensibilium, sicut veritatis, justitiæ, virtutis, vitii, & essentiæ rerum; intelligere hæc eadem & velle; nequit anima percipere per sensus, cum sensibile corporeum sit; meminisse autem, intelligere, & velle res prædictas sunt operationes pure spirituales tam ex parte principii, quàm ex parte termini. Ergo neque intelligere potest anima rationalis mentem ipsam aut se ipsam per speciem acceptam à sensibus, sed per quasi impresionem sui ipsius in semetipsa. Tum denique quia propinquior est mens memoriæ suæ & intellectui suo similior, quàm species quælibet hausta per sensus, vel quæ sit in sensu. Ergo proximius est cognoscibilis ipsa mens sibi metipsi, quàm quodlibet aliud, aut per quodvis aliud. At species impressa est in memoria penitus necessaria, ut res quælibet de absenti fiat præsens proxime intra memoriam, & ut ex hac præsentia facile sigillatio, & impressio communicetur intellectui, & usque ad eum propagetur, & ita intellectus contineat quasi in visceribus suis, & quasi in utero aliquod conceptum, quod pariat dicendo. Ergo non solùm non est necesse speciem mentis, & animæ rationalis accipere à sensibus, verum & superflua quælibet alia species: intimius præsente sibi anima, mente ipsa. Ergo ex quasi impressione sui ipsius mens, & anima rationalis dum se cogitando intelligit, parit formatam ad conformitatem sui ipsius quandam similitudinem sui, & imaginem: vel de ipsa mente, & anima quasi impressa in sua memoria, & intellectu, nascitur sui ipsius conspicua imago.

10 Hæc est doctrina D. Aug. 9. de Trinit. cap. 3. ajentis: *Mens ergo ipsa, sicut corporearum rerum notitias per sensus corporis colligit, sic incorporearum per semetipsam. Ergo, & semetipsam per se ipsam novit, quoniam est incorporea.* Et cap. 12. *Liquido*, ait, *tenendum est, quod omnis res, quamcumque cognoscimus, congenerat nobis notitiam sui. Ab utroque enim notitia paritur, à cognoscente, & cognito. Itaque mens cum se ipsam cognocit, sola parens est notitiæ suæ: & cognitum enim & cognitor ipsa est.*

11 *Quamcumque enim rem mens, seu per corporis imaginationem &c.*] Quia non ita nobis hæc imago animæ de semetipsa nata, clara est, & nota, propterea quòd assuefacti ab infantia sumus sensibilibus, sicut perceptibiles nobis sunt imagines, quas formamus in mente nostra, quando intelligimus corporalia, vel sicut similitudines, quas ab exteriori sensu hausit phantasia: propterea Author nunc ab his sumit exemplum, quo illud aliud de anima, nobis minus perspicuum, satis persuadeat. Imprimis ponit exemplum generatim in nostro conatu ad exprimendam quamcumque rem intelligere volumus. Semper atque volumus, inquit, aliquid intelligere, non in alio conatus noster magis ostenditur, ut experientiâ intima omnibus constat, quàm in eo quòd imaginem ipsius aliquam intra nos exprimamus, & formemus: quod si assequamur, jucundamur, quasi jam intelligentes ea in imagine illud; & quanto perfectiorem magisque conspicuam imaginem depromimus, tanto plus contenti sumus, quasi rem verius, & melius intelligamus. Ergo etiam quando mentem nostram cogitando volumus intelligere, ejus imaginem edere, exprimere, efformare volumus; ut sic ipsam intelligamus.

Ergo ſi eam, ut dictum eſt, vere intelligimus, vere ex ipſa imaginem exprimimus & formamus ſui ipſius.

12 Deinde, ſimile exemplum ad memoriam reducit Author in ſenſu interiori, phantaſia ſcilicet; in qua dum faciem alicujus hominis, quem vidimus, iterum volumus cogitare, formatur acies cogitationis ex imagine, quæ attracta, & reſervata eſt in memoria, ad ſimilitudinem, atque imaginem illius: & illa cogitatio, ſeu phantaſia imaginata, vel ex altera formata imago, Verbum etiam eſt illius hominis viſi, quatenus ex ſpecie, quam ipſe dum præſens immiſit, formatum eſt. Ergo multo melius mens, aut anima rationalis, quæ ex ſemetipſa quaſi impreſſa in memoria ſua, & intellectu, formatam cogitationem ſui ipſius in ſui ſimilitudinem producit, ſecum habebit illam imaginem ex ſe natam tamquam veram ſimilitudinem ſui ipſius verumque ſui ipſius Verbum.

13 Hoc ſimile ſic ab Authore propoſitum, doctrinæ correſpondet P. Aug. 11. de Trinit. cap. 3. & ex illo deſumptum videtur. *Etiam detracta ſpecie corporis*, inquit Aug. *quæ corporaliter ſentiebatur, remanet in memoria ſimilitudo ejus, quo rursus voluntas convertat aciem, ut inde formetur intrinsecus, ſicut ex corpore objecto ſensibili ſensus extrinsecùs formabatur. Atque ita fit illa Trinitas ex memoria, & interna viſione, & quæ utrumque copulat voluntate. Quæ tria cum in uno coguntur, ab ipso coactu cogitatio dicitur.* Et infra: *Illa phantaſia, cum animus cogitat ſpeciem viſi corporis, cum conſtet ex corporis ſimilitudine, quam memoria tenet, & ex ea, quæ inde formatur in acie recordantis animi; tamen ſic una, & ſingularis apparet, ut duo quædam eſſe non inveniantur, niſi judicante ratione, qua intelligimus aliud eſſe illud, quod in memoria manet, etiam cum aliunde cogitamus, & aliud fieri cum recordamur, id eſt ad memoriam redimus, & illic invenimus eandem ſpeciem.* Hucusque Aug. cujus ultima verba adamusim respondent his Anselmi: *Quamvis ipsa* (anima rationalis, vel mens) *se à sua imagine, non niſi ratione ſola ſeparare poſſit.* Unde ſic collata cum verbis Aug. optime intelliguntur; cum alias absque tali collatione ſatis obscura, aut involuta apparerent.

14 Cum tam difficile discernantur, & anima ab imagine sua, dum se ipsam cogitat, & illæ species in phantaſia, de quibus agit Aug. rationem illico ſubjungit ipse S. Doct. nempe quia *utriusque conjunctio, id eſt ejus, quam memoria tenet, & ejus, quæ inde exprimitur, ut formetur acies recordantis, quia ſimillima ſunt, veluti unam facit apparere,*

15 Quód autem dicit Anselmus, ſcilicet, *Immo ipsam cogitationem ſui eſſe ſuam imaginem, ad ejus ſimilitudinem, tamquam ex ejus impreſſione formatam.* Consonat etiam cum Aug. 15. de Trinitate cap. 16. ajente: *Cogitatio noſtra perveniens ad id quod ſcimus* (id eſt, vere in noſtra memoria eſt juxta doctrinam S. Doct. in eo lib. atque aliis) *atque inde formata, verbum noſtrum verum eſt.* Quod autem imago de qua dicit Anselmus nasci ex mente vel anima rationali se ipsam cognoscente, ſit etiam verbum ipſius animæ, cujus imago eſt, continetur pariter in illo 15. Aug. de Trinit. lib. cap. 12. inquientis: "Omnia, & quæ per ſe ipsum, & quæ „ per ſensus corporis ſui, & quæ teſtimonio aliorum percepta ſcit animus humanus, The„ ſauro memoriæ condita tenet, ex quibus gignitur verbum verum, quando quod ſci„ mus loquimur, sed verbum ante omnem sonum, ante omnem cogitationem ſoni. Tunc „ enim eſt verbum ſimillimum rei notæ, de qua gignitur, & imago ejus, quoniam de visio„ ne ſcientiæ visio cogitationis exoritur, quod eſt verbum linguæ nullius, verbum ve„ rum de re vera, nihil de suo habens, sed totum de illa ſcientia, de qua naſ„ citur.

16 D. Thom. 1. part. quæſt. 87. art. 1. ubi inquirit. *Utrum anima intellectiva ſe ipsam cognoscat per ſuam eſſentiam*, non ita doctrinæ Auguſtinianæ, & Anſelmianæ de cognitione animæ à se ipsa per se ipſam adhæret, ut non discrepare videatur. Quandoquidem ait: *Quia connaturale eſt intellectui noſtro ſecundum ſtatum præſentis vitæ, quòd ad materialia, & ſensibilia reſpiciat:: Consequens eſt, ut sic ſe ipsum intelligat intellectus noster, ſecundum quod fit actu per ſpecies à ſensibilibus abstractas per lumen intellectus agentis, quod eſt actus ipsorum intelligibilium: & eis mediantibus intelligit intellectus paſsibilis.* Hæc nescio quo pacto convenire poſsint cum Aug. lib. 9. de Trinitat. cap. 3. dicente: Quia *Mens ipsa ſicut coporearum rerum notitias per ſensus corporis colligit, sic incorporearum per ſemetipsam. Ergo & ſemetipsam per ſemetipſam cognoscit, quoniam eſt incorporea.* Et lib. 10. cap. 7. *Non ſe*, inquit, *tamquam ſibi deſit, mens requirat. Quid enim tam cognitioni adeſt,*

quàm

quàm id quod menti adest? Aut quid tam menti adest, quam ipsa mens? Et iterum „ in cap. 8. Quid tam in mente, quàm mens est? Sed quia in his est, quæ cum amo„ re cogitat, sensibilibus autem, id est, corporalibus, assuefacta est cum amore, non „ valet sine imaginibus eorum esse in semetipsa. Hinc ei oboritur erroris dedecus, dum „ rerum sensarum imagines secernere à se non potest, ut se solam videat. Cohæserunt „ enim mirabiliter glutino amoris: & hæc est immunditia ejus, quoniam dum se solam „ nititur cogitare, hoc se putat esse sine quo se non potest cogitare. Cum igitur ei præ„ cipitur, ut se ipsam cognoscat, non se tamquam sibi detracta sit quærat; sed id „ quod sibi addidit, detrahat. Interior est enim ipsa, non solum quàm ista sensibilia, „ quæ manifeste foris sunt, sed etiam quam imagines eorum, quæ in parte quadam „ sunt animæ, quam habent & bestiæ, quamvis intelligentia careant, quæ mentis est „ propria :: Cognoscat ergo semetipsam, nec quasi absentem se quærat, sed „ intentionem voluntatis qua per alia vagatur, statuat in semetipsam, & se cogitet. Ita „ videbit, quod numquam se non amaverit, numquam nescierit: sed aliud secum aman„ do cum eo se confudit, & concrevit quodam modo; atque ita dum sicut unum di„ versa complectitur, unum putavit esse, quæ diversa sunt. Hactenus Aug. qui, ni mul-tum fallor, non judicat esse menti connaturale, ut opinatur Ang. Præcept. tam in loco citato, quàm in quæst. 84. ejusdem partis art. 7. ubi ex proposito quæst. tractat & dicit in corp. art. *Quod impossibile est intellectui secundum præsentis vitæ statum Aliquid intelligere in actu, nisi convertendo se ad phantasmata*: non, inquam, ita opinari videtur Aug. qui non ad connaturalitatem, sed ad vitium, & immunditiam hoc refert: quo vitio ut anima se purget non reputat impossibile, adhuc pro hoc statu, sed potius præceptum: immo & ad hoc ipsemet exortationem suam adjungit. Legatur quoque lib. 8. de Trinitat. cap. 6. & 13. lib. cap. 1.

17 Parens Anselmus cum dicit imaginem ipsius animæ nasci in sua cogitatione: *Immo ipsam cogitationem sui esse suam imaginem ad ejus similitudinem, tamquam ex ejus impressione formatam*, satis indicat non fieri per conversionem ad phantasmata hujusmodi cogitationem: nam tunc casus ex impresione alienarum phantasmatum cogitatio ad eorum similitudinem formaretur. Neque imago ex phantasmatibus nata, imago posset animæ, vel mentis vocari, cùm non ex impressione mentis, vel animæ ortum duceret, sed ex alieno semine: quapropter naturam, non mentis, vel animæ, sed alterius rei imitaretur. Unde hoc mentis exemplum, dum se cogitando intelligit, nihil ad propositum juvaret, ut per id, nimirum, ostenderetur, summum spiritum, summam sapientiam, dum se ipsam intelligit, imaginem sui exprimere de se ipsa, vel de ipso summo spiritu natam. Cœterum hæc, & aliæ similes materiæ talis naturæ sunt, ut etiam SS. Doctores sine inconvenienti possint inter se discrepare, & diversas opiniones ferre. Scimus, & ipse S. Thom. aliquando fatetur, D. Aug. doctrinis Platonicis imbutum fuisse; cùm tamen ipse Ang. Præcept. Scholam Peripateticam prætulerit. P. Anselmus veneratus est & secutus tamquam Magistrum Magn. P. Augustinum. Unde & ipse in præfatione præsentis operis ad D. Aug. in libb. de Trinitate nos remittit.

18 *Hoc itaque modo quis neget summam sapientiam, cùm se dicendo intelligit, gignere consubstantialem sibi similitudinem, id est Verbum suum?* Jam monui, Authorem, quia paulatim, & gradatim ratione procedit, non exprimere adhuc in his capp. nomen Patris Æterni, nec Filii, sed duntaxat nomen summi spiritus, vel summæ sapientiæ, nomenque Verbi: at per nomen summi spiritus, aut summæ sapientiæ vult ut subaudiatur, & intelligatur Pater, sicut nomen Filii, vel Filius, dum utitur nomine Verbi. Sub hac ergo intelligentia Author nunc applicat superius exemplum mentis, vel animæ rationalis, & colligit, tamquam á minori ad majus arguendo, quòd si mens humana, quæ non est ipsa sapientia, aut intelligentia, sed infinite distat ab ea, sibi sufficiens est ad gignendum de semetipsa, sine consortio alterius rei, aliena vespecie, imaginem sui ipsius, atque verbum; quanto magis summus spiritus qui summa est ipsa intelligentia, summa sapientia, hoc habebit, & quidem perfectissimo modo, dum se ipsum intelligit? Qua propter, inquit, negari non potest, dum summa sapientia, vel summus spiritus Deus se dicendo intelligit, gignere consubstantialem sibi similitudinem, id est, Verbum suum; gignere, inquam, de se ipso, sive de essentia, & substantia sua, ac si esset species impressa memoriæ, & intellectui suo, cum tamen simplicissime sit ipsa memoria Dei, & sit quoque ipse intellectus divinus.

19 *Quod Verbum licet de re tam singulariter eminenti proprie aliquid satis convenienter dici non possit &c.* Nota quod Author non negat in omni acceptione

ne aliquid propriè de Deo dici, sed duntaxat satis convenienter dici non posse affirmat à nobis imperfectè semper concipientibus. In eodem sensu dicit Aug. contra Adimantum cap. 13. *Non potest aliquid de Deo digne dici, quod ideo jam indignum est, quia potuit dici.* Nota etiam omnia hæc attributa Verbo adscripta esse ab Scriptura Sancta juxta varias quas super 3. versum 1. cap. Epist. ad Hæbreos noster Monachus doctissimus Congreg. S. Mauri Sabatier, versione Italica novissimè ædita, lectiones nobis tradidit. Nam ubi vulgata dicit, *figura substantiæ ejus*, in prædicta versione habetur, *imago substantiæ ejus.* Imago vero similitudo est. Unde Pater Aug. 6. de Trinit. cap. 10. dicit, quia *In Verbo est similitudo.* S. Ambrosius vero lib. 1. de Fide col. 453. & lib. 5. col. 587. nec non lib. de Incarnat. col. 727. legit: *Et character substantiæ ejus.* Quamvis in aliis locis legat: *imago substantiæ ejus.* Aug. lib. 1. de meritis, & remiss. peccat. *figura substantiæ.* Victorin. Afr. lib. 2. contra Arrium pag. 272.: *Qui est character substantiæ ejus.* * Rectè itaque noster Author juxta Vulgatam & juxta varias versiones Patrum ait, quòd Verbum æternum non inconvenienter (atque adeo convenienter) dici potest similitudo, imago, figura, & character. Lege D. Thom. in 1. distinct. 28. quæst. 2. ubi tractat de ratione imaginis. Et in 1. part. quæst. 35. ubi quærit. *Utrum imago in divinis dicatur personaliter: & utrum nomen imaginis sit proprium Filii.* Super hoc ultimum ita resolvit: *Quòd sicut Spiritus sanctus quamvis sua processione accipiat naturam Patris, sicut & Filius, non tamen dicitur natus, ita licet accipiat speciem similem Patris, non dicitur imago: quia Filius procedit ut Verbum, de cujus ratione est similitudo speciei ad id à quo procedit: non autem de ratione amoris.*

* In græco habetur: *Et character hypostasis ejus.* Themius, seu radix hujus vocis *character* est Verbum *charasso*, vel *charatto*, quod latine vertitur per hæc verba, *sculpo imprimo, incido.* Itaque hoc vocabulum græcum *character* majorem vim in se continet, quam quæ per hæc verba, *figura, imago* exprimi valet. Sed neque vox *substantia* omnino respondet huic alteri græcæ *hypostasi.*

20 *Verbum autem quo creaturam dicit, nequaquam similiter est verbum creaturæ &c.* Ponit Author antecedens de quo jam cum ipso egimus in cap. 31. Ex eo rectè deducit consequentiam. Super quam advertere debemus D. Thom. cùm ex hac Anselmi doctrina aliquid quæst. 4. de Verbo art. 5. sibi objecisset, sic Anselmum exposuisse ut intelligendus sit eo sensu *ut possit dici Verbum æternum Verbum esse creaturæ, id est, de creatura, & non à creatura: & quod si non referatur secundum aliquem casum, sufficiat quocumque modo referatur per præpositionem adjunctam, ut dicatur, quòd verbum est ad constituendam creaturam.* Sed præpositio *de* non est accipienda, sicut cùm dicitur Verbum esse de substantia, vel essentia Patris; sed quòd Verbum sit de creatura, id est, circa creaturam se habens, tum illam manifestando, cùm illam faciendo, & etiam disponendo de illa.

21 B. Albertus Mag. tomo 17. part. 1. summæ Theologicæ tract. 8. quæst. 35. sic interpretatur Anselmum, ut dicat Verbum Patris Æterni non esse proprium Verbum creaturæ, id est; in ratione dicti; esse verò creaturæ Verbum appropriatè, id est, ut notitia Patris, in qua omnes manifestantur creaturæ, ut ars, ut ratio. Utraque expositio tam Doct. Ang. quàm ejus Magistri, fundamentum habet in ipso S. Doct. Anselmo, non ajente absolutè Verbum non esse Verbum creaturæ; sed quod *nequaquam similiter* (id est, sicut est Verbum summi spiritus, vel Dei Patris) *est Verbum creaturæ.* Et in cap. proximo sequenti ait, quòd summus spiritus *est summa ratio, in qua sunt omnia, quæ facta sunt.* Cæterum de hoc, si lubet, quæ in cap. 31. diximus, legantur.

22 *Cujus ergò Verbo eam dicit, si non dicit eam verbo ejus? &c.* Suppositis antecedentibus sic deducit postremam, & resolutoriam consequentiam. Summus spiritus, id est, Deus Pater aliquo Verbo dicit creaturam. Non Verbo ipsius creaturæ. Ergo Verbo quod sit alterius, quàm creaturæ. Qui autem non est creatura, profectò est Deus. Ergo summus spiritus creaturam dicit Verbo Dei. Nonnisi Dei dicentis ipsum Verbum. Ergo summus spiritus eodem Verbo quo dicit seipsum, dicit cunctam creaturam. Non igitur sunt duo verba in Deo, sed unum duntaxat, quo Deus dicit seipsum, & simul dixit quæcumque fecit.

23 D. Thom. quæst. 4. de Verbo art. 4. citat hoc modo Anselmi verba: *Sed contra est. Anselmus dicit, quòd Pater dicendo se, dicit omnem creaturam.* At hæc verba non ipsa verba Anselmi, quamvis sententia ipsa sit. Et in fine corp. art. ita declarat sententiam Anselmi: *Oportet quòd quidquid in scientia Patris continetur, totum hoc per unum ipsius Verbum exprimatur, & hoc modo, quo in scientia continetur, ut sit verum Verbum suo principio correspondens, & Verbum exprimat Patrem ipsum principaliter, & consequenter omnia alia, quæ cognoscit Pater cognoscendo seipsum, & sic Filius ex hoc ipso quod est Verbum perfectè exprimens Patrem, exprimit omnem creaturam: & hic ordo ostenditur in verbis Anselmi, qui dicit, Quòd dicendo se, dicit omnem creaturam.* Confer iterum dico cap. 31. & ibi

nos-

noſtrum commentarium. Denique ſententiam hujus cap. & antecedentis citat ipſe Aug. Præcep. in 1. Sententiar. diſtinct. 32. quæſt. 1. art. 2. in 2. probatione pro ſua aſſertione. *Sicut amor*, inquit, *eſt proprium Spiritus S. ita & Verbum proprium Filij. Sed ſecundum Anſelmum Pater dicit ſe Verbo, ſcilicet quod eſt Filius. Ergo & amat ſe amore ab ipſo procedente, qui eſt Spiritus S.*

24 Hæc Anſelmi D. Thom. quæ doctrina intus reſpondet lib. 15. D. Aug. „ de Trinit. cap. 14. inquientis: Tamquam ſeipſum dicens Pater genuit Verbum ſibi „ æquale per omnia. Non enim ſeipſum integre perfecteque dixiſſet, ſi ali„ quid minus, aut amplius eſſet in ejus Verbo, quàm in ipſo. Ibi ſumme illud agnos„ citur *Eſt, eſt, Non, non.* Et ideo Verbum hoc vere veritas eſt: quoniam quidquid „ eſt in ea ſcientia de qua genitum eſt, & in ipſo eſt; quod autem in ea non eſt, nec „ in ipſo eſt. Hæc Aug. Quamvis non dicat manifeſte, quòd uno eodemque Verbo Pater ſe, & quæ fecit, exprimat; ſatis indicat in his verbis: *Quidquid eſt in ea ſcientia, de qua genitum eſt, & in ipſo eſt.*

CAPUT XXXIV. *

* Al. cap. 33.

Quomodo ſuo verbo videri poſſit dicere creaturam.

SED quomodo tam differentes res, ſcilicet, creans, & creata eſſentia, dici poſſunt uno verbo: præſertim cùm verbum ipſum ſit dicenti coæternum; creatura autem non ſit illi coæterna? Forſitam quia ipſe eſt ſumma ſapientia, & ſumma ratio, in qua ſunt omnia quæ facta ſunt: quemadmodum opus, quod fit ſecundum aliquam artem, non ſolùm quando fit, verum, & antequam fiat, & poſtquam diſſolvitur, ſemper eſt in ipſa arte non aliud, quàm quod eſt ars ipſa. Idcirco cum ipſe ſummus ſpiritus dicit ſeipſum, dicit omnia quæ facta ſunt. Nam, & antequam fierent, & cùm jam facta ſunt, & cùm corrumpuntur, ſeu aliquo modo variantur, ſemper in ipſo ſunt, non quod ſunt in ſeipſis, ſed quod eſt idem ipſe. Etenim in ſeipſis ſunt eſſentia mutabilis, ſecundum immutabilem rationem creata: in ipſo vero ſunt ipſa prima eſſentia, & prima exiſtendi veritas; cui prout magis utcunque illa ſimilia ſunt, ita verius, & præſtantius exiſtunt. Hoc itaque modo non irrationabiliter aſſeri poteſt, quia cùm ſeipſum dicit ſummus ille ſpiritus, dicit etiam quicquid factum eſt, uno eodemque verbo.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XXXIV.

Sed quo modo tam differentes res &c. ¶

1 Ecce ambas dubitandi rationes quas capitis antecedentis initio poſuimus. Et ecce qualiter verum ſit quod in 32. expoſuimus, Anſelmum videlicet, quaſi hominem ſe gerentem, qui per rationem apropinquat ad fidem, vel quaſi fide non utentem ad probandum ea, quæ ſunt fidei, non de creaturis poſſibilibus unquam in hoc opere locutum fuiſſe ſub hac conſideratione, ſed de aliquando duntaxat extituris, vel exiſtentibus, quippe per quas unius ſummæ eſſentiæ, vel Dei probaretur exiſtentia, interna locutio & exemplar ſupremo opifici deserviens ad hujus mundi creationem, diſpoſitionemque. Hæc enim ſecunda contra ſe Authoris replica non de poſſibilibus mere, utpote quæ in virtute Dei, & ipſius ideis ſolum exiſtunt, vel ſunt, adeoque poſſunt dici

coeterna, sed de existentibus in aliquo tempore duntaxat intelligi valet, quæ Deo coeterna nequaquam sunt.

2 Altera vero replica differentiâ summa nitens quæ versatur inter creantem, & creatam essentiam, inter Deum, & creaturas, nimis difficilis est. Explicatu siquidem difficillimum est, qualiter summus spiritus, aut Deus, absque præjudicio, detrimento ve summæ suæ simplicitatis, sua cognitione, non tantum sub quadam ratione generalissima entis, sed etiam distincte atque in individuo innumeras res cognoscat, tum à seipso, tum inter se ipsas tam differentes. Hanc difficultatem sobrie disputantibus satis expeditam reddit D. Thom. 1. part. quæst. 15. art. 2. ubi dicit, plures, & uniuscujusque rei propriam, ideas in Deo esse, nihil repugnante summa ejus simplicitate, eó quòd idea non se habet tamquam forma, vel principium quo Deus intelligit, sed tamquam res intellecta: quapropter nihil simplicissimo Deo nocet multa intelligere. In quæst. 14. ejusdem partis art. 6. docet, Deum propria cognitione, sive distincte secundum omnes suas differentias, res creatas cunctas noscere, quoniam in se modo excellentissimo omnes creaturarum tam communes quam proprias unius cujusque & particulares perfectiones præcontinet, & in se habet. Manifestum est, inquit, quòd per actum perfectum cognosci possunt actus imperfecti, non solùm in communi, sed etiam propria cognitione:: Sicut qui cognoscit senarium, cognoscit trinarium propria cognitione. Sic igitur cum essentia Dei habeat in se quidquid perfectionis habet essentia cujuscumque rei alterius, & adhuc amplius: Deus in se ipso potest omnia propria cognitione cognoscere. Sed licet hæc doctrina D. Thom. vera sit, nimis ardua nobis ejus intelligentia: quia in Deo non distincte, & cum finitudine, sed simplicissime, & absque ulla compositione, & meta, præcontinentur essentiæ perfectionesque rerum creatarum.

3 Quapropter Anselmus cap. 36. hujus lib. quem præ manibus habemus, sanctè, & ingenuè fatetur: *Quo modo dicat idem Spiritus* (Deus) *vel quo modo sciat ea, quæ facta sunt, ab humana scientia comprehendi non posse.* Itaque in præsenti cap. ut hanc insinuet inexplicabilem scientiam, atque modum tot res dicendi tam differentes, simplicissimo scilicet uno Verbo, enodat timidus difficultatem ajendo *Forsitam quia ipse est summa sapientia, & summa ratio, in qua sunt omnia, quæ facta sunt.* Hoc est, cùm sit summa sapientia Deus, & ratio, eminet infinite super omnes scientias, artesque creatas. Si ergo *opus, quod fit secundum aliquam artem, non solum quando fit, verum & antequam fiat, & postquam disolvitur, semper est in ipsa*: Quid mirum, aut quæ erit repugnantia; ut res creatæ, non ut in se sunt variabiles, imperfectæ, finitæ, compositæ, immo & multæ quoque corporeæ, sed sine compositione, sine variatione, sine mutabilitate, sine imperfectione, sine meta, sine corpore, sine materia, in arte divina sint?

4 Quòd vero Artificis humani opificium non aliud sit in Artifice quàm ipsa ars, id est, quàm illa artificiosa, aut coordinata ratio, & idea, quàm in se, vel apud se præconcipit, atque secum retinet antequam ipsam in aliqua materia executioni mandet, ex eo patet, quia in mente Artificis opificium, domus v. g. non est corporea; non enim occupat locum ibi, neque est extensa, neque dura, neque impenetrabilis, neque calida, neque frigida, neque luminosa, neque obscura, neque gravitat, neque est levis, neque arietibus, aut tempestatibus ad terram corrui, neque ignis voracitate in favillas disolvi potest. Ergo in Artifice cum sit domus inextensa, immensurabilis, incorporea, immaterialis, spiritualis, sicut mens Artificis; nihilominus exprimitur ab Artifice in idea sicut ipsa domus vere in se extensa est, vere mensurabilis, verum corpus cum omnibus ejus partibus, circunstantijs, & proprietatibus, cumque distributione, & dispositione; & sic ab artifice clare, atque distincte cognoscitur.

5 Ergo cùm summus spiritus, Deus non solum habeat sapientiam, & artem rerum omnium, sed ipsa summa sapientia, ars, atque ratio sit; creaturæ in arte, & sapientia summi spiritus Dei erunt absdubio ipse summus spiritus Deus, seu idem quod summa sapientia, summa ars, summa ratio. Ergo cùm ipse summus spiritus Deus dicit seipsum, necesse est ut etiam dicat creaturas. Quippe cùm dicit seipsum, dicit id quod ipse est: & cum sit perfecta summaque sapientia, perfecte summeque dicit. Si igitur creaturæ in ipso sunt id quod ipse: dicendo perfecte quod ipse est; quî fieri potest, ut simul non dicat creaturas? Ergo sicut humanus Artifex exprimendo domus ideam præconceptam, & in memoria reconditam, aut reservatam, dicit id quod in arte sua præcontinebat; & dicendo, simul clare, & distincte cognoscit, etiam antequam sit domus, naturam, proprietates, & circunstantias domus, ut in se ipsa erit, & ut est quando est, & ut fuit, postquam esse per ruinam desiit: ita & longe perfectio-

ri

ri modo summus ſpiritus Deus cùm perfectiſſime id, quod est ipse, dicit, cognitione ſimul se á ſuis creaturis discernit, & ipſas creaturas inter ſe, antequam ſint, quando ſunt, & poſtquam corrumpuntur, aut eſſe deſinunt, & quando variantur, mutantur, ſecundum unius cujusque naturam, proprietates, differentias, accidentia, modos, quin ipse Deus, aut ejus ſapientia, ars, vel ratio neque in minimo corrumpantur, mutentur, varientur.

6 *Etenim in ſe ipſis sunt eſſentia mutabilis, secundum immutabilem rationem creata, &c.* ¶ In his Verbis jam fere omnino expoſitis, nihil reſtat notandum, niſi quod dicit D. Thom. Verbum poſſe conſiderari ut verbum, & ut ratio, & exemplar rerum creatarum; & quòd ut verbum non dicit reſpectum ad creaturam, ſed, ad dicentem; ut vero eſt ratio, & exemplar creaturarum explicat reſpectum ad ipsas. Quapropter noſter Author hic dicit creaturas in se ipſis eſſentiam eſſe mutabilem, at ſecundum immutabilem rationem creatas: creatæ vero sunt per Verbum, & ſecundum Verbum æternum; unde consequens eſt ut creatæ ſint ſecundum æternam, & immutabilem rationem. Confer cap. 9. & 10.

7 Secundo notandum eſt, Authorem dicere creaturas eſſe in Verbo ipsam primam eſſentiam, & primam exiſtendi veritatem, quia cùm in verbo ſint id quod eſt ipsum Verbum; Verbum autem eſt ipsa Summa eſſentia à qua procedit omnis eſſentia creata, juxta dicta in primis capp. & aliunde propter eandem rationem ſit prima veritas; & quia etiam eſt prima, & expreſſa conformitas cum Patre, ut pote ſimilitudo ejus, & perfectiſsima imago: hinc consequens eſt ut creaturæ in ipſo verbo ſint prima ipsa eſſentia, & prima exiſtendi veritas. Quamvis Author ſimul debet intelligi quòd loquatur de creaturis non ſolum prout sunt in Verbo formaliter, sed etiam prout sunt in ipsa summa ſapientia, & ſcientia Patris; quo ſenſu vere sunt etiam ipsa prima eſſentia, & prima exiſtendi veritas; cùm Pater æque ſit ipsa ſumma eſſentia à qua eſt omnis eſſentia; & ipsa prima exiſtendi veritas, à qua omnis veritas procedit. Nihilominus tamen Pater non eo sensu quo Verbum eſt expreſſa conformitas, perfectiſsima ſimilitudo, & imago Patris, non, inquam, in hoc ſenſu dicendus eſt prima veritas. Tertio notandum eſt D. Thom quæſt. 4. de Verbo, art. 6. argumentum *sed contra* formare ex his verbis, quæ versamus, & proxime præcedentibus, magis quantum ad sensum, quam exacte ipsas servando voces; ait quippe: *Creaturæ in Creatore est creatrix eſſentia, ut Anselmus dicit.* Et ſic citat alijs in locis. Hæc autem verba neque hic neque alibi inveniuntur apud noſtrum Anselmum: invenitur tamen sententia.

8 Denique notandum eſt quod jam ipse Author multo magis explicuit in cap. 31. Creaturas scilicet eò veriores, & præſtantiores exiſtere, quo magis accedunt ad ſimilitudinem Verbi; quia nimirum cum Verbum præſtantiſsimum omnium ſit, absdubio quò magis creatura ad ipsum appropinquet, ſive illi ſimilior ſit, eò præſtantior: ſicut quia eſt ipsa prima veritas, quò magis creatura cum ipso conformetur, eò profectò verior. At neque hoc ita proprium eſt Verbi, ut non conveniat toti Trinitati. Natura enim divina quæ eſt *eſſe* præſtantiſsimum omnium, & pariter eſt prima, & ſumma veritas, communis eſt Patri, Filio, & Spiritui Sancto. Jam in Commentario ſuper cap. 31 monui, conferendum eſſe ſuper hac materia de veritate creaturarum, et eſſentiæ Dei, Dialogum de Veritate: ſignanter vero nunc indico cap. 7. et cap 10.

9 Doctrina præcedens S. Anselmi correspondet cap. 10. lib. 6. Aug. de Trinit. ubi dicit: *Quoniam Verbum divinum :: est ars quædam omnipotentis atque sapientis Dei, plena omnium rationum viventium imcommutabilium; & omnes unum in ea, ſicut ipsa unum de uno, cum quo unum. Ibi novit omnia Deus, quæ fecit per ipsam, & ideo cum decedant, & succedant tempora, non decedit, aut succedit aliquid scientiæ Dei.* Sensus igitur Aug. et ipſius fideliſsimi discipuli Anselmi, ni fallor, eſt, in Deo eſſe rationes creaturarum non formaliter diſtinctas, sed in æquivalentia; ita ut ſint re ipsa unum ſimpliſsime in Verbo, sed æquivalenter, et eminenter plures: quod pariter dicendum eſt de ipſis, quatenus conſiderantur ut quaſi formabiles, vel exprimibiles eſſe in ſapientia, et scientia Dei Patris.

10 Sed cave, Lector, ne ex hac doctrina S. Anselmi occassionem errandi ſumas, putando tibi licere dicere eſſentias creatas eſſe eſſentiam increatam, eſſentiam Dei, et primam exiſtendi veritatem. Cave, inquam: nam ut inquit Alexander de Hales (apud Dioniſium Chartus. in 1. ſentent. diſtinct. 36. quæſt. 1) qui propter ſuam eminentem doctrinam dictus eſt irrefragabilis Doctor, explicando hunc locum noſtri S. Doctoris, aliud eſt dicere, omnia sunt divina eſſentia, et aliud omnia

„ nia in Deo sunt divina essentia. Cum enim dicitur, *omnia sunt divina essentia*, sup-
„ ponuntur creaturæ prout sunt in suo esse : cùm vero dicitur, *omnia in Deo sunt*
„ *divina essentia*, supponuntur rationes æternæ rerum istarum ; quæ rationes æternæ
„ sunt ipsa sapientia Dei, & per consequens divina essentia. D. Thom. quoque super
eandem distinctionem quæst. 1. art. 3. ad 1. ait: *Quòd in Deo nihil est diversum ab ipso: undè creaturæ secundum hoc quod in Deo sunt, non sunt aliud à Deo : quia creaturæ in Deo sunt causatrix essentia, ut dicit Anselmus : sunt enim per suam similitudinem : ipsa autem essentia divina similitudo est omnium eorum quæ à Deo sunt.* At noster Author in cap. 31. negat quòd essentia dicatur absolute vel sit similitudo creaturarum. Confer ibi commentarium. Et ad secundum quod nititur Authoritate August.
„ lib. 5. super Gen. ad litteram cap. 15. & Anselmi in hoc cap. & in sequenti, res-
„ pondet S. Thom. Quod esse creaturæ potest quadrupliciter considerari. Primo modo,
„ secundum quod est in propria natura; secundo modo prout est in cognitione nostra;
„ tertio modo prout est in Deo ; quarto modo communiter, prout abstrait ab omnibus
„ his. Cum ergo dicitur quòd creatura verius esse habet in Deo quàm in seipsa, com-
„ paratur primum & tertium esse respectu quarti ; quia omnis comparatio est respectu
„ communis, & pro tanto dicitur, quòd in Deo habet verius esse, quia omne quod est
„ in aliquo, est in eo per modum ejus in quo est, & non per modum sui : Unde Deo est
„ per esse increatum, in se autem est per esse creatum, in quo minus est de veritate es-
„ sendi, quàm in esse increato.

11 Itaque in utroque loco S. Doct. nota scrupulosam, ut ita dicam, solicitudinem S. Thom. in addendo semper hæc verba *in Deo*, & adhuc majorem vim faciendo in primo loco, dicit *secundnm hoc quod in Deo sunt*, creaturæ non sunt aliud á Deo. Sufficienter ergo indicat, quod supra diximus Alexandrum docere, nefas esse dicere absolute creaturas esse idem quod Deus, vel esse divinam essentiam: quamvis verisimum sit, quod dicit Anselmus, creaturas in Deo non esse quod sunt in seipsis, sed quod est idem ipse. Simile exemplum habetur in quæst. satis celebri *utrum creaturæ sint ab æterno in æternitate.* Plausibilior sententia Thomistarum cum D. Thom. & S. Anselmo, defendit creaturas esse ab æterno in æternitate. At si ex hoc arguas : ergo sunt ab æterno. Firmissime negabitur tibi consequentia. Et non ob aliam causam, nisi quia est summa distantia inter unam propositionem, & alteram : nam prima propositio ponit vim suam in ipsa natura æternitatis, non in creaturarum natura ; secunda vero tribuit existentiam ab æterno rebus, non ratione æternitatis, sed ex ipsarum natura ; aut ponit ipsam existentiam ab æterno proxime in ipsa rerum creatarum natura, non in vi æternitatis.

12 *Hoc itaque modo non irrationabiliter asseri potest &c.* Concludit Author expediendo resolutorie difficultatem, quòd nimirum modo prædicto, id est, rebus factis consideratis, prout sunt in Deo, cum sint non quod sunt in seipsis, sed quod est idem ipse, sine inconvenienti, & rationabiliter asseri potest, quia cum summus spiritus, vel Deus Pater dicit seipsum, dicit etiam quidquid ab ipso factum est, non pluribus verbis, sed uno, eodemque Verbo. Et ratio hoc persuadet : quia quod videbatur resistere, ut Deus, & creaturæ uno eodemque dicerentur verbo, est magna differentia, quæ intercedit inter Deum, & creaturas. Cùm ergo creaturæ prout in Deo, non differant à Deo, vel ab esse Dei, sed sint idem cum ipso, cessat tota difficultas, quæ nitebatur in diversitate Dei à creatura, & creaturæ à Deo.

CAPUT XXXV.*

§ Al. cap. 34.

Quòd quicquid factum est, in ejus Verbo, & scientia sit vita, & veritas.

VErùm cùm constet quia Verbum ejus consubstantiale est illi, & perfectè simile ; necessario consequitur ut omnia quæ sunt in illo, eadem, & eodem modo sint in Verbo ejus. Quicquid igitur factum est, sive vivat, sive non vivat, aut quomodocunque sit in se, in illo est ipsa vita, & veritas. Quoniam autem idem est summo spiritui scire, quod

in-

intelligere ſive dicere: neceſſe eſt, ut eodem modo ſciat omnia quæ ſcit, quo ea dicit aut intelligit. Quemmadmodum igitur omnia ſunt in Verbo ejus vita, & veritas; ita ſunt in ſcientia ejus.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XXXV.

Verum cum conſtet &c. ¶

1 Proſequitur Author, & dicit; cum conſtet ex cap. 29. & magis proxime ex cap. 33. Verbum ſummi ſpiritus, vel Dei Patris, ipſi Deo Patri eſſe conſubſtantiale, & perfecte ſimile; neceſſario ex hoc, & ex dictis in proximo cap. ſequitur ut omnia quæ ſunt in ſummo ſpiritu, vel Deo Patre, éadem, & eodem modo ſint in Verbo ejus. Unde & colligit quòd quidquid factum est, ſive vivat, ſive non vivat, aut quocumque modo ſit in ſe, in Verbo tamen ſit ipsa vita & ſit ipsa veritas. Conſequentia legitima est: quia ſi quidquid est in Deo Patre, est in Verbo ejus & eodem modo; cùm omnia prout in eſſentia Patris, vel ſcientia vitam habeant, & veritatem, immo juxta dicta in cap. antecedenti, prout ibi sunt, non sunt quod sunt in se ipſis, sed quod est idem ipse, & conſequenter ſunt ipsa veritas, & vita; ſequitur absdubio etiam eſſe ipſam vitam, & veritatem prout in Verbo sunt. Nam ſi Verbum est conſubstantiale Patri, & perfecte ſimile, neceſſe est ut èadem vita, & veritas ſit in utroque. Alioquin nec Verbum eſſet consubstantiale Patri, nec perfecte ſimile; quandoquidem vita, & veritas in Patre, ipſius ſubſtantia est. Quapropter dicit Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 14. „ Tamquam se ipsum dicens Pater genuit Verbum ſibi æquale per omnia. Non enim se „ ipsum integre perfecteque dixiſſet, ſi aliquid minus, aut amplius eſſet in ejus Verbo, „ quàm in ipso. Ibi summe illud agnoscitur, *Est, est, Non, non.* Et ideo Verbum „ hoc vere veritas eſt: quoniam quidquid eſt in ea ſcientia de qua genitum eſt, & in „ ipso eſt; quod autem in ea non eſt, neque in ipso eſt.

2 Verbum ergo, & habet eſſe naturale, & habet absque ulla reali diſtinctione eſſe intelligibile. Unde rite colligit Author, quód omnia, quæ sunt in Verbo, ſive in sua natura vivant ſive non vivant, in Verbo tamen ſemper, & immutabiliter vivunt. Hæc namque invenitur maxima inter Verbum Dei, & verbum noſtrum differentia; quòd cum verbum noſtrum non ſit idem quod nos, neque ſit subſtantia noſtra, licet ſit vitale, quia eſt, & manet à principio vitali, non tamen per se vivit: unde consequens ſit, ut neque ea, quæ in ipso ſunt repreſentata, in ipso vivant: at Verbum Dei, cum Deus ſit, & ſit ipsa Dei perfecta summe vivens, immo summa vita, eſſentia, atque substantia, neceſſe eſt ut ipſum Verbum Dei, etiam ſecundum eſſe intelligibile, vel secundum quod manifeſtativum eſt, per se ipsum vivat & ſit ipsa Dei vita: quapropter & omnia quæ in ipso sunt, etiam secundum quod ipsorum eſt manifeſtativum, per vitam ipſius vivant, et ſint vita. Itaque ea quæ in se ipſis vivunt, vitam habent; ipsa tamen in ſe ipſis vita non ſunt. In Verbo autem non solùm ea quæ in se ipſis vitam habent ſed etiam quæ in se ipſis vitam non habent, vita sunt. Hæc tamen eſt differentia, quòd ea, quæ vivunt in seipſis, representantur à Verbo non ſolùm cum vita prout in Deo, sed etiam vitæ participantia prout exiſtunt extra Deum: illa vero quæ in ſeipſis vita carent, non representantur à Verbo, ut in seipſis viventia, sed solúm prout in Deo. Hoc discrimen non invenitur in ratione veritatis: quippe cùm omnia quæ quomodocumque ſunt, vivant, aut non vivant, representantur à Verbo, ut vera, non solum prout in Deo, ſed etiam prout in se ipſis. Veritas enim ſequitur ens, vel eſſe quodcumque reale; vita vero non niſi ens, vel eſſe in determinato gradu. Quapropter omnia quæ sunt, quantum participant à summa eſſentia de eſſe, tantum participant de veritate (lege cap. 31, & 34. & dialogum de Veritat. cap. 7.) Non autem vitam ſparticipant à summa vita, ex eo duntaxat quód participent quodcumque eſſe, sed ex eo quód participent eſſe in tali gradu.

3 Hæc doctrina S. Doct. correspondet capiti 10. Aug. lib. 6. de Trinit. ubi „ ait: In Verbo eſt prima, & summa vita, cui non eſt aliud vivere, aliud eſſe:: & „ cui non eſt aliud vivere, & aliud intelligere:: Verbum eſt ars quædam plena omnium „ rationum viventium incommutabilium. Pariter respondet 1. cap. lib. 4. de Trinit.

„ ubi inquit Aug. In Verbo omnia vita ſunt, & omnia unum sunt, & magis unum „ eſt, & una vita eſt:: In his autem quæ per ipsum facta sunt, etiam corpus quod „ vita non eſt, per ipsum non fieret, niſi in illo, antequam fieret, vita eſſet. D.Thom. quoque in 1. part. quæſt. 18. art. 4. quærit *Utrum omnia sint vita in Deo, & respondet, Quod vivere Dei est ejus intelligere; in Deo autem est idem intellectus, & quod intelligitur, & ipſum intelligere ejus. Unde quidquid est in Deo ut intellectum, est ipsum vivere, vel vita ejus. Unde cum omnia quæ facta ſunt à Deo ſint in ipso ut intellecta, ſequitur quòd omnia in ipso ſunt ipsa vita divina.* Ecce ipsam rationem Anselmi.

4 *Quoniam autem idem est ſummo spiritui ſcire, quod intelligere ſive dicere, &c.* Rationem magis formalem, & metaphyſicam reddit Author cur omnia quæ facta sunt, ſint vita, & veritas in Verbo Æterno, non solum quia consubſtantiale eſt Deo Patri, ſed etiam ex propria notione, quia Verbum. Nempe Verbum ex propria notione procedit à Patre per intellectum: quapropter procedit de subſtantia Patris quatenus ſcientia, & sapientia. Itaque dicit Author; cum idem ſit summo ſpiritui, vel Deo Patri ſcire, quod intelligere, ſive dicere; neceſſe eſt ut eodem modo ſciat Pater omnia quæ scit, quo ea dicit, aut intelligit; & eodem modo ea intelligendo dicat, & dicendo intelligat, quo ipse scit, vel habet in ſcientia sua. Verbum enim correspondet perfecte etiam in eſſe formaliter intelligibili, vel in eſſe formaliter Verbi naturæ Patris secundum quod eſt principium *quo* dicendi, & intelligendi. Eſt autem principium intelligendi, & dicendi ſub ratione quaſi speciei impreſſæ: quam quaſi impreſſam speciem intelligit S. Anselmus cum D. Aug. per nomen ſcientiæ. Ergo ſi Verbum procedit ex propria notione ut ſimilitudo, & imago Patris, debet exprimere formaliter ipsam quaſi ſpeciem impreſſam Patris, vel scientiam, unde à Patre formaliter procedit. Consequitur, ergo, inquit concludendo Author, quód ſi omnia sunt in Verbo summi ſpiritus vel Dei Patris, etiam in quantum Verbum eſt, vita, & veritas, pariter, etiam ſecundum eſſe intelligibile, ſint in ſcientia, vel quaſi specie impreſſa Dei Patris, vita, & veritas. Nempe, ut antea dicebat D. Thom. In verbo omnia ſunt vita, & veritas tamquam intellecta; in scientia vero Dei Patris tamquam in ipso intelligere.

5 Dixi D. Aug. intelligere ſicut Anselmus per scientiam, non actum intelligendi Sed ſpeciem memoriæ impreſſam, & conjunctam cum intellectu, ut inde naſcatur Verbum medio actu intelligendi, et dicendi. Ad cujus probationem legantur, quæ diximus in expoſitione cap. 29. & 33. Deinde hæc addo ex lib. 15. de Trinit. cap. „ 13. Sicut noſtra, inquit, ſcientia illi ſcientiæ Dei, ſic et noſtrum verbum quod „ nascitur de noſtra scientia, diſsimile eſt illi Verbo quod natum eſt de Patris eſſentia. Tale eſt autem ac ſi dicerem, de Patris scientia, de Patris ſapientia. Et cap. „ 21. Ineſt, ait, intelligentia, ineſt dilectio illi memoriæ principali, in qua invenimus paratum, et reconditum ad quod cogitando poſſumus pervenire; quia et duo „ iſta invenimus ibi, quando nos cogitando invenimus, et intelligere aliquid, et amare, quæ ibi erant, et quando ibi non cogitabamus. Et in fine cap. 12. *de Visione*, ait, *ſcientiæ visio cogitationis exoritur.*

6 Ad formam igitur dialecticam cap. breviter reducendo, ita cum Authore ratiocinamur. Dictum eſt in cap. antecedenti, quòd omnes creaturæ ſunt in Deo quod eſt ipſe Deus. Sed Deus, ut probatum eſt in cap. 15. et 16. in genere, et in cap. 9. cum duobus ſequentibus, & à cap. 29. usque huc, eſt non ſolum vivens, ſed etiam ſumme vivens, & ſumma vita, ergo omnes creaturæ in Deo ſunt viventes, & ſunt ipſa Dei vita. Sed ex eisdem capp. 15. & 16. pariter conſtat Deum eſſe ſumme verum, & ſummam veritatem. Ergo omnes creaturæ, prout in Deo, etiam ſunt ipſa divina veritas. At Verbum Dei conſtat quoque ex cap. 33. eſſe Deo Patri conſubſtantiale, & perfecte ſimile, immo ſimilitudinem, & perfectiſsimam imaginem ipſius. Ergo certiſsimum eſt quód una, & eadem ſubſtantia cum omnibus atributis eſt Patris, & Filij. Sed in una eademque omnino ſubſtantia, in ijsdemque omnino attributis, neceſſe eſt ut creaturæ non diverso, ſed penitus eodem modo ſint. Ergo omnes creaturæ, quæ ſunt in ſummo ſpiritu dicente Verbum, ſive in Deo Patre, ſunt & eodem omnino modo in Deo Verbo. Cum ergo, ut probatum eſt, in Deo Patre ſint omnes creaturæ, ſive vivant in ſeipſis, ſive non vivant, vita, & veritas; certiſsime ſequitur, quod pariter ſint in Deo Verbo vita, & veritas.

7 Præterea, Conſtat ſimiliter à primo cap. usque ad 12. Deum omnia ſapienter feciſſe ex nihilo; & consequenter quod omnia antequam à Deo fierent, erant in ſcientia, ſapientia, & arte Dei: immo & conſtat ex cap. 34. quod immutabiliter,

&

& invariabiliter semper manent in eadem arte Dei, & ſcientia. Sed ars, ſcientia, & ſapientia Dei conſtat jam ex capp. 16. & 17. quod non ſunt aliud ab eſſentia, ſubſtantia, vita, & veritate Dei. Ergo omnes creaturæ in ſcientia, arte, & ſapientia Dei, ſunt vita, & veritas. Sed in Deo propter easdem rationes exhibitas in illis capp. idem eſt ſcire, intelligere, dicere. ergo neceſſe eſt ut creaturæ eodem modo, quo ſunt in ſcientia, arte, & ſapientia Dei, ſint in ipso intelligere, & dicere. Sed quod eſt in ipſo intelligere, & dicere Dei Patris non poteſt non eſſe in ejus Verbo à ſe dicto. Ergo omnes creaturæ eodem modo reali quo ſunt in intelligere, & dicere Dei Patris, ſunt in ipſius Verbo dicto. Sed in intelligere, et dicere ſunt vita, et veritas, non ſolum propter ſimplicitatem Dei, ſed etiam quia intelligere, et dicere ex propria ratione in Deo eſt vita, et veritas. Ergo etiam in Verbo dicto non ſolúm ſecundum eſſe Verbi naturale, ſed etiam ſecundum eſſe intelligibile, vel quatenus dictum, et intellectum, omnes creaturæ ſunt vita, et veritas. Et ecce probatum illud Evangelij Joann. 1. cap. vers. 3. et 4. Certe ex hoc textu, *Quod factum eſt, in ipso vita erat* probat Ang. Mag. in 1. parte quæſt. ſupra citata 18. art. 4. omnia eſſe vitam in Deo. Non dubito quin in Vulgata noſtra non conjungatur *In ipso vita erat* cum verbis antecedentibus, *quod factum eſt*; & quod hæc lectio minus apud PP. frequens eſt, & quod cum Vulgata concordat textus græcus: Sed nihilominus S. Aug. tract. 1. in Joan. expreſſe ait poſſe ita legi: *Quod factum eſt in illo, vita eſt*, & ibidem ipſe legit: *Quod factum eſt, in illo vita eſt.* Et poſt pauca ſic proſequitur: Ut quid dictum „ eſt: *Quod factum eſt in illo, vita eſt?* Si enim omnia in ipso facta ſunt, omnia „ vita ſunt. Non te abducam: Pronuncia ſic: *Quod factum eſt*: hic ſubdiſtingue, & „ deinde infer: *In illo vita eſt.* Et iterum: Quomodo, inquit, per ipsum omnia „ ſunt facta? Quia *quod factum eſt, in ipso vita erat*: & antequam fieret, vita erat. Concordant quoque in hac lectióne, S. Ireneus, S. Cyprianus, S. Hillarius, Auctor quæſt. ex utroq. T. Victorin. Afric. ut legere licet apud noſtrum doctiſsimum Sabatier in notis ad verſionem Italicam, cap. 1. Joan. vers. citatis.

CAPUT XXXVI.*

* Al. pus cap. 34.

Quàm incomprehenſibili modo dicat, vel ſciat res à ſe factas.

QUA ex re manifeſtiſsime comprehendi poteſt quomodo dicat idem ſpiritus, vel quomodo ſciat ea quæ facta ſunt, ab humana ſcientia comprehendi non poſſe. Nam nulli dubium creatas ſubſtantias multo aliter eſſe in ſeipſis, quàm in noſtra ſcientia. In ſeipſis namque ſunt per ipſam ſuam eſſentiam: in noſtra vero ſcientia non ſunt earum eſſentiæ; ſed earum ſimilitudines. Reſtat igitur ut tanto verius ſint in ſeipſis, quàm in noſtra ſcientia; quanto verius ſunt alicubi per ſuam eſſentiam quàm per ſuam ſimilitudinem. * Cúm ergo, & hoc conſtet, quia omnis creata ſuſtantia tanto verius eſt in Verbo, id eſt, in intelligentia creatoris, quàm in ſeipſa; quanto verius exiſtit creatrix, quàm creata eſſentia: quomodo comprehendat humana mens, cujusmodi ſit illud dicere, & illa ſcientia, quæ ſic longe ſuperior, & verior eſt creatis ſubſtantiis; ſi noſtra ſcientia tam longe ſuperatur ab illis; quantum earum ſimilitudo diſtat ab earum eſſentia?

* Al. cap. 35.

COM-

COMMENTARIUS.

CAPIT. XXXVI.

Qua ex re manifestissime comprehendi potest, &c. ¶

1 Prosequitur noster Auctor, & ex doctrina data in capp. antecedentibus eam considerationem nostræ considerationi præsentat, et ofert ut per illam clarissime cognoscamus incomprehensibilem nobis esse divinam scientiam, modumque quo summus Spiritus Deus sciat, et dicat tot creaturas, tamque inter se, et multo magis à Deo differentes. Unde exclamare cum Ap. pleni admiratione cogimur: *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei!* Et illud Proph. *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam.*

2 Utitur Anselmus argumento satis sensibili, á minori ad majus, ut hanc divinæ scientiæ incomprehensibilitatem videre nos faciat. Itaque procedit sic. Nos nec comprehendere, neque scire possumus naturaliter, vel via ordinaria, substantias, & essentias rerum creatarum, ut sunt in seipsis, sicut re vera sunt. Ergo multo minus comprehendere, aut scire poterimus ipsas eo excellenti, immutabili, et simplicissimo modo quo sunt in Verbo Dei, et in scientia ejus. Probatur antec. Substantiæ, et essentiæ creatæ, aliter sunt in seipsis, aliter revera existunt ac sunt in nostra perceptione, in nostra mente, attento naturali, et regulari cursu, quo ipsas percipimus, et agnoscimus. Probatur hoc. Substantiæ, et essentiæ rerum secundum naturalem, et ordinarium cursum, quo ipsas mente attingimus, et agnoscimus, non sunt in nostra cogitatione, neque in mente nostra, per seipsas, sed per suas species, aut similitudines. At rerum essentiæ substantiæve multo aliter sunt in seipsis, quam in suis speciebus, vel similitudinibus. Hanc minorem Auctor non probat, quia per imaginum artefactarum experientiam satis constat. Neque majorem probat, quia omnibus notum est substantias, vel essentias rerum, aut res ipsas, non ingredi per seipsas ad animum, ad mentem ve nostram; sed quædam ipsarum representationes duntaxat medijs sensibus introducuntur, et in animo nostro imprimuntur.

3 Quòd vero cognitio rei per ejus duntaxat similitudinem aut representationem, naturali et ordinario cursu, hoc est, per sensus conquisitam, et introductam ad reconditorium nostræ mentis, aliter necessario rem percipiat (saltem secundum substantiam, et essentiam, quam in se ipsa est, primo probatur ex Ap. Qui ut nobis hoc de Deo, ejusque rebus æternis suadeat, argumentum ducit ex eo quod *videmus nunc per speculum in ænigmate*: quia nimirum in speculo nonnisi per similitudinem res videntur. Secundo, quia ut ex varijs exemplis, quæ in Dialog. de veritate cap. 6. exhibet Auctor, liquet, res sæpe sentiri multo aliter, quàm sunt in seipsis certissimum est. Unde originem, & occasionem sibi sumpsit Philosophorum Academicorum secta, nullam absolute scientiam esse opinantium sed in quocumque genere cuncta incerta.

4 „ Authorem hujus narrationis Aug. habeo 15. de Trinit. cap. 12. Ipsa „ scientia, inquit, de qua veraciter cogitatio nostra formatur, quando quod scimus lo- „ quimur, qualis aut quanta potest homini provenire quamlibet peritissimo, atque doc- „ tissimo? Exceptis enim, quæ in animum veniunt à sensibus corporis, in quibus tam „ multa sunt aliter quàm videntur, ut eorum verisimilitudine nimium constipatus, sa- „ nus sibi esse videatur, qui insanit; unde Academica philosophia sic invaluit, ut de „ omnibus dubitans multo miserius insaniret: his ergo exceptis quæ à corporis sensibus „ in animum veniunt, quantum rerum remanet, quod ita sciamus sicut nos vivere sci- „ mus? In quo prorsus non metuimus, ne aliqua veri similiudine forte fallamur, quo- „ niam certum est etiam eum qui fallitur vivere; nec in eis visis hoc habetur, quæ „ objiciuntur extrinsecus, ut in Deo sic fallatur oculus, quemadmodum fallitur, cùm „ in aqua remus videtur infractus, & navigantibus turres moveri, & alia sexcenta, quæ „ aliter sunt, quàm videntur; quia nec per oculum carnis hoc cernitur. Hæc omnia „ Aug. quæ simul confirmant Authoris nostri doctrinam à nobis expositam: atque in- super protegunt Modernos, & doctissimos Scepticos; Scepticos, inquam, prudentes, mo- deratos, & circunspectos, circa res physicas duntaxat, id est, qui solùm scientiam de- trectant concedere veram de rebus physicis, quatenus in seipsis, & quod ad se sunt;

non

non autem experimentalem cognitionem renuunt affectionum phyſicarum, nobis commoditatem, aut incommoditatem, delectationem, aut dolorem afferentium. At incidenter nota hanc quam dicunt doctrinam, vel phyſicam modernam, re ipſa antiquiſsimam eſſe, ſi non quantum ad aſſertiones, saltem quantum ad argumenta ex fallentia sensuum deſumpta: ut patet ex hoc loco S. Aug. ſed præsertim ex libb. quos ipse S. Doct. ſcripſit contra Academicos.

5 *Cùm ergo & hoc constet, quia omnis creata ſubstantia tanto verius est in Verbo, id est, in intelligentia creatoris &c.* Hæc verba quamvis jam ad formam reduxerimus dialecticam, ideo ſignanter notamus, quia specialem præferunt difficultatem. Unde in specie exponenda sunt. Primùm illa: *in Verbo, id eſt in intelligentia creaturis.* Videtur Author pro eodem formaliter accipere Verbum, & intelligentiam creatoris: cùm tamen Pater intelligentia ſit, & etiam Spiritus S. eſt intelligentia; & neque Pater, neque Spiritus S. Verbum eſt. Cæterum Author non exponit illud *in Verbo*, per illud *in intelligentia creatoris*, in sensu formali, & metaphyſico, ſed accipiendo intelligentiam tam communem, quàm notionalem; quia in ea utroque sensu conſiderata creaturæ verius ſunt, quàm in ſeipſis, juxta dicta in duobus proximis capp. Ratio autem cur verius ſint creaturæ, ſive in intelligentia à Patre dicta, id eſt in Verbo, ſive in intelligentia ipſius Patris, ut dicentis Verbum, ſive in intelligentia ut ſimpliciter cognoscente, & communi toti Trinitati, ideo eſt quia creatrix eſſentia, quæ idem omnino realiter eſt cum ipsa intelligentia quocumque modo conſiderata, verius infinite exiſtit, quàm quæcumque eſſentia creata.

6 Secundum infert difficultatem, quomodo creaturæ, vel eſſentiæ creatæ verius ſint in Verbo, & intelligentia creatoris quàm in seipsis. Nam ſi ita eſſet, videtur, quòd homo in scientia Dei verior eſſet homo quàm in seipso, leo verior leo, lapis verior lapis, & ſic de reliquis: hoc autem eſt inconveniens. Sed non ſic intelligendus eſt Author: non enim idem eſt dicere, verius eſt homo, leo, aut lapis in Deo, aut in ſcientia Dei, quàm in seipſis; quod homo verius eſt homo, leo verius eſt leo, lapis verius eſt lapis in Deo & scientia Dei, quàm in seipſis. Nam in prima propoſitione veritas afficit *eſſe* absolute, nulla expreſſa imperfectione, neque limitatione; quo sensu *eſſe* omne melius, & verius eſt in Deo, & in ſcientia Dei, quam ubicumque extra Deum: in secunda autem propoſitione veritas afficit non *eſſe* absolute, ſed tale *eſſe*, nempe eſſe hominis, leonis, lapidis, &c. quod *eſſe* præsefert formaliter finitudinem, & multas imperfectiones: quapropter non poteſt eſſe in Deo; atque adeo neque verius. Poteſt tamen perfectissime cognosci à Deo. Ratio hujus eſt, quia alia eſt ſecundum Auctorem, Dialog. de verit. capp. 2. & 7. veritas enunciationum, & alia veritas eſſentiæ, vel rei. Veritas enunciationis, & quam Scholaſtici formalem vocant, ea eſt, quæ ab eo quod res in se eſt vel non eſt, desumitur. Nam regula, & mensura ſcientiæ noſtræ res ſunt in sua propria natura, á quibus ſcientiam, vel notitiás mendicamus. Veritas autem eſſentiæ, vel rei, quamque vocant transcendentalem, eo quod omnia pervadat, illa eſt, quæ à conformitate, & acceſſu, majori, vel minori, ad primam, et ſumman veritatem conſideratur. Quia ſicut in cap. 31. dixit Auctor, Id præſtantius eſt quod magis appropinquat præſtantissimo, et illud magis, et verius eſt, quod ſupremæ eſſentiæ ſimilius eſt. Ubi enim veritas ſequitur *eſſe*, vel ens, quanto magis creverit in eſſe, et entitate, tanto majoris veritatis erit. Ergo ubi *eſſe* creaturæ ſit *eſſe* infinitum, excedet in veritate eſſentiæ, aut quæ ſequitur *eſſe*, infinité illud *eſſe* quod cum finitudine, et limite in seipsa habet. At in Deo creatura habet *eſſe* infinitum: quia ut dictum eſt in cap. 34. In Deo eſt ipsa prima eſſentia, prima exiſtendi veritas, quæ ſine dubio infinita eſt. Uno itaque verbo dicamus, quod creatura verius veritate perfectionis eſt in Deo quam in ſeipsa: at veritate imperfectionis verius in sua propria natura eſt: cum in Deo non ſit imperfectio, licet imperfectio ab ipso perfectissime cognoscatur.

7 Modum dicendi Anselmianum secutus eſt N. Mellifluus Bern. 5. de Conſid. cap. 1. Dum loquens de creatura beata ait, quod *videt Verbum, & in Verbo facta per Verbum*:: *Ubi longe melius ſunt, quam in ſeipſis.* D. Thom. in 1. Sentent. „ diſtint. 36. quæſt. 1. art. 3. hoc argumentum ſibi proponit. Unaquæque res verius eſt „ ubi eſt per ſuam eſſentiam, quam ubi eſt per suam ſimilitudinem: quia ibi non vi„ detur eſſe niſi secundum quid. Si igitur res in Deo non sunt niſi secundum sui ſimi„ litudinem, videtur quod verius, et melius ſint in se ipsis quàm in Deo: quod est „ contra Aug. (lib. 5. super Genes. ad litt. cap. 15.) et Anselmum (in Monol. cap. „ 35. in nostra editione est cap. 36. Ad quod argumentum respondet, quod eſſe crea„ turæ potest quadrupliciter conſiderari. Primo modo secundum quod est in propria na-

„ tura ; ſecundo modo prout eſt in cognitione noſtra ; tertio modo prout eſt in Deo; „ quarto modo communiter prout abſtrahit ab omnibus his. Cùm igitur dicitur , quòd „ creatura verius eſſe habet in Deo , quàm in ſeipſa , comparatur primum , & tertium „ eſſe reſpectu quarti : quia omnis comparatio eſt reſpectu communis , & pro tanto di„ citur , quòd in Deo habet verius eſſe , quia omne quod eſt in aliquo , eſt in eo per „ modum ejus in quo eſt , & non per modum ſui : unde in Deo eſt per eſſe increatum, „ in ſe autem eſt per eſſe creatum , in quo minus eſt de veritate eſſendi, quàm in esse in„ creato. Si autem comparetur eſſe primum ad ſecundum reſpectu quarti , inveniuntur se „ habere ſecundum excedentia , & exceſſa : eſſe enim quod eſt propria natura rei , in „ eo quod eſt ſubſtantiale , excedit eſſe rei in anima , quod eſt accidentale ; ſed exce„ ditur ab eo , ſecundum quod hoc eſt eſſe materiale , & illud intellectuale : & ita pa„ tet , quod aliquando res verius eſſe habet ubi eſt per ſuam ſimilitudinem quàm in ſe„ ipſa. Hæc autem ultima verba intelligas ſecundum noſtram expoſitionem ſuper cap. 31. ubi diximus S. Thom. dum dicit in Deo aut in Verbo eſſe ſimilitudinem rerum creatarum , non accipere ſimilitudinem proprie , ſed pro exemplari , vel idea rerum. Itaque ſatis convenit cum Anselmo : nam exemplar , vel idea rerum non eſt quidpiam aliud à Divina eſſentia.

8 In 1. part. quæſt. 18. art. 4. ad 2. ait : *Quòd exemplata oportet conſirmari exemplari ſecundum rationem formæ , non autem ſecundum modum eſſendi. Nam alterius modi eſſe habet forma quandoque in exemplari , & in exemplato. Sicut forma domus in mente Artificis &c.* Et ad 3. *Quòd ſi de ratione rerum naturalium non eſſet materia , ſed tantum forma ; omnibus modis veriori modo eſſent res naturales in mente divina per ſuas ideas quàm in ſeipſis : : Sed quia de ratione rerum naturalium eſt materia , dicendum quod res naturales verius eſſe habent ſimpliciter in mente divina quàm in ſeipſis : quia in mente divina habent eſſe increatum, in ſeipſis autem eſſe creatum. Sed eſſe hoc , utpote homo , vel equus , verius habent in propria natura quàm in mente divina , quia ad veritatem hominis pertinet eſſe materiale , quod non habent in mente divina. Sicut domus nobilius eſſe habet in mente Artificis , quàm in materia : Sed tamen verius dicitur domus quæ eſt in materia, quàm quæ eſt in mente : quia hæc eſt domus in actu , illa autem domus in potentia.* Denique in quæſt. 4. de Verbo (int. disput.) art. 6. ex propoſito quærit *Utrum creaturæ verius ſint in Verbo quàm in ſeipsis* : quod resolvit diſtinguendo ſicut nos in expoſitione textus fecimus.

9 In ſumma ergo , diſcurſus S. Doct. Anselmi in præſent. cap. quaſi nititur illo principio , aut axiomate: *Si vinco vincentem te, etiam vinco te.* Quo axiomate utuntur quoque Jurisperiti. Nempe ita diſcurrit Author : Eſſentiæ creatæ valde excedunt in veritate , quam in ſeipſis habent , intellectum noſtrum , atque adeo multùm vincunt veritatem ſcientiæ noſtræ de ipſis. At modus , quo ipsæ eſſentiæ , & ſubſtantiæ creatæ ſunt in Deo , in ſcientia Dei , & in ipſius Verbo infinite ſuperat in veritate eum modum, quo res sunt in propria natura ſua. Ergo indecibile eſt quantum excedat scientia Dei, qua cunctas scit res creatas , & qua easdem dicit , & exprimit Deus in Verbo suo, noſtram exiguam valde de rebus , prout à Deo ſcitis , & dictis , intelligentiam , & ſcientiam.

Al. cap. 36.

CAPUT XXXVII.*

Quòd quicquid ipſe eſt ad creaturam , hoc ſit & verbum ejus : nec tamen ambo ſimul pluraliter.

VErùm cùm manifeſte rationes ſuperiores doceant ſummum ſpiritum per Verbum ſuum feciſſe omnia ; nunquid non , & ipſum Verbum fecit eadem omnia ? Quoniam enim illi eſt conſubſtantiale , cujus eſt Verbum ; neceſſe eſt ut ſit ſumma eſſentia. Summa autem eſſentia non

eſt

eſt niſi una, quæ ſola creatrix, & ſolum principium eſt omnium quæ facta ſunt. Ipſa namque ſola fecit, non per aliud, quàm per ſe, omnia ex nihilo. Quare quæcunque ſummus ſpiritus fecit, eadem & Verbum ejus facit, & ſimiliter. Quicquid igitur ſummus ſpiritus eſt ad creaturam, hoc & Verbum ejus eſt, & ſimiliter. Nec tamen ambo ſimul pluraliter: quia non ſunt plures creatrices ſummæ eſſentiæ. Sicut igitur ille creator eſt rerum, & principium; ſic & Verbum ejus: nec tamen ſunt duo ſed unus creator, & unum principium.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XXXVII.

Verum cum manifeſte rationes ſuperiores doceant &c.

1 Exploratis, & probatis ab Authore in capp. præcedentibus, à 29. ſcilicet usque hùc, tum consubſtantialitate Verbi, tùm ejus unitate, & ſimplicitate, tum etiam modo quo ſe habet ad res creatas, & viciſim quo res ſe habent ad ipsum, & sunt in ipso, & scientia divina: nunc Author recolit quæ in capp. 9. & duobus sequentibus, atque insuper in 29. & 30. de locutione mentis divinæ, de Verbo Dei dixit, atque perſuaſit; feciſſe nimirum summam eſſentiam, ſummam ſubſtantiam, summam naturam, vel Deum omnia, quæ fecit, per talem mentis divinæ locutionem, per tale Verbum: ut ſic oſtensa jam perfecte (juſta noſtram in hoc ſtatu poſsibilitatem) natura hujus altiſsimi Verbi, ex ea & illam colligat veritatem Evangelii, qua contra Arrianos usi ſunt PP. *Quæcumque facit Pater, eadem facit Filius & ſimiliter.* Id eſt, quod ſicut Pater univerſalis, & prima efficiens causa, primumque omnium absolute principium, ita Verbum suum non solùm ſit prima absolute omnium exemplaris causa, sed insuper ſit pariter & eodem modo, ac Pater, omnium absolute effectiva causa, omnium primum ſimpliciter principium.

2 Quod ex præfatis facili negotio probat Anselmus sub hac pene forma. Verbum, de quo hucusque ſermo, & de quo probatum eſt in capp. 10. 29. & 33. eſſe ſummo spiritui vel Deo Patri, à quo procedit, & cujus est Verbum, consubſtantiale, illud idem est Verbum, illa mentis divinæ locutio, per quod, vel per quam in capp. supra citatis probatum est, Deum ex nihilo feciſſe cuncta, quæ fecit. At non potest hoc Verbum eſſe creatori, cujus est Verbum, consubstantiale, quin ſimul & ipsum Verbum eadem fecerit ex nihilo, quæ fecit ille cujus est Verbum; & quidem ſimiliter. Ergo Verbum divinum est una & eadem prima, & universalis omnium efficiens causa, unum primum idemque principium omnium, ſimul cum Patre suo, vel cum ſummo spiritu cujus Verbum est. Probat. min. Si Verbum est consubstantiale ſummo spiritui, vel Deo Patri cujus est Verbum; una eademque eſſentia, substantia, natura est in summo spiritu, vel Deo Patre dicente Verbum, & in Verbo ipso. At ſi una & eadem est, non potest fieri ut Verbum non eadem faciat, & ſimiliter quæ facit Deus Pater cuius est Verbum; quia quorum una et eadem est eſſentia, substantia, natura, non potest non eſſe eadem potentia, virtus, et operatio; præsertim cum juxta dicta in capp. 16. & 17. summa eſſentia, substantia, vel natura per seipsam est cum summa ſimplicitate quidquid est, & quidquid habet. Ergo ſi Verbum est, ſicut re vera est, consubstantiale summo spiritui, vel Deo Patri cujus est Verbum, non potest non eadem, & ſimiliter facere, quæ Pater facit.

3 Præterea. Summa eſſentia, summa substantia, vel natura una tantummodo eſt, ut probavit Author in quatuor primis capp.. At ibidem & in capp. sequentibus probatum eſt quód illa ſola eſt creatrix, & solum principium omnium quæ facta ſunt, & quod sola ipsa non per aliud quàm per ſeipsam cuncta fecerit ex nihilo. Ergo ſi Verbum divinum eſt eadem eſſentia, substantia, & natura quæ summus spiritus, vel Deus Pater cujus Verbum eſt; cùm summus spiritus, vel Deus Pater ſit summa eſſentia, subſtantia, & natura, non eſt possibile ut Pater & Verbum non fecerint eadem & ſimiliter, hoc eſt omnia non per aliud sed per se, ex nihilo.

Si

4 Si autem obiiceret quispiam, totum hoc legitime, & neceſſario probatum eſſe, ſed per hoc non probari, Verbum eſſe personam diſtinctam ab eo, cujus eſt Verbum, ut patet in nobis ipſis: respondemus jam hoc ſatis fuiſſe probatum, dum in cap. 33. oſtensum fuit, ratione duce, hoc Verbum eſſe summo ſpiritui, à quo dicitur non solum consubſtantiale, sed etiam ejus ſimilitudinem, atque perfectiſsimam imaginem. Similitudo quippe, & imago non eſt unius, & ejusdem personæ; sed alia persona neceſſe eſt ut ſit illa, cujus eſt ſimilitudo, & imago, & alia quæ imago eſt, & ſimilitudo, ſi imago & ſimiſitudo non accidens fuerit, sed ſubſtantia, & per se ſubſiſtens. Si autem hoc Verbum eſt consubſtantiale summo spiritui, cujus eſt Verbum; ecce ſimul eſt subſtantia et per se subſiſtens, atque ſimilitudo & imago. Ergo eſt ſimilitudo, & imago per se ſubſiſtens. Ergo persona. Non ea cujus eſt ſimilitudo & imago. Ergo alia perſona. Lege Commentarium super cap. 33.

5 Simili modo ratiocinandi, quo in hoc cap. utitur Anselmus, usus eſt etiam Mag. Baſil. lib. de Spirit. S. cap. 8. *Non ex operum differentia*, ait, *Pater conspicitur, quasi peculiarem atque ſeparatam actionem exhibeat, (quæcumque enim videt Patrem facientem, hæc & Filius ſimiliter facit)* & infra: *Verbum Paternis bonis plenum resplendet à Patre, omnia facit ad ſimilitudinem ejus, qui ipſum genuit. Nam ſi juxta eſſentiam nihil differt à Patre, nec potentiâ etiam à Patre differt. Porro quorum æqualis est potentia, horum omnino æqualis est & operatio.*

6 Eodem quoque arguendi modo, quo S. Baſilius, usus etiam eſt S. Joan. Damasc. lib. 3. fidei ortodoxæ cap. 14. inquiens: "Quorum ſubſtantia eadem, horum „ & voluntas, & actio eadem: & quorum differens ſubſtantia, horum & differens vo„ luntas, & actio. Et contra, quorum voluntas, & actio èadem, horum & subſtantia „ eadem: & quorum differens, & voluntas, & actio, horum & ſubſtantia differens. „ Quapropter in Patre, & Filio, & Spiritu S. ex identate actionis & voluntatis, iden„ titatem naturæ agnoscimus. Et iterum cap. 15.: quorum natura, inquit, diversa, „ illorum diversa actio: & quorum diversa actio, illorum & diversa natura. Et è di„ verso, quorum natura eſt eadem, horum & actio eſt eadem: & quorum actio una, „ horum quoque & subſtantia una eſt, secundum divinorum interpretes PP.

7 *Quidquid igitur summus spiritus est ad creaturam, hoc & Verbum ejus est & similiter.* Ex ratiocinio antecedenti hanc universalem Author deducit conſequentiam, quòd scilicet quidquid eſt & dicitur summus ſpiritus, vel Deus Pater ad creaturam, hoc idem eſt & dicitur Verbum ejus & non diverso modo sed ſimiliter eodemque modo. V g. Dicitur Deus Pater & eſt Dominus omnium creaturarum; Dominus etiam eſt, eodem modo & ſimiliter Verbum ejus. Atque hoc ſine ulla differentia intelligendum eſt de aliis nominibus, creatoris, primi principii, primæ cauſæ, Supremi Guvernatoris, Provisoris &c. Ratio quippe èadem in omnibus eſt. Sed tamen ideo Author hanc rationem vim habere ait determinate erga creaturas, quia relate ad ipsas nulla eſt oppoſitio inter Patrem & ejus Verbum (idem intellige de Spirit. S.) relativa, quæ certe invenitur Patris ad Filium, & Filii ad Patrem, & ſimiliter ſpiratoris ad Spiritum Sanctum, & Spiritus Sancti ad ſpiratorem: quapropter illud ratiocinium vim non habet in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto quatenus adinvicem relative opponuntur. Unde quamvis Pater dicat Verbum & gignat per suam eſſentiam, subſtantiam, & naturam, quæ una, et eadem eſt in Verbo Filio ſuo, non inde licet inferre Verbum etiam aut Filium generare: Sicut etiam quamvis Pater et Filius per unam eandemque naturam, unumque amorem ſpirent Spiritum Sanctum, quæ eadem natura, idemque amor eſt in Spiritu Sancto, non inde sequitur, Spiritum Sanctum cum Patre, et Filio ſpirare. Nempe ut tradit Author in lib. de proceſs. Spirit. S. cap. 2. tamquam regulam universalem, *ſic hujus unitatis, & hujus relationis consequentiæ ſe contemperant, ut nec pluralitas, quæ ſequitur relationem, transeat ad ea, in quibus prædictæ ſimplicitas ſonat unitatis; nec unitas cohibeat pluralitatem, ubi eadem relatio ſignificatur: quatenus nec unitas amittat aliquando ſuam consequentiam, ubi non obviat aliqua relationis oppoſitio, nec relatio perdat quod ſuum est, niſi ubi obſistit unitas inseparabilis.*

8 *Nec tamen ambo ſimul pluraliter &c.* Author in his verbis rationem tradit, quare licet duo vere ſint summus spiritus, seu Pater, et ejus Verbum, non dicuntur pluraliter ad creaturam, id eſt, non duo creatores, non duo Domini, non duo principia, non duæ primæ causæ, non duo conservatores, non duo Guvernatores &c., sed unus creator, unus Dominus, unum principium, una prima causa, unus Gubernator &c. Nempe ratio eſt, quia una, non plures sunt creatri-

trices eſſentiæ: eſſentia autem eſt unde Patri, et ejus Verbo atque Spiritui Sancto convenit creare, causare, guvernare, conservare &c. Unde cùm summa eſſentia relate ad creaturam ſine ulla differentia ſit forma, aut principium *quo* agendi in Patre, Filio, & Spiritu Sancto; nomina, quæ sumuntur ab ipsa eſſentia ut principio *quo* agendi, vel reſpiciendi creaturas, dici de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto pluraliter nequeunt, ſed duntaxat in ſingulari. Hoc eſt quod expreſſe tradit Author cap. 18. citat. lib. de proceſſ. Spiritus Sancti. *Cum dicimus*, inquit, *Deum principium creaturæ, intelligimus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum unum principium, non tria principia; ſicut unum creatorem, non tres creatores, quamvis tres sint Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: quoniam per hoc in quo unum ſunt, non per hoc quòd tres ſunt, est Pater, Filius, aut Spiritus Sanctus principium ſive creator.* Et in fine cap. confirmat exemplo: *quemadmodum*, ait, *non duo dii ſunt, ſed unus Deus.* Aug. 6. de Trinitate cap. 14. in fine: *Ad creaturam*, inquit, *Pater, & Filius, & Spiritus S. unum principium, ſicut unus creator, unus Dominus.* Denique Eccleſia in symbolo S. Athanaſ. attributo firmissimè confitetur, *Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus S, & tamen non tres Domini, ſed unus est Dominus.*

CAPUT XXXVIII. *

* Al. cap. 37.

Quòd dici non pòſsit quid duo ſint, quamvis neceſſe ſit eſſe duos.

STudioſe itaque attendendum eſt quiddam, quod, valde inſolitum aliis rebus, in ſummo ſpiritu, & Verbo ejus videtur evenire. Nam certum eſt ſic unicuique ſingulatim, & utriſque ſimul ineſſe quicquid ſunt in eſſentia, & quicquid ſunt ad creaturam, ut & ſingulatim perfectum ſit ambobus, & tamen pluralitatem non admittat in duobus. Licet enim ſingulatim, & ille perfecte ſit ſumma veritas, & creator: & Verbum ejus ſit ſumma veritas, & creator: non tamen ambo ſimul ſunt duæ veritates, aut duæ creatores. Sed cum hæc ita ſint; miro tamen modo apertiſsimum eſt quia nec ille cujus eſt Verbum, poteſt eſſe Verbum ſuum: nec Verbum poteſt eſſe iſte cujus eſt Verbum; ut in eo quod ſignificat vel quid ſint ſubſtantialiter, vel quid ſint ad creaturam, ſemper individuam teneant unitatem. In eo vero, quod ille non eſt ex iſto; hoc autem eſt ex illo; ineffabilem admittant pluralitatem: inneffabilem certe; quanvis enim neceſsitas cogat, ut ſint duo: nullo tamen modo exprimi poteſt, quid duo ſint. Nam etſi forte duo pares, aut aliquid aliud ſimiliter adinvicem poſsint dici; in his ipſis tamen ralativis ſi quæratur, quid ſit illud de quo dicuntur, non poteſt dici pluraliter, quemadmodum dicuntur duæ pares lineæ, aut duo homines ſimiles. Quippe nec ſunt duo pares ſpiritus, nec duo pares creatores, nec duo aliquid, quod ſignificet eorum aut eſſentiam aut habitudinem ad creaturam: ſed nec duo aliquid, quod deſignet propriam habitudinem alterius ad alterum, quia nec duo verba, nec duæ imagines. Verbum namque hoc ipſum quod Verbum eſt, aut imago, ad alterum eſt; quia nonniſi alicujus Verbum eſt, aut imago: & ſic propria ſunt hæc alterius, ut nequaquam alteri coaptentur. Nam ille cujus eſt Verbum, aut imago; nec imagò, nec Verbum eſt. * Conſtat igitur quia exprimi non poteſt quid duo ſint, ſummus ſpiritus, & Verbum ejus; quanvis quibusdam ſingulorum proprietatibus cogantur eſſe duo. Etenim proprium unius eſt, eſſe ex altero: & proprium eſt alterius, alterum eſſe ex illo.

* Al. cap. 38

COMMENTARIUS.

CAPIT. XXXVIII.

Studiose itaque attendendum eſt &c. ¶

1 Author noſter ita ſemper methodice procedit, ut concluſiones cum principiis, & consequentias cum consequentiis liget, & concatenet: unde resolutio unius dubii ab ipso accipitur, ut motivum ambigendi de altera veritate ultimæ detectæ, vel oſtensæ, proximiori. Sic fecit hucusque, & in præsenti cap. manifeſte. Finem capiti impoſuit præcedenti per hæc verba: *Nec tamen sunt duo, sed unus creator & unum principium.* Hinc occaſionem quaſi dubitandi ſumit, an scilicet summus ſpiritus, vel Deus Pater & Verbum ipſius vere duo ſint, vel non ſint: admiſſo quòd duo ſint; quid, aut in quo duo ſint? Duo ſummi ſpiritus, vel duo dii, vel duo verba, aut quæ duo? Hoc igitur eſt dubium quod versat, & solvit Author in hoc cap.

2 Ratio autem dubitandi eſt, quòd, ut dictum eſt in capp. antecedentibus, præſertim in proximo, summus spiritus, vel Deus Pater, & Verbum ipſius perfectiſsime communicant in una eademque eſſentia, subſtantia, natura cum omnibus ipſius naturæ attributis, vel proprietatibus: atque insuper dictum eſt in fine cap. antecedentis quòd quidquid eſt ſummus ſpiritus, vel Deus Pater ad creaturam, hoc & Verbum eſt & ſimiliter, & non ſimul pluraliter, sed in ſingulari. Ergo videtur quòd in omnibus unum & idem ſint. In quo ergo sunt duo, ſi duo ſunt?

3 *Sed cum hæc ita ſint; miro tamen modo apertiſsimum est, quia nec ille, cujus est Verbum, potest esse Verbum suum &c.* Non obſtante quòd veriſsimum eſt summum spiritum, vel Deum Patrem communicare cum suo Verbo in una eademque eſſentia, substantia, & natura, attributis, & propietatibus ipſius naturæ; tam ad ſe quam ad creaturam: nihilominus miro modo apertiſsimum eſt, inquit Author, duo eſſe summum ſpiritum, vel Deum Patrem, & ipſius Verbum. Quod ſic persuadet. Probatum eſt in capp. 32. & 33. summum spiritum, vel Deum Patrem, vere dicere Verbum, non alterius quàm ipſius ſummi ſpiritus illud dicentis. Verbum autem non eſt ille, cujus eſt Verbum: nam Verbum, ut dictum eſt etiam in eo 33. cap. eſt ſimilitudo, & imago illius cujus eſt Verbum. At nemo eſt ſimilitudo, & imago ſui ipſius. Ergo nemo eſt ſui ipſius Verbum. Ergo Verbum non eſt ille, cujus eſt Verbum. Non itaque Verbum & ille cujus eſt Verbum, unus, sed duo sunt.

4 Sed videtur, inquit Author, non inveniri in quo ſint duo. Non in eſſentia, non in ſubſtantia, non in natura, non in attributis, aut proprietatibus ipſius naturæ, non in nominibus quæ dicuntur ad creaturas: sed neque in relativis quibus adinvicem opponuntur, apparet in quo ſint duo. Non in ratione Verbi: quippe duo verba non ſunt: non in ratione ſimilitudinis, aut imaginis, quandoquidem neque sunt duæ imagines, aut duæ ſimilitudines: ſicut enim ille cujus eſt Verbum non eſt Verbum ſui Verbi, neque Verbum ſui ipſius, ita neque ſimilitudo aut imago poteſt eſſe ſuæ ſimilitudinis, aut imaginis, neque ſimilitudo aut imago ſui ipſius. Sed neque duo Patres, neque duo Filii, neque duo ſpiratores, neque duo ingeniti, neque duo geniti dici poſſunt. Nam quamvis Author propter rationem, quam iterum atque iterum diximus, & dicimus, nempe quia paulatim, & gradatim ratione, non authoritate procedit, non exprimit adhuc nomen Patris neque Filii, neque ſpiratoris, neque geniti, aut ingeniti, nihilominus tacite, vel implicite hæc omnia nomina includit in hac generali periodo: *In eo vero, quòd ille non est ex isto; hoc autem est ex illo: ineffabilem admittant pluralitatem: ineffabilem certe; quamvis enim necessitas cogat, ut sint duo: nullo modo exprimi potest, quid duo sint.* Et infra: *Sed nec duo aliquid,* inquit, *quod deſignet propriam habitudinem alterius ad alterum.*

5 Hæc doctrina Anselmi consonat cum Aug. inter alios PP. in lib. 6. de „ Trinit. cap. 11. ubi ait: Verbum quidem ſolus Filius accipitur, non ſimul Pater, „ & Filius, tamquam ambo ſint unum Verbum. Sic enim Verbum dicitur quomodo „ imagó. Non autem Pater, & Filius ſimul ambo imago, sed Filius ſolus eſt imago Patris, quemadmodum & Filius. Et in lib. 7. cap. 2. Sicut Filius, ait, ad Patrem re-

ſe-

„ fertur, ita & Verbum ad eum cujus eſt Verbum refertur, cùm dicitur Verbum; &
„ propterea non eo Verbum, quo ſapientia dicitur, ad eum cujus eſt Verbum, ſicut Fi-
„ lius ad Patrem. Item in eodem lib. cap. 1. Non eſt Pater ipse Verbum, ſicut nec
„ Filius nec imago. Quid autem absurdius, quàm imaginem ad se dici? Denique in
„ 5. lib. cap. 13. Dicitur relative Filius, relative etiam dicitur Verbum, & imago; &
„ in omnibus his vocabulis ad Patrem refertur. Nihil autem horum Pater dicitur.

6 Quòd de ratione Verbi ſit, ut diſtinguatur realiter ab eo cujus Verbum eſt, etiam S. Damasc. tradit lib. 1. Fidei orthodoxæ cap. 6. inquiens, comparando ver-
„ bum noſtrum cum Verbo Dei: Quemadmodum ex mente verbum noſtrum prodiens,
„ neque per totum menti idem eſt, neque prorsus omnino diversum; nam ex ipsa exis-
„ tens, aliud eſt præter ipſam mentem, se in apertum agens; neque adhuc usquequa-
„ que aliud á mente eſt, ſed cùm ſecundum naturam unum ſint, aliud eſt ſubjecto:
„ ſic & Dei Verbum quod eſt Filius, quà ſubſiſtit secundum se ipsum, discernitur ab
„ eo â quo subſiſtentiam habet: quà vero èadem in seipso oſtendit, quæ circa Deum
„ conspiciuntur, illi secundum ſubſtantiam idem eſt. Sicut enim quod in omnibus per-
„ fectum eſt in Patre conſideratur: æque & in eo quod ex ipso aggenitum eſt Verbo
„ contemplari neceſſe eſt.

7 Sequitur D. Thom. qui in 1. Sentent. diſtinct. 27. quæſt. 2. art. 2. in resolutione ait. Quod *In usu Sanctorum & communiter loquentium est, quòd hoc nomen Verbum relationem realiter distinguentem importat, ut dicit Aug. 7. de Trinit. cap. 2.* Et in 1. part. quæſt. 27. art. 1. in corp. *Quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ ex vi intellectiva proveniens, & ex ejus notitia procedens. Quam quidem conceptionem vox ſignificat; & dicitur verbum cordis, ſignificatum verbo vocis.* Et in quæſt. 34. art. 1. in cap. *Ipse conceptus cordis de ratione ſua habet quod ab alio procedat, ſcilicet à notitia concipientis.* Ecce qualiter *S.* Joann. Damasc. & *S.* Thom. non ſolum authoritate, ſed etiam ratione per ea, quæ facta sunt, probant Verbum in Deo diſtinctum eſſe realiter ab eo cujus eſt Verbum. Ducuntur enim exemplo animæ mentisque noſtræ in qua dicunt Verbum tamquam quid diſtinctum absolute ab ipsa mente, vel intellectu procedere. Insuper D. Thom. ex ipsa generali ratione, notione. vel idea Verbi, ratiocinatur ut probet in mente Dei Verbum quoque tamquam realiter diſtinctum ab eo, cujus eſt Verbum, procedere. Potuit ergo & N. Author ſola ratione probare velle, & re ipsa probare Verbum divinum diſtinctum realiter eſſe à summo spiritu, vel Deo Patre illud dicente.

8 *Nam & ſi forte, duo pares, aut aliquid aliud similiter adinvicem possint dici &c.* In his verbis, ut aſſolet, Author magna, & vigilanti procedit animi attentione & circunspectione. Quapropter non negat, immo sat concedere innuit dici ſummum spiritum, seu Patrem, & ipſius Verbum pares, vel æquales secundum Ap. ajentem ad Philip. 2. de Verbo Æterno *quòd cùm in forma Dei eſſet non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: Sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Et secundum Symbolum *S.* Athan. adscriptum ubi dicitur quód *totæ tres perſonæ coeternæ sibi sunt & coequales.* Et juxta Aug. qui lib. 5. de Trinit. cap. 6. consubstantialitatem Filij cum Patre probat contra Arianos ex æqualitate ab Apoſt. expreſſe aſſerta. Unde quamvis Author dicat: *Nam & si forte duo pares*, non proprie dubitando hoc dicit, sed quaſi dubitando in persona ſcilicet, ut sæpe diximus, hominis qui ſecum ratiocinatur, ut auxilio rationis id inveniat quod credit, vel ut adhuc non credentibus fidem ratione persuadeat. Author quod negat eſt, deſignabile nomen ſubstantivum eſſe (subſtantivum intellige in sensu grammaticali) cui accomodari, & adjungi possit parilitas, aut ſimilitudo. Nam etſi dici queant Pater & Verbum seu Filius æquales, coequales, ſimiles, conſimiles secundum eſſentiam, ſubſtantiam, naturam, ſapientiam, juſtitiam, & reliqua attributa: appellari tamen nequeunt duæ æquales, aut coequales, duæ ſimiles, vel conſimiles eſſentiæ, subſtantiæ, naturæ, sapientiæ &c. Sed neque duo æquales juſti, sapientes, æterni, omnipotentes. Neque duo æquales Patres aut æquales Filii, aut æqualia verba, aut æquales imagines, aut æquales Dii, aut æquales Domini, aut æquales creatores, &c.

9 Non ignoro D. Thom tam in 1. Sentent. diſtinct. 11. quæſt. 1. art. 4. & diſtinct. 9. quæſt. 1. art. 2. quàm 1. part. quæſt. 36. art. 4. ad 7. aſſerére nomina adjectiva, ut omnipotens, æternus, ſpirans, & ſimilia poſſe de Deo pluraliter, & ſingulariter prædicari: quapropter in citata responſione ad 7. ait, quod *poſſumus dicere quòd Pater, & Filius sunt duo spirantes, propter pluralitatem suppoſitorum.*

rum. Et in quæſt. 39. art. 3. ubi ex propoſito quærit, *Utrum nomina eſſentialia prædicentur ſingulariter de tribus perſonis, in corp.* art. resolvit *quòd Nominum eſſentialium quædam ſignificant eſſentiam ſubstantive, quædam vero adjective. Ea quidem quæ ſubstantive eſſentiam ſignificant, prædicantur de tribus perſonis ſingulariter tantum, & non pluraliter. Quæ vero adjective eſſentiam ſignificant, prædicantur de tribus perſonis in plurali :: Dicimus enim* (ſic terminat corpus art.) *tres exiſtentes, vel ſapientes, aut tres æternos, & increatos, & immenſos, ſi adjective ſumantur. Si vero ſubstantive ſumantur, dicimus unum increatum, immenſum, & æternum, ut Athan. dicit.*

10 Hunc autem modum loquendi de Deo pluraliter ſecundum nomina eſſentialia adjectivè ſumpta, nescio utrum P. Anſelmus vellet admittere: quandoquidem generaliter ait, Patrem, & Filium *non dici duo aliquid, quod ſignificet eorum aut eſſentiam, aut habitudinem ad creaturam: ſed nec duo aliquid quod deſignet propriam habitudinem alterius ad alterum.* Et denique concludit: *conſtat igitur quia exprimi non potest quid duo ſint, ſummus Spiritus, & Verbum ejus.* Certe in Symbolo nomine S. Athan. inscripto non ſolum affirmatur Patrem eſſe increatum, immenſum, æternum, omnipotentem, & Filium atque Spiritum S. ſimiliter, ſed etiam „ additur. Et tamen non tres increati, non tres immenſi, non tres æterni, non tres „ omnipotentes, ſed unus increatus, immenſus, æternus, omnipotens. Neque in aliquo quem legerim Patrum memini, hunc loquendi de Deo adjectivè in plurali modum, quantum ad nomina eſſentialia, vel ſemel notaſſe. Denique S. Thom. nullum Patrem citat pro hoc loquendi uſu vel more.

11 Nihilominus N. Author non ſic eſt intelligendus, ut neget poſſe dici, & quidem catholicè, tres perſonas Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: ſed quod negat eſt, inveniri aliquid commune duobus, aut tribus perſonis ſecundum rem, quod quia ſimul multiplicetur in eis, poſsit dici pluraliter. Unde infra in cap. 78. concludit: *Potest ergo hac neceſsitatis ratione irreprehenſibiliter illa Summa, & una Trinitas, ſive trina unitas, dici una eſſentia, & tres perſonæ.* Et in medio cap. ait: *ſi quis itaque inde velit alicui loqui, quid tres; dicet eſſe Patrem, & Filium, & utriusque Spiritum: niſi forte indigentia nominis proprie convenientis coactus, elegerit aliquod in illis nominibus, quæ pluraliter in ſumma eſſentia dici non poſſunt, ad ſignificandum id quod congruo nomine dici non potest: ut ſi dicat illam admirabilem Trinitatem eſſe unam eſſentiam, vel naturam; & tres psrsonas.* Et in lib. de Fide Trinitatis, vel epiſt. de Incarnat. Verbi ſic Ruscelinum redarguit: *Cùm dicit has duas personas eſſe duas res: quæro quid dicat ibi eſſe duas res; an id quod commune est illis; an ea quæ propria sunt ſingula ſingulis. Sed ſi duas res eſſe dicit duo propria, id est, Patrem, & Filium, ut tamen id, quod commune est, non ſit plures res, ſed una, & sola res: ſuperflue hoc dicit, quia nemo Chriſtianus confitetur Patrem, & Filium ſecundum hæc duo propria unam rem eſſe, ſed duas. Solemus enim usu dicere rem, quidquid aliquo modo dicimus eſſe aliquid. Qui autem dicit de Deo Patrem aut Filium, aliquid de eo dicit; & omnes ſciunt in Deo Patrem non eſſe Filium, & Filium non eſſe Patrem :: Hoc ergo modo nihil prohibet dicere duas personas, Patrem, & Filium eſſe duas res; ſi tamen intelligatur, cujus modi ſint res. Non enim ſic sunt Pater, & Filius duæ res; ut in his duabus rebus intelligatur eorum substantia; ſed eorum relationes.* Ergo, ut inquiebam, S. Doctor Anselmus non negat in præsenti cap. quod exponimus, Patrem, & Filium poſſe dici duas perſonas, ſicut neque negat duas eſſe res relativas: ſed duntaxat inficiatur aliquid commune ſecundum rem eſſe in duobus quod poſsit, re ipſa in ipſis multiplicatum, dici pluraliter. Nam quamvis tres perſonas dicamus aut tres relativas res, vel tres relationes; attamen nullum eſt ſignificatum commune ſecundum rem in tribus perſonis, ſed duntaxat communitate vel vocis vel ex parte conceptionis noſtræ. Perinde eſt ac ſi diceremus tres proprietates, vel tria propria, vel tres differentias perſonales. Sicut enim convenientia in tribus proprietatibus, vel tribus proprijs, vel tribus differentijs, non eſt communitas rei, ſed vocis, aut conceptionis noſtræ: ita dum dicimus tres perſonas Patrem, & Filium, et Spiritum Sanctum, nihil commune ſecundum rem, ſed ſecundum vocabulum, vel noſtram conceptionem, dicimus. Recte igitur concludit Author: *Constat igitur quia exprimi non potest quid* (intellige commune ſecundum rem) *duo ſint, ſummus Spiritus, & Verbum eius; quamvis quibusdam ſingulorum proprietatibus cogantur eſſe duo. Etenim proprium unius est, eſſe ex altero: & proprium est alterius, alterum eſſe ex illo.*

In

12 In toto propoſito hujus cap. Anſelmus quaſi digito Aug. indicare videtur, ſic in lib. 7. de Trinit. cap. 4. loquentem: *Cum quæritur quid tria, vel quid tres, conferimus nos ad inveniendum aliquod speciale, vel generale nomen, quo complectamur hæc tria, neque occurrit animo, quia excedit ſupereminentia divinitatis uſitati eloquii facultatem.* Et ferme in fine cap. loquendo de nomine personæ á Catholicis quæſito ut exprimerent uno nomine ſuam fidem de Trinitate, ita proſequitur: *Quid igitur restat, niſi ut fateamur loquendi necessitate parta hæc vocabula, cum opus eſſet copiosa disputatione adversus inſidias, vel errores Hæreticorum?* :: *Quæſivit quid tria diceret: & dixit ſubstantias, ſive personas, quibus nominibus non diverſitatem intelligi voluit, ſed ſingularitatem noluit; ut non solum ibi unitas intelligatur ex eo quod dicitur una Eſſentia, ſed & Trinitas ex eo quod dicuntur tres ſubstantiæ, vel personæ.* Nomen ſubſtantiæ apud Græcos, ut ipſe ibidem ait Aug. idem quod apud nos nomen perſonæ, ſignificat. Vide noſtrum Authorem in cap. 78. & præfationem hujus operis. In hoc vero cap. ideo horum nominum nequaquam meminit, quia juxta ſuam præſentem methodum, modumque tractandi, immaturum adhuc erat; cúm ratio nihil hucusque tetigiſſet de his nomlnibus *Pater*, *& Filius*, quæ apertè traduntur in ſcripturis, nullibique exprimunt ipſæ hoc vocabulum *persona*, vel *ſubstantia* ad ſignificandum Patrem aut Filium, aut Spiritum S.: quapropter opportunum nequaquam erat loqui primum de vocabulis in ſcriptura non expreſsis, quàm de nominibus palam in ea deſignatis.

13 Concludimus ergo Commentarium hujus cap. pulcherrimam melliflui Bernardi doctrinam exhibendo ex lib. 5. de Conſiderati. cap. 7. qua mens Sanctorum „ Aug. Noſtrique Anſelmi mirifice illuſtratur. Quid ſibi vult ille (ut ſic loquar) abs„ que numero numerus? ſi tria, quomodo non numerus? ſi unum, ubi numerus? ſed „ habeo, inquis, quid numerem, & quid non numerem. Subſtantia una eſt: perſo„ næ tres ſunt. Quid mirum; quid vel obscurum in hoc? Nihil, ſi perſonæ ſeorſim „ à ſubſtantia cogitentur. Nunc vero cùm tres illa perſonæ illa una ſubſtantia ſint; & „ illa una ſubſtantia tres illæ perſonæ: quis numerum neget? Nam vere tres ſunt. „ Quis numeret tamen? Nam vere unum ſunt. Aut ſi tu facile explicatu id putas: „ dicendo tres, dicito quid numeraſti? Naturas? una eſt. Eſſentias? una eſt. Subs„ tantias? una eſt. Deitates? una eſt. Non hæc, ſed perſonas numero, inquis. Quæ „ non ſint illa una natura, illa una eſſentia, illa una ſubſtantia, illa una divinitas? „ Catholicus es? minime hoc dabis. Ecce ænigma Trinitatis, eleganter propoſitum à Bernardo.

CAPUT XXXIX.*

Quòd idem Verbum ſit à ſummo ſpiritu, nascendo.

QUOD ipſum nullo utique verbo videtur familiarius poſſe proferri, quàm ſi dicatur proprium eſſe unius naſci ex altero; & proprium alterius naſci alterum ex ipſo. Certum namque jam conſtat quia Verbum ſummi ſpiritus, non ſic eſt ex eo, quemadmodum ea quæ ab illo facta ſunt; ſed quemadmodum creator de creatore, ſummum de ſummo. Et ut plena brevitate omnimoda abſolvatur ſimilitudo, penitus idem ipſum de eodem ipſo, & ita ut nullatenus ſit niſi ex eo. Cùm igitur pateat Verbum ſummi ſpiritus ſic eſſe ex ipſo ſolo, ut perfectam ejus, quaſi proles parentis, teneat ſimilitudinem: nec ſic eſſe ex ipſo, ut fiat ab eo: profecto nullo modo convenientius cogitari poteſt ex illo eſſe, quàm nascendo. Nempe ſi innumerabiles res indubitanter dicuntur naſci ex his, ex quibus habent ut ſint; cùm nullam eorum, de quibus naſci dicuntur, teneant ſimilitudinem, ſicut proles parentis: dicimus enim capillos naſci

de capite, & poma ex arbore : licet, nec illi capitis, nec ista arboris similia sint. Si, inquam, multa hujusmodi non absurde dicuntur nasci, tanto congruentius dici potest Verbum summi spiritus ex illo existere, nascendo ; quanto perfectius, quasi proles parentis, trahit ejus similitudinem ex illo existendo.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XXXIX.

Quod ipsum nullo utique verbo videtur familiarius posse profferri &c.

1 Caput præcedens Author his verbis finierat : *proprium unius est esse ex altero : & proprium est alterius, alterum esse ex illo.* Secundum quæ propria uniuscujusque e duobus, Patre scilicet, et Filio, dixerat pluralitatem Verbum inter, & eum, à quo procedit, provenire, et intervenire. Hæc igitur cujusque duorum propria pro antecedenti sumit Anselmus in hoc cap. ut ex eo indagare incipiat modum hujus processionis, quodque nomen ipsi competat ; factionis nimirum, vel creationis, an potius nativitatis. Resolvit non aliud nomen huic processioni Verbi competere, quàm nativitatis (Nam generationis passivæ vocabulum perinde se habet & de illa postea in cap 41. loquitur) atque adeo proprietatem Verbi in eo esse positam, quòd ex alio nascatur ; proprietatem vero alterius, scilicet Patris, quòd ex ipso nascatur alter. Proprium ideo vocat, quòd non utriusque sed unius solus sit. Nasci namque sic proprium est Verbi nascentis, ut illi ex quo nascitur convenire nequeat. A seipso est impossibile : à suo Verbo, quod de ipso nascitur, pariter impossibile est. Æqua ratio impossibilitatis est vice versa. *Quippe nec natura permittit, inquit* Author cap. 3. lib. de Proces. Spiritus *S. neque intellectus capit, existentem de aliquo, esse de quo existit ; aut de quo existit, esse existentem de se.*

2 Hanc itaque processionem Verbi, non creationem, non factionem, non denique aliud, sed duntaxat nativitatem esse, sic probat Author. Verbum, ut jam in capp. 29. & 23. probatum est, procedit ut ei à quo est consubstantiale, ejusdemve omnino substantiæ, ejusdemque naturæ cum ipso. Ergo non per creationem, aut factionem. Prob. conseq. Creatio, ut de creaturis in capp. 7. et 8. conclusum fuit, ex nihilo rem producit, seu non ex aliquo ; factio vero, quod ex cap. 11. satis colligitur, & in opificiis hominum patet, ex aliqua extranea materia opus suum facit, non ex ipsa propria facientis substantia. Ergo processio Verbi neque creatio est, cùm substantia eius à quo procedit, non nihil, sed ipsa summa essentia sit, et de ipsamet illius, à quo procedit, substantia, et essentia Verbum existit, et est : neque factio est, quia propter eandem rationem non est, neque existit Verbum de aliena substantia ; seu distincta à substantia ejus à quo procedit.

3 Nunc vero probatur quòd non alio modo innominabili procedat, sed signanter per nativitatem. Verbum procedit non solùm de ipsa summi spiritus substantia, neque solùm est, et existit de eadem substantia ; verum etiam procedendo, trahit ejusdem summi spiritus, vel Dei Patris, à quo est, et procedit, perfectam similitudinem : procedit enim ut Verbum ejus à quo est, sicut in capp. 32. et 33. probatum est : Verbum autem, sicut et in illis, et in 31. dictum fuit, est similitudo, & imago ejus cujus est Verbum. Procedat igitur Verbum necesse est non solum tamquam ipsi, à quo procedit, consubstantiale, ejusdemve substantiæ, essentiæ, naturæ, sed etiam tamquam naturalis perfecta ipsius similitudo, et imago. Quod autem ita procedit, non alio tam apto modo dici potest à suo principio procedere quàm nascendo. Ergo ita procedit.

4 *Nempe si innumerabiles res indubitanter dicuntur nasci &c.* ¶ Probat Author, sive potius confirmat prædictum modum procedendi, nativitatem jure vocari debere, ex eo quod aliis creatis rebus cum valde minori justitia, sive ratione, similè ab omnibus tribuatur vocabulum. Si igitur, inquit, capilli ex capite, poma ex arbore, multaque alia ex suis, vel radicibus, vel truncis nasci dicuntur, cum tamen à nullo, à quo sunt, tamquam similitudo imagove ipsius nasci asserantur ; immo si quantitas, si figura, si qualitates attendantur, non parum dissimilia suis principiis reperiuntur : quanto melius, et congruentius Verbum dicetur nasci, quod à suo principio

tra-

trahit non solum omnino similem, non solum eandem in omnibus ipsius principii substantiam, sed etiam secum præfefert in vi locutionis tamquam actionis ipsius principii magna cum perspicuitate imaginem ejusdem principii sui?

5 Verum nota, Lector, quòd Author non ex generationis definitione Aristotelis probat Verbi nativitatem, sicut neque Aug in libb. de Trinit. sed ab exemplis omnibus notis. Tunc quia Ap. nos instruit, *invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspici*: tum quia exempla sensibus patentia cunctorum, communesque appellationes, et confessiones, efficatiora, et oportuniora sunt ad persuadendum: tum denique quia definitio Aristotelis neque á Patribus Anselmo prioribus (quod sciam) unquam ad probandum Verbi generationem usurpata est; neque intellectu est tam facilis. Deinde nomen generationis, (quòd ait D. Thnm. 1. part. quæst. 27. art. 2.) est nimis universale, comprehendens omnem, et quamcumque originem, et transmutationem: et in hoc sensu accipiebatur frequentius ab Antiquis Philosophis: nativitas vero, ut ibidem ait S. Doct. est in sua significatione arctior, et propria viventium. PP. vero probant, si ratione aliquando, ex originis vitalis ratione cum perspicua similitudine illius à quo verbum est, generationem.

6 Et certe Anselmus suis solidissimis principiis, et conclusionibus antehac collectsi innitens, firmius incedit quám adhærendo pagani Philosophi authoritati. Itaque probaverat in capp. 9. et 10. in summa Dei natura existere intimam, et intellectualem locutionem: in capp. 12. et 29. hanc locutionem consubstantialem, et ejusdem omnino substantiæ esse, ac ille summus spiritus cujus locutio est: in 30. hanc etiam locutionem unum duntaxat esse simplexque Verbum: in 31. denique, 32. et 33. probatum fuit, unicum Verbum, et simplex non nisi summi spritus, à quo procedit, esse similitudinem, esse imaginem, esse Verbum. Cùm ergo tam in cap. 15. quam 16. probatum fuerit summam essentiam, et esse viventem, et summe viventem, immo vitam ipsam; sicut etiam in eisdem capp. generaliter, et in 27. signanter, et determinate, esse summum, et individuum simpliciſsimumque spiritum: quid consequentius quám quòd hoc summi spiritus Verbum procedat ut vivens á vivente maxime conjuncto, et in maximam similitudinem naturæ? Non aliter Ang. Præcep. loco supra designato, Aristotelis definitionem de generatione propria, et stricta, Verbi æternæ generationi accommodat. At certum est, quód Aristoteles de hac neque remotiſsime cogitavit. Unde ipse non similitudinem identitatis in natura duorum intellexit; sed similitudinem specificam duntaxat. Immo neque videtur sufficienter definiisse propriam Parentum verorum atque Filiorum generationem, secundum id speciale quod habet præ plantis, et in quo cum iis non communicant; ut inter plantas Paternitas proprie non dicatur neque Filiatio. Quis enim dicit hanc plantam parentem illius esse, illam vero hujus filiam; hanc arborem patrem alterius esse, vel matrem, alteram vero esse filium, aut filiam? Et nihilominus una planta ab alia planta, una arbor ab alia arbore originem habet tamquam viventis à principio viventi conjuncto in similitudinem naturæ. Planta quæ ab altera procedit, proculdubio procedit ut vivens: illa vero, à qua procedit, pariter vivit, & tamquam vivens alteram gignit: denique utraque conjuncta est in similitudine naturæ; cùm ea, quæ procedit, ejusdem speciei sit cum illa à qua procedit. Nihil ergo restat ut integra prædicta de generatione Aristotelis definitio generationibus plantarum conveniat. Et tamen, ut dixi, neque patres, neque matres, neque filios, neque filias solemus plantas, alias aliarum, appellare. Itaque recte Anselmus non sub Aristotele graditur, sicut neque alii PP. sed sub ratione, cui tamquam superiori subdatur omnis homo necesse est, et sub doctrina Christi, et Apostolorum.

CAPUT XL.*

* Al. cap. 28. pars.

Quòd verisimè ille sit parens, illud vero proles.

QUOD si convenientiſsime dicitur nasci, & tam simile est illi, de quo nascitur: cur æstimetur simile, quasi proles parenti; & non potius asseratur quia tanto verior est ille parens, & istud proles; quanto magis, & ille ad hujus nativitatis perfectionem solus sufficit; &

quod

quod naſcitur, ejus ſimilitudinem exprimit? Namque in rebus aliis, quas parentis, prolisque certum eſt habitudinem habere, nulla ſic gignit; ut omnino nullius indigens ſola per ſe ad gignendam prolem ſufficiat; nulla ſic gignitur, ut nulla admixta diſſimilitudine omnimodam ſimilitudinem parentis exhibeat. Si ergo Verbum ſummi ſpiritus ſic eſt omnino ex ipſius ſola eſſentia, & ſic ſingulariter eſt illi ſimile, ut nulla proles ſic ſit omnino ex ſola parentis eſſentia, aut ſic ſimilis parenti: profectò nullis rebus tam convenienter videtur aptari habitudo parentis, & prolis, quàm ſummo ſpiritui, & Verbo ejus. Quapropter illius eſt proprium veriſsimum eſſe parentem; iſtius vero, veriſsimam eſſe prolem.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XL.

Quod ſi convenientissime dicitur nasci &c. ¶

1 Ex doctrina cap. antecedentis paulo ultra progreditur Author, & aſſerit quód solum dicendum ſit Verbum nasci ex summo ſpiritu, ſive Deo quaſi prolem ex Parente, quod videbatur tamquam timida aſſerere ratio; sed quód fidenter, et omni certitudine ſit affirmandum, summum spiritum, de quo Verbum nascitur, veriſsimum eſſe Parentem, et Verbum ipſius verissimam eſſe prolem.

2 Quam aſſertionem ſic probat. Ex his quos vocamus vere Parentes, nullus eſt qui se solo, nullo alio principio cooperante, ſufficiens ſit ad suam prolem producendam: ut patet non solùm inter homines, in quorum propagatione indispensabilis eſt naturaliter cóngreſſus maris, et fœminæ, verum etiam in reliquis liquet animalibus: immo, et concurrunt aliæ variæ causæ coadjutrices, saltem ad dispoſitiones; nihil licèt loquamur de causa prima generali. Neque proles quæ ex illis nascuntur, quamquam in ſpecie ſimiles tam fœminæ, quám masculo proficiscantur, ſimiles tamen perfecte in individuo alicui eorum egrediuntur; sed tum in complexione, tum in magnitudine, cùm in figura, robore, sanitate, pulchritudine, colore, ac cœteris qualitatibus, internis, et externis, aliquando ſimiliores sunt mari, quàm fœminæ, aliquando vero magis fœminæ quám mari, quandoque etiam plus diſsimiles vel utrique, vel alterutri eorum quàm ſimiles videntur. Quin etiam fit neceſſaria in eis diſsimilitudo: quia cùm uterque tam mas quàm fœmina assimilare prolem ſibi conentur (uterque enim intendit ipſi dare de ſubſtantia ſua) neceſſum omnino est, ut cum mas, et fœmina diſsimiles in ſexu, atque adeo in multis diſsimiles, ſint, proles ipsorum, et ſimiles ſimul, et diſsimiles utrique exeant. Unde propterea ex institutione Dei, in sexu fere semper mari, aut fœminæ exit proles ominino diſsimilis: rariſsime autem, ſicut in Hermaphroditis, cum utroque in sexu communicat. Sed neque Hermaphroditus deſinit eſſe etiam in sexu utrique parenti diſsimilis: nam ex ea parte, qua cum masculo convenit, fœminæ non conformatur; & vice versa, unde fœminæ correspondet, masculo disconformis eſt. Et tamen tam mas quàm fœmina procreantes, & cum tanto diſsidio ſuam naturam propagantes, vere & proprie appellantur, ac ſunt parentes; & qui ex eis hujusmodi ſunt propagines, vere etiam & proprie ſunt, ac dicuntur eorum proles. Cum ergo ſummus spiritus, à quo Verbum procedit, se solo, nullo alio quocumque modo adjuvante, aut cooperante, ſit per se principium ſufficiens ad dicendum, & dicendo producendum Verbum ſuum, atque in illud propagandam ſine ulla diſsimilitudine, neque diminutione, propriam suam, individuamque naturam: cumque etiam Verbum ex eo prodeat non solum in nullo ipſi ſubstantialiter diſsimile, quia non ex alio, ſed ex ſola summi spiritus ſubstantia est, immo prodit idem omnino ipsum in substantia quod est summus ſpiritus à quo procedit; sed etiam ex sua propria ratione Verbi procedat tamquam perfectiſsima naturalis ſimilitudo, & imago ejus: erit proculdubio summus spiritus, qui Verbum producit, non solum vere, sed & veriſsime, & maxime Parens super cunctos parentes; & ipſius Verbum non tantum vera proles ejusdem summi spiritus, sed veriſsima, & nobiliſsima omnium proles.

3 *Quapropter illius est proprium veriſsimum eſſe parentem; iſtius vero, veriſsimam eſſe prolem.* Paſsibus quaſi infantilibus Author in ſuis rationibus, & con-

concluſionibus procedit. Quàm aptè, & congruenter Nutricem, Infantulum ambulare docentem, aut etiam Pædagogum, tyronem Discipulum inſtituentem, in præſenti opere, relate ad mentem naturalem, agit Anſelmus! In cap. 38. primum collegerat, proprium eſſe ſummi ſpiritus dicentis, quòd ex ipso Verbum eſſet; & proprium Verbi, quòd eſſet ex illo. Deinde in 39. quaſi unum ultra paſſulum faciendo, addendo collegit, proprium eſſe ſummi ſpiritus, quòd ex eo veré nascatur Verbum; & hujus proprium, quòd nascatur ex illo. Nunc autem in cap. 40. alio paſſulo ultra se movendo, colligit proprium eſſe ſummi ſpiritus dicentis Verbum, quód ſit veriſimus Verbi Parens; & Verbi æque proprium, quòd ſit ejus, á quo prodit, veriſima proles. Adhuc tamen alii duo paſſuli Authori reſtant: quibus tot capp. respondebunt, quæ ſtatim sequuntur, suntque in numero 41. & 42.

CAPUT XLI.*

* Al. cap. 40.

Quòd ille veriſimè gignat, illud veriſime gignatur.

AT hoc conſtare non poterit, niſi pariter ille veriſime gignat, & istud veriſime gignatur. Sicut igitur illud eſt perſpicuum, ita hoc eſſe certiſsimum neceſſe eſt. Quare ſummi ſpiritus eſt veriſime gignere, & Verbi ejus veriſime gigni.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XLI.

At hoc constare non poterit &c.

1 Subſumit N. Author: *At hoc constare non poterit*, id eſt, quòd unus ſit veriſime Parens, alter veriſima proles, quin ille Parens veriſimus dictus, veriſime gignat; & qui veriſima proles dicitur, veriſime gignatur. Quod non eget probatione; quia homines non ob aliud Parentes vere dicuntur, niſi quia vere gignunt; & homines qui proles dicuntur, non ob aliud vere dicuntur proles, niſi quia vere gignuntur: & idem eſt de brutis animalibus. Ergo ſicut summus spiritus verissime Parens eſt, ita veriſime gignit; & Verbum veriſime gignitur, ſicut proles verissima eſt. Itaque proprium eſt unius veriſime gignere; & proprium alterius veriſime gigni. Unde vides, lector, quòd eam quam in superioribus toties probavit locutionem summi spiritus, & intellectualem dictionem, atque inſuper nativitatem, nunc jam paſsibus ſucceſsivis eò pervenit ut ipsam probet veram & propriam generationem, immo veriſimam & propriſsimam, activam ex parte unius, & paſsivam ex parte alterius.

CAPUT XLII.*

* Al. cap. 41 para.

Quòd alterius veriſime ſit eſſe Genitorem, & Patrem; alterius, genitum, & Filium.

VELLEM jam quidem, & forte poſſem, illum eſſe veriſime Patrem; hoc vero veriſime eſſe Filium, concludere. Sed nec hoc negligendum exiſtimo, an Patris, & Filii, & an matris, & filiæ magis illis apta ſit appellatio: cùm in eis nulla ſit ſexus discretio. Nam ſi

idcirco convenienter eſt ille Pater, & proles ejus Filius, quia uterque eſt ſpiritus: cur non pari ratione alteri convenit eſſe matrem, alteri filiam; quia uterque eſt veritas, & ſapientia? An quia in his naturis, quæ ſexus habent differentiam, melioris ſexus eſt patrem eſſe vel filium: minoris vero, matrem vel filiam? Et hoc quidem naturaliter in pluribus; in quibusdam vero é contrario, ut in quibusdam avium generibus, in quibus fæmineus ſexus ſemper major, & validior eſt; masculinus vero minor, & infirmior. Aut certe idcirco magis convenit ſummo ſpiritui dici Patrem, quàm matrem: quia prima, & principalis cauſa prolis ſemper eſt in patre. Nam ſi maternam cauſam quolibet modo ſemper paterna præcedit: nimis eſt incongruum ut illi Parenti adaptetur nomen matris, cui ad gignendam prolem nulla alia cauſa aut ſociatur, aut præcedit. Veriſſimum eſt igitur ſummum ſpiritum Patrem eſſe prolis ſuæ. Quòd ſi filius ſemper ſimilior eſt patri quàm filia: nihil autem ſimilior eſt alteri, quàm ſummo Patri proles ſua: veriſimum eſt hanc prolem non eſſe filiam; ſed
*Al. cap. 41. Filium. * Sicut igitur proprium eſt illius veriſime gignere, iſtius vero gigni; ſic proprium eſt illius eſſe veriſimum genitorem, iſtius vero veriſimum eſſe genitum. Et ſicut alter eſt veriſimum parens, alter veriſima proles: ſic alter eſt veriſimus Pater, alter veriſimus Filius.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XLII.

Vellem jam quidem, & forte poſſem illum eſſe verissime Patrem; hoc vero veriſime eſſe Filium, concludere &c. ¶

1 Quamvis Author veram probaverit nativitatem, veram generationem, veriſimum Parentem, verissimamque prolem in summa Dei natura: nihilominus quia in creaturis generare videmus, non modò Patrem, sed etiam matrem, quapropter nomen Parentis utrique commune eſt nomen; & quia tam Filia, quàm Filius vere gignuntur, unde tam vera proles eſt Filia quàm Filius: propterea Author non conclusit illico ſummum spiritum generantem, determinate Patrem eſſe potius quàm matrem; neque Verbum ejus determinate Filium, & non Filiam; ſat judicavit tunc oſtendere summum ſpiritum, unde nascitur Verbum, veriſimum eſſe Parentem, & Verbum natum veriſimam eſſe prolem. Nunc autem licet in promptu concludere eſſe videbatur, summum ſpiritum gignentem, non matrem, ſed Patrem eſſe; & Verbum genitum, non Filiam eſſe, sed Filium: voluit tamen Author morem gerere etiam tardis ingeniis, neque penitus judicare contemnendas aliquas difficultates. Præter quamquod jam in sua monuit præfatione, voluntatem fuiſſe eorum, quorum precibus enixe pulsatus hoc arduum opus aggreſſus fuit, nullam etiam pene fatuam objectionem insuper, vel despectam, ipse haberet. Sed veritas eſt quòd neque contemptibiles ſunt, etiam ingenioſis, objectiones in hoc cap. propoſitæ, neque tales ipse Anselmus judicavit. Ait ſiquidem lib. de fide Trinitat. vel Epiſt. de Incarnat. Verbi contra Roscelimum: *Si quis autem velit scire, cur, cum in summa eſſentia nullus ſit sexus; Pater ibi potius dicatur Pater, quàm Mater; aut Proles Filius quàm Filia: In eodem libello* (Monol.) *aperte inveniet.* Non ergo hoc dubium oblivioni tradendum omnino putabat.

2 Neque ſine occaſione quadam dubia hujus cap. excitavit. Occaſionis non parum accipere potuit ex cap. 5. lib. 12. D. Aug. de Trinitat. *Non mihi*, ait Aug. „ *videntur probabilem affere ſententiam, qui sic arbitrantur Trinitatem imaginis* „ *Dei in tribus personis, quod adtinet ad humanam naturam, poſſe reperiri. ut in* „ *conjugio masculi & fœminæ, atque in eorum prole compleatur: quod quasi vir ipſe Patris personam intimet; Filii vero, quod de illo ita proceſsit ut nasceretur, atque ita tertiam personam velut ſpiritus dicunt eſſe Mulierem, quæ ita de viro pro-*

ce-

ceſſit, ut non ipsa eſſet Filius, aut Filia, quamvis ea concipiente Filius naſceretur. Et hanc reprobata absolute ſimilitudine, quamvis in aliquo non despecta; ita prosequitur: *Omitto quale ſit Spiritum Sanctum Matrem Filii Dei putare & conjugem Patris: fortaſsis quippe respondeatur hæc in carnalibus habere offenſionem, dum corporei conceptus, partusque cogitantur.* Et in fine cap. *Nec erubuit quidam, uxorem ſibi eligere ſapientiam, quia nomen uxoris in prole gignenda corruptilem concubitum ingerit cogitanti: aut vero ipſa ſapientia sexu fœmina est, quia fœminini generis vocabulo & in Græca, & in Latina lingua enuntiatur.* Hæc propterea ſubjecit, quia dixerat antea vocabula in creaturis reperta, in Deum translata, depulsa omnium imperfectione nobis concipienda eſſe.

3 Itaque Aug. accaſsionalis author Anſelmo, ut hujus cap. dubia moveret, potuit eſſe. Ratio igitur dubitandi, cur summus ſpiritus generans potius Pater dicatur quàm Mater; aut Verbum genitum cur magis Filius, quàm filia, hæc in promptu eſt. Hinc creaturis hæc vocabula aptamus propter sexus diverſitatem, ut ſcilicet distinguamus unius sexus actionem ab actione, vel paſsione (de hoc enim nunc non disputamus) alterius ſexus. Nam per hoc vocabulum *pater* viri actionem generativam deſignamus; per hoc vero *mater*, mulieris in generatione consortium, suamve proportionatam aſsiſtentiam denotamus: in brutis autem non viri, ſed maris; non mulieris, ſed fœminæ vocabula hæc ſunt. Sicut ergo in Deo non dicimus virum aut fœminam, eò quòd hæc nomina disparitatem ſexus ſignificant, & in summa Dei natura nullus eſt ſexus: ita videtur debere non dici, quòd ibi ſit Pater aut mater, Filius, aut filia. Vel saltem ſi ibi ſexum non ſignificant iſtæ voces; quæ major ratio eſt, ut potius vox *pater* quàm *mater*, *filius* quàm *filia* ibi accipiantur, Deo ve aptentur?

4 Neque congruentem ad hoc rationem dabit quis respondendo, quòd ideo eſt, quia nomen ſpiritus, utrique commune tam proli quàm parenti, masculini generis eſt. Nam etiam uterque veritas eſt & ſapientia, quæ generis fœminini sunt. Non ergo major illa ratio eſt, ut potius vocabulis Patris, & Filii, quàm matris aut filiæ nuncupentur.

5 Si vero iterum respondeatur (Author subdit) *quia in his naturis quæ ſexus habent differentiam, melioris sexûs est Patrem eſſe vel Filium; minoris vero, matrem, vel filiam*: iterum etiam obiiciendo reponit Author, hoc ita certum eſſe, *ut in quibusdam avium generibus* contrarium non eveniat: *cum in eis fœmineus sexus ſemper major, & validior ſit; masculinus vero minor, & infirmior.* Si ergo ex majori aut minori perfectione, quam deſignant vocabula in creaturis, adoptanda relate ad ad Deum, aut repudienda ſunt: cur potius ex illis ſpeciebus, in quibus major & validior eſt sexus masculinus fœminino, quàm ex illis ubi fœmininus ſupra masculinum magnus, validusque eſt, venanda videntur?

6 Hæc tamen replica Authoris debilis, quia dubia, apparet, aut ſaltem quia rem ſupponit non ſatis certam. Eminentiſsimus quippe N. Joseph Aguirre hoc caput commentans, dicit nihil ſimile in specie circa hoc quod Anselmus affirmat de quibusdam generibus avium, se inveniſſe; neque in Ariſtotele de animalibus; neque in ejus diligenter digeſto à N. Ruyz de Valladolid indice operum satis copioso; neque in Plinio, neque in Gesnero, neque demum in magno Theatro Beyerlinc. Sed ego partim felicior fui, nactus copioſiſsimam collectionem, duobus tomis comprehensam, Enrici Ruysch, ex Authoribus, cùm Antiquis tum modernis, supra viginti septem desumptam. In tomo igitur hujus collectionis primo, lib. 1. de Avibus, tit. 21. cap. 1. de Vulturib. in genere, dicitur, quia *vultur toto corpore aquilam fere imitatur, illamque ſesquialtera proportione, ſi Bellonio credendum, excedit; nec tamen* (hoc nota) *quod in rapacium genere ſolemne, marem fœmina magnitudine superat.* Et cap. 2. de Accipitr. in specie, art. 1. traditur de Accipitre Fringillario, quòd *mas qui Muscetus vocantur, & fœmina minor est, quique ab Aldrovando exhibetur, rostrum habet breve &c.* Et cap. 2. de Falconib. in specie, art. 4 loquendo de Tardivo: *Adistum*, inquit Ruisch, *duos ex indiis orientalibus allatos Aldrovandus reducit: Majorem putat fuiſſe fœminam, minorem, marem. Mares enim ob hoc ipſum Tertiarii dicuntur, quòd tertia parte fœminis ſint minores.*

7 Ex his itaque conſtat, quòd de fœminei sexus magnitudine ſupra masculinum *in quibusdam avium generibus* Anselmus aſſerit. Et quamvis in præfata collectione nihil de ſuperiori fortitudine fœminæ ſupra marem afferatur: nihilominus qui verax & verus in uno eſt inventus, jus habet ut in altero ipſi fides non denegetur. Præterquamquod ſat consequenter colligere quivit majores & ſuperiores fœminæ vires ex su-

pe-

periori magnitudine. Hoc enim in animalibus frequenter experientia docet, ex hac regula valde frequens eſt cuicumque homini de fortitudine judicare. Manet igitur firma Authoris replica.

8 *Aut certe idcirco magis convenit ſummo ſpiritui dici Patrem, quàm matrem: quia prima, & principalis causa prolis semper est in Patre, &c.* ¶ Cognitis ab Authore non satis firmis rationibus hucusque redditis, atque adeo inſufficientibus; eam quam veram certamque judicat rationem promit: quòd nempe ideo ſummo ſpiritui generanti, nomen potius Patris, quàm matris debere attribui, quia in creaturis videmus quòd Pater ſemper eſt prima, & principalis causa in generatione. Cum ergo ſummus ſpiritus non ſolum ſit qui ante omnes primus generat, quippe qui generat ab æterno, ſed etiam ut unicum principium per ſe ſolum, ſine conſortio, aut quantalibet cooperatione alterius causæ, ut in cap. 40. dictum eſt, Verbum dicat, & generet: quid magis incongruum quàm quod ipſi matris officium, aut nomen adscriberetur? Aut quæ major congruitas, ut ipſi potius nomen veri Patris detur?

9 Itaque ſentit Author nomen Patris non tantum ſignificare in creaturis ſexus diſtinctionem, quantum primatum, & principalitatem in actione generativa. Quod ita eſſe patet ex eo quod hæc nomina *pater & vir* atque etiam *mas* non ſunt synonima. At vocabulum *vir* ad deſignandam in hominibus sexus diverſitatem, ſicut & nomen *mas* aut *masculus* ad eundem ſexum virilem diſtinguendum á fœmineo tam in hominibus, quàm reliquis animalibus, inſtituta ſunt. Hoc nomen *vir* etiam ad ſignificandum ætatis maturitatem & perfectionem in hominibus ſœpe ſolet adhiberi. Non ergo ad hæc, ſed ad illud, quod diximus deſignandum, hæc vox *Pater* inventa eſt. Cui ergo in ſupremo & maximo gradu competit actionis generandi primatus & principalitas absque ulla omnino alterius rei influentia, neque indigentia, maxime etiam competere debet paternitas, & nomen patris. Sumus ſpiritus, vel Deus, primus omnium, principaliſsime, & ſicut unicum principium per ſe omnino ſufficiens, generat; quo in gradu nulli alteri generanti convenire poteſt generare. Nulli ergo tam vere ac proprie convenit neque adaptatur nomen patris, quàm ſummo ſpiritui, vel Deo gignenti adscribitur.

10 Circa hanc Anselmi rationem duæ occurrunt difficultates. Prima eſt quòd matri videatur tribuere concurſum in generatione duntaxat paſsivum: quæ ſententia licet Ariſtotelis fuerit, hodie reprobata eſt univerſaliter á modernis philoſophis: quorum aliqui etiam principaliorem activum matri in generatione concurſum tribuunt. Secunda quòd, ut tradit ſupra citatus Ruisch lib. 1. de avibus agendo de vultere, fuerunt aliqui Authores narrantes, vultures ut plurimum, maxime longævos, citra coitum concipere ac parere. Immo & M. Baſil. homil. 8. in Exameron, quem, ſicut in multis aliis, ſequitur D. Ambroſ. affirmat, quia *multis Avium generibus ad conceptum nihil opus est copula marium.* Non ergo videtur verum quòd *maternam causam*, ut aſſerit N. Author, *quolibet modo semper paterna præcedit.* Neque quòd propterea actio matris nunquam eſt prima & principalis. Neque denique quòd in cap. 40. dixit, nullam causam creatam per ſe ſolam eſſe ad gignendum ſufficientem.

11 Verumtamen firma manet Anselmi ratio. Nam ipse non dicit, neque ſatis ex ejus verbis colligitur (Pace Eminentiſsimi Aguirre quem impense veneror) fœminæ aut matris concurſum mere paſsivum eſſe. Nam quòd dicat, patrem prolis causam ſemper eſſe primam, & principalem, nihil vetat ne mater etiam, licet minus principalis, & poſterior, causa vere activa in generatione & effectiva ſit. Deus dicitur effectrix causa prima universalis: & nihilominus omnes agnoſcunt veras causas secundas efficientes, quamquam minus principales. Præterea, quo in ſensu ipse S. Doctor loquatur, aperit dum ſtatim adjungit. *Nam ſi maternam causam quolibet modo semper Paterna præcedit &c.* Nempe solum adſtruere vult, quòd non à Matre actio incipit generandi, ſed opus habet ut actio patris præcedat, qua vel cujus vi vas maternum agitetur, ut ipsa mater poſtea actione sua propria correspondere queat. Unde actio patris eſt causa ut actio ſit matris; non vice versa. Et in hoc sensu certum eſt actionem patris prioritatem atque principalitatem à natura obtinere. Hocque sat Anselmo eſt ad probandum quod intendit, quin indigeat ut materna causa ſit mere passiva. Denique in lib. de Concept. Virg. satis, ni fallor, aperit quid de concursu materno sentiat, dum non semel Virgini Matri semen, ut de ipso per Spiritum S. Chriſtus Dominus conciperetur, attribuit. Nam ſeminis agere eſt, non tantùm pati; quod in cunctis terræ mandatis seminibus apparet. Neque diceret Anselmus toties virginis ſemen, nunquam vero materiam, ſi paſsivam matrem tantùm conſideraret.

12 Secunda vero difficultas magis urgere videtur. Nilominus solidam, quantum arbitror, habet responſionem. Nempe dicere queo primùm, ſimilem experientiam maxi-

xima cautela, diligentia, atque exploratione indigere; quàm non conſtat ex talibus Authoribus observatam fuiſſe. Multæ enim fabulæ in hac materia, exempli gratia de Phœnice, ad poſteros transmiſſæ ſunt. Neque Mag. Baſ. aut Ambroſ. de suo referunt, sed ex Ariſtotelis, Plinii, aut aliorum relatione dicunt, & repetunt, quod vel ad fidem partûs Virginis, vel ad mores hominibus inſinuandos, oportunum judicant: & adversus incredulos Gentiles arguunt quaſi ad hominem, ut Scholaſticè dicimus. Quòd ita ſit, qui legerit, persuadetur.

13 Secundo, demus quòd ita ſit, nempe aliquas aves, etiam vultures, ſine coitu concipere. Non inde probabitur, ſi mares sunt & fœminæ, quòd ſine ulla reciproca utriusque actione fœminæ concipiant. Poſſunt enim interius excitari, & agitari, vel ab efluviis marium, vel quibusdam aptis corpusculis inviſsibilibus, ſenſibilibus vero tactui intimo ac delicatiſsimo. Ex viſione quippe, auditu, præsentia, videmus animalia mutuo ad libidinem excitari & ultra. Idemque, proh dolor! homines experiuntur. Quid ergo mirum aut impossibile quòd etiam aliquæ aves fœminæ concipiant ex aliquo marium ſemine nobis inperceptibili, prius ordine naturæ in intimis receſsibus ipsarum operante, ut poſtea ipsæ se agitent ad concipiendum? Et certe Deus nihil temere ac ſine causa vel fine fecit. Ad quid ergo in illis avium generibus mares fecit, ac fœminas, ſi vel mares ſine fœminis, vel fœminæ ſine maribus per ſe sufficientes ad prolis generationem exiſterent? Scimus quòd quia Adamo inter omnia animantia non inveniebatur ſimile ſibi, id eſt, sexus correspondens ad propagationem, fecit ipſi Deus, teſte Scriptura Sacra, *adjutorium ſimile ſibi*, id eſt, mulierem, quæ ad hoc opus naturæ Adamum ipsum poſſet differentia sexus adjuvare. Sed adhuc objectioni totum demus: concipiant aves aliquæ ſine ulla maris cooperatione. Cur tunc potius dicentur matres quàm patres? Si quia, ſicut cœteræ matres, quaſi pariunt ova: potiori jure patres appellari debent, quia antequam partus suos edant, primo per se, nullo adjuvante, genuerunt. Nullo adjuvante, inquam, actione generativa: nam in alio sensu non est poſſibile ut prima universalis causa ad quamcumque naturalem actionem suo non adjuvet influxu: insuperque ut omne generans adjuvent, concurrunt, vel prævie disponendo, vel ſimul influendo, aliæ variæ causæ, ſive elementa, ſive cœli, ſive aſtra, ſive planetæ. Et per hoc habetur etiam responſio ad objectionem, quatenus tam huic, quam cap. 40. communis eſt.

14 *Quod ſi Filius ſemper ſimilior eſt patri quam filia &c.* Quòd ita ſit, patet, quia Filius eſt masculus ſicut pater, non filia: unde consequens eſt ut ſicut pater, & Filius in ſexu conveniunt, atque adeo in ſtructura corporis intima, ita etiam inter ſe conveniant in viribus corporalibus, inclinationibus, naturalibus potentiis, & ipsarum affectionibus: filia vero diverſi eſt sexus ac Pater; unde propter oppoſitam rationem diſſimilis eſt patri in multis aliis, in quibus diximus ſimilari patri filium. Non negat Author, quòd in hoc vel illo V. g. in figura faciei, in colore, & forsam in viribus corporis, in una aut altera inclinatione, & animi affectione, ſimilior ſit quandoque patri filia, quàm filius: sed quod negat eſt filiam abſolute, & ſimpliciter patri ſimiliorem eſſe quàm filium. At ſummus spiritus, vel Deus eſt generans veriſsimus, uti probatum manet: & nihil eſt ipſi ſimilius, quod etiam in cap. 40. probatum eſt, quàm proles ſua. Nihil ergo magis certum quàm quod non filia ſit, sed veriſsimus Filius hæc proles æterni Patris. Unde jam ultimo ſequitur, quòd proprium ſit Patris Æterni non solum gignere, sed etiam eſſe Genitorem, non genitricem; Patrem, non matrem: Filii vero proprium eſſe genitum, veriſsimam prolem, veriſsimum Filium. Ecce jam habes expreſso nomine à N. Authore probatos Patrem, & Filium, quos in capp. præcedentibus sub vocabulis summi ſpiritus, & Verbi, Parentis, & Prolis frequenter ſignificaverat: frequenter, inquam, quantum ad vocabula ſummi spiritus, & Verbi, non quantum ad Parentis, & Prolis nomina, de quibus usque ad cap. 40. expreſſe mentionem non fecit.

CAPUT XLIII. *

* Al. pars cap. 41.

Retractatio communionis amborum, & proprietatum ſingulorum.

INVENTIS tot, & tantis ſingulorum proprietatibus, quibus mirâ quædam tam ineffabilis quàm inevitabilis in ſumma unitate probatur eſſe pluralitas: valde mihi videtur delectabile retractare sæpius tam impe-

netrabile ſecretum. Ecce enim cùm ſic impoſsibile ſit eumdem eſſe qui gignit & eum qui gignitur; atque eundem eſſe parentem & prolem : ut neceſſe ſit alium eſſe genitorem, alium genitum ; & alium eſſe Patrem, alium Filium : ſic tamen neceſſe eſt idem eſſe illum qui gignit, & illum, qui gignitur, necnon parentem & prolem : ut impossibile sit aliud eſſe genitorem, quàm quod eſt genitus ; aliud esse Patrem, quàm quod eſt Fi-
* Al. cap. 42. lius. * Et cùm ita ſit alius ille, & alius ille, ut omnino pateat quòd duo ſint : ſic tamen unum & idem ipſum eſt, id quod eſt ille, & ille; ut penitus lateat qui duo ſint. Nam ſic eſt alius Pater, alius Filius ; ut cùm ambos dixerim, videam me duos dixiſſe: & ſic eſt idipsum quod eſt, & Pater, & Filius ; ut non intelligam quid duos dixerim. Quamvis namque ſingulus Pater ſit perfecte summus spiritus, & ſingulus Filius ſit perfecte ſummus ſpiritus : ſic tamen unum idemque eſt spiritus Pater, & spiritus Filius ; ut Pater, & Filius non ſint duo spiritus, ſed unus spiritus ; ut ſicut ſingula propria ſingulorum non recipiunt pluralitatem, quia non sunt duorum ; ita id quod commune eſt amborum, individuam teneat unitatem quamvis totum ſit ſingulorum. Nam ſicut non sunt duo patres, aut duo Filii ; ſed unus Pater, & unus Filius, quoniam ſingula ſunt ſingulorum propria ; ita non ſunt duo, sed unus spiritus ; quamvis & ſinguli Patris, & ſinguli Filii ſit perfectum eſſe spiritum. Sic sunt oppoſiti relationibus, ut alter nunquam suscipiat proprium alterius : ſic ſunt concor-
Al. cap. 43. des natura, ut alter semper teneat eſſentiam alterius. * Sic enim diverſi ſunt, per hoc quod alter eſt Pater alter Filius ; ut numquam dicatur aut Pater Filius, aut Filius Pater : & ſic idem sunt per subſtantiam, ut semper ſit in Patre essentia Filii, & in Filio eſſentia Patris. Est enim non diversa, sed eadem ; non plures, sed una utriusque eſſentia.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XLIII.

Inventis tot & tantis ſingulorum proprietatibus &c.

1 Cum in cap. præcedenti Author paſsibus licet curtis, ac juxta capacitatem personæ quam agit in hoc opere, pervenerit demum ad oſtendendum in summa Dei natura eſſe veriſsimum Patrem veriſsimumque Filium, unius ejusdemque subſtantiæ : in hoc cap. recolligere omnia vult, & recapitulare, ut quaſi uno conspectu, ictuve mentis cuncta de Patre, Filioque dicta, quaſi in quodam brevi linteo descripta videantur. Itaque dicit primùm ; Patrem à Filio eſſe realiter alium, cùm tamen ſint unum omnino in subſtantia, eſſentia, natura, ineffabile quidem eſſe, sed tamen inevitabile in vi probationum : quia ſicut jam ex ipso accepimus lib. de proceſs. Spirit. S. cap. 3. *nec natura permittit, nec intellectus capit existentem de aliquo, eſſe de quo existit ; aut de quo existit, eſſe existentem de se.* Unde omnes PP. adversus Sabelium arguunt neceſſariam omnino intercedere diſtinctionem veram, & realem inter Patrem, & Filium, ex eo quod Scriptura Sacra absolute nominet, Deum Patrem, Deum Filium; quod absque diſtinctione reali, eſt impoſsibile.

2 Secundo dicit Author quòd quamquam neceſſe absolute ſit alium eſſe Patrem à Filio, aliumque Filium à Patre; æque neceſſe eſt ex eò quòd unus eſt Pater, Filius alter, non aliud, sed idem eſſe Patrem, & Filium. SS. PP. præter authoritatem Sacræ Scripturæ, in qua dicit Chriſtus Dominus *Ego & Pater unum sumus*, ex ipsa notione generationis & generantis, & geniti, ex ipſis notionibus Patris, & Filii, probant non diversam, sed ſimilem utriusque eſſe naturam, eſſentiam atque subſtantiam. Unde conficiunt, tamquam quidpiam manifeſtum vel palam vel clam ſupponendo, in Deo, ſicut genus non eſt, ita neque speciem eſſe multis ſolo numero distinctis communicabi-

lem

lem; conficiunt, inquam, ſimilitudinem Filii in eſſentia, in ſubſtantia, in natura cum Patre, præferre quoque unitatem in ea & identitatem. Legantur S. Hilarius in libb. de Trinitat. & Div. Baſil. in lib. 1. & 2. contra Eunomium. Author noſter hoc jam reliquit probatum á cap. 29. usque ad 40. ſuppoſitis nimirum antecedentibus ab ipso operis initio. Quapropter nunc non probando, sed probatum jam explicatius repetendo, dicit Patrem non aliud eſſe quàm quod eſt Filius; aut Filium aliud quám quod eſt Pater, licet Pater alius à Filio ſit, & Filius á Patre. Et hoc ideo eſt, quia *aliud*, & *idem* in neutra terminatione, seu genere (in sensu grammaticali) neutro, omnes PP. ac Theologi ſignificare intelligunt non personas, sed eſſentiam, ſubſtantiam, naturam. Cum ergo una & eadem ſit eſſentia, subſtantia & natura Patris, & Filii, hinc eſt ut dici non poſsint eſſe aliud & aliud, sed idem omnino: quamvis propter realem diſtinctionem personarum alius, & alius dicantur.

3 *Et cum ita ſit alius ille, & alius ille, & omnino pateat quòd duo ſint &c.* D. Hilarius in libb de Trinitat. propter argutias Hæreticorum caute loquitur ac omni circunspectione calamo temperat à dicendo *alius* & *alius*, ne ex his ansam Ariani deſſumerent ad confirmandum hæreſim suam, colligendo in subſtantia, eſſentia, aut natura Patris, & Filii diverſitatem; sed S. Doct. ſic diſtinctionem personalem Patris, & Filii promebat, dicendo *unus*, & *unus*, ut absque ulla, etiam minima, in vocum ſonitu apparentia diverſitatis eſſentialis, subſtantialis aut naturæ inter Patrem & Filium, exprimeret duos, exprimeret numerum, exprimeret realem pluralitatem personarum cum summa unitate naturæ, & eſſentiæ, ſimplicitate, & identate. N. vero Author cum directe non decertet cum Arianis (rarissimi aut forsan nulli, saltem in Europa, tunc temporis erant) opus non habebat tanta cautione: quapropter fidem Eccleſiæ veriſsime, atque ſimpliciter, explicat verbis quibus omnes sine ullo, etiam minimo, scrupulo utuntur Catholici, qui omnes confitentur Patrem non aliud sed alium eſſe à Filio; & Filium pariter non aliud, sed alium eſſe à Patre.

4 De cœtero autem nihil aliud Anselmus facit, quàm illuſtrare id quod in cap. 38. docuit & dixit. Quare commentatore non indiget: & ſi quid commentandum eſſet, jam in eodem cap. hoc munus satis explevimus. Si adhuc tamen amplior requiratur intelligentia, conferatur D. Auguſt. lib. 7. de Trinit. capp. 4. 5. & 6. & D. Thom. in 1. Sentent. diſtinct. 9. quæſt. 1. art. 1. & in 1. part. quæſt. 31. art. 2. in quibus locis, explicandi ergo & expediendi magis noſtram de Trinit. fidem, quæritur *Utrum Filius ſit alius à Patre.* Quantum vero ad finem hujus quod nunc versamus præsentis cap. spectat, circa oppoſitionem nimirum relativam, atque circa relativas Patris, & Filii proprietates, legatur liber Authoris de proceſsione Spir. S. capp. 28. & 29. præsertim.

CAPUT XLIV.*

* Al. pari cap. 43.

Quomodo alter alterius sit eſſentia.

UNDE etiam ſi alter alterius dicatur eſſentia, non erratur à veritate: sed ſumma unitas ſimplicitasque commendatur communis naturæ. Non enim quemadmodum intelligitur ſapientia hominis, per quam homo sapiens eſt, qui per se non poteſt eſſe ſapiens, ita intelligi poteſt, ſi dicatur Pater eſſentia Filii, & Filius eſſentia Patris; ut eo modo ſit Filius exiſtens per Patrem, & Pater per Filium, quaſi non poſsit alter existens eſſe niſi per alterum: ſicut homo non poteſt eſſe ſapiens, niſi per ſapientiam. Sicut namque ſumma ſapientia ſemper ſapit per ſe; ita ſumma eſſentia ſemper eſt per ſe. Eſt autem perfecte ſumma eſſentia Pater, & perfecte ſumma eſſentia Filius: pariter ergo perfectus Pater per ſe eſt, & pariter perfectus Filius per ſe eſt, ſicut uterque ſapit per ſe. Non enim idcirco minus perfecta eſt eſſentia vel ſapientia Filius, quia eſt eſſentia nata de Patris eſſentia, & ſapientia de ſapientia: ſed tunc minus perfecta eſſentia vel ſapientia eſſet, ſi non eſſet per ſe, aut non ſaperet per

se.

ſe. Nequaquam enim repugnat ut Filius, & per ſe ſubſiſtat, & de Patre habeat eſſe. Sicut enim Pater habet eſſentiam, & ſapientiam, & vitam in ſemetipſo, ut non per alienam, ſed per ſuam eſſentiam ſit, per ſuam ſapientiam ſapiat, per ſuam vitam vivat: ita gignendo, dat Filio eſſentiam habere, & ſapientiam, & vitam in ſemetipſo; ut non par extraneam, ſed per ſuam eſſentiam, ſapientiam, & vitam ſubſiſtat, ſapiat, & vivat: alioquin non erit idem eſſe Patris, & Filii, nec erit par Patri Filius: quod quàm falſum ſit, liquidiſsime ſuperius perviſum eſt. Quare non repugnat Filium, & ſubſiſtere per ſe, & eſſe de Patre: quia hoc ipſum, id eſt, per ſeipſum poſſe ſubſiſtere, neceſſe eſt illum de Patre habere. Nam ſiquis ſapiens ſuam me ſapientiam, cujus prius expers eſſem, doceret; utique hoc ipſa ſapientia ejus facere non incongrue diceretur: ſed quanvis mea ſapientia ab illius ſapientia haberet eſſe, & ſapere; tamen, cùm jam eſſet, nonniſi ſuà eſſentià eſſet, nec ſaperet niſi ſeipſa. Multo igitur magis æterni Patris coæternus Filius, qui ſic habet á Patre eſſe, ut non ſint duæ eſſentiæ, per ſe ſubſiſtit, ſapit, & vivit. Non igitur ſic intelligi poteſt, quòd Pater, Filii, aut Filius Patris ſit eſſentia; quaſi alter non poſsit ſubſiſtere per ſe, ſed per alterum; ſed ad ſignificandam quam habent communionem ſummè ſimplicis, ſummèque unius eſſentiæ, ſic congrue dici, & intelligi poteſt, quia ſic eſt alter id ipſum quod alter; ut alter habeat eſſentiam alterius. Hac itaque ratione, quoniam utrique non aliud eſt habere eſſentiam, quàm eſſentiam eſſe: ſicut habet alter alterius eſſentiam; ita eſt alter alterius eſſentia, id eſt, idem eſſe alteri, quod alteri.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XLIV.

Unde etiam ſi alter alterius dicatur eſſentia, non erratur à veritate; ſed ſumma unitas, ſimplicitasque commendatur.

1 Author in fine cap. proximi explicando eſſentiæ unitatem, & identitatem Patris, & Filii dixerat, quoniam *ſic ſunt concordes natura ut alter ſemper teneat eſſentiam alterius.* Nunc autem ut eandem unitatem amplius commendet, utque vividior, expreſſior, & intimior cordi humano talis unitatis cognitio inſinuetur, & imprimatur, dicit, quód talis naturæ concordia eó pertingit, ut vere penitus dici queat *alter alterius eſſentia.* Expreſſa hæc aſſertio, licèt, ut puto, in nullo Patrum his terminis fortè inveniatur, ejus tamen ſensus in omnibus reperitur, immò & in Sacra Scriptura, ut poſtea videbitur. Unde non quaſi audactér aliquid novum profert Anſelmus. Ipse enim in lib. de fide Trinit. ſive Ep. de Incarnat. Verbi loquendo de ſuis Monologio atque Proslogio tam ingenuè quàm humiliter fatetur, quia *ſi aliquid quod alibi aut non legi, aut non memini me legiſſe, non quaſi docendo quod Doctores NN. nescierunt, aut corrigendo quod non bene dixerunt, ſed docendo forsitan quod illi tacuerunt, quod tamen ab eorum dictis non discordet, ſed illis coheræat :: Nequaquam ob hoc me redarguendum existimo.*

2 Itaque aſſertio Anſelmi imprimis cum Ap. concordat, ajente 1. ad Corinth. cap. 1. ℣. 24. *Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam.* Cujus textùs occaſione longam P. Aug. lib. 6. & 7. de Trinit. contexit disputationem. In qua resolvit non ſic Apoſtolum intelligendum eſſe, ut Pater habeat ſapere per Filium, quaſi ipse Pater per ſeipſum non ſapiat, aut ſit ſapientia; alioquin non per se eſſet, sed per suum quem genuit Filium; cùm in Deo idem ſit ſapientia, & sapere, quod eſſe; sed quód Ap. ſic eſt intelligendus, *ut quemadmodum lumen de lumine, & utrumque unum lumen; ſic intelligatur ſapientia de ſapientia, & utrumque una sapientia: ergo, & una eſſentia; quia hoc est ibi eſſe quod sapere.* Ita Aug. in fine cap. 1. lib. 7. de Trinit.

Dein-

3 Deinde assertio Anselmi cùm Aug. cæterisque Patribus consonat: ipsi enim dicunt tres divinas personas unam & eandem habere essentiam; immo quòd una & eadem sint essentia, sicut unus Deus: non ita ut quælibet persona per se non sit Deus, non sit illa essentia, sed per se est perfectus Deus. Ergo necessario sentiunt, & aliis licèt terminis approbant, quòd quælibet ex tribus divinis personis sit essentia alterius, & quòd Pater sit essentia Filii, Filius essentia Patris, & Spir. Sanct. pariter utriusque essentia.

4 *Non enim quemadmodum intelligitur sapientia hominis &c.* Usque ad illa verba, *non enim idcirco.* Hæc adamussim respondent, aliquantulum variata materia, capiti primo lib. 7. Aug. de Trinit. Deinde probata ab Authore manent in cap. 16.

5 *Non enim idcirco minus perfecta est essentia, vel sapientia Filius, &c.* Hæc verba, Lector, ne intelligas in sensu Scholastico formali & abstrahente: quia non ita proferuntur ab Authore, sed in sensu concretivo, & ut dicimus, identico. Id est, Filius essentia Patris est per nativitatem: & similiter est per nativitatem á Patre sapientia, cùm Pater sit ipsa essentia, & ipsa sapientia. Vel aliter: sicut Scholastice dicitur quòd essentia prout in Patre, est principium *quo* generandi; & essentia prout in Filio terminus *quo* generationis & nativitatis: ita intelligitur quòd essentia sit nata *ut qua*, non *ut quæ*, & similiter sapientia: id est, essentia & sapientia est nata, quatenus est, ratione cujus dicitur nasci Filius similis Patri in natura; non vero essentia, aut sapientia est quæ nascitur, vel quæ dicitur nata in recto aut nominativo, sed duntaxat Filius est qui nascitur, & qui natus in nominativo dicitur.

6 In hoc modo loquendi Anselmus non est singularis, sed imitatur (sicut in multis aliis tum sententiis, tum loquendi modis,) Aug. 7. de Trinit. cap. 2. ajen„tem: Id dici accipiamus, cùm dicitur Verbum, ac si dicatur, nata sapientia, ut sit „& Filius, & imago. Et hæc duo cum dicuntur, id est, *nata sapientia*, in uno „eorum eoquòd est *nata*, & Verbum & Imago, & Filius intelligatur, & in his om„nibus nominibus non ostendatur essentia, quia relative dicuntur: at in altero quod est „*sapientia*, quoniam & ad se dicitur, seipsa enim sapiens est, etiam essentia demons„tretur, & hoc ejus esse quod sapere. Itaque in hoc loquendi more tam Anselmus quàm Aug. Scripturam Sacram attendebant dicentem (Ecclesiast. 24. ℣. 5.) nomine sapientiæ æternæ seu Verbi: *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam.* Et Proverb. cap. 8. *Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram.* Et: *Ante Colles ego parturiebar.* Ubi versio antiqua Italica nunc recens edita, & cum authentica qua utimur collata á N. Monacho Congregat. S. Mauri Sabatier, loco *parturiebar* habet, *genuit me.* Sic etiam alii Patres ibi legunt, & concordat satis græcus textus.

7 Non me præterit caput firmiter. De summa Trinit. ex Sacr. Concil. 4. Lateranens. Generali desumptum, ubi PP. *Credimus*, inquiunt, *& confirmetur cum Petro Lombardo, quòd una quædam summa res est, incomprehensibilis quidem, & ineffabilis, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus:: Et illa res non est generans, neque genita, nec procedens, sed est Pater, qui generat, & Filius qui gignitur, & Spiritus Sanctus qui procedit, ut distinctiones sint in personis, & unitas in natura.* Non, inquam, hoc me latebat: sed tamen per Sanctum Concilium id, quod nos diximus, confirmatur. Nempe quòd essentia secundum quod est quædam summa res, non prout est determinate Pater, aut Filius, aut Spiritus Sanctus, sed quæ communiter & absolute est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus non est generans, neque genita, neque procedens: quia Pater, & Filius, & Spir. S. neque generant, neque gignuntur, neque procedunt: unde natura eo modo, quo tribus communis est, pariter neque generat, neque est genita, neque procedens. Tribus enim conjunctim personis nullo ex his modis potest convenire divina natura. In Filio, & Spiritu Sancto natura non generat: in Patre, & Spiritu Sancto non est genita, vel non habetur per generationem: in Patre, & Filio non habetur per processionem. Sed Anselmus cum Aug. loquitur de essentia vel sapientia prout determinate in Filio, in quo est nata de Patris essentia, id est, habetur à Filio per nativitatem de essentia Patris, aut quod est expressius, ut inquit Aug. de Patre essentia, de Patre sapientia. Idem ergo est quod docet Concilium, essentiam videlicet in Patre esse Patrem, qui generat; in Filio esse Filium, qui gignitur; in Spiritu Sancto esse Spiritum Sanctum, qui à Patre, Filioque procedit. Conferatur Magister Petrus Lombardus, Antistes Pictavien*s*is, lib. 1. distinct. 5. & ibidem Ang. Mag. quæst. 1. art. 1. & 3. & in 1 part quæst 39. art. 5. præsertim ad 1. & 5. Interim sat nobis sit hæc verba de Responsione citata ad 1. transferre huc. *Dicendum*, inquit, *quòd ad exprimendam unitatem essentiæ & personæ, SS.*

Doctores aliquando expressius locuti sunt, quàm proprietas locutionis patiatur. Unde hujusmodi locutiones non sunt extendendæ sed exponendæ, ut scilicet nomina abstracta exponantur per concreta, vel etiam per nomina personalia: ut cum dicitur, essentia de essentia, vel sapientia de sapientia, sit sensus: Filius, qui est essentia & sapientia, est de Patre, qui est essentia & sapientia. Eodem modo antea Illustrissimus Lombardus distinctione citata Aug. exposuerat.

8 *Nequaquam enim repugnat ut Filius & per se subsistat. & de Patre habeat esse &c.* Quid hîc intelligat Author *subsistere*, manifestat per ea quæ statim subjicit, ad Christi Domini verba attentionem suam dirigendo: *Sicut Pater*, inquit, *habet vitam in semetipso, sic dedit Filio habere vitam in semetipso.* Nempe *subsistere* hîc non considerat, secundum quod omni substantiæ completæ creatæ commune est; sed accipit etiam in eo sensu quo dicit Ap. de Creaturis omnibus: *in eo quippe vivimus, movemur & sumus.* Unde nulla creatura in hoc sensu per se subsistit: id est, non habet per se vel à seipsa, ut sit, vivat, moveatur; neque habet ut in vivendo, existendo & se movendo perseveret; sed totum hoc habet á Deo per creationem ex nihilo & conservativam Dei actionem, & cooperationem. Filius autem non sic: sed accepit à Patre per generationem, non aliam essentiam, non aliam vitam, sed eandem omnino quam Pater habet, qua que Pater dicitur per se subsistere, per se vivere, per se sapere, & sic de reliquis. Ergo & Filius per eandem essentiam Patris, vitam, sapientiam, quî fieri potest ut vere non dicatur per se subsistere, in semetipso vivere, per se sapere, & omnia esse per se? Quòd Filius acceperit à Patre eandem omnino Patris essentiam cum omnibus suis, probatum manet, ut jam sæpe dictum est, in capp. 29. & 33. adjunctis capp. 16. & 17.

9 Mag. Sentent. lib. 1. distinct. 32. inter alia quærit *An Filius sit sapiens seipso, vel per seipsum*: quam quæstionem ita resolvit. Ex prædictis constat quòd „ Filius non est sapiens à se, neque de se, sed de Patre, & à Patre. Quæri autem „ solet, utrum Filius sit sapiens seipso, vel per seipsum. Quidam dicunt multipli„ cem hîc fieri intelligentiam, & ideo distinguendum fore ita, ut cum dicis, Filium „ esse sapientem seipso, vel per seipsum, si sui naturâ, & essentiâ sapientem intelligas, „ verus sit intellectus; si vero à seipso, vel de seipso sapientem esse intelligas; falsi„ tati esse subjectam intelligentiam. Alii vero simpliciter, & absque determinatione con„ cedunt hujusmodi locutiones: Filius est sapiens per se, sed non à se, vel de se: & „ Filius est Deus per se, & est per se, sed non à se vel de se: hoc confirmantes ver„ bis Hilarii, qui Filium non à se sed per se agere in lib. 9. de Trinit. (post med.) ait. *Naturæ* (inquit) *cui contradicis, hæretice, hæc unitas est ut ita per se agat Filius ne á se agat, & itv non à se agat ut per se agat &c.*

10 Nihilominus Author N. in lib. de processione Spirit. S. cap. 26. hæc habet de Filio: *Sicut Filius non est alius Deus quàm Pater; ita secundum quod Deus est, non habet aliquid ab alio qaàm à seipso. Nam cum dicimus Deum de Deo, Filium de Patre, non alium intelligimus Deum de Deo alio; sed eundem ipsum Deum de eodem ipso Deo; quamvis dicamus alium de alio, Filium, scilicet, de Patre.* Mens S. Doct. est Filium posse considerari unde Filium, & unde Deum: unde Filium, inquit, certissimum est habere à Patre quidquid habet, & quidquid est; at unde Deum, à seipso habere & esse quidquid habet et est: quia Filius eò Filius est, quo genitus; Deus vero est per essentiam et per divinitatem quæ, ut supra dictum est, neque gignens, neque genita est, neque procedens. Itaque Filius non dicit absolute consideratam divinitatem sed divinitatem, ut est Filius habens à Patre per generationem eandem divinitatem: Deus vero absolute, nisi aliquid adjungatur, vel subintelligatur, non designat nisi Deitatem: Deitas autem à se ipsa est, & existit, et habet quidquid habet; ut probatum manet in primis Monologii capp. Cum ergo Deitas in Filio nihil amittat eorum quæ ipsi competunt secundum quod Deitas est, sed æque perfecta sit in Filio, ac est in Patre; hinc est, ut dicat N. Author, & quidem recte, Filium secundum quod Deus est, id est, secundum Deitatem, habere à seipso quidquid habet; vel non habere aliquid ab alio quàm à se ipso. Uno verbo: Filius est et existit Deus de Deo Patre: Deitas vero Filii non est neque existit, quatenus absolute Deitas est, à Patre, sed à seipsa.

11 *Nam si quis sapiens suam me sapientiam, cujus prius expers essem doceret, &c.* Mag. Basil. lib. 2. contra Eunomium ad explicandum Verbi æterni generationem, utitur Magistri exemplo ac Discipuli totam Magistri doctrinam capientis. *Quod si mavis*, inquit, *qualis est artium substantia ex docentibus in Discipulos transiens tota, adeo ut neque desit quidquam docentibus, & perfectio discentibus ac-*

ce-

cedat. Verum ſtatim fatetur insufficientiam exempli: *Cæteroquin*, inquiens, *hoc ſimilitudinem perfectam non exhibet ob temporis moram: Neque enim fieri potest, ut parva ac vilia divinis atque æternis perfecte accomodentur.*

12 Idem, qualecumque exemplum eſt, ad ſuum propoſitum Anſelmus vertit, atque accommodat: et eò ducitur ut per illud aliquomodo oſtendatur quòd licèt Filius æternus accipiat à Patre quidquid eſt, poteſt nihilominus per eſſentiam, ſubſtantiam, naturam à Patre acceptam, ſubſiſtere, et vivere, et ſapere non per aliud, ſed per ſeipsum: ſicut qui ſemel ab alio didicit ſapientiam, jam tunc per ſuam, non per alienam ſapientiam ſapere dicitur. At infinite diſtat hoc exemplum à ſapientia Filii Dei, à vita, ab eſſentia: quandoquidem Discipulus non accipit à Magiſtro eandem ipſius Magiſtri numero ſapientiam; neque ſapientia eſt eſſentia, ſubſtantia, natura, aut vita Discipuli, ſed accidens ipſi inhæret.

13 *Non igitur sic intelligi potest quòd Pater Filii, aut Filius Patris ſit eſſentia &c.* Ex dictis ultimo colligit Author, et concludit: quód non propterea ſit verum, Patrem habere eſſentiam ſui Filii, Filium Patris ſui eſſentiam, aut quod idem eſt (juxta cap. 16.) quòd Pater ſit eſſentia Filii, et Filius eſſentia Patris, non, inquam, ideo eſt, quia unus non per ſe, ſed per alium ſubſiſtat, Pater per Filium, aut Filius per Patrem; ſed ut ſic expreſsius maiorique cum energia deſignetur ſumma communicatio, ſumma unitas eſſentialis, ſubſtantialis, Filii cum Patre, Patris cum Filio.

CAPUT XLV.*

Al. cap. 44.

Quòd aptius dici poſsit Filius eſſentia Patris, quàm Pater eſſentia Filii: & quòd ſimiliter ſit Filius Patris virtus, & ſapientia; & ſimilia.

QUOD licet ſecundum perſpectam rationem verum ſit: valde tamen magis congruit Filium dici eſſentiam Patris, quàm Patrem eſſentiam Filii: quoniam namque Pater à nullo habet eſſentiam niſi à ſeipſo, non ſatis apte dicitur habere alicujus eſſentiam, niſi ſuam: quia vero Filius eſſentiam ſuam habet à Patre, & eamdem quam habet Pater, aptiſsime dici poteſt habere eſſentiam Patris. Quare quoniam neuter aliter habet eſſentiam, quàm exiſtendo eſſentia; ſicut aptius intelligitur habere Filius Patris eſſentiam, quàm Pater Filii; ita convenientius dici poteſt Filius Patris eſſentia, quàm Pater Filii. Nam hæc una ſi fiat prolatio, ſatis acuta brevitate commendat Filium non ſolùm eamdem eſſentiam habere cum Patre; ſed hanc ipſam habere de Patre: ut hoc ſit, Filius eſt eſſentia Patris, quod eſt, Filius eſt non differens eſſentia de Patris eſſentia, immo de Patre eſſentia. Similiter ergo eſt Filius Patris virtus, & ſapientia, ſeu veritas, & juſtitia: & quicquid ſummi ſpiritus convenit eſſentiæ.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XLV.

Quod licet secundum perspectam rationem verum sit &c.

1 Author in hoc cap. dicit quoniam in rei veritate juxtá rationes in cap. proximo exhibitas Pater eſt eſſentia Filii, et Filius eſſentia Patris: verumtamen, quia Genitivus aptus de se eſt ad ſignificandam originem unius ex alio, ſicut cùm dicimus Pater Filii, et Filius Patris; propterea cùm Pater à nullo ſit, Filius autem ſit genitus

à Patre, aptius et congruentius dicitur Filius eſſentia Patris, quàm Pater eſſentia Filii. Unde et adjungit ſic aptam et energicam, acutamque hanc eſſe prolationem, *Filius est eſſentia Patris*, ut mira brevitate exprimatur et Filii cum Patre consubstantialitas, et ejus à Patre origo.

2 Quòd vero ita ſit, liquet ex Scriptura, quæ ſimilibus expreſsionibus, parique brevitate nobis commendat Spiritus S. originem cùm à Patre, tum à Filio, vocando Spiritum Sanctum quandoque ſpiritum Patris, spiritum Dei, spiritum Domini, quandoque autem spiritum veritatis, ſpiritum Filii. Ex quibus expreſsionibus Scripturæ, quas Græci diffiteri non poterant, arguit Anselmus lib. de proceſsione Spiritus Sancti cap. 21. et efficaciter concludit Spiritum Sanctum à Filio procedere ſicut à Patre. Legatur illud capitulum ad perfectam hujus, quod præ manibus habemus, intelligentiam. At illud quod dicit Author, idem eſſe in Deo habere eſſentiam ac eſſe vel exiſtere eſſentiam; jam in cap. antecedenti monuimus vel ad memoriam reduximus hoc probatum manere in cap. 16. Quòd vero utatur tam in illo cap. 16. quàm in præsenti, expreſsionibus, *existendo eſſentia*, *existens justitiæ*, non eſt mirandum, cum etiam hoc modo fuerit antea locutus Aug. lib. 6. de Trinitat. cap. 1. num. 2. *Quæ ratiocinatio*, inquit, *ad id cogit, ut dicamus Deum Patrem non eſſe sapientem, niſi habendo sapientiam quam genuit, non existendo per se Pater ipsa sapientia.* Loquebatur S. Doct. de aliorum ratiocinatione, et dicit quid absurdi ex illa sequi videatur, et re ipsa sequatur. Sed ad propoſitum noſtrum non facit niſi ipſius S. Doct. modus loquendi. Hoc faciunt Ss. Doctores, quoniam verbum *sum* in lingua latina participio præsentis caret. Has anguſtias non patitur lingua græca. Unde et Mag. Baſil. ait Occidentales seu latinos reliquiſſe tunc temporis *Homouſion* græcum ſine interpretatione, ob inopiam, ſive anguſtias propriæ linguæ. Nempe una ex radicibus hujus vocabuli *Homousion* eſt participium præsentis verbi substantivi *Eimì*. sum.

3 Quantum ad illam expreſsionem *Immo de Patre eſſentia* imitatur pariter Aug. 15. de Trinitate cap. 13. qui loquendo de origine Verbi ait: *Tale est autem ac ſi dicerem, de Patris ſcientia, de Patris sapientia, vel quod est expressius de Patre scientia, de Patre sapientia.*

4 *Similiter ergo est Filius Patris virtus, & sapientia &c.* Author in his verbis proximius quàm in cap. antecedenti attendere videtur vel præ oculis habere Ap. verba appellantis *Christum Dei virtutem & Dei sapientiam.* Et in hoc sensu noſtri Authoris P. Aug. interpretatum fuiſſe Apoſtolum lib. 7. de Trinit. in fine cap. 1. diximus jam in proximo cap. Quin etiam ipse Aug. 15. de Trinit. cap. 6. hujus suæ interpretationis ſuper Ap. verba dicta recolit, eamque iterum approbat.

---

* Al. cap. 45.

CAPUT XLVI.*

Quomodo quædam ex his quæ ſic proferuntur, aliter quoque poſsint intelligi.

VIdentur tamen quædam, ex his quæ ſic proferri, & intelligi poſſunt, aliam quoque non incongruam ſub hac ipſa pronuntiatione intelligentiam ſuscipere. Liquet enim Filium eſſe verum Verbum, id eſt, perfectam intelligentiam, ſive perfectam totius paternæ ſubſtantiæ cognitionem, & ſcientiam, & ſapientiam: id eſt, quæ ipſam Patris intelligit eſſentiam, & cognoſcit, & ſcit, & ſapit. Si igitur hoc ſenſu dicatur Filius Patris intelligentia, & ſapientia, & ſcientia, & cognitio ſive notitia; quoniam intelligit, ſapit, ſcit, & novit Patrem: nequaquam à veritate diſceditur. Veritas quoque Patris aptiſsime dici poteſt Filius, non ſolùm eo ſenſu, quia eſt eadem Filii veritas quæ eſt & Patris, ſicut jam perſpectum eſt; ſed etiam hoc ſenſu, ut in eo intelligatur non imperfecta quædam imitatio, ſed integra veritas paternæ ſubſtantiæ: quia non eſt aliud, quàm quod eſt Pater.

COM-

COMMENTARIUS.

CAPIT. XLVI.

Videntur tamen quædam &c.

1 Aliam etiam intelligentiam dicit Author veram habere posse textum Ap. dicentis Christum *esse Dei virtutem, & Dei sapientiam*: accipiendo nimirum sapientiam activo sensu, id est, sapientem. In hoc itaque sensu sapientia, & intelligentia à nobis frequenter accipitur pro cognitione cognoscente. Unde cùm sive sapientia, sive intelligentia, sive scientia, seu etiam cognitio in Deo accidens non sint, sed substantia per se subsistens; sapientia in Deo per se sapit, scientia per se scit, intelligentia per se intelligit, & cognitio per se cognoscit. Ergo dum Verbum dicitur sapientia, aut intelligentia, aut scientia, aut cognitio, aut notitia Patris, potest vere accipi eo sensu quo significetur Verbum, aut Filium sapere, scire cognoscere, intelligere, & noscere perfecte Patrem. Hoc concordat cum verbis Christi Domini dicentis *nemo novit Patrem nisi Filius; neque Filium quis novit, nisi Pater, & cui voluerit Filius revelare.* Et cùm D. Aug. 15. de Trinit. cap. 14. ajente: *omnia similiter* (ac Pater) *novit & Filius, in se scilicet, tamquam ea, quæ nata sunt de his, quæ Pater novit in seipso: in Patre autem, tamquam ea de quibus nata sunt, quæ ipse Filius novit in seipso. Sciunt ergo invicem Pater, & Filius: sed ille gignendo, iste nascendo.*

2 *Veritas quoque Patris aptissime dici potest Filius &c.* Dixerat Author quoque in fine cap. præcedentis quòd in eo sensu quo ibi dictum est de essentia, Filius dici pariter poterat Patris *virtus & sapientia, seu veritas & justitia, & quidquid summi spiritus convenit essentiæ.* Nunc autem, ut vidimus, alium sensum verum proposuit, ad sapientiam quantum attinet. Ad veritatem vero quod spectat dicit Author, non solum esse Filium veritatem Patris, quia una eademque est utriusque veritas, sicut una & eadem utriusque essentia est, ut in cap. 38. dictum est, sed etiam quia non est Filius quædam Patris imperfecta imitatio, & similitudo, sed est ipsa plena æqualitas, plena conformitas, plena imago Patris, immò veritas ipsa substantiæ Paternæ. Relegatur citatum cap. 38. cum commentario. Uno tamen verbo nunc dico, quód Filus dicitur hic ab Authore, & veritas essentialis, & veritas notionalis, ostensiva scilicet totius Paternæ substantiæ: nam in hoc secundo sensu propria notio ipsius Filij sic est veritas quemadmodum Verbum, & imago. Hæc quippe veritas est summa conformitas Verbi in ratione Verbi, sive exprimentis Paternam substantiam, & totam scientiam Patris. Exprimere autem totum Patrem, totam ejus scientiam, est proprium Filii. Propterea ipse Christus Dominus dicit: *Ego sum via, veritas, & vita.* Et in psalmo dicitur: *Veritas de terra orta est.* Et quando in Scriptura Spiritus Sanctus dicitur spiritus veritatis, PP. intelligunt spiritum Filii. Neque tamen alia est veritas Patris, alia Filii: quia veritas quæ est Filius & ostensiva Paternæ substantiæ, ipsa est veritas essentialis, quamvis non ut essentialis, & absolute significata, sed simul cum relatione. Non est itaque alia: sicut essentia in Patre est Pater qui generat, aut sicut dicunt Scholastici, est principium quo generandi; in Filio autem non est Pater qui generat, vel non est principium quo generandi; & nihilominus non alia est Patris essentia, alia Filii, sed & eadem in Patre & Filio, quamvis in Patre alia relatio sit, & alia relatio in Filio.

3 De virtute autem, justitia, & alijs attributis, sicut æternitas, Immentas, &c. Author nihil in hoc cap. dicit, quia non est applicabilis idem sensus, eadem ve expositio, quæ sapientiæ, & veritati accommodatur: non enim potest dici Christum esse Dei virtutem, quatenus aliquid posit in Patrem; neque esse justitiam quasi reddentem Patri jus suum, nisi hoc intelligatur de Christo, ut Redempotre, & satisfactionem reddente pro peccatis hominum toti Trinitati. Omitto an possit, vel non possit Christus appellari Dei justitia in aliquo alio non improprio sensu præter sensus explicatos. De æternitate, & immensitate, & infinitudine nullum est dubium ipsis aptari non posse expositionem hujus cap.

CAPUT XLVII.*

* Al. pars cap. 45.

Quòd Filius ſit intelligentia intelligèntiæ , & veritas veritatis.

AT ſi ipſa ſubſtantia Patris eſt intelligentia , & ſcientia , & ſapientia, & veritas : conſequenter colligitur quia ſicut Filius eſt intelligentia, & ſcientia , & ſapientia , & veritas paternæ ſubſtantiæ ; ita eſt intelligentia intelligentiæ , ſcientia ſcientiæ , ſapientia ſapientiæ , & veritas veritatis.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XLVII.

At ſi ipſa ſubſtantia Patris eſt intelligentia &c.

1 Cum ab Authore probatum fuerit tum cap. 15. tum 16. summam eſſentiam eſſe quidquid abſolute melius eſt eſſe quàm non eſſe , atque proinde eſſe ſumme ſapientem , summe intelligentem , summe ſcientem , summe veram, immo & , quia non per aliud , sed per se eſt quidquid eſt , ipsam ſummam eſſe ſapientiam, summam intelligentiam, ſummam scientiam , summam veritatem ; cumque etiam probatum fuerit à cap. 27. uſque ad præsens , quód summa eſſentia eſt summus ſpiritus , qui *P*ater eſt & Filius: absdubio consequitur , suppoſitis quoque tribus proximis capp. antecedentibus , quòd Filius in senſibus præfatis illorum trium capitulorum , ſit quemadmodum sapientia , & intelligentia , & scientia & veritas Patris , *ita & intelligentia intelligentiæ , scientia ſcientiæ , ſapientia ſapientiæ , & veritas veritatis.*

2 Tot hæc nomina tradit etiam Aug. dicta de Deo , non quidem ut synonima , in lib. 6. de Trinitate , præsertim in 6. 7. 8. & 15. ſpecialiter tamen lib. 10. cap. 14. propter textum Ap. 1. ad Chorinth. cap. 12. dicentis : *Alii quidem datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ , alii sermo scientiæ* : propter hunc textum , inquam , discernit Aug. sapientiam ab ſcientia , dicendo : *Distat ab æternorum contemplatione actio qua bene utimur temporalibus rebus , & illa sapientiæ , hæc scientiæ deputatur.* Sed ſtatim addit : *Quamvis & illa quæ sapientia est , possit scientia nuncupari , ſicut & Ap. loquitur , ubi dicit Nunc ſcio ex parte , tunc autem cognoscam ſicut & cognitus ſum.* Cœterum infra ſuper illud Job cap. 28. *Ecce pietas est sapientia , abstinere autem à malis est ſcientia* , iterum ſicut antea diſtinguit.

3 D. Thom. 1. part quæſt. 14. art. 1. ad 2. ſic distinguit inter ſapientiam, ſcientiam , & intelligentiam. " Homo secundum diversa cognita habita habet diversas „ cognitiones. Nam secundum quod cognoscit principia , dicitur habere intelligentiam, „ scientiam vero secundum quod cognoscit concluſiones , ſapientiam ſecundum quod cog„ noscit causam altiſsimam , conſilium. vel prudentiam ſecundum quod cognoscit agibi„ lia. Sed hæc omnia Deus una & ſimplici cognitione cognoscit. Unde ſimplex Dei cog„ nitio , omnibus istis nominibus nominari potest : : Et secundum hoc dicitur Job 12. „ Apud ipsum est ſapientia , & fortitudo , & ipse habet conſilium , & intelligentiam. „ Hæc Div. Thom. Unde constat præfatas Anselmi voces non eſſe synonimas.

CAP.

CAPUT XLVIII.*

* Al. cap. 45.

Quòd & quomodo Filius ſit intelligentia vel ſapientia memoriæ, & memoria Patris, & memoriæ.

DE memoria vero quid ſentiendum eſt ? an æſtimandus eſt Filius intelligentia memoriæ, ſive memoria Patris, aut memoria memoriæ ? Equidem cùm ſumma ſapientia ſui memor eſſe negari non poſsit, nihil competentius quàm quòd in memoria Pater, ſicut in Verbo Filius intelligitur : quoniam de memoria nasci Verbum videtur, quod clarius in noſtra mente percipitur. Quoniam namque mens humana non ſemper ſe cogitat, ſicut ſui ſemper meminit : liquet, cúm ſe cogitat, quia Verbum ejus naſcitur de memoria. Unde apparet quia ſi ſemper ſe cogitaret, ſemper Verbum ejus de memoria naſceretur. Rem etenim cogitare, cujus memoriam habemus, hoc eſt mente eam dicere ; Verbum verò rei eſt ipſa cogitatio, ad ejus ſimilitudinem ex memoria formata. Hinc itaque liquido animadverti poteſt de ſumma ſapientia, quæ ſic ſemper ſe dicit, ſicui ſui ſemper memor eſt, quia de æterna memoria ejus coeternum Verbum naſcitur. Sicut igitur Verbum congrue intelligitur proles : ita memoria, parentis nomen aptiſsime ſuscipit. Si ergo proles, quæ omnino de ſolo ſummo ſpiritu nata eſt, proles eſt memoriæ ejus : nihil conſequentius, quàm quia memoria ſua eſt idem ipſe. Quippe non in eo quòd ſui memor eſt, ſic eſt in ſua memoria, velut alia res in alia ; quemadmodum ea quæ ſic ſunt in humanæ mentis memoria, ut non ſint ipſa noſtra memoria ; ſed ſic eſt memor ſui, ut ipſe memoria ſua ſit. Conſequitur itaque ut quomodo Filius eſt intelligentia ſive ſapientia Patris, ita ſit & paternæ memoriæ. At quicquid Filius ſapit aut intelligit ; ejus ſimiliter & meminit. Eſt igitur Filius memoria Patris, & memoria memoriæ ; id eſt, memoria memor Patris, qui eſt memoria : ſicut eſt ſapientia Patris, & ſapientia ſapientiæ, id eſt, ſapientia ſapiens Patrem ſapientiam : & Filius quidem memoria nata de memoria ; ſicut ſapientia nata de ſapientia : Pater vero de nullo nata memoria vel ſapientia.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XLVIII.

De memoria verò quid sentiundum eſt? &c.

1 Eſſe in Deo memoriam cum proprietate ſermonis (aliud quippe est memoria, aliud reminiscentia) probavimus ex Aug. caput Commentantes 32. ad illa verba : *At quomodo vel cogitari potest quod summa ſapientia se aliquando non intelligat, &c.* Ubi probavimus quoque ex Aug. immo ipse Aug. probavit ex principe Latinorum Poeta, memoriam cum proprietate ſermonis eſſe etiam de rebus non absentibus, neque præteritis, sed intime præsentibus. Unde per eos quos in 33. ac 36. fecimus commentarios, illustratum est etiam hoc quod præ oculis habemus, atque versamur.

2 Unde his ſuppoſitis, & quod jam sæpe probatum in ſuperioribus est, omnia nimirum in Deo eſſe ſumma cum ſimplicitate ipsam summam eſſentiam, atque naturam ; insuperque ſuppoſito, quod jam æque probatum est, unam et eandem eſſe Patris Filiique naturam ; unum idipsum eſſe unum, quod est alter : clarum fit Patrem eſſe memo-

moriam, ſicut ſapientiam, ſicut intelligentiam, & Filium pariter memoriam eſſe, non aliam certe, ſed eandem ſuimet Patris, quemadmodum èadem eſt intelligentia, atque ſapientia. Unde certissime consequitur quòd in fine hujus cap. colligit Author, Filium ſcilicet eſſe memoriam memoriæ, non aliter ac dictum fuit in cap. antecedenti eſſe intelligentiam intelligentiæ. Uno verbo: idem in jisdemque ſenſibus dicendum eſſe de memoria, quod & quibus aſſertum eſt in quatuor capp. proximioribus de sapientia atque intelligentia.

3 Veruntamen Authori placuit aliam afferre ſpecialem, & ut ita dicamus, magis formalem rationem ad hoc probandum. Quæ talis eſt, suppoſito ex cap. 32. quòd ſicut ſumma sapientia nequit non semper se intelligere, ita non eſt possibile, ut ſui ſemper non meminerit. Verbum ut in eo cap. dictum eſt, dicitur à summa ſapientia, ſive exprimitur à Patre, quatenus se intelligit, & sui meminit. Ergo ex propria ratione habet, ut nascatur ex Patris memoria. Ergo Pater, ut ſui ipſius eſt memoria, Parens eſt Verbi; atque adeo Verbum ex propria ratione eſt proles nascens de Patris memoria. At ita nascitur, ut in cap. 39. & 40. dictum eſt, quòd omnimodam teneat ejus ex quo nascitur ſimilitudinem. Ergo Verbum ex propria ratione habet ut ſit memoria Patris, ut ſit memoria memoriæ, id est, memoria de memoria, aut memoria memor Patris, qui etiam eſt memoria, non alia, sed juxta dicta in antecedentibus èadem quæ Filii eſt memoria. Sed Verbum jam probatum eſt in cap. 42. quòd ſit veriſsimus Filius. Ergo Filius ex propria notione habet ut ſit memoria Patris, & in eodem dicto ſensu memoria memoriæ.

4 Quòd vero ex memoria nascatur Verbum probat Author per id quod intra animam noſtram experimur. Etenim non eò meminimus quia cogitamus; sed ideo cogitamus quoniam meminimus: & non niſi quod vel totaliter vel ſaltem per partes, aut in suo ſimili meminimus. Legatur cap. 11. cum Commentario. Sed insuper audiatur P. Aug. 11. de Trinitat. cap. 7. in confirmationem quòd ex memoria nascatur notitia, & Verbum, & quòd memoria ſit tamquam parens, Verbum vero tamquam ejus proles. *Jam vero*, inquit, *in illa trinitate, interiore quidem quàm est ista in ſenſibilibus, & ſenſibus, sed tamen quæ inde concepta est, cum jam non ex corpore ſenſus corporis, sed ex memoria formatur acies animi, cum in ipsa memoria ſpecies inhæserit corporis, quod forinsecus ſenſimus, illam speciem quæ in memoria est, quaſi parentem dicimus ejus quæ fit in phantaſia cogitantis: Sed cum cogitatur, ex illa quam memoria tenet, exprimitur in acie cogitantis, & reminiscendo formamur ea ſpecies, quaſi proles est ejus quam memoria tenet.*

5 Et quamvis ſtatim ſubjiciat quòd *neque illa vera parens; neque ista vera proles est*: hoc ideo dicit quia aliud eſt memoria noſtra, aliud illa species quæ in memoria eſt, atque aliud illa quæ ex hac exprimitur, ſcilicet Verbum. Sed tamen ex propria ratione memoria habet, vel univocationem, vel analogiam aut ſimilitudinem cum veris parentibus; Verbum autem formatum ex ipsa memoria, vel univoce, vel analogice rationem prolis, seu ſimilitudinem, ex suo modo procedendi, cum veris prolibus habet. Sed de hoc poſtea in cap. 55. At Verbum æternum, ut ſæpe jam dictum eſt, non eſt aliud à Patre, sed una & èadem utriusque substantia: neque memoria Patris, neque ejus scientia, aut quaſi species ex qua nascitur ejus Verbum, aliud eſt ab ipſius Patris ſubstantia; ut universaliter in capp. 16. & 17. probatum est. Ergo nulla est ratio, ut Verbum Patris non nascatur ut veriſsima proles, ex sua propria notione; neque ut memoria Patris ſive Pater, ut sui ipſius est memoria, ut meminit sui ipſius, atque ſeipsum dicit, ex hac propria ratione non ſit verissimus *P*arens. Ergo neque ratio eſt ut ex propria ratione, vel modo procedendi, Filius non ſit in omni ſensu præfato memoria *P*atris, & memoria memoriæ.

6 Neque Lectorem conturbet illud quod in fine cap. habet Auctor: *Filius quidem memoria nata de memoria; sicut sapientia nata de ſapientia.* Hoc enim quo ſensu ab ipso dicatur, jam in cap. 44. explanavimus. Et in exemplum hujusmodi locutionum adduximus Aug. Cui vero ille duntaxat Aug. Textus non ſufficiat, legat eundem in lib. 6. de Trinitat. cap. 1. num. 2. ubi dicitur *P*ater *genitor ſapientiæ*: & 7. de Trinit. cap. 1. num. 20. ubi ſæpe repetit: *Pater qui genuit ſapientiam. Sapientia quam genuit &c* Et 15. de Trinit. cap. 7. num. 12. *Et quia Filius quoque ſapientia eſt genita de ſapientia.* Si cui hæc non sufficiant, nihil erit ſatis. Iterum Lectorem remittimus ad commentarium citati cap. 44.

CAP.

CAPUT XLIX. *

* Al. cap. 47.

Quòd ſummus ſpiritus ſe amet.

SED ecce dum hujus Patris, Filiique proprietates, communionemque delectabiliter intueor; nihil delectabilius in illis contemplandum invenio, quàm mutui amoris affectum. Quàm enim abſurdè negetur ſummus ſpiritus ſe amare, ſicut ſui memor eſt, & ſe intelligit! Cùm & mens rationalis, & ſe & illam amare poſſe convincatur ex eo quia ſui, & illius memor eſſe, & ſe & illum intelligere poteſt: otioſa namque, & penitus inutilis eſt memoria, & intelligentia cujuslibet rei; niſi prout ratio exigit, res ipſa ametur aut reprobetur. Amat ergo ſeipſum ſummus ſpiritus; ſicut ſui meminit, & ſe intelligit.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XLIX.

Sed ecce dum hujus Patris Filijque proprietates, communionemque delectabiliter intueor. &c.

1 Inventis jam ratione duce duabus in Trinitate perſonis, Patre ac Filio, non aliter, ac Patrem & Filium fides noſtra credit: Auctor ad inveſtigandam tertiam quæ reſtat, ut ſit vera Trinitas quam credimus, ſe accingit. Procedit itaque, ſicut hucusque, paulatim, greſsibus tardis & infantilibus. Itaque in hoc cap. quærit absolute amorem duntaxat in ſumma eſſentia, quo & Pater amet Filium, & Filius diligat Patrem. Debita methodo quærit: nam ſicut memoriam intellectus, & meminiſſe cogitare; ita intellectum voluntas, & cogitationem naturaliter amor ſequitur.

2 *Quàm enim absurde negetur ſummus Spiritus ſe amare, ſicut ſui memor eſt & ſe intelligit! &c.* Miratur Auctor quod negare quis poſsit ſummum Spiritum amare ſe, ſemel oſtenso, ſicut revera in cap. 32. oſtenſum fuit, quod ſui meminerit, ſeque intelligat: immo hoc negare reputat abſurdum. Et ratio in promptu eadem eſt cum ea qua in illo cap. 32. uſus fuit Auctor ad probandum quód ſumma ſapientia (quæ eſt ſummus Spiritus) memor ſuimet ſit, & ſemetipsam cognoscat. Ratio hujusmodi eſt. Mens rationalis poteſt & ſeipsam, & etiam ſummum Spiritum, vel Deum diligere. Ergo & ſummus Spiritus vel Deus poterit, & melius, amare ſeipsum. Conſeq. infertur: quia potentior & perfectior eſt ſummus Spiritus, vel Deus, quám mens creata rationalis; immó mens rationalis creata nihil eſt aliud quam quoddam participium ſummi Spiritus Dei, ut in primis capp. de omni creatura probatum eſt. Anted. probatur. Mens rationalis, seu anima, ut jam in cap. 32. dictum eſt, & unusquisque homo in ſe experitur, & ſuimet & ſummi Spiritus Dei memor eſſe poteſt; & ſemetipsam & ſummum Spiritum Deum intelligere valet. Ergo & amare. Probat conſeq. Memoria & intelligentia de qualibet re otiosa & innutilis reputatur, & eſt, niſi prout ratio judicat, & merita exigunt rei, ipsa res ametur á nobis aut reprobetur. Nam ad quid eſt memoria & notitia, quibuscum fœlices eſſe non poſſumus, neque per ipsas perduci ad finem? Per notitiam vero & memoriam rerum, quas neque possimus amare, neque reprobare, nequimus eſſe fœlices, neque ad ultimum finem provehi. Quippe nullus eſt felix non fruendo, aut etiam quod non amat habendo, ſeu poſsidendo; ut cuique cognoscere in promptu eſt. Ut ergo nihil ſit otiose, innutiliter, à ſumma ſapientia conditum, neceſſe eſt, ſi in nobis eſt memoria atque intelligentia, queat in nobis etiam eſſe amor, & odium. At nulla eſt ratio cur mens rationalis ſeipsam odio habeat, multoque minus ſummum Spiritum, ſuum creatorem, & ſummum bonum. Poteſt igitur & ſemetipsam & ſuum amare creatorem. Potiori ratione ſummus poterit Spiritus Deus, creaturæ conditor, amare ſeipsum At in ſummo Spiritu, cúm ſummé ſit ſimplex, juxta cap. 17. & cúm per ſe, non per aliquid aliud ſit quid-

quid poteſt eſſe (tum juxta illud cap. tum juxta 16. cùm juxta ſex prima Capp.) idem eſt poſſe diligere quod diligere, vel actualis dilectio. Ergo re ipsa & actu diligit ſe ſummus Spiritus Deus, ſicut ſui meminit ac ſe intelligit. Cum itaque idem ſummus Spiritus Deus ſine ulla differentia, cum ſola diſtinctione personarum, ſit Pater & Filius: inevitabiliter ſequitur & Patrem amare ſeipsum, & amare Filium ſuum; & Filium pariter ſeipsum amare, & Patrem ſuum: quemadmodum & Pater memor eſt ſui, & intelligit ſeipsum, & memor eſt Filij ſui ipsumque intelligit; & Filius non aliter memor eſt ſui & Patris ſui, & intelligit ſeipsum & Patrem ſuum. Hoc autem poſtremum, ſcilicet quod ſeipsos absolute & ſimul ad invicem vel reciproce ament Pater & Filius, directe & palàm Auctor non probat usque ad caput 51. Sed nos commentando complevimus uno contextu discursum.

3 Hac ipsa iterum ratione utitur Auctor in cap. 68. ubi eam, vel magis exenterabimus, vel ſaltem copiose confirmabimus. Utitur etiam ipsa lib. 2. cur Deus homo cap. 1. Hac pariter Auctor uti poſſet absolute ex otioſitate & inutilitate memoriæ, & intelligentiæ (quod abſit) in ſummo Spiritu Deo, ſi non amaret ſeipsum; quin argumentum ab anima noſtra, mente ve creata rationali desumeret. Sed quia *invisibilia Dei à Creatura Mundi, per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*: Et quia nihil in rebus creatis magis ſimilitudine accedit ad Deum, quàm mens rationalis, ſicut in cap. 67. videbitur: propterea hoc exemplo, tamquam ſpeculo quodam apto ad id inter omnia utitur in hoc opere N. Auctor, ſequendo ſcilicet, ſive imitando Aug. in libb. de Trinitate.

4 Supereſt ſolum monere Lectorem ut ex hoc quod hucusque Auctor non appellaverit ſummum Spiritum Deum, neque ſummam eſſentiam Dei, neque Patrem Deum, aut Filium Deum, nequaquam propterea causetur, vel in admirationem trahatur. Meminerit ſemper cujus in hoc opere Auctor personam gerit. Hoc enim, exprimere ſcilicet Deum eſſe hanc summam eſſentiam trinam & unam, neque vacuam ſignificatione hanc vocem *Deum* eſſe, ad consumationem & finem usque reservat hujus operis. Sed tamen semper hucusque subintellexit & subintelligi voluit in omni hoc libro nomen Dei, semper ac vel summum bonum, vel summam eſſentiam, vel summam subſtantiam, vel summam naturam, vel summam sapientiam, vel summum Spiritum, vel Verbum summi Spiritus, vel summum Spiritum Patrem, vel summum Spiritum Filium, vel Amorem procedentem à Patre & Filio nominat in toto hoc opere. Hac ergo, quam jam alibi fecimus, prævia monitione: ad propoſitum redeundo, maneat omnino certum, præter ea quæ in superioribus probata jam sunt de Patre, & Filio, etiam seipsos ad invicem diligere.

CAPUT L. *

* Al. cap. 48.

Quòd idem Amor pariter procedat à Patre, & Filio.

PALAM certe eſt rationem habenti, eum non idcirco ſui memorem eſſe aut ſe intelligere, quia ſe amat; ſed ideo ſe amare, quia ſui meminit, & ſe intelligit: nec eum ſe poſſe amare, ſi ſui non ſit memor, aut ſe non intelligat. Nulla enim res amatur, ſine ejus memoria aut intelligentia; & multa tenentur memoria, & intelliguntur, quæ non amantur. Patet igitur amorem ſummi ſpiritus ex eo procedere, quia ſui memor eſt, & ſe intelligit. Quòd ſi in memoria ſummi ſpiritus intelligitur Pater, in intélligentia Filius; manifeſtum eſt quia à Patre pariter & à Filio, ſummi ſpiritus Amor procedit.

COM-

COMMENTARIUS.

CAPIT. L.

Palam certe eſt rationem habenti, &c.

1 Auctor aſſeruit in capite proximo, & ratione concluſit, ſummum Spiritum, quem proba.um erat jam Patrem veriſsimum eſſe & veriſsimum Filium, vere diligere ſeipsum. Unde nos per anticipationem, quod in littera includebatur, per neceſſariam consequentiam commentando intulimus & *P*atrem diligere ſe & Filium ſuum; & Filium diligere quoque ſe & *P*atrem ſuum. Nunc vero concludere Auctor intendit, hunc Amorem non ſolum à *P*atre procedere, ſed etiam à Filio. Ut autem hoc probet, unumquemque ratione utentem ad ſeipsum converti vult, aut conſideratione reflecti ſuper cor ſuum. Ibi enim probabit in ſemetipso, *non idcirco ſui memorem eſſe aut ſe intelligere, quia ſe amat; ſed ideo ſe amare, quia ſui meminit, & ſe intelligit.* Hanc ſuadet causalem. Experiatur, inquit, ſeipsum quis; & videbit, numquam ſe poſſe amare, ſi prius ſui non meminerit, atque ſeipsum intelligat. Ergo non eò sui meminit, aut se intelligit, quia diligit se; ſed potius ideo diligit se, quia ſui memor eſt & quia se intelligit. *P*robat anteced. Ex eo quod in omnibus alijs accidit rebus, quas diſtinctas á se cognoscit. Nulla alia res amatur ſine ejus memoria aut intelligentia: & tamen vice versa experimur multa eſſe quæ memorantur á nobis & cognoscuntur, quæ neque amamus, neque odio habemus. Ergo etiam quisque experietur ſeipsum amare non poſſe, non præeunte memoria sui & intelligentia: & quód non amor sui ipſius memoriam aut intelligentiam sui præcedat; sed potius quod semper neceſſe ſit ut memoria & intelligentia sui ipſius amorem sui ipſius præveniant.

2 Ex hac universali hominum experientia ortum duxit in Scholis axioma, *nihil volitum, quin præcognitum.* Tempore tamen D. Anselmi adhuc Scholæ Verbo *volo vis* supinum *volitum* non dederant. Et certe nescio qua neceſitate poſtmodum fuerit inventum, cum tantumdem valeat ſi dicamus: Nihil amatum, niſi præcognitum: aut nihil voluntas vult, quod intellectus non præcognoscat. Mag. *P.* Aug. 10. de Trinit. capp. 1. & 2. hoc idem in certis refert, vel supponit certum. Ait ſiquidem cap. 1. *Quia rem prorsus ignotam amare omnino nullus poteſt, diligenter intuendum eſt, cujusmodi ſit amor ſtudentium; ideſt, non jàm ſcientium, ſed adhuc ſcire cupientium.* Et in 2. *Quilibet igitur ſtudiosus, quilibet curiosus non amat incognita, etiam cum ardentiſsimo appetitu inſtat scire quod nescit. Aut enim jam genere notum habet quod amat, idque noſſe expetit etiam in aliqua re ſingula, vel in ſingulis rebus, quæ illi nondum nota forte laudantur, ſingitque animo imaginariam formam qua excitetur in amorem. Unde autem ſingit, niſi ex his quæ jam noverat? Aut in ſpecie ſempiternæ rationis videmus aliquid & ibi amamus, &c.* quæ tam in hoc quám in 1. cap. disputat contra hoc objiciendo & ſtatim ſolvendo. Verum Aug. hoc tam certum, ut dicat ferme in medio 1. cap. *quoniam firmiſsime novimus amari nisi nota non posse.*

3 Dicet tamen quispiam hoc recté probare memoriam & notitiam rei amorem neceſſario præire; non autem quod hæc memoria, hæc ve rei notitia, causa ſit amoris ipſius rei. Unde videtur ſibi ipſi Auctor eſſe contrarius, dum dicit, *ideo ſe quemque amare, quia ſui meminit & intelligit.* Et paulo infra: *multa tenentur memoria & intelliguntur, quæ non amantur.* Si enim memoria & intelligentia rei eſſet ratio vel causa cur eſſet ejusdem rei amor: etiam eſſet ratio cur amor non eſſet, ipse defectus memoriæ, & cognitionis rei. Nam ubi affirmatio (ſic fert axioma) eſt causa affirmationis; negatio eſt causa negationis. At in noſtro casu aliter accidit: nam deeſt quandoque, immo & ſæpe numero amor, memoria & cognitione non deficientibus.

4 Hæc replica ſolúm probat memoriam & agnitionem, vel cogitationem rei, non eſſe causam neceſſariam amoris ipſius rei, ſed contingentem ac periculo non amandi expoſitam: non vero vetat ne revera ſit causa amoris, quando re cogitata, voluntas illam ſtatim amat. Qúod vero voluntas rem amet mota aut allecta à rei bonitate apprehensa, vel cogitata, ſive cogitatio ſimul excitet, ſive tantum ſit prævia con-

conditio, compertum eſt, omnesque experimur. Et certe cùm res in cogitatione nihil aliud ſit quam ſimilitudo rei cognitæ, vel cogitatæ, dum res per ſeipsam ad mentem intrare non poteſt; cogitatio vero, ut in cap. 33. dictum eſt, ſit ipsa rei formata ſimilitudo, & expreſſa imago: ſi excitat, movet aut atrahit voluntatem ad ſui amorem, res per ſuam ſimilitudinem, movet absdubio & atrahit ipsa cogitatio. Ergo in eo genere causandi cogitatio, dum ſequitur amor, vere causat amorem; aut ſaltem ipsa ſimilitudo rei; & quandoque res ipsa prout in cogitatione amorem causat.

5 Causalem Auctoris quod attinet, ſimile ipſi eſt illud Domini noſtri Jesu-Chriſti ad Ap. Thom. *Quia vidiſti me Thoma, credidisti.* Cum tamen viſio Chriſti corporalis, vel tactus non haberent in se neceſſariam conexionem cum fide: immo neque per se fidem causarent divinam. Ut tamen ſit vera causalis ſufficit (veneror alias quæ Domino potuerunt eſſe rationes) ſufficit dico, quod Ap. Thom. firmiter aſſeruerit Chriſtum redivivum non crediturum, niſi illum videret & contrectaret; & quod viſio atque tactus vi magna conducant, & suggerant aſſensum. Simile eſt quoque illud Aug. 15. de Trinitat. cap. 13. *Universas creaturas suas & spirituales & corporales, non quia ſunt, ideo novit* (Deus) *ſed ideo ſunt, quia novit. Non enim nescivit quæ fuerat creaturus. Quia ergo ſcivit, creavit; non quia creavit, ſcivit.* Ecce ex eo quod Deus antea non ignoraverit res quas creare decrevit, cum tamen poſſet eas non creare, quia tamen scientia divina præcessit dirigens & concurrens cum voluntate & potentia Dei ad creationem, vere dicitur: *quia ſcivit, creavit; non quia creavit, ſcivit.* Hæc causalis, quia scivit, creavit, non eſt neceſſaria Deo, sed libera: quia quamvis scientia Dei ſit rerum causa, ſi res existunt, non tamen ſemper ac eſt ſcientia Dei de rebus, illas causat: ut patet in creaturis poſsibilibus quas Deus ſcit, nec tamen causat. Et ratio eſt, quia licèt ſcientia Dei præcedere debeat neceſſario ut Deus quidpiam creare, aut facere decernat, non propterea ex ſcientia Dei neceſſario ſequitur divinum decretum de creanda re vel facienda. Ad hunc igitur modum quamvis memoria & cogitatio cujusque rei præcedere debeat in nobis amorem ipſius rei; & quamvis etiam influat in eundem amorem; quia tamen voluntas libera eſt & poteſt rem amare vel non amare, etiam præexistente rei memoria & cogitatione; propterea non ſemper ſequitur memoriam rei & cogitationem amor talis rei. Quando tamen ſequitur, profectó ex memoria et cogitatione tamquam ex causa, licet non adæquata, ſequitur.

6 *Quod ſi in memoria ſummi Spiritus intelligitur Pater, &c.* Dixerat Auctor in cap. 48. quod licet una et eadem ſit Patris et Filij memoria et intelligentia, quandoquidem unum ſunt, verumtamen quia ex memoria nascitur cogitatio, aut mentalis locutlo, et Verbum, ideo in Patre, ex quo nascitur Filius qui ejus Verbum eſt, memoria intelligitur, aut in memoria intelligitur Pater: et quia intelligentia actualis eſt mentalis (ſic vel ſic) dictio, ritè Verbum intelligitur (quod vere eſt Filius) in intelligentia, vel quando dicimus quod intelligentia eſt de memoria Patris, vel de Dei memoria. Si ergo verum est Amorem ſummi Spiritus ex eo procedere, quia ſui memor est & ſe intelligit: nihil consequentius quám quód hic Amor à Patre ſimul procedit et Filio.

7 Vel in meliori forma ſic. Absolute ex memoria et intelligentia ſimul, amor quicumque procedit. Ergo Amor ſummi Spiritus, vel Dei pariter procedit à memoria ſummi Spiritus Dei et intelligentia. At in memoria intelligitur Pater, et in intelligentia Filius. Etgo Amor quo ſummus Spiritus Deus ſeipsum amat, vel quo ſummus Spiritus Deus Pater amat ſuum Filium, et idem ſummus Spiritus Deus Filius diligit ſuum Patrem, procedit pariter à Patre et Filio. Vel ſic. Ad amorem concurrunt et memoria et intelligentia. Ergo ad Amorem quo ſummus Spiritus Deus ſeipsum amat, conveniunt pariter spirando, Pater, qui intelligitur in memoria, et Filius, qui intelligitur nomine intelligentiæ, vel in intelligentia.

CA-

CAPUT LI. *

* Al. cap. 49.

Quòd uterque pari amore diligat se, & alterum.

SED si se amat summus spiritus, proculdubio se amat Pater, amat se Filius, & alter alterum: quia singulus Pater est summus spiritus, & singulus Filius summus spiritus, & ambo simul, unus spiritus. Et quia uterque pariter sui, & alterius meminit; & se & alterum intelligit; Et quoniam omnino idipsum est, quod amat, vel amatur in Patre, & quod in Filio; necesse est, ut pari amore uterque diligat se, & alterum.

COMMENTARIUS.

CAPIT. LI.

Sed si se amat summus Spiritus &c.

1 Quamvis proxime probaverit Author, Amorem summi spiritus, vel Dei à Patre procedere, & Filio: veruntamen, quia & amor noster à memoria suo modo procedit atque etiam à cognitione sive cogitatione; & neque memoria neque intellectus amant, sed sola voluntas: hinc Author nunc recte quærit, aut potius sine quæstione ostendit, & Patrem amare seipsum atque Filium suum; & Filium pariter seipsum amare, & Patrem suum. Sed antequam ipsius rationem exponamus, volo, ut Lector consideret, quòd tametsi nos in expositione duorum capp. præcedentium per anticipationem expressum fecerimus quod adhuc ipse Author de Patre & Filio non exprimebat, sed tantùm de summo spiritu, nihilominus jam tunc Patrem & Filium subintelligebat. Initio quippe cap. 49. suam statim intentionem pandit sic ajendo: *Sed ecce dum hujus Patris Filiique proprietates, communionemque delectabiliter intueor; nihil delectabilius in illis contemplandum invenio, quàm mutui amoris affectum.* Ecce expressum animum suum in his capp. probare scilicet mutui amoris affectum Patris, & Filii. Sed, (quod jam sæpe repetivimus) quia personam agit non tam Theologi, fidei auctoritate nitentis, quàm Theologi utentis sola ratione, ut aliis, etiam infidelibus, si possit, fidei nostræ veritatem de Deo uno atque Trino suadeat, & ostendat, quin impediat propterea fidem neque meritum fidei: ideo paulatim, & pasibus quasi infantilibus, sicut fecit in capp. quibus probavit in Deo Patrem esse verisimum verisimi Filii, & Filium verisimum verisimi Patris, nunc probat ea, quæ pertinent ad personam Spiritus Sancti.

2 Ratio ergo qua nunc proxime probare incipit in Deo esse tertiam personam Spiritus Sancti, hujus est efficaciæ. Probatum est, summum spiritum, vel Deum, seipsum amare. Constat etiam ex capp. 38. & 43. quod Pater, est summus spiritus, & Filius summus spiritus, & quòd non sunt duo summi spiritus, sed unus idem. Ergo si hic summus spiritus amat seipsum, proculdubio, & Pater seipsum amat qui est summus spiritus, & pariter amat Filium suum, qui idem summus spiritus est: & è converso, Filius seipsum amat, quippe qui est idem spiritus, & Patrem suum, quoniam est idem summus spiritus.

3 *Et quia uterque pariter sui alterius meminit &c.* Probato, Patrem & Filium semetipsos & adinvicem se amare, nunc discursum promovet ut ostendat pari se amore & adinvicem utrumque amare. Ratio hujusmodi est. Ubi omnia paria ad amorem conveniunt, necesse est, ut amor dispar non sit. In Patre & Filio paria ad Amorem conveniunt omnia. Par igitur utriusque Amor. Minorem probat. Quæ in Patre & Filio ad Amorem conveniunt, sunt memoria, intelligentia vel cognitio; amandi principium sive natura divina cum voluntate; & bonum amabile. Hæc autem omnia æqualia omnino, immó eadem sunt in Patre & Filio: siquidem ex dictis, præcipue in capp. 29. 33. & 43. & 44. una simplicissima utriusque est essentia, substantia, natura, una eademque omnino memoria, intelligentia, voluntas, bonitas, amabilitas. Non itaque est ulla, quamtumvis minima, discrepantia in his quæ ad Amorem con-

veniunt in Patre & in Filio. Nequaquam igitur impari amore, ſed penitus æquali Pater & Filius diligunt ſemetipsos, & unus adinvicem alium. Nempe non minori dilectione amat Filius Patrem, ac Pater diligit Filium; neque minori amore diligit Pater Filium, ac diligit ſeipsum; neque Filius minori diligit Patrem, ac ſeipsum diligit: quia ſemper tam in Patre quam in Filio ſive in amando ſeipsos, ſive in reciproce, unus alterum, amando, omnia, tam ex parte principii amandi, quàm ex parte boni amabilis, paria & eadem ſine ulla, etiam minima, differentia ſunt.

---

*Al. cap. 50.

CAPUT LII.*

Quòd tantus ſit iſte amor, quantus eſt ipſe ſummus ſpiritus.

QUantus ergo eſt Amor iſte ſummi ſpiritus, ſic communis Patri, & Filio? Sed ſi ſe tantum diligit, quantum ſui meminit, & ſe intelligit: tantum autem ſui memor eſt, & intelligit ſe, quanta eſt ejus eſſentia; quod aliter eſſe non poteſt: profectò tantus eſt Amor ejus, quantus ipſe eſt.

COMMENTARIUS.

CAPIT. LII.

Quantus ergo eſt Amor iſte ſummi Spiritus, ſic communis Patri & Filio? &c.

1 Quod pari amore ſeipsos, & adinvicem diligant Pater & Filius, uti in anteriori cap. conclusum eſt, non vetat quominus dubitetur de quantitate, vel magnitudine perfectionis talis amoris. Hanc vero dubitationem hic N. resolvit Auctor, dicendo tantum eſſe hunc Amorem, ſeu tam perfectum, quanta eſt, ſeu quàm perfecta eſt ſummi Spiritus, vel Dei eſſentia: id eſt, tantum amare ſeipsos, & adinvicem Pater & Filius, quanta eſt ipsorum memoria, & intelligentia, tum de ſeipſis, tum adinvicem, & quantum amabilis eſt utriusque natura. Ratio eſt. Summus Spiritus, vel Deus tantum ſe diligit, quantum ſui meminit & ſe intelligit: alioquin fruſtra & inutiliter, juxta dicta in cap. 49. tanta cum perfectione ſui meminiſſet, & ſe intelligeret. At tam perfecte ſui meminit ac ſe intelligit, quanta eſt, quàm perfecta, quantumque intelligibilis, & memorabilis eſt ſumma ejus eſſentia: tum quia memoria, ſapientia, ſeu intelligentia ſumma eſt, juxta capp. 15. & 16. & cum reliquis, quæ tali eſſentiæ competunt, maxime perfecta. Igitur tantus eſt, seu tam ſumme perfectus eſt iſte amor, quanta eſt, & quàm ſumme perfecta eſt ſummi Spiritus Dei eſſentia. Amat igitur ſe ſummus Spiritus Deus, quantum amabilis eſt. Et tanto amore quantus ipse Deus eſt. Pater itaque & Filius ita & ſeipsos & unus alterum ad invicem amant.

2 Hæc doctrina respondet illis Aug. verbis, lib. 9. de Trinit. quibus ipse libro finem imponit: *Nec minor proles, dum tantam ſe novit mens, quanta eſt: nec minor Amor dum tantum ſe diligit, quantum novit & quanta eſt.*

---

*Al. cap. 51.

CAPUT LIII.*

Quòd idem Amor ſit idipſum quod eſt ſummus ſpiritus; & tamen ipſe ſit cum Patre, & Filio unus ſpiritus.

VErùm quid poteſt eſſe par ſummo ſpiritui, niſi ſummus ſpiritus? Iſte itaque Amor eſt ſummus ſpiritus. Denique, ſi nulla unquam creatura, id eſt, ſi nihil unquam aliud eſſet, quàm ſummus ſpiritus, Pa-

Pater, & Filius; nihilominus ſeipſos, & invicem Pater, & Filius diligerent. Conſequitur itaque hunc Amorem non eſſe aliud, quàm quod eſt Pater, & Filius: quod eſt ſumma eſſentia. At quoniam ſummæ eſſentiæ plures eſſe non poſſunt: quid magis neceſſarium, quàm Patrem, & Filium, & utriusque Amorem, unam eſſe ſummam eſſentiam? Eſt igitur idem Amor ſumma ſapientia, ſumma veritas, ſummum bonum; & quicquid de ſummi ſpiritus ſubſtantia dici poteſt.

COMMENTARIUS.

CAPIT. LIII.

Verum quid poteſt eſſe par ſummo Spiritui, niſi ſummus Spiritus?

1 Probat jam Auctor præfatum Amorem non eſſe, ſicut noſtrum, tranſitorium, aut quandam vel qualitatem vel accidentalem actionem; ſed eſſe ſubſtantiam perfecte ſubſiſtentem, immó eſſe ſubſtantiam divinam, & Deum ipſum. Ratio prima continetur in præjacta interrogatione, *verum quid potest esse, &c.* quibus cap. incipit: & eſt hujnsmodi. Hic Amor, ut in cap. proximo aſſertum eſt, par eſt Spiritui ſummo qui Deus eſt. Nihil autem eſſe poteſt, ut in capp. 1. & 3. dictum quoque eſt, ſummo Spiritui vel Deo æquale, qui ſumme bonus, ſummeque eſt, quod per ſe non ſit bonum; quod non per ſe, ſed ab alio per creationem, vel efficientiam ſit & exiſtat, atque adeo quod ſit creatura, quod non ſit ſummus Spiritus Deus qui per ſeipſum eſt quidquid eſt. Ergo præfatus Amor non eſt creatura, ſed creator ſummus Spiritus & Deus, qui juxta cap. 27. per ſeipſum individua ſubſtantia eſt. Hic Amor itaque non eſt accidens, ſed individua ſubſtantia, individuus maximus Spiritus, & Deus ipſe.

2 Neque dicas Amorem æqualem eſſe ſummo Spiritui poſſe in linea amoris, ſeu quatenus ſummum Spiritum vel Deum tantum amat, quantum ipſe Deus amabilis eſt: non tamen inde ſequi eſſe hunc Amorem in omnibus, ſive abſolute parem Deo. Cæterum hoc quaſi nullo negotio diſparet: tum quia probatum jam fuit in capp. 26. & 27. quod nihil ſummo Spiritui Deo univoce commune eſt cum ipſius creaturis, ſed omnia, quæ dicuntur de ſumma eſſentia, Deo ſingulariter convenire, ita ut non niſi per analogiam poſſint aliqua creaturis convenire. Non igitur eſt aliquid, in quo valeant ſummus Spiritus creator Deus, & ejus creatura æquiparari, neque comparari. Amabilitas ergo ſeu bonitas ſummi Spiritus, aut creatoris, in infinitum excedit quemcumque amorem, qui creatura ſit, qui non ſit Deus. Tum etiam, quia ſic eſt ſimplex ſumma eſſentia, ſummus Spiritus Deus, juxta dicta in cap. 17. ut quodlibet in eo prædicatum, vel attributum ſit perfecte omnia cætera, tantumque ſit ſingulum, quantum ſimul omnia. Non ergo poteſt amor paritatem habere cum bonitate, cum ſumma amabilitate ſummi Spiritus Dei, & eſſe ipſi Deo aliunde diſpar.

3 Hæc doctrina Anſelmi maxime conſona eſt *P.* Aug. 6. de Trinitat. cap. 3. ajente de Filio: *Unde æqualis, ſi non eo quo est, cui non est aliud esse, & aliud magnum esse? Aut ſi æternitate Pater major est, non est æqualis Filius quacumque re. Unde enim æqualis? Si magnitudine dixeris, non est par magnitudo, quæ minus æterna est, atque ita cætera. An forte in virtute æqualis est, in sapientia vero non est æqualis? Sed quomodo est æqualis virtus quæ minus sapit? An in sapientia æqualis est, in virtute autem non est æqualis? Sed quomodo æqualis est sapientia, quæ minus potens est? Restat ergo ut ſi in ulla re æqualis non est, in omnibus non ſit æqualis.* Eundem S. Doct. discurſum ad virtutes morales humanas aptat; atque oſtendit vim in eis etiam, & efficaciam habere. Non itaque amor æqualis potest eſſe Deo in uno, v. g. in ratione amoris cum amabilitate Dei, & in reliquis inferior eſſe. Sarta tecta ergo manet ratio Anſelmi.

4 *Denique ſi nulla umquam creatura &c.* Ecce rationem ſecundam, quæ non est efficaciæ minoris. Ponamus, inquit, nullam eſſe creaturam, ſolumque exiſtere ſemper ſummum ſpiritum, vel Deum, qui eſt Pater, & Filius: ſicut revera exiſtere potuiſſe, certum est: tum propter dicta in primis maxime capp., cum etiam in 32. At in tali hy-

hypotheſi summus Spiritus Deus dici nequit, quòd non se amaret; neque quòd non se diligerent, eo modo, quo dictum eſt in cap. 41. *Pater* & Filius. Ergo ille Amor in illa hypotheſi dici non poteſt quòd tunc eſſet creatura. Ergo eſſet ipse Deus. Eodem autem Amore neceſſe eſt ut Deus ſe amet & *Pater* & Filius ſe diligant; ſive exiſtat, ſive non exiſtat aliqua creatura. Ergo ſi in illa hypotheſi non poteſt cogitari, quód ille Amor eſſet creatura; manifeſtum eſt quòd abſolute & absque ulla hypotheſi ille Amor non eſt creatura. Ergo eſt Deus. Nam inter Deum & creaturam, ut probatum eſt in primis capp. non eſt aliquid medium, id eſt, quod nec ſit Deus nec ſit creatura.

5 Quòd autem in illa hypotheſi nullius exiſtentis in nullo tempore creaturæ, Deus ſe diligeret; & Pater ac Filius, & absolute & adinvicem ſe diligerent; præter quam quod probatione videtur non indigere, ex ratione conſtat data in cap. 49. Deinde, quia alias, ſummo ſpiritui Deo, qui eſt ſummum bonum, hoc tam magnum bonum, tam jucundum, quod eſt amare, deeſſet: cùm tamen in cap. 15. probatum fuerit, summæ eſſentiæ vel Deo neceſſario convenire quodcumque *absolute, & in omni melius est esse, quàm non esse.* Lege commentarium illius cap. Præterea. Quia Patri Filioque abeſſet maxima delectatio, quæ habetur in reciproca de ſumma bonitate utriusque fruitio. Unde non eſſent summe beati, atque felices, cùm deeſſet saltem complementum beatitudinis & felicitatis. Quapropter neque eſſent ſumme perfecti. Quod repugnat. Ergo eſtó nulla foret creatura, exiſteret in summo ſpiritu Deo Amor proceedens, juxta dicta in capp. 50. & 51. à Patre ſimul & Filio. At hic Amor non eſſet creatura: alioquin falsa eſſet suppoſitio quòd ſummus ſpiritus Deus ſe amaret, nulla exiſtente creatura. Igitur eſſet & ſemper eſt hic Amor neceſſario ipse summus spiritus Deus, ipsa ſumma eſſentia, ipsa ſumma ſubſtantia, ipsa natura summa, illud omnino idem quod eſt Pater, & quod eſt Filius. *Est igitur idem Amor*, ut concludit Author, *summa sapientia, summa veritas, summum bonum; & quidquid de summi spiritus substantia dici potest.* Confer capp. 32. & 33. ubi hac eádem ratione utitur Author pro neceſſaria exiſtentia, & consubſtantialitate divini Verbi.

---

* Al. cap. 52.

CAPUT LIV. *

Quòd totus procedat à Patre, totus a Filio; & tamen non ſit niſi unus Amor.

INtuendum eſt diligenter utrum ſint duo Amores, unus à Patre procedens, alter à Filio: an unus, non totus ab uno procedens; ſed partim á Patre, partim à Filio: an nec plures, nec unus, partim procedens à ſingulis; ſed unus totus à ſingulis, & idem totus à duobus ſimul. Sed hujusmodi dubitationis certitudo hinc indubitanter cognoscitur, quia non ex eo procedit, in quo plures ſunt Pater, & Filius; ſed ex eo in quo unum ſunt. Nam non ex relationibus ſuis, quæ plures ſunt: alia eſt enim relatio Patris, alia Filii: ſed ex ipſa ſua eſſentia, quæ pluralitatem non admittit, emitunt Pater, & Filius tantum pariter bonum. Sicut ergo ſingulus Pater eſt ſummus ſpiritus; & ſingulus Filius eſt ſummus ſpiritus; & ſingulus Filius eſt ſummus ſpiritus; & ſimul Pater, & Filius non duo, ſed unus ſpiritus; ita à ſingulo Patre manat totus Amor ſummi ſpiritus; & à ſingulo Filio totus: & ſimul à Patre, & Filio non duo toti, ſed unus idemque totus.

COMMENTARIUS.

CAPIT. LIV.

Intendum eſt diligenter utrum ſint duo Amores &c.

1 Quæſtio Authoris in hoc cap. ſatis perſpicuè, & cuique etiam parum ingenio-

nioso accommodatiſsimè ſecundum omnes suas partes propoſita atque diſtributa eſt. Itaque non eſt cur in hoc fruſtra immoremur.

2 *Sed hujusmodi dubitationis certitudo hinc indubitanter cognoscitur &c.* Reſolvit Author quæſtionem, respondendo solidè ac vere totum Amorem à Patre procedere, totumque à Filio, neque multos, aut diſtinctos amores eſſe, quamvis Pater, & Filius, qui diligunt, diſtincti ſint. Ratio eſt clara: quia ubi unicum & ſimpliciſsimum eſt principium *quo* diligendi, unicus, & ſimpliciſsimus neceſſario eſt amor: actiones quippe licèt ſint suppoſitorum, non procedunt ab eis niſi per & secundum formam, naturam, virtutem. At in Patre & Filio unicum & ſimpliciſsimum eſt diligendi principium *quo*: unica eſt enim, & ſimpliciſsima utriusque eſſentia, natura, virtus seu voluntas & quidquid aliud non ad relationes Paternitatis, & Filationis, sed ad subſtantiam pertinet, uti in antecedentibus toties probatum eſt. Ergo unicus ac ſimpliciſsimus Amor eſt, qui à Patre, & Filio procedit. Ergo non partim ab uno, & partim ab altero, sed totus indiviſibiliter & ſimpliciſsime ab uno, & totus ab altero.

3 Hæc ratio, quæ etiam vim habet proportionaliter in creaturis, id eſt, quatenus fundatur in hoc quòd actiones quamvis ſint ſuppoſitorum, principium tamen *quo* agendi eſt forma, natura, & virtus; in Patre & Filio multò validior & efficacior eſt. Creaturæ non ſunt ſuppoſita, neque personæ per aliquam relationem: quapropter ascendere in animum poteſt aliqua non fatua, neque irrationalis dubitatio, ſit, an non, in ratione formali per quam conſtituuntur in ratione suppoſiti vel personæ, aliqua forsàm activitas vel virtus ad agendum Pater vero & Filius cùm in omnibus, præter relationes Paternitatis & Filiationis, ſint penitus unum & idem, non sunt diſtincta suppoſita vel personæ, niſi per relationes; quibus ineſſe aliquam vim, aut activitatem, quatenus relationes formaliter sunt, irrationale eſt afferere.

4 Ratio quoque ipsa unitatis ac summæ ſimplicitatis, tum eſſentiæ, tum voluntatis, tum amoris Patris, & Filii vetat, ne partim amor procedat ab uno, partim ab alio, vel diſsimiliter ab uno ac ab alio, vel ſub altera ratione ab uno, sub altera ab altero. Nam ubi undique eſt ſimplicitas ſumma in principio *quo* amoris, atque proinde in amore, non relinquitur locus divisioni, diſtributioni, diſsimilitudini, in ipſa processione amoris: & ubi nequaquam diſsimiliter sed æque perfecte, ac ſimplicissime convenit principium *quo* amandi tam Patri, quam Filio, non eſt unde aliter, aut diſsimiliter, neque magis, aut minus, neque sub diversa ratione formali ab uno procedat quàm procedit ab alio. Patri & Filio æque perfecte & ſimpliciſsime convenit absque ulla discrepantia, eſſentia, natura, voluntas, et omnia quæ spectant ad ſubſtantiam in quibus, ut dictum eſt, conſiſtit totum principium *quo* amandi. Ergo et amor ſine ulla diſtinctione, neque discrepantia, neque diſsimilitudine, procedit à Patre et Filio.

5 Itaque non procedit hic amor Divinus, sicut amor supernaturalis creatus profluit à gratia et voluntate, totus ab una et totus ab alia; à gratia et charitate tamquam à tota virtute agendi; à voluntate vero tamquam à potentia per virtutem gratiæ operante. Quippe aliud eſt voluntas, aliud eſt gratia: in Patre autem et Filio nequaquam est aliud et aliud, sed unum omnino et idem. At circa processionem Spiritus Sancti, qui per hunc Amorem, procedentem à Patre et Filio, intelligitur, lectu digniſsimus est inſignis liber Authoris adversus Græcos errantes. Præcipue tamen legantur capp. 18. 23 et 24. Conferatur etiam Aug. 15. de Trinitat. cap. 17. num. 29. et cap. 26. num. 47.

CAPUT LV.*

* Al. cap. 53.

Quòd non ſit eorum Filius, Amor.

QUid ergo? Cùm hic Amor pariter habeat eſſe à Patre, & Filio; & ſic ſimilis ſit ambobus, ut nullatenus diſsimilis ſit illis; ſed omnino idem ſit quod illi: nunquid Filius eorum, aut proles, æſtimandus eſt? Sed ſicut Verbum, mox ut conſideratur, ſe prolem eſſe ejus, à quo eſt, evidentiſsime probat, promptam præferendo parentis imaginem, ſic Amor aperte ſe prolem negat; quia dum à Patre, & Filio procedere

intelligitur ; non ſtatim tam perſpicuam exhibet ſe contemplanti ejus, ex quo eſt, ſimilitudinem : quanvis ipſum conſiderata ratio doceat omnino idipſum eſſe , quod eſt Pater, & Filius. Denique ſi proles eorum eſt, aut alter eorum erit Pater ejus , alter mater : aut uterque pater , ſive mater eſt : quæ omnia veritati repugnare videntur. Quoniam namque nullatenus aliter à Patre procedit , quam à Filio : nulla veritas patitur ut diſsimili vocabulo ad illum Pater, & Filius referantur : non eſt igitur alter pater ejus , alter mater. Ut autem duo aliqua ſint, quæ ſingula perfectam , & nulla conſideratione differentem habeant pariter ad aliquid unum , patris, aut matris habitudinem , nulla natura aliquo monſtrari concedit exemplo. Ergo non eſt uterque , ſcilicet, Pater , & Filius, pater aut mater Amoris à ſe manantis. Nequaquam itaque videtur veritati convenire , ut idem Amor eorum filius ſit aut proles.

COMMENTARIUS.

CAPIT. LV.

Quid ergo &c.

1 Difficultatem maximam Author in hoc cap. tangit; at antiquissimam, utpote ab Arrianis, vel Anomæis, vel Sabelianis jam apud Mag. Baſil. objectam, Hom. adversus hos cunctos Hæreticos. *Cave*, inquit Baſil. *arguta illa, & captiosa objicias mihi: Ingenitus , aut genitus. Quòd si ingenitus est , Pater est : sin autem genitus , Filius est : Si denique neutrum horum , creatura est.* Et iterum paulo infra. *Nam , inquiunt , tria hæc mens nostra percipit ; nec quidquam est in rerum natura , quod non in hanc rerum divisionem cadat. Aut enim , inquiunt , ingenitus est , aut genitus , aut creatus : at neque primum , neque secundum , igitur tertium.*

2 Cui ſophismati Baſilius respondet: *Istud vestrum , Igitur , maledictioni æternæ vos reddet obnoxios. Es ne perscrutatus omnia? Omnia ne ratiocinatione tua subjecisti divisioni? Nihil inexploratum reliquisti? Omnia mente tua complexus es? Omnia cogitatione comprehendisti? Nosti quæ sub terra? Nosti quæ in profundo? Dæmonum jactantia hæc est.* Verum inter alia quæ ad eorum arrogantiam retundendam affert S. Doct. hoc argumento revincit: *Quo modo videmus nos homines? Sic ne, ut ſuscipiamus formas rerum visibilium , an ita ut virtutem quandam ex nobis ipſis emittamus? Atqui neque suscipimus rerum visibilium imagines : qui enim fieri potest , ut in exiguo pupillæ meatu Cœli emisphemerium imprimatur? Neque enim ex nobis quidquam emittimus ; quomodo enim rursus id quod emittitur satis fuerit , ut ad tantam Cœli vastitatem expandatur? Quod si neque recipimus visibilium imagines , neque virtutem ullam ex nobis ipſis emittimus , non igitur videmus :: Quid ab hujusmodi argumentis differt artificiosa vestra de Spiritu loquendi ratio , quam apud miseras mulierculas , aut affines mulieribus eunuchos jactatis?* Non tamen voluit S. Doct. ingenii ſui vi ac explicatione in tam profundum arcanum penetrare , ne curioſitati forsan Hæreticorum videretur morem gerere. Sat habuit dicere paulo infra: *Et Filius à Patre exivit , & Spiritus ex Patre procedit. At Filius quidem ex Patre per generationem Spiritus vero ex Deo , arcano modo atque ineffabili.*

3 Div. vero Aug licét pari confiteretur religione , qua Baſilius , tantum arcanum , dicendo ad Maximinum Arrianum cap. 14. *Quid autem inter nasci & procedere interſit , de illa excellentissima natura loquens , explicare quis potest? Non omne quod procedit , nascitur , quamvis omne procedat , quod nascitur ; ſicut non omne quod bipes est , homo est , quamvis bipes ſit omnis qui homo est. Hæc scio : distinguere autem inter illam generationem & hanc processionem nescio , non valeo , non ſufficio*: Quamvis , inquam , ſic summa cum reverentia circa tam ſublime myſterium ſuam ignorantiam atque insufficientiam profiteatur S. Aug. aliquas nihilominus variis in locis proponit rationes differentiæ inter generationem Filii ac proceſsionem Spiritu Sancti , quas N. recolligit Author et unam , adumbratam duntaxat in Aug. ſubtilitate , et ſoliditate metaphyſica , qua assolet , præsertim eviscerat , et in lucem profert.

Du-

4 Dubium ergo propositum à N. Authore, hoc est: utrum Amor procedens à Patre et Filio, proles aut Filius eorum æstimandus sit Rationem quoque proponit dubitandi, quæ hujusmodi est. Amor, ut dictum est duobus proximis capp procedit à Patre et Filio, ita similis, in nulloque dissimilis, ut omnino eamdem quam illi habent substantiam, et naturam accipiat, idemque omnino cum eis in substantia, essentia, natura, & reliquis quæ ad essentiam pertinent, ab ipsis procedat. Videtur ergo quód amborum Filius sit. Sin autem; cur non? Propter illam rationem quippe perfectæ similitudinis dictum est in cap. 39. processionem Verbi esse nativitatem: & in 40. eum, à quo Verbum procedit, verissimum ejus esse parentem, & Verbum ipsum verissimam esse prolem: denique in 42. illum verissimum esse Genitorem, & Patrem; hoc, nempe Verbum, verissimum esse Filium. Cur ergo si hic Amor æque consubstantialis utrique procedit à Patre & Filio, non dicetur Filius?

5 *Sed sicut Verbum, mox ut consideratur &c.* Dubium Auctor resolvit, negando quòd Amor à Patre, & Filio procedens, sit Filius, quamvis id ipsum in essentia, substantia, & natura sit quod Pater, & Filius, quamvis nullo modo dissimilis procedat ab ipsis. Ratio prima, intima, & ut loquuntur Scholastici, formalis, et metaphysica hæc, inquit Anselmus, est: quòd, *Verbum, mox ut consideratur*, id est, secundum suum conceptum, aut considerationem primariam, vel rationem formalem metaphysicam primitivam (quæ illa est, et dicitur, quæ primò nobis naturaliter de rebus quibuscumque in mente occurrit ac se præsentat) *se prolem esse ejus à quo est, evidentissime probat, promptam præferendo Parentis imaginem*, id est, quia in illo conceptu formali primario qui, audito hoc nomine *Verbum*, statim in mente nostra generatur, imago vel similitudo ad perfectam conformitatem ejus, cujus est Verbum, expressa, animo statim occurrit; et propterea cùm aliunde Patris Verbum ob summam essentiæ divinæ simplicitatem ac perfectissimam Patris locutionem, vel mentalem expressionem sui ipsius, nequeat non procedere imago naturalis et substantialis Patris sui, à quo existit: hinc est, inquit N. Author, quòd Verbum Patris ex sua propria ratione et notione Filium se esse evidentissime probat. Filium namque omnes intelligunt exprimere debere per suam naturam, & substantiam Patrem suum: ita ut quantum deficiat ab ostendendo in natura sua Patrem suum, tantum deficiat à veritate filij. Itaque ad rationem filij non satis est quæcumque similitudo consubstantialitatis, ut in duobus hominibus, & amplius in duobus fratribus, liquet: duo quippe fratres ex eadem substantia Patris, & Matris sunt; unus tamen alterius non est filius. Neque sufficit similitudo, seu communicatio in substantia, etiam adjuncta origine unius ex alio: ut in Eva de costa Adami ædificata fit manifestum. Quid? cùm ex arboribus arbores, ex seminibus olera, & plantæ, ex plantis fructus, per originem vitalem cum communicatione secundum speciem in substantia atque natura, ortum ducunt; & tamen nullum ex his patrem nominamus aut filium. Ergo nec sufficit ad filiationem consubstantialitas, nec sufficit processio ex altero cum in natura communicatione, nec origo sufficit viventis à vivente cum communicatione in substantia atque natura.

6 Quid ergo amplius desideratur? Quòd nimirum vivens à vivente vitaliter procedens, promptam ejus à quo procedit, ut dicit Anselmus, imaginem exhibeat: id est, non solum procedat ipsi simile in substantia, essentia, atque natura, sed etiam ut similitudo substantiva ostendens perspicue eum à quo procedit, ita ut quasi videatur in eo sigillatus, & impressus ille ipse à quo procedit. *Quapropter*, Mag inquit Bas. Hom. contra Sabellianos, & Arrium, & Anomæos, *Filius ex Patre per modum generationis existens, & naturaliter in semetipso Patrem exprimens, ut imago quidem, integerrimam, absolutissimamque habet similitudinem, ut genitura vero consubstantialitatem servat.* Et adversus Eunomium lib. 2. num. 16. ait: *Oportebat autem, puto, eos quibus vel tantùlum curæ esset veritas, posteaquam, corporeis similitudinibus omissis, notiones Dei per materiales imaginationes coinquinare desiissent, tum demum traditam nobis à Sancto Spiritu Theologiam sequi ::: Intelligere itidem imaginem invisibilis Dei, non secundum has artificiosas imagines exinde ad exemplar elaboratam, sed existentem atque subsistentem cum archetypo quod eam produxit, quæ ex hoc est quod est archetypum: quæ per imitationem expressa non est, tota Patris natura in Filio velut in aliquo sigillo impressa.* Et num Sequenti: *Imago, inquit, dictus est Filius, & est imago genita, & splendor est gloriæ Dei, & Sapientia, & Potentia, & Justitia Dei, non ut habitus, neque ut aptitudo, sed substantia viva, & operans, ac splendor gloriæ Dei. Quapropter, & totum in seipso*

Pa-

Patrem ostendit , ex tota ejus majestate resplendens.

Sic Amor aperte se prolem negat , &c.

7 Verbum divinum jam dixit Author in sua primaria conceptione, vel notione præseferre quòd ſit ſimilitudo , & imago Patris perfectissima , atque adeo substantiva , naturalis. Quod non eſt aliud quàm eſſe *Filium*. Nunc autem dicit quòd cùm Amor ex propria sua notione , ſive ex ea formali metaphyſica primaria conceptione, quam nomen *Amor* auditum nobis naturaliter , vel illico ingenerat , non se exhibeat ut ſimilitudinem , ut imaginem Patris aut Filij à quibus eſt ; neque ut ſimilitudo vel imago intelligatur , aut debeat intelligi ex ipſius in animo noſtro impressione , neque apprehenſione : propterea , quamvis ita ſimilis in subſtantia , eſſentia , & natura procedat, ut id ipsum ſit quod Pater , & Filius , (juxta dicta in cap. 53.) nihilominus tamen non eſt eorum Filius. Iam diximus quòd ad veram rationem Filij non sat eſt consubstantialitas , aut communicatio in eadem subſtantia eademque natura accepta ab aliquo, media origine vitali : sed quòd præter hæc opus ſit , & quidem quodam modo magis principaliter , quòd ſit ſimilitudo , ut ita dicam , in abſtracto , subſtantive accepta ; non concretive , & quaſi adjectivo in sensu.

8 Itaque amor ex propria notione habet , quòd ſit vis unitiva , quód ſit nexus , quòd ſit impulsus , quo duo ſimul , & reciproce propendunt , ut ſiant modo possibili unum : & propterea cùm Amor Patris , & Filij (juxta cap. 52.) tantus ſit, quantus summus spiritus Deus qui Pater eſt , & Filius : fieri non poteſt ut in eo , tamquam in nexu summe perfecto , summa unitate non se complectantur Pater , & Filius. Summa autem unitas non ſtat absque reciproca communicatione in natura , ſine communi una eademque natura ; non ſtat cum aliqua quamtumvis minima discrepantia , differentiave in natura. Summa quippe unitas ea eſt , qua major concipi nequit. Ergo summus Amor , qualis eſt Patris , & Filij , secum præsefert , ex eo quòd summus Amor eſt , eandem naturam quæ Patris , & Filij eſt. Itaque , (ut uno verbo rationem absolvamus) discrimen quod eſt inter Filium , ac Spiritum Sanctum , ut hic non ſit Filius, in eo conſiſtit , quòd Filius ex sua propria notione verbi non modo procedit perfecte, & omnino ſimile , sed & ſimilitudo ipsa subſtantialis , & imago ejus à quo procedit: Spiritus vero Sanctus ex propria notione Amoris , quamquam procedit omnìno ſimile, idemque in subſtantia , sed non ut ſimilitudo , & imago sui principij à quo procedit, quod eſt Pater , & Filius.

9 Hanc primam discriminis rationem adumbratam eſſe jam diximus in Aug. 15. de Trinit. cap. 27. num 50. Tradit ibi in exemplum voluntatem humanam *Quam voluntatem humanam* , inquit , *de cogitatione procedere. Non tamen eſſe cogitationis imaginem , & ideo in hac re intelligibili nativitatis , & processionis inſinuari distantiam , quoniam non hoc eſt cogitatione conspicere quod appetere , vel etiam perfrui voluntate , cernit , discernitque qui potest.* Hæc eadem ratio P. Aug. & noſtri Anselmi traditur à D. Thom. quæſtione 27. art. 4. in Corp. sed præsertim , & proximius in respons. ad 2. ubi ait : *Quòd ſimilitudo aliter pertinet ad Verbum , & aliter ad Amorem. Nam ad verbum pertinet in quantum ipsum est quædam ſimilitudo rei intellectæ , ſicut genitum est ſimilitudo generantis : sed ad Amorem pertinet , non quòd ipse Amor ſit ſimilitudo , sed in quantum ſimilitudo est principium amandi. Unde non sequitur quòd Amor ſit genitus , sed quòd genitum ſit principium Amoris. Et ad 1. ait : Quòd quidquid est in divinis , est unum cum divina natura. Unde ex parte huius unitatis non potest accipi propria ratio huius processionis vel illius , &c.* Et in corp. art. anteced. ait : *Quòd processio Verbi in divinis habet rationem generationis : procedit enim per modum intelligibilis actionis , quæ est operatio vitæ : & à principio conjuncto , ut supra jam dictum est : & secundum rationem ſimilitudinis : quia conceptio intellectus est ſimilitudo rei intellectæ : & in eadem natura existens; quia in Deo idem est intelligere & eſſe , ut supra ostensum est. Unde processio Verbi in divinis dicitur generatio , & ipsum Verbum procedens dicitur Filius.*

10 *Denique ſi proles eorum est , aut alter eorum erit Pater , alter mater , &c.* Profert Anselmus secundam discriminis rationem inter Filium , & Spiritum Sanctum , ut Amor ſive Spiritus Sanctus dici non queat Filius : quæ ratio desumitur quaſi ab inconvenienti , & à poſteriori ; & eſt hujusmodi. Si Amor vel Spiritus Sanctus eſſet Filius Patris , & Filij ; vel unus eorum eſſet ipſius Pater , & alius ipſius Mater : vel uterque eſſet Pater , vel uterque Mater. At omnia hæc , id eſt , quòd vel unus ſit Pater , & alius Mater , vel uterque Pater , vel uterque Mater cum veritate pugnat. Ergo Spiritus Sanctus non poteſt procedere ut Filius. Quòd unus non possit eſſe

Pa-

Pater, & alius Mater, ſic probat. Spiritus Sanctus, vel Amor Patris, & Filij, nequaquam aliter aut dissimiliter (ut probatum eſt à cap. 51. sed præsertim in 54.) procedit à *Patre* quàm à Filio. Quòd vero uterque non possit eſſe mater, pariter conſtat ex dictis in cap. 42. Quòd, deniquè, uterque ſit *Pater*, nullum in natura habemus fundamentum, vel exemplum: ſicut neque illud habemus de duabus Matribus ſimul, & indifferenter ad unam, & eamdem prolem gignendam concurrentibus. Non ergo *Pater*, & Filius sunt, vel *Pater* unus, & alter Mater Amoris ſive Spiritus Sancti; neque ambo *Patres* neque ambo Matres. Nequaquam igitur idem Amor vel Spiritus Sanctus eſt eorum proles aut Filius.

11 In his autem hoc reſtat notandum, rationem illam: *Quoniam namque nullatenus aliter à Patre procedit, quàm à Filio, &c.* Deſſumptam eſſe ab Aug. lib. 15. de Trinitate cap. 27. num. 44. ſicut etiam disjunctivum quod præcedit in illis verbis, *Denique ſi proles eorum est, &c.* partim quoque haustum est ibidem de illo. Illa autem quæ sequuntur: *Ut autem duo aliqua ſint, quæ ſingula perfectam, &c.* addita sunt ab Anselmo, suaque omnino eſſe videntur. Denique notandum in his ultimis verbis Auctorem recurrere ad creatam naturam, ut ibi quærat, utrum ſit, vel non ſit aliquod exemplum unde ratio conjicere quodam modo queat, ſit an non ſit possibile ut in divina natura duo *Patres*, vel Matres duæ existant. Hoc enim facit, quia, ut jam ſæpissime admonuimus, personam agit in hoc lib. non theologi auctoritate nitentis, vel quæ afferit auctoritate probantis, sed sola ratione, ea quæ credimus de Deo uno, & Trino, vel demonstrantis, vel explicantis, vel suadentis. Itaque documento utitur Ap. ajentis ad Rom. 1. *Invisibilia Dei, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas.* Nam aliunde ex Sacra Scriptura, Conciliis, & *Patribus* constat Spiritum Sanctum non eſſe Filium: ſicut æque ex eisdem auctoritatibus constant cætera, quæ credimus de *Patre*, & Filio.

CAPUT LVI.*

* Al. cap. 54.

Quòd ſolus Pater ſit genitor, & ingenitus; ſolus Filius genitus; ſolus Amor nec genitus, nec ingenitus.

SED videtur tamen Amor idem, nec omnino, ſecundum communis locutionis uſum, dici poſſe ingenitus; nec ita proprie, ſicut Verbum, genitus. Solemus enim ſæpe dicere aliquid gigni ex ea re de qua exiſtit: ut cùm dicimus ſplendorem aut calorem gigni ab igne, ſeu aliquod effectum ex cauſa ſua. Secundum hanc igitur rationem, Amor á ſummo ſpiritu exiens, non omnino aſſeri poteſt ingenitus: ita vero proprie, ſicut Verbum, dici genitus non poteſt: quia Verbum veriſsimam eſſe prolem, & veriſsimum Filium; Amorem vero nullatenus Filium, aut prolem eſſe, manifeſtum eſt. Poteſt itaque immò debet dici ſolus ille, cujus Verbum eſt, genitor, & ingenitus: quia ſolus eſt Pater, & parens, & nullo modo ab alio eſt: ſolum autem Verbum, genitum; quia ſolum filius, & proles eſt. Solus vero Amor utriusque, nec genitus, nec ingenitus: quia nec filius eſt, nec proles eſt; nec omnino non eſt ab alio.

COMMENTARIUS.

CAPIT. LVI.

Sed videtur tamen Amor idem, &c. ¶

1 Ex dictis in cap. antecedenti sequi videtur, quòd Spiritus Sanctus seu Amor à *Patre Filioque* procedens, ingenitus ſit dicique debeat, cum non ſit genitus.

Ex quo pariter videtur confici, esse *Ingenitum* non propriam notionem esse Patris, contra quod SS. Doct. docuere. Cæterum hunc scrupulum, qualiscumque demum est, excutit Auctor distinguendo inter generationem communissimam, vel latissimæ significationis, & generationem in sensu proprio, & stricto. Generari in primo sensu dicitur quidquid quovis modo ab alio, aut ex alio est. Hic sensus frequenter usurpatus est ab antiquis Philosophis, qui pro eodem *Ingenitum* accipiebant, ac quod sine ullo principio. Unde materiam primam rerum omnium principium simul cum Deo asserebant, quia eamdem ingenitam, quamvis errantes, judicabant. Legatur N. Commentarius in cap. 8. In hoc itaque sic intellecto, communissimo, minusque proprio sensu generationem intelligebant. Nomen ergo *Ingenitum* in hoc eodem sensu, quatenus scilicet excludit processionem, vel originem, quocumque modo, ab alio vel ex alio, attribuitur à SS. Doct. & ab Ecclesia soli Patri. Quapropter in hoc solo sensu est propriissima notio Patris. In hoc ipso denique sensu asserit Anselmus Amorem, scilicet Spiritum Sanctum, dici non posse ingenitum. Neque tamen proprie, sicut Verbum, genitus est. Non omnino, id est, non absolute, & in omni sensu ingenitus dici potest Spiritus Sanctus, quandoquidem vere procedit á Patre, Filioque tamquam à vero principio. Ingenitus tamen per comparationem ad propriam, & strictam generationem Filij, non solum potest, sed & dici incunctanter debet.

2 Hoc cap. & expositio Anselmi correspondent 26. cap. lib. 15. D. Aug. de Trinit. num. 47. (juxta optimam editionem Monachorum Congr. S. Maur.) ubi ait: *Ideo cùm Spiritum Sanctum genitum non dicamus, dicere tamen non audemus ingenitum, ne in hoc vocabulo vel duos Patres in illa Trinitate vel duos qui non sunt de alio quisquam suspicetur. Pater enim solus non est de alio, ideo solus appellatur ingenitus, non quidem in Scripturis, sed in consuetudine disputantium, & de re tanta sermonem qualem valuerint proferentium* Conferatur Illustrissim. Mag. Sentent. lib. 1. distinct. 13. cum correctionibus vel annotationibus P. Nicolai in editione Commentariorum, vel quæst. S Thom. sup. eundem Mag. Conferatur quoque ipse D. Thom. ibidem quæst. 1. art. 4. & 1. par. quæst. 27. art. 2.

3 *Potest itaque immo debet dici solus ille, cujus Verbum est, genitor, & ingenitus, &c.* Quód Filius nequeat esse pater sui Patris; neque Amor seu Spiritus Sanctus pater esse queat Patris aut Filij, á quibus procedit; evidentissimum, supposita fide de his processionibus, cuique rationali est. Quód vero alterius, vel aliorum nequeant esse, aut Filius aut Spiritus Sanctus, *Pater*, unde ab Auctore probatur? Ex his nempe quæ tradit in cap. 61. ubi de hoc quærit, dubiumque resolvit. Interim tamen hoc accipe responsum. In summa essentia juxta dicta in capp. 15. & 16. omnia sunt summa, & ita absolute optima, ut meliora esse nec cogitari queant. Unde necesse est prorsus sit pariter generatio in illa summa essentia talis, ut melior aut perfectior cogitari nequeat. Quapropter, & æque necesse est ut Pater sit summus, & quí melior *Pater* cogitari nequeat; similiter dicendum de Verbo, vel de Filio, de processione Amoris vel Spiritus Sancti, & de ipso Amore vel Spiritu Sancto. Summum autem, & quo nihil melius cogitari possit, in quacumque ratione sit (uti ex cap. 1. in fine constat) non est possibile plusquam unum sit, vel par habeat aut præstantius. Non ergo est possibilis plusquam una in summa natura, vel Deo, generatio; neque plusquam una amoris vel Spiritus Sancti processio; atque adeo non nisi unus *Pater*, unus Filius, unus utriusque amor aut Spiritus.

4 *Præterea.* In cap. 3. dictum fuit quoniam absurdissimum est judicare naturarum graduum inæqualium nullum esse finem aut terminum, ita ut semper cogitanda sit melior ac melior natura sine termino. Multo ergo absurdius, ut cum eadem foret de uno Filio ratio quæ de altero; de uno Amore procedente, ac de quocumque procedente alio; nullus esset finis vel terminus in generationibus filiorum, & processionibus amorum. Innumera quippe consideranti cuique patebit confusio, & præsentabuntur inconvenientia sine numero. Esset atque adeo (quod absit) imperfectissima omnium, quæ summe perfecta est, divina essentia: esset denique horribile, plusquam dici potest, monstrum, & maxima chimera. Ergo absolute impossibile est ut in Deo sit plusquam unus Pater, plusquam unum Verbum aut Filius, plusquam unus Amor procedens aut Spiritus Sanctus. Recte ergo concludit Auctor quód solus ille cujus Verbum est, genitor, & ingenitus dici debet, quia solus ille est Pater, & Parens, & nullo modo ab alio est: solum autem Verbum, genitum; quia solum Verbum Filius, & proles est: solus vero Amor utriusque, id est, Spiritus Sanctus, nec genitus nec ingenitus, quia nec proles, nec Filius est, neque aliunde omnino non est ab alio.

Sed

5 Sed jam alibi lectorem monuiſſe recordor, omnia Anſelmi verba ad amuſsim eſſe attendenda, & conſideranda: quia vel nullum vel fere nullum ſpeciali ſignificatione vacuum. Hoc accidit in præſenti cap. in illis vocibus, *nec omnino* additis ab Auctore in principio, & in fine præſentis cap. Poterat quippe dicere, ſi nihil aliud vellet ſignificare, quód amor nec dici poſsit ingenitus neque genitus: at verbo *ingenitus* adjungit *neque omnino*: ſicut non ſimpliciter dicit de eodem amore vel Spiritu Sancto quód non deſinit eſſe ab alio; ſed dicit: *nec omnino non est ab alio.* Quid ergo ſibi vult? Nempe quód non undequaque vel in omni ſenſu eſt ab alio. Nam præterquam quod non eſt ab alio per creationem neque per factionem, neque per compoſitionem, neque per proprié, & ſtricte ſumptam generationem; etiam eſſentia, ſubstantia, natura ipſius, non ſolum non eſt creata, facta, compoſita, neque genita, ſed neque procedens quocumque modo ab alio. Quapropter licet Amor, qui eſt Spiritus Sanctus vere ſit per proceſsionem ab alio, ſcilicet á Patre, & Filio: eſſentia, ſubstantia, & natura ejus absolute non procedit neque á Patre, neque à Filio, & consequenter neque ab alio. Unde D. Thom. in 1. diſtinct. 13. quæſt. 1. art. 4. in Corp. ait: *Quòd Ingenitus :: Si ſit negatio in genere, hoc potest eſſe dupliciter, secundum quod in divinis accipitur, vel in genere divinæ naturæ; & ſic adhuc convenit Patri, Spiritui Sancto, & eſſentiæ: vel in genere principij in natura divina; & ſic non convenit niſi Patri, & tunc erit notio Patris.*

CAPUT LVII.*

* Al. cap. 55.

Quòd Amor idem ſic ſit increatus, & creator, ſicut Pater, & Filius: & tamen ipſe cum illis non tres; ſed unus increatus, & unus creator. Et quòd idem poſsit dici ſpiritus Patris, & Filii.

QUoniam autem idem Amor ſingulus eſt ſumma eſſentia, ſicut Pater, & Filius; & tamen ſimul Pater, & Filius, & utriusque Amor, non plures, ſed una ſumma eſſentia, quæ ſola à nullo facta, non per aliud quàm per se omnia fecit: neceſſe eſt, ut quemadmodum ſingulis Pater & ſingulus Filius eſt increatus & creator: ita & Amor ſingulus ſit increatus & creator; & tamen omnes tres ſimul, non plures, sed unus increatus & unus creator. Patrem itaque nullus facit, ſive creat, aut gignit: Filium vero Pater ſolus gignit; sed non facit: Pater autem pariter, & Filius non faciunt neque gignunt, ſed quodammodo, ſi ſic dici poteſt, ſpirant suum Amorem: quamvis non noſtro modo spiret ſummè incommutabilis essentia; tamen ipsum suum Amorem à ſe ineffabiliter procedentem, non discedendo ab illa, sed exiſtendo ex illa, forſitan non alio modo videtur poſſe dici aptius ex se emittere, quàm ſpirando. Quòd ſi dici poteſt, ſicut Verbum summæ eſſentiæ Filius eſt ejus; ita ejusdem Amor ſatis convenienter appellari poteſt Spiritus ejus: ut cùm eſſentialiter ipse ſit spiritus, ſicut Pater & Filius, illi non putentur alicujus ſpiritus; quia nec Pater ab ullo alio eſt, nec Filius à Patre quaſi ſpirante nascitur; iſte autem æſtimetur Spiritus utriusque; quia ab utroque, suo quodam inenarrabili modo, ſpirante mirabiliter procedit. Qui etiam ex eo quia eſt communio Patris & Filii, non absque ratione quaſi proprium aſſumere videtur aliquod nomen, quod Patri Filioque commune ſit; ſi proprii nominis exigit indigentia. Quod quidem ſi fiat, ſcilicet, ut ipſe amor nomine Spiritus, quod ſubſtantiam pariter Patris, & Filii ſignificat, quaſi proprio deſignetur: ad hoc quoque non inutiliter valebit; ut per hoc idipſum eſſe, quod eſt Pater, & Filius, quamvis ab illis eſſe ſuum habeat, intimetur.

COM-

COMMENTARIUS.

CAPIT. LVII.

Quoniam autem idem Amor ſingulus est summa eſſentia, ſicut Pater, & Filius, &c.

1 In hoc cap. ab initio adusque verba illa, *Patrem itaque nullus facit, &c.* Primum quod probat eſt, Amorem, de quo in antecedentibus ſermo, per ſe ſingulum ſummam eſſe eſſentiam, id eſt, quód vera ſit hæc propoſitio: Amor procedens vel Spiritus Sanctus eſt ſumma eſſentia. Secundum quod probat eſt, Patrem, & Filium, & ab utroque procedentem Amorem, non plures, ſed unam tantummodo eſſe ſummam eſſentiam. Unde ſingulus Pater eſt ſumma eſſentia, ſingulus Filius eſt ſumma eſſentia, & duo ſimul, vel Pater ſcilicet & Filius, vel Pater & Spiritus Sanctus, vel Spiritus Sanctus & Filius; vel ſimul tres juncti Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt ſumma eſſentia, & non niſi una & eadem ſumma eſſentia. Tertium quod probat eſt, eosdem tres Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, & quemque per ſe ſingulum, increatum eſſe, & omnium rerum creatorem, neque tamen plures increatos, aut creatores, ſed unum increatum & creatorem duntaxat.

2 Probatio vero una eademque pro omnibus eſt. Nempe dictum eſt in cap. 53. quod hic Amor id omnino ſit, quantum ad eſſentiam, & quæ ad eſſentiam pertinent attributa, quod ſunt Pater & Filius. Dictum eſt etiam in primis capp. quia non niſi una eſſe poteſt ſumma eſſentia, quæ ſola à nullo eſt facta & non per aliud quàm per ſeipsam omnia ex nihilo fecit. Dictum eſt denique in capp. 16. & 17. hanc ſummam eſſentiam & per ſeipsam eſſe quidquid eſt, & ſumma cum ſimplicitate eſſe omnia, quæ eſt. Quid igitur consequentius quám quód, ſuppoſito (quod in antecedentibus probatum manet) in ſumma eſſentia ſit *Pater*, ſit Filius, ſit procedens ab utroque Amor, ita hæc ſimpliciſsima eſſentia ſit *Pater*, ſit Filius, ſit Spiritus Sanctus, ut per eamdem ſive *Pater* ſingulus, ſive Filius ſingulus, ſive Spiritus Sanctus ſingulus ſit increatus, & creator; & duo ſimul, vel omnes tres ſimul, non ſint niſi unus increatus & unus creator? Per unam enim & eamdem ſimpliciſsimam formam, increatam & creatricem, neceſſe eſt ut unaquæque perſona divina per ſe & quin conjungatur cum altera, accipiat totam denominationem increatæ & creatricis, vel creatoris; & ſimul junctæ, vel duæ, vel tres perſonæ immultiplicabiliter recipiant easdem denominationes. Unde ex hac doctrina confirmatur quod diximus in Commentario super cap. 38. de D. Thom. circa nomina adjectiva dicta de Deo. Conferatur etiam cap. 37. ubi per eamdem rationem Auctor probavit ſignanter de Verbo & de illo summo Spiritu, nempe Patre cujus eſt Verbum, idem quod hic probat directe & determinate de Amore vel Spiritu Sancto á Patre & Filio procedente.

3 *Patrem itaque nullus facit, ſive creat, aut gignit.* Quód Pater non ſit creatus, neque factus, conſtat ex eo, quód ſit ſumma eſſentia, quæ per ſe & á ſe exiſtit Quód vero non ſit genitus, ex dictis in anteriori cap. liquet, ubi probatum, impoſsibile eſſe ut ſit in divina eſſentia plusquam unus Pater, aut unus Filius, aut unus Spiritus Sanctus.

4 *Filium vero Pater ſolus gignit; ſed non facit.* Ratio eſt eadem quæ data eſt pro Patre. Et præterea quia impoſsibile eſt ut Filius ſit á se ipso, aut ab Amore, vel Spiritu Sancto qui à ſe procedit. Et quód non fiat â Patre, ſed gignatur, præter illam communem rationem, patet ex dictis in capp. 33. 37. 39. & 41. & 42. cum ſit omnino de ſubſtantia ejus: quod autem ſit, de aliena ſubſtantia ſit, non de illa, quæ facientis eſt.

5 *Pater autem pariter & Filius non faciunt, neque gignunt; ſed quodam modo, ſi ſic dici poteſt, ſpirant ſuum amorem, &c.* Non faciunt, inquit, ob rationem dictam de Patre & Filio. Non gignunt, quia in cap. 55. probatum eſt Amorem vel Spiritum Sanctum non eſſe Filium. Sed quodammodo, si sic dici poteſt, ſpirant. Auctor dicit *quodam modo*, eó quod, ut ſtatim ſubjungit, non eo modo ſpirant sicut nos ex nobis metipsis percipimus ſpirare quid sit; ſed tantum per quandam analogiam, in quantum ſcilicet, sicut ſpiratio noſtra ab interioribus noſtris emittitur cum quadam reciprocatione, ita concipimus Patrem ac Filium ab intima, propriaque ſubſtantia ſua quasi emittere Amorem ſuum reciprocando simul, Pater amando Filium, &

Fi-

Filius amando Patrem, Amore simul exeunte ab utroque, & simul in utroque manente. Ad hujus intelligentiam conferatur cap. 10. lib. de processione Spiritus Sancti.

6 *Si sic dici potest*, ideo Auctor, ut credo, adjungit, quia forsan nullus Sanctorum, Patrum (ego non memini legisse) ante eum ita locutus fuit. Jam diximus Auctorem monere nos, lib. de fide Trinitatis, sive Epist. de Incarn. Verbi cap. 4. se in hoc opere quod versamur, & in Prolog. aliquid tradidisse, quod aut non legit alibi, aut saltem se legisse non meminerat. Nihilominus jam posteriores Theologi cum Div. Th. in 1. Sentent. distinct. 11. quæst. 1. art. 4. & 1. part. quæst. 36. art. 1. & 4. sine aliquo scrupulo, Anselmo duce, frequenter usurparunt & usurpant voces *spirare*, *spiratio*, *spirantes*, *spirator*. Quid? Quod etiam in Concilio Generali Lugdunensi 1. cap. *Fideli ac devota*. De summa Trinitate in 6. palam & aperte legitur quod Spiritus Sanctus *non duabus spirationibus*, *sed unica spiratione procedit*. Ipsemet Anselmus judicavit, licet modeste, ut assolet, quod *forsitan non aliomodo videtur*, *posse dici aptius ex se* Patrem & Filium reciprocum hunc Amorem, *emittere quàm spirando*.

7 *Quod si dici potest*, *sicut Verbum summæ essentiæ Filius est ejus; ita ejusdem Amor satis convenienter appellari potest Spiritus ejus*, *&c.* Hucusque distulit Auctor Amorem procedentem á Patre & Filio, Spiritum Patris & Filij appellare, eum duntaxat Amorem utriusque vocando. Rationem non semel dedimus, cum de Patre, Filioque in his Commentarijs ageremus: nempe quòd ut ipse Auctor nos prænonuit, & nos ipsi ejus præfationem commentando etiam advertimus, personam in hoc opere agit cujusdam secum sola cogitatione disputantis & ea quæ credimus de Deo uno, omnium præter ipsum ex nihilo Creatore, Trino in Personis, Patre, Filio, & Spiritu Sancto, sola ratione ostendentis atque probantis. Hinc fit ut procedat Anselmus passu tardo, & quasi infantili, cum tamen ingeniosissime de tantis mysterijs meditetur. Itaque primum summam essentiam dixit corpus non esse, vel aliquid eorum quæ corporei sensus discernunt; nempe in cap. 15. Deinde in 27. iterum expresse asseruit eam esse Spiritum, non corpus, & quidem omnino individuum, idest, summe simplicem Spiritum. Et in his locis non accipit Spiritum pro aliqua persona determinata, sed pro essentia divina ut toti Trinitati communi. Deinde à cap. 29. usque huc, aut semper aut fere semper nomine Spiritus & summi Spiritus, aliquam determinate personam intelligit; quandoque Patrem vel expressum, vel subintellectum; quandoque Filium, tum expressum nomine locutionis, tum Verbi, tum imaginis, tum geniti, tum nati, tum Filij; & denique aliquando, scilicet á cap. 50. personam Spiritus Sancti Amoris vocabulo designatam.

8 Ergo nomen *Spiritus* aliquando essentiam omnino incorpoream, & immaterialem significat: aliquando autem tertiam designat Trinitatis Personam. Unde & apud PP. vocabulum *Spiritus* modò intellectum communiter tum pro divina essentia, tum pro Patre, tum pro Filio, tum pro Spiritu Sancto; modò autem proprie & relative acceptum pro significanda sola tertia persona reperitur. Quid? cum S. Hilarius lib. 2. de Trinit. num. 30. (in editione nostri doctissimi Coutantij) dicat, *Manere hinc quosdam in ignorantia atque ambiguitate existimo*, *quòd hoc tertium*, *idest*, *quod nominatur Spiritus Sanctus*, *videant pro Patre & Filio frequenter intelligi. In quo nihil scrupuli est: sive enim Pater*, *sive Filius*, *& Spiritus*, *& Sanctus est.* Unde Laudatissimus præfatus monachus Congreg. S. Mauri in Præfatione generali ad „ eadem S. Hillarij opera §. 1. Sect. 2. ait ad num. 68. Sed cum Hæterodoxus nos„ tra ætate primos Ecclesiæ PP. in multis errasse, ac nominatim Filium & Spiritum „ Sanctum solere confundere asseruit; nostris observationibus nonnihil necessario adjicien„ dum est, ne quis iis confirmari putet tam imprudentem illius assertionem. Aliud „ certe est, primos PP. ad enuntiandam secundam ac tertiam Trinitatis personam eo „ vocabulo indifferenter uti, quod temporis processu tertiæ proprium factum est: aliud, „ eos personales utriusque proprietates confundere. Decursis quidem aliquot sæculis, „ tertiæ personæ proprium habitum est *Spiritus Sancti* vocabulum, quod primis au„ dierat toti Trinitati commune: at nusquam apud PP. reperire est confusas & non „ distinctas Filij & Spiritus Sancti personas; ut v. g. illud Evangelij *In nomine Pa„ tris & Filij & Spiritus Sancti* interpretantes, Filium & Spiritum Sanctum con„ fuderint, nec subsistendi ratione distinxerint.

9 His igitur intellectis, pariter Lector & intelliget hæc nostri Auctoris verba: *ut cum essentialiter ipse sit Spiritus*, *sicut Pater & Filius*, *illi non putentur alicujus Spiritus; quia nec Pater ab ullo alio est*, *nec Filius à Patre*,

quaſi ſpirante naſcitur; iſte autem æſtimetur Spiritus utriusque, quia ab utroque, ſuo quodam inenarrabili modo, ſpirante mirabiliter procedit.

10 Sicut etiam penetrabit illa ferme ultima verba: *Ut ipse Amor nomine Spiritus, quod ſubſtantiam pariter Patris & Filij ſignificat, quaſi proprio deſignetur.* Rationem cur hoc nomen Spiritus appropriatum fuerit Amori vel tertiæ personæ procedenti à Patre & Filio, tradit in illis antecedentibus verbis: *Qui etiam ex eo quia eſt communio Patris & Filij, non abſque ratione quaſi proprium aſſumere poſſe videtur aliquot nomen, quod Patri Filioque commune ſit; ſi proprij nominis exigit indigentia.* Hæc ratio S. Doct. ipſi communis eſt cum S. Aug. 15. de Trinitate cap. 17. & lib. 5. cap. 5. *Si Charitas*, inquit in 1. loco citato, *qua Pater diligit Filium, & Patrem diligit Filius, inneffabiliter communionem demonstrat amborum, quid convenientius quàm ut ille dicatur propriè charitas, qui Spiritus eſt communis amborum? Hoc enim ſanius creditur & intelligitur, ut non ſolum Spiritus Sanctus charitas ſit in illa Trinitate; ſed non frustra proprie charitas nuncupetur, propter illa quæ dicta ſunt: ſicut non ſolus in illa Trinitate vel Spiritus eſt, vel Sanctus: quia & Pater Spiritus, & Filius Spiritus, & Pater Sanctus & Filius Sanctus: & tamen ipse non frustra dicitur Spiritus Sanctus. Qui enim eſt communis ambobus, id vocatur ipse propriè quod ambo communiter.* Conferatur Mag. Sentent. lib. 1. diſtinct. 10. & D. Thom. ibidem, & in 1. part. quæſt. 36. art. 1.

11 Sed adhuc admonere lectorem reſtat explicationem illorum Auctoris N. verborum, *Quamvis enim non noſtro modo ſpiret ſumme incommutabilis eſſentia &c.* præocupatam jam eſſe in cap. 44. unde ibi eſt quærenda. Brevi tamen dico quód hic eſſentia accipitur pro Patre & Filio qui vere ſunt incommutabilis eſſentia: vel, ſi mavis, pro principio *quo* ſpirandi. Deinde monitum etiam lectorem volumus, illa verba, *Si proprij nominis exigit indigentia*, vel accipienda eſſe pro indigentia proprij nominis per comparationem duntaxat ad hoc vocabulum *Spiritus*; vel ſi per relationem etiám ad hæc vocabula *Spiritus Sanctus*, non quatenus nobis à Chriſto Domino in Evangelio, v. g. dum formam Baptismi inſtituit dicendo *baptizantes eos In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, hæc duo verba *Spiritus Sanctus* dedit ad exprimendam noſtram fidem de tertia in Trinitate Persona: Sed referenda eſt talis inopia ad inſtitutionem humanam, ſecundum quam vocabulum *Spiritus*, neque vocabulum *Sanctus* habent, aliquam proprietatem personalem ſignificare, vel aliquid quod non poſsit pluribus convenire; ſed ex tali inſtitutione primitiva non niſi aliquid commune deſignant. Inſtitutio tamen Chriſti Domini ſignificatum horum vocabulorum proprium & non commune facere potuit. Quapropter & PP. & Eccleſia poſt prima ſæcula, ut jam audivimus ab editore S. Hillarij, ita unanimiter talia vocabula propria fecerunt tertiæ in Trinitate Personæ, ut jam non ſolúm ex inſtitutione Chr. sed etiam ex hominum vel Eccleſiæ non niſi tertiam in Trinitate Personam nobis deſignent.

12 Audiatur D. Thom. diſtinctione ſupra citata quæſt. 1. art. 4. ad 1. ubi ait, *Quòd hoc quod dico Spiritus Sanctus, poteſt dupliciter conſiderari, vel quantum ad virtutem vocabulorum; & ſic convenit toti Trinitati, prout ſumitur in virtute duarum dictionum; vel quantum ad impoſitionem Eccleſiæ, per quam hoc impoſitum eſt ad ſignificandum unam Personam, quaſi circumlocutio unius nominis, propter defectum vocabulorum, quia linguæ noſtræ deficiunt à narratione Dei; & ſic proprie convenit Spiritui Sancto.* Et loco itidem citato 1. part. etiam ad 1. ait: *Si autem acipiatur hoc quod dico Spiritus Sanctus, in vi unius dictionis, ſic ex uſu Eccleſiæ eſt accommodatum ad ſignificandam unam trium personarum, ſcilicet, quæ procedit per modum Amoris ratione jam dicta* (in Corp. art.)

13 Denique notatu digna ſunt iterum illa verba: *Ut cùm eſſentialiter ipse ſit Spiritus, ſicut Pater & Filius, illi non putentur alicujus Spiritus; quia nec Pater ab ullo alio eſt, nec Filius à Patre quaſi ſpirante naſcitur; iſte autem æſtimetur Spiritus utriusque; quia ab utroque, ſuo quodam innenarrabili modo, ſpirante mirabiliter procedit.* Notanda, inquam, ſunt & perpendenda hæc verba: Quoniam ex illis manifeſta fit aliorum verborum ipſius S. Doct. intelligentia in lib. de proceſsione Spiritus Sancti cap. 1. in fine, illa ſcilicet, *Filius autem, ut interim aliam causam dicam, quoniam nondum constat quòd Spiritus Sanctus de illo ſit & procedat*, &c. Manifeſta fit horum Verborum intelligentia, conſiderando quòd Græci concedebant Spiritum Sanctum eſſe Spiritum Filij; unde neceſſariò intelligebant Spiritum Sanctum aliquam relationem præseferre originis in ordine ad Filium. Unde

prop-

propterea etiam nomine ipsorum ait ibidem S. Anselmus : *Nec Filius potest esse suus Spiritus, neque Spiritus Sanctus valet esse ille cujus Spiritus est.*

14 Notanda insuper sunt propterea quòd Auctor non dicit, quia ab utroque, suo quodam innenarrabili modo, spirantibus, sed *spirante* mirabilitèr procedit. Unde confirmatur illud quod diximus in cap. 38. de affirmandis in num. singulari & non in plurali de Deo verba quæ personas non significant, aut proprietates personales.

CAPUT LVIII.*

* Al. cap. 56.

Quòd sicut Filius est essentia vel sapientia Patris, eo sensu quia habet eamdem essentiam vel sapientiam, quam Pater : sic idem Spiritus sit Patris & Filii essentia & sapientia & similia.

POTEST quoque quemadmodum Filius est substantia, & sapientia, & virtus Patris, eo sensu, quia habet eamdem essentiam, & sapientiam & virtutem, quam Pater, ita utruisque Spiritus intelligi essentia vel sapientia vel virtus Patris, & Filii; quia habet omnino eamdem, quam habent illi.

COMMENTARIUS.

CAPIT. LVIII.

Potest quoque quemadmodum Filius, &c.

1 Caput hoc non eget explicatione, supposito quòd Amor sive Spiritus Sanctus una essentia, una substantia, una eademque natura cum Patre & Filio sit, ut probatum manet in antecedentibus capp. præsertim in 53. & 57. Unde Auctor ad doctrinam se refert quam in capp. 45. 46. & 47. de Filio jam edocti fuimus, ut eamdem sine ulla differentia Spiritui Sancto accommodemus & aplicemus. Eam igitur, lector, doctrinam recole ; & ibidem nostros Commentarios, si opus habueris, vel tibi placuerint, relege.

CAPUT LIX.*

* Al. cap. 57.

Quòd Pater & Filius & eorum Spiritus, pariter sint in se invicem.

IOCUNDUM est intueri in Patre, & Filio, & utriusque Spiritu, quomodo sint in se invicem tanta æqualitate, ut nullus alium excedat. Præter hoc enim, quia unusquisque eorum sic est perfecte summa essentia, ut tamen omnes tres simul non sint nisi essentia una summa, quæ nec sine se vel extra se nec major, vel minor seipsa esse potest : per singulos tamen idipsum non minus valet probari. Est etenim totus Pater in Filio, & communi Spiritu ; & Filius in Patre, & eodem Spiritu ; & idem Spiritus in Patre, & Filio : quia memoria summæ essentiæ tota est in ejus intelligentia & in Amore ; & intelligentia in memoria, & in Amore ; & amor in memoria, & in intelligentia. Totam quippe suam memoriam summus intelligit spiritus, & amat ; & totius in-

te-

telligentiæ meminit, & totam amat; & totius Amoris meminit, & totum intelligit. Intelligitur autem in memoria Pater, in intelligentia Filius; in Amore utriusque Spiritus. Tanta igitur Pater & Filius, & utriusque Spiritus æqualitate sese complectuntur, & sunt in se invicem; ut eorum nullus alium excedere aut sine eo esse probetur.

COMMENTARIUS.

CAPIT. LIX.

Jocundum est intueri in Patre, & Filio, & utriusque Spiritu, quomodo sint in se invicem tanta æqualitate, ut nullus alium excedat, &c.

1 Intentio Auctoris hic est probare, quam vocant Scholastici theologi *circuminessionem*, id est, quòd adinvicem unaquæque persona divina tota in qualibet alia, & tota in tribus simul sit, tanta cum æqualitate ut nequaquam totæ tres personæ duas vel unam excedant; neque duæ unam, neque una aliam ex tribus. Hoc duplici ratione probat.

2 Prima quæ ibi incipit *præter hoc enim*, ex trium communicatione personarum per summam identitatem aut simplicitatem in una deitate, in una essentia, substantia, atque natura, desumitur. Nam si unaquæque ex tribus persona, ut in cap. 57. ex omnibus antecedentibus collectum est, per se est summe perfecta, summe simplex divina essentia; & totæ tres personæ aut duæ simul, eadem summè simplex una essentia sunt, & non plures essentiæ: necesse est, ut cum hæc summa simplex essentia, æque perfecte in quavis persona ac in duabus simul vel in omnibus tribus sit, pariter cum hac essentia, & ratione hujus essentiæ, unaquæque ex tribus persona tota perfecte adinvicem in altera, & in duobus aut tribus sit, ita ut non minor sit in una, quàm in duabus, & in duabus non minor quàm in tribus. Una quippe, & eadem simpliciſsima essentia, neque in minimo potest esse sine se, vel extra se, nec major, nec minor seipsa quocumque modo esse potest.

3 Secunda ratio, quæ in illis verbis capit initium, *per singulos tamen idipsum non minus valet probari*, in ratione summæ, & infinitæ memoriæ, summæ, & infinitæ intelligentiæ, summi, & infiniti Amoris, vim suam repositam habet. In nobis enim experimur quód in memoria nostra est intelligentia nostra, & amor: quia meminimus nos habere intellectum, & intelligere, & quòd habeamus voluntatem, & quód amemus. Similiter intelligimus in nobis esse memoriam, & meminisse, & voluntatem esse, & Amorem. Pariterque amamus nostram memoriam, & volumus meminisse, & amamus intellectum, & intelligentiam nostram, & volumus intelligere. Hoc sensu etiam in intelligentia nostra memoria est, & amor, sicut in memoria amor, & intelligentia: & in amore nostro nostra est intelligentia, & memoria, sicut in intelligentia nostra amor, & memoria nostra sunt. Ergo multo melius cùm memoria divina sit infinite perfecta, & summe simplex, & pariter divina intelligentia, divinusque Amor infinitam perfectionem, & summam habeant simplicitatem, ita ut in Deo singula perfectio, juxta dicta præsertim in cap. 17. tota Dei perfectio sit, neque amplius sit perfectionis in omnibus divinis attributis, quàm in singulis, vel in uno eorum singulo; necesse omnino est ut adinvicem sint in memoria Dei tota ejus intelligentia, & totus Amor; & in intelligentia totus Amor, & tota memoria; & in Amore tota memoria, & tota intelligentia. Summa ergo æqualitas est inter divinam memoriam, intelligentiam, & Amorem.

4 Deinde. Summus Spiritus, sive Deus, ob summam perfectionem suam omni in genere aut ratione perfectionis, summe, & suimet totius meminit (legatur Commentarius in cap. 32. num. 49. 50. & 52.) totum se, & perfectissime intelligit, totumque, & perfectissime se amat. Ergo totus, & perfectissime ipse est in sua memoria, totus & perfectissime in intelligentia sua, totus & perfectissime in Amore sui. At juxta cap. 48. in memoria intelligitur Pater, & in intelligentia Filius; & juxta cap. 57. in amore intelligitur Spiritus Sanctus: vel aliter, per memoriam divinam designatur Pater, per intelligentiam, per sapientiam Filius, & per Amorem Spiritus

Sanc-

Sanctus. Ergo in Patre totus, & quidem perfectissime est Filius, & Spiritus Sanctus: in Filio totus, & pariter perfectissime suus Pater & suus Sanctus Spiritus; & in Spiritu Sancto totus & æque perfectissime Pater, totusque Filius. Conferatur Parens Aug. 9. de Trinit cap. 5. & 15. lib. de Trinit. cap 23. quibus locis hoc Anselmi caput respondet. Conferatur etiam Mag. Sentent. lib. 1. distinct. 3. & in distinct. 19. ubi ad probandum quod in hoc cap. Anselmus, utitur tum Authoritate S Joannis Damasceni lib. 3. fid Orthod. cap 6. & D. Fulgentii in lib. de Fid ad Petrum cap. 1. & D. Hilarii tum lib. 3. de Trinit. in principio tum in 7. prop. fin.

CAPUT LX.*

* Al. cap. 58.

Quòd nullus eorum alio indigeat ad memorandum, vel intelligendum vel amandum: quia singulus quisque est memoria & intelligentia & amor & quidquid necesse est inesse summæ essentiæ.

SED in his nullatenus negligenter memoriæ commendandum, quod intuenti mihi occurrit, existimo. Sic enim necesse est ut Pater intelligatur memoria, Filius intelligentia, Spiritus Amor; ut nec Pater indigeat Fllio, aut communi Spiritu, nec Filius Patre vel eodem Spiritu, sive idem Patie aut Filio: quasi Pater per se meminisse solùm possit, intelligere autem nonnisi per Filium, & amare nonnisi per suum Filiique Spiritum; & Filius per se intelligere tantúm queat, per Patrem autem memor sit & per Spiritum suum amet; & idem Spiritus per se non aliud quám amare valeat, sed Pater illi sit memor, & Filius illi intelligat. Nam cum in his tribus, unusquisque singulus sit summa essentia, & summa sapientia sit perfecta, ut ipsa per se memor sit & intelligat, & amet: necesse est ut nullus horum trium alio indigeat aut ad memorandum aut ad intelligendum, aut ad amandum. Singulus enim quisque essentialiter est & memoria, & intelligentia, & amor & quidquid summæ essentiæ necesse est inesse.

COMMENTARIUS.

CAPIT. LX.

Sed in his nullatenus negligenter memoriæ commendandum, quod intuenti mihi occurrit, existimo &c.

1 Doctrina huius cap. desumpta est ex P. Aug. tum 7. de Trinit. cap. 1. 2. ac 3. cùm etiam 15. de Trinit. cap. 7. ubi diffuse traditur. Ab Authore N. ad brevem summam contrahitur, & ex dictis in cap. antecedenti proxima probatione colligitur. Dictum ergo fuit in proximo cap. quód in memoria Pater intelligatur, in intelligentia Filius, & in Amore Spiritus Sanctus: unde sua sponte dubium in mentem subit an solus Pater per se duntaxat meminerit, intelligat vero per suum Filium, atque per Spiritum Sanctum amet: non autem per se amet, neque per se intelligat; & utrum vice versa, sive debita servata applicatione, idem in Filio, et in Spiritu Sancto contingat.

2 Resolutio Authoris est, negando quòd Pater Filio suo indigeat ad intelligendum, aut Spiritu Sancto ad amandum: et pariter hoc negando de Filio, et de Spiritu Sancto, debita facta applicatione. Nempe, ut dicunt PP. nominatim Hilarius et Aug. in libb. uterque de Trinit. et 4. Latenens. Concil Gen. cap. *Firmiter* De summa Trinit Pater æternus non sic dedit per generationem Filio essentiam suam, substantiam atque naturam, ut eamdem intemeratam et cum omnibus suis attributis perfectissimam

non retineret. Quod idem penitus consequens est ut de Patre, et Filio, essentiam eamdem per processionem Spiritui Sancto communicantibus, dicatur. Ratio est quam idem concilium in citato cap. tradit. *Dici non potest*, inquit, *quòd partem substantiæ suæ illi* (Pater Filio) *dederit, & partem ipse sibi retinuerit: cum substantia indivisibilis sit, utpote simplex omnino. Sed nec dici potest, quòd Pater in Filium transtulerit suam substantiam generando, quasi sic dederit eam Filio, Quòd non retinuerit ipsam sibi: alioquin desiisset esse substantia. Patet ergo quòd sine ulla diminitione Filius nascendo substantiam Patris accepit: & ita Pater & Filius eamdem habent substantiam: & sic eadem res est Pater & Filius, nec non & Spiritus Sanctus ab utroque procedens.*

3 Author N. antiquior præfato concilio eamdem rationem attulit in Proslog. cap. 23. inquiens. *Sic es* (alloquitur Deum) *tu simplex, ut de te non possit nasci aliud, quàm quod tu es. Et paulo* post: *Nec de summa simplicitate potest procedere aliud, quàm quod est hoc de quo procedit. Quod autem est singulus quisque, hoc Trinitas simul, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: quoniam singulus quisque non est aliud, quam summe simplex unitas, & summe una simplicitas; quæ nec multiplicari, nec aliud, & aliud esse potest.*

4 Hanc vero summam naturæ divinæ simplicitatem solidis rationibus probavit jam Author in capp. 15. 16. et 17. Consubstantialitatem trium psrsonarum probatam quoque reliquit à cap. 29. usque nunc. In omnibus ferme capp. à nobisque pluries hoc repetitum est, et ea capp. sæpe citata. Ex quibus omnibus ita probando colligit Anthor. Ergo cum summa essentia per seipsam absque indigentia alicujus memor suimet sit, seipsam intelligat, atque seipsam diligat; unaquæque etiam singula persona necesse est ut per seipsam, absque alterius indigentia, memor suimet sit, intelligat seipsam, amet que seipsam.

5 Deinde. Quælibet singula persona sicut est summa essentia, ita ratione summæ simplicitatis est summa sapientia, summa charitas, vel summus Amor. Summa autem sapientia, ut in cap. 32. probatum est, suimet nequit memor non esse, aut seipsam non agnoscere vel intelligere, aut sicut in cap. 49. æque probatum est, non seipsam diligere: Summa quoque charitas, vel summus et substantialis Amor non potest non seipsum per seipsum diligere. Igitur unaquæque singula divina persona non indiget alia ad seipsam memorandam, et omne aliud; neque ad seipsam et cetera omnia intelligenda; neque ad seipsam, et omnia amabilia amanda. Itaque quamvis una persona nec meminisse, nec intelligere, nec amare queat sine alia, id est, vel separata ab alia, vel non existente alia, vel non memorante, intelligente, et amante alia (nam sicut à summa essentia inseparabilis est summa, et actualissima memoria, summa et actualissima intelligentia, summus et perfectissimus Amor, ita ab unaquaque divina persona dividi nequeunt, neque ipsi ullo modo deesse) nihilominus unaquæque singula divina persona non indiget alia, nec meminit, nec intelligit, nec diligit per aliam, sed per suam simplicissimam essentiam, quæ summa memoria est, summa intelligentia, summa charitas, vel summus Amor. Nempe unaquæque singula persona, sicut est absolute, et simpliciter divina essentia, substantia, et natura, ita absolute et simpliciter per eamdem suam essentiam est sibi et summa memoria ad memorandum, et summa intelligentia ad intelligendum, et summus Amor ad amandum.

6 *Singulus enim quisque essentialiter est, & memoria & intelligentia & Amor &c.* Concludit Author distinctionem indicando à nostris Scholasticis traditam de intellectione et Amore notionalibus, et intellectione et Amore essentialibus. Et quamvis ipsi de memoria divina nec Verbum dicant (quod ego legerim) æque de memoria essentiali & memoria notionali distinguant necesse est. Nam jam in commentario sup. cap. 32. probavimus ex D. Aug. Deo proprie memoriam convenire, secundum quod de rebus præsentibus est, non vero secundum quod rememorativa, aut recordativa in nobis est. Itaque Anselmus asserit memoriam essentialem, sicut, & intelligentiam, & Amorem, tribus personis divinis sine discrepantia esse communia: memoriam vero notionaliter sumptam, id est fœcundam, & intelligentiam in eodem sensu non esse communem personis divinis: neque Amorem procedentem, quo sensu notionalis dicitur, communem esse. Memoria quippe & intelligentia ut fœcunda solùm in Patre est: & Amor procedens non est Pater neque Filius, sed solùm Spiritus Sanctus. Sed non propterea alia memoria & intelligentia est in Patre, alia in Filio, aut in Spiritu Sancto: sicut nec alius est Amor procedens, & alius Amor essentialis, sed idem Amor realiter est. Quemadmodum Deus gignens, & Deus genitus, & Deus procedens non est alius & alius Deus,

sed

sed unus & idem Deus. Cæterum hanc distinctionem quam in his verbis Author duntaxat leviter innuit, ex proposito & palam omnino in cap. Sequen. docet, & de illa tractat.

CAPUT LXI.*

*Al. cap. 59.

Quòd tamen non sint tres, sed unus, & Pater seu Filius, seu utriusque Spiritus.

QUAMDAM hìc video quæstionem occurrere. Nam si Pater ita est intelligentia & amor sicut est memoria; & Filius sic est memoria, & amor, quomodo est intelligentia; & utriusque Spiritus non minus est memoria & intelligentia, quàm amor: quomodo non est Pater, Filius & alicujus Spiritus; & quare non est Filius, Pater & alicujus Spiritus; & cur non est idem Spiritus, alicujus Pater, & alicujus Filius? Sic quippe intelligeb atur quod memoria esset Pater, Filius intelligentia, utriusque Spiritus amor. Verum hæc quæstio non difficile solvitur, si ea quæ jam ratione inventa sunt, considerentur. Idcirco enim non est Pater, Filius, aut alicujus Spiritus, licet sit intelligentia & amor: quia non est intelligentia, aut amor ab aliquo procedens; sed quicquid est, gignens est tantum, & á quo procedit alius. Filius quoque ideo non est Pater, aut alicujus Spiritus, quamvis seipso & memor sit & amet: quia non est memoria gignens, aut amor ab alio, ad similitudinem sui Spiritus, procedens; sed quicquid existit, tantùm gignitur, & est à quo Spiritus procedit. Spiritum quoque non cogit esse Patrem aut Filium, hoc, quia contentus est memoria aut intelligentia sua; cùm non sit memoria gignens, aut intelligentia genita; sed solùm, quicquid est, procedat. Quid igitur prohibet concludi quia unus tantùm est in summa essentia Pater, unus Filius, unus Spiritus; & non tres Patres, aut Filii, aut Spiritus.

COMMENTARIUS.

CAPIT. LXI.

Quamdam hìc video quæstionem occurrere, &c.

1 Occasione cap. 60. quæstionem Author exagitat, quæ & sua sponte illicò venit in mentem. Satis dilucidè ambigendi ratio, vel quærendi, ab ipso Authore proposita est. Nihilominus eam in hujusmodi formam, summamque reduco. Juxta dicta, in memoria intelligitur Pater, in sapientia Filius, & in Amore Spiritus Sanctus. Juxta dicta insuper sive Pater, sive Filius, seu Sanctus Spiritus, singulus quisque est memoria, sapientia seu intelligentia, est quoque Amor; cum per se unaquæque persona sine indigentia alterius, memor sit suimet, & rerum omnium, seipsam, & omnia intelligat, seipsam, & cuncta diligat. Ergo videtur quód unaquæque persona. Simul sit Pater, & Filius, et Spiritus Sanctus. Nam si memoria est Pater, vel Pater est memoria, Filius intelligentia, & Spiritus Sanctus est Amor: qui ergo simul est memoria, intelligentia, & Amor, simul esse videtur *Pater Filius*, et Spiritus Sanctus.

2 *Verum hæc quæstio non difficile solvitur, si ea quæ jam ratione inventa sunt, considerentur &c.* Quæ nimirum cum in capp. 44. & 45. tum etiam in 48. et 50 cum seqq. reperta, duce ratione, sunt. Hæc, quæ in hoc cap. et expressius efferuntur, et in unum colliguntur, ad distinctionem, quam ab Scholasticis in pri-

xi-

ximo cap. mutuavimus, quantum ad ſensum, licet non ſecundum verba, pertrhauntur. Itaque ſic eſt diſtinguendum ſecundum mentem Authoris. In memoria intelligitur Pater, in ſapientia, vel intelligentia Filius, in Amore Spiritus Sanctus, notionaliter ſumptis, concedendum eſt: acceptis eſſentialiter, ſic ut magis una quàm altera persona intelligatur, negandum eſt. Et diſtinguenda eſt media, vel secunda propoſitio: unaquæque perſona, Pater aut Filius aut Spiritus Sanctus eſt ſimul memoria, intelligentia ſive sapientia, et Amor, ſi hæc eſſentialiter accipiantur, annuendum est: Si notionaliter, eſt renuendum. Quid ſibi velit hæc diſtinctio, dictum eſt in cap. anteriori, explicat in præsenti Author, et brevi nos iterum promimus. Memoria, intellectus, ſive intellectio, aut sapientia, charitas, aut amor nationaliter sunt et intelliguntur quatenus connotant (liceat nobis uti verbis Scholaſticis) aliquam originis relationem, vel secundum quod relationem originis, ſi non ſignificant, conſignificant: eſſentialiter vero, in quantum accipiuntur absolute, et neque ſignificant, neque conſignificant aliquam originis relationem: quo sensu neceſſe penitus eſt ut tribus divinis personis congruant, et in eis totæ tres personæ secum ipſis ſine ulla quantumvis minima discrepantia communicent. Unde in hoc eſſentiali sensu quælibet divina persona, ſive Pater ſive Filius ſive Spiritus Sanctus eſt ſimul memoria intelligentia, sapientia, charitas et Amor. In sensu vero notionali, et præseferente originis relationem, solus Pater eſt memoria et intelligentia, vel sapientia gignens, ſive qua gignit: solus Filius eſt sapientia vel intelligentia, aut notitia genita, id eſt, ratione cujus à Patre acceptæ dicitur genitus: Solus Spiritus Sanctus eſt et dicitur Amor et charitas à Patre et Filio procedens. Denique conferendi sunt nostri commentarii ſup. capp. 44. et 48., ut expoſitio horum verborum nostri Doctoris melius capiatur, *memoria gignens*, *sapientia genita*: et addatur, quod etiam D. Hilarius lib. 1. de Trinit. num. 35. (in editione nostri Coutantii) hoc modo loquatur *Cum ante omnia sit nata sapientia &c.*

3 Sub hac ergo fata diſtinctione respondet Anselmus negando quód sequatur, Patrem ſimul eſſe Filium et Spiritum Sanctum; aut Filium eſſe Spiritum Sanctum, et Patrem; aut Spiritum Sanctum ſimul eſſe Patrem et Filium. Quippe Pater non deſignatur per memoriam ut communem, et eſſentialem, sed per memoriam ut fæcundam et ſimul adjuncta relatione activæ generationis, vel quatenus est memoria qua aut ex qua gignitur Filius: quo in sensu non est memoria Filius neque Spiritus Sanctus. Neque Filius per intelligentiam, sapientiam, aut notitiam eſſentialem, et communem deſignatur; sed per eam quatenus ſimul præsefert relationem verbi et generationis passivæ, aut filiationis, id est, in quantum est accepta à Filio in vi generationis ex memoria et intellectu Patris. Denique Spiritus Sanctus non ſignificatur, aut intelligitur per charitatem, vel Amorem eſſentialem, et communem; ſed pro procedentem Amorem vel charitatem. Intelligentia autem, sapientia, notitia quatenus in ſensu dicto per illam proprié Filius innotescit, non est communis Patri aut Spiritui Sancto. Amor, vel charitas a Patre, et Filio procedens, non est communis Patri aut Filio, ita ut Pater ſit charitas procedens, aut Filius Amor procedens, aut charitas. Non ergo sub hoc ſensu relativo, et notionali unaquæque persona ſimul est memoria intelligentia vel sapientia, vel notitia, et Amor vel charitas. Ergo Pater non est Filius neque Spiritus Sanctus, sed tantum Pater: neque Filius est Pater aut Spiritus Sanctus, sed duntaxat Filius: Spiritus Sanctus non est Pater neque Filius sed solum Spiritus Sanctus. Unus ergo Pater, non tres Patres: unus Filius, non tres Filij: unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti.

CAPUT LXII.*

Quomodo ex his tribus plures ſilii nasci videantur.

* Al. cap. 60.

SED ne forte repugnet huic aſſertioni quod intueor: nam dubium eſſe non debet, quia Pater & Filius & eorum Spiritus, unusquisque ſeipsum & alios ambos dicit; ſicut ſe & alios intelligit. Quod ſi ita eſt: quomodo non ſunt in ſumma eſſentia tot Verba, quot ſunt dicentes, & quot ſunt, qui dicuntur? Si enim plures homines unum aliquid

co-

cogitatione dicant, tot ejus videntur esse verba, quot sunt cogitantes, quia in singulorum cogitationibus verbum ejus est. Item, si unus homo cogitat aliqua plura; tot verba sunt in mente cogitantis, quot sunt res cogitatæ. Sed in hominis cogitatione, cum cogitat aliquid, quod extra ejus mentem est, non nascitur verbum cogitatæ rei ex ipsa re: quia ipsa absens est à cogitationis intuitu; sed ex rei aliqua similitudine vel imagine, quæ est in cogitantis memoria, aut forte quæ tunc, cum cogitat, per corporeum sensum ex re præsenti in mentem attrahitur. In summa vero essentia sic sibi semper sunt præsentes Pater, & Filius, & eorum Spiritus (est enim, sicut jam perspectum est, unusquisque non minus in aliis, quàm in seipso) ut cùm invicem se dicunt, sic videatur idem ipse, qui dicitur, gignere verbum suum, quemadmodum cùm à seipso dicitur. Quomodo ergo nihil gignit Filius, aut ejus Patrisque Spiritus; si unusquisque eorum verbum gignit suum, cùm á seipso dicitur vel ab alio? Quot autem verba probari possunt de summa nasci substantia, tot eam necesse est, secundum superiorem considerationem, filios gignere, & tot emittere spiritus.

COMMENTARIUS.

CAPIT. LXII.

Sed ne forte repugnet huic assertioni quod intueor &c.

1 Difficultate depulsa, qua videbatur, quamlibet ex divinis personis Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum simul esse, atque adeo vel personas confundi, vel tres esse Patres, tres esse Filios, & tres Spiritus Sanctos: Author aliam percipit, & quidem difficiliorem, excutiendam esse objectionem. Itaque totum hoc cap. in objiciendo duntaxat, nihil decidendo, sed decisionem ad sequens cap. differendo, absolvitur.

2 *Nam dubium esse non debet &c.* Incipit hic proponere dubia: & format vel jacit antecedens ex capp. 29. & 32 desumptum. Nam in 29. Author hæc tradit de summæ essentiæ vel Dei Patris locutione: *denique hæc ipsa locutio nihil aliud potest intelligi, quam ejusdem spiritus intelligentia, qua cuncta intelligit. Quid enim est aliud illi rem loqui, hoc loquendi modo, quàm intelligere?* In cap. 30. dicit hanc locutionem esse Verbum. Deinde in 32. ait: *Si nullum in illo* (summo Spiritu, vel Deo) *Verbum esset, nihil apud se diceret: si nihil apud se diceret; cum idem sit illi sic dicere aliquid quod est intelligere; non aliquid intelligeret.*

3 Ex his arguit. Non est dubium, juxta dicta in proximis capp. quin tam Pater quàm Filius, & Spiritus Sanctus, & seipsum, & advincem intelligant. At juxta verba mox transcripta nequeunt seipsos, & alter alterum adinvicem intelligere nisi tam seipsos, quám alter adinvicem alterum dicat. Ergo sicut sunt plures qui intelligunt, & dicunt, & plures qui dicuntur, & intelliguntur, ita videtur quòd etiam sint plura in Deo verba. Probat conseq. 1. ibi: *Si enim plures homines unum aliquid cogitatione dicant &c.* quæ probatio per se satis intelligibilis est.

4 *Item si unus homo cogitat aliqua plura &c.* Probat Author 2. eamdem conseq. Quæ probatio etiam cujusque captui in philosophia de animæ natura jam instructi, dilucida est. Solùm est monendus, ut de pluribus in genere, vel in specie differentibus cogitatis hoc intelligere debeat: nam plurium, quæ sunt in genere unum aut in specie, unum est etiam verbum in cogitatione. Vel si probatio intelligatur, sicut potest, non de individuis prout unum in genere, aut specie sunt, sed juxta propriam cujusque speciem, & intituivam cognitionem: tunc absdubio tot sunt in animo verba, quot individua cognita sunt.

5 *Sed in hominis cogitatione, cum cogitat aliquid, quod extra ejus mentem est &c.* Ad meliorem horum intelligentiam verborum non innutile, ni fallor, erit legere capp. 33. & 36. cum nostris Commentariis. Adjungendusque D. Aug. 11. de Trinitate capp. 3. & 7. Sed ad finem Authoris quod attinet, id est, ut probato per ob-

jectiones ſupra poſitas quód omnes tres divinæ perſonæ Verbum aliquod intelligendo producant, probet nunc etiam per modum objectionis, non ſolum verba, ſed et tot filios producere quot verba; proindeque falsum videri quod in capp. 56. & 61. dictum eſt, unum ſcilicet duntaxat eſſe Filium.

6 Probatio itaque hujus naturæ eſt. Quamvis in hominibus verbum quod cogitando intra se mente dicunt, filius eorum non ſit; ideo ſic accidit quia verbum in eis non ex ſeipſis, ſeu ex eorum ſubſtantia tamquam ab ſpecie nascitur; neque filius eſt rei externæ cogitatæ, quia neque ex ipsa re cogitata nascitur verbum, ejusve expreſſa ſimilitudo, sed ex aliqua oritur ſpecie, aut ſimilitudine accidentali per sensus atracta & in memoriam introducta, ibique impreſſa. At in ſumma divina eſſentia, non per aliquam accidentalem ſpeciem, vel ſimilitudinem, sed per ſuam propriam subſtantiam eſt unaquæque persona, cúm intelligit ſe, ſibi metipſi præsens; neque aliter cuique divinæ personæ præsentes ſunt aliæ duæ, á se intellectæ, quàm ipsamet eſt præſens ſibi metipſi: tum quia totæ tres personæ una & eadem ſimpliciſsima eſſentia ſunt: tum etiam quia, ut dictum eſt in cap. 59. unaquæque divina persona tota perfecte in altera, vel in aliis duobus eſt. Ergo videtur quod non unicum duntaxat Verbum, neque unicus duntaxat Filius, sed multa verba, multique Filii in Deo ſint, tot ſcilicet quot ſunt personæ, cúm unaquæque videatur suum Verbum dicere, ſuumque Filium generare.

7 Amplius. In cap. 33. probatum fuit ſummum ſpiritum, videlicet, Deum Patrem, Verbum æternum & ſibi consubſtantiale producere dicendo seipsum, quia non ex aliena ſpecie aut ſimilitudine, sed ex propria subſtantia tamquam ſpecie quaſi impreſſa (ut modo noſtro loquamur) ſui ipſius, dicit Verbum sui ipſius. Et in capp. 39. 40. & 42. aſſertum eſt, hoc Verbum vere genitum eſſe, & veriſsimum eſſe Filium. Si ergo omnes tres divinæ personæ, ut ſe intelligant, non utuntur aliena ſpecie, aut ſimilitudine, sed ſua propria subſtantia tamquam ſpecie sui ipſius; cur non producent tot verba ſibi conſubſtantialia quot personæ sunt, & consequenter tot filios?

8 *Et tot emittere Spiritus.* Hæc verba addita videntur ad textum. Nam in fronte hujus cap. non proponitur quæſtio niſi de Filio: nec in proceſſu aliqua objectio traditur, quæ ad Spiritum Sanctum ſpectet: nec in seq. cap. in quo ad objectiones hic exhibitas reſpondetur, aliqua relate ad Spiritum Sanctum dirigitur, aut acommodatur reſponſio. Verumtamen cúm Gerberonius nihil ad marginem annotaverit, pro certo habere debemus hæc verba additamentum non eſſe, sed partem legitimam textûs. Neque eſt difficile invenire rationem cur in ſummario capituli hujus nulla fiat de Spiritu mentio, neque aliquid ſignanter, & explicite, vel objiciatur, vel respondeatur circa eumdem S. Spiritum. Nempe quia suppoſita ſecundum objectiones multiplicatione verborum, & filiorum in summa eſſentia, non erat difficile alias accommodare objectiones, præ occulis habita doctrina capp. antecedent. præsertim 49. & 50. Probatum eſt quippe in 40. otiosam eſſe memoriam, & intelligentiam cujuslibet rei, niſi, prout ratio exigit, res ipsa ametur aut reprobetur: quapropter consequens judicatum fuit summum Spiritum vel Deum, ſicut ſui meminiſſe, & se intelligere, ita quoque & amare se. In 50. autem pariter probatum fuit neceſſe eſſe ut Amor à Patre, & Filio procedat, ex eo quód ex memoria & intelligentia, vel Verbo nato de memoria, naturale ſit reciprocam procedere dilectionem. Unde cùm in capp. seqq. dictum ſit Spiritum Sanctum eſſe unam, & eamdem eſſentiam, intelligentiam, sapientiam &c. cum Patre, & Filio, hinc consequens etiam fuit ut Spiritus Sanctus & ſui & Patris & Filii meminerit, & ſeipsum, & Patrem, & Filium intelligat, & seipsum & Patrem & Filium diligat. Itaque ſi nascerentur tria verba, atque tres filii in summa eſſentia; propter easdem rationes præfatorum capp. 49. & 50. tot amores reciprocè de tribus personis quæ revera in Deo ſunt & illis tribus verbis, & natis filijs, ſi eſſent, procederent, aut ſicut loquitur Author, tot Spiritus emitterentur.

9 Denique. Spiritus Sanctus, & amat Patrem, & Filium, & diligitur à Patre & Filio, non minus quam Pater Filium, & Filius Patrem diligit. Si ergo quia Pater diligit Filium, & Filius diligit Patrem, procedit ab ambobus ſimul, & ſimiliter Amor qui dicitur & eſt Spiritus Sanctus; facile eſt hinc objiciendo arguere quód etiam quia Pater, & Filius diligunt Spiritum Sanctum, & Spiritus Sanctus diligit Patrem & Filium, procedere quoque debeat alius Spiritus Sanctus de Patre, & Spiritu Sancto, & alius de Spiritu Sancto & Filio.

10 Nunc dicere reſtat me, poſtquam ſupra dictas objectiones circa multiplicationem verborum, & filiorum, vel expoſueram, vel cum diſtinctione quaſi digito le-

leviter aliquas ex ipsis indicaveram, animadvertisse, non satis à me tunc secundam, & tertiam intellectas, aut introspectas fuisse. Secunda enim in illis verbis contenta *si enim plures homines &c.* hanc in semetipsa vim habet. Nec valet dicere in Deo plura verba esse non posse, quamvis tres sint qui intelligant, scilicet Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, quoniam unum & idem est quod tres simul intelligunt, scilicet unam, & eamdem essentiam divinam, quæ sine differentia tribus communis est. Hæc, inquam, responsio, quasi dicat Author, non valet, aut insufficiens esse videtur, quandoquidem si plures homines unum & idem, etiam uno eodemque momento, cogitatione dicant; tot nihilominus intra ipsos homines nascuntur verba, quot sunt cogitantes homines: quippe unusquisque ipsorum proprium intra se cogitando de illa eadem re exprimit, producitque verbum. Ergo quód Pater, & Filius & Spiritus Sanctus unum & idem simul intelligant, nihil impedire videtur, quo minus unusquisque & singulus suum proprium intelligendo dicat & producat verbum.

11 Secunda vero replica, quæ in illis comprehenditur verbis. *Item, si unus homo cogitat aliqua plura; tot verba sunt in mente cogitantis, quot sunt res cogitatæ*, hanc vim in se continet. Item, non videtur omnino verum, quod Pater, & Filius & Spiritus Sanctus unum & idem intelligant, sub hoc scilicet sensu ut non plura intelligant; cum dictum sit non solum intelligere suam naturam, & essentiam sed etiam seipsos adinvicem, in quantum scilicet inter se realiter distinguntur. At in quantum inter se realiter distinguntur non unum duntaxat intelligibile, sed plura intelligibilia esse videntur; quandoquidem unusquisque intelligibilis est, si unusquisque intelligitur, & ipsi non unus sed tres realiter sunt, Pater scilicet Filius & Spiritus Sanctus. Ergo etiam ex hac parte tot esse videntur verba, quot sunt intelligibilia. Sunt autem tres intelligibiles. Tria ergo videntur necessaria verba. Nam si unus homo plura cogitando intelligat; quamvis unus sit qui intelligit, tot verba tamen sunt in mente ipsius hominis cogitantis, quot cogitata sunt. Ergo fortiori videtur ratione sequi, quód si plures sunt intelligentes, & plura intellecta, plura dicantur, & producantur verba. Pater, & Filius & Spiritus Sanctus & plures sunt, qui intelligunt, & plures sunt intellecti. Igitur fortiori ratione consequi videtur tot esse verba, quot sunt personæ intellectæ, & intelligentes.

12 Hujus difficultatis à N. Authore propositæ meminit Alexander de Hales & eam, expresso nomine Anselmi tamquam Authore, unde illam desumit, apud Dionisium Chartus. in 1. lib. Sentent. distinct. 27. quæst. 3. sibi objicit. Non tamen ipsa transcribit Anselmi verba, sed ita ait: *Anselmus in Monologio dicit, unaquæque persona in divinis seipsam & alias dicit; ergo Pater dicit se, & Filius dicit se & Spiritus Sanctus dicit se. Dicere autem, est Verbum proferre. Ergo quælibet persona divina profert intra se verbum.* Quæ verba, ut patet, non leguntur in Anselmo. Legitur tamen unde Halensis talem objectionem sibi nomine Anselmi objicere potuit. Quid ad illam ipse Alexander respondeat, in cap. seq. opportunius videbitur.

CAPUT LXIII. *

* Al. pars cap. 60.

Quomodo non sit ibi nisi unus unius; hoc est unum Verbum & ex solo Patre.

HAC itaque ratione videntur in illa esse non solùm multi Patres, & Filii & procedentes; sed & aliæ necessitudines: aut certe Pater & Filius & eorum Spiritus, de quibus jam certissimum est quia vere existunt, non sunt tres dicentes; quamvis singulus quisque sit dicens: nec sunt plura, quæ dicuntur, cùm unusquisque seipsum & alios duos dicit. Sicut enim summæ sapientiæ inest scire & intelligere; ita utique æternæ incommutabilisque scientiæ & intelligentiæ naturale est, id semper præsens intueri, quod scit & intelligit. Nihil autem aliud est summo spiritui hujusmodi dicere, quàm quasi cogitando intueri; sicut nostræ mentis locutio nihil aliud est, quam cogitantis inspectio. Certissimum autem jam con-

conſideratæ rationes reddiderunt, quidquid summæ naturæ ineſt eſſentialiter, id perfecte convenire Patri, & Filio, & eorum Spiritui, ſingulatim; & tamen idipsum, ſi ſimul dicatur de tribus, non admittere pluralitatem. Cùm ergo conſtet, quia ſicut pertinet ad ejus eſſentiam scientia & intelligentia; ſic ejus scire, & intelligere non eſt aliud quàm dicere, id eſt, ſemper præsens intueri quod ſcit, & intelligit: neceſſe eſt ut quemadmodum ſingulus Pater & ſingulus Filius & ſingulus eorum Spiritus, est sciens & intelligens; & tamen hi tres ſimul non ſunt plures scientes, aut intelligentes; sed unus sciens & unus intelligens: ita ſingulus quisque ſit dicens; nec tamen ſint tres dicentes ſimul, sed unus dicens. Hinc illud quoque liquidò cognosci poteſt, quia cùm hi tres dicuntur, vel à seipſis vel ab invicem, non sunt plura quæ dicuntur. Quid namque ibi dicitur, niſi eorum eſſentia? Si ergo illa una sola eſt; unum ſolum eſt, quod dicitur: ergo ſi unum solum eſt in in illis, quod dicit; & unum quod dicitur (una quippe sapientia eſt, quæ in illis dicit, & una ſubſtantia quæ dicitur) consequitur non ibi eſſe plura verba, sed unum. Licet igitur unusquisque seipsum, & omnes invicem ſe dicant; impoſsibile tamen eſt in ſumma eſſentia eſſe verbum aliud præter illud, de quo jam conſtat quòd ſic nascitur ex eo cujus eſt Verbum, ut & vera ejus dici poſsit Imago & vere Filius ejus ſit. In quo mirum quiddam, & inexplicabile video. Ecce enim, cùm manifeſtum ſit unumquemque scilicet, Patrem & Filium, & Patris Filiique Spiritum, pariter se & ambos alios dicere, & unum solum ibi eſſe Verbum; nullatenus ipsum Verbum videtur poſſe dici Verbum omnium trium, sed tantum unius eorum. Conſtat enim ipsum eſſe Imaginem, & Filium eſſe cujus eſt Verbum: et patet, quia nec imago, nec filius suimet aut à se procedentis Spiritus congrue dici poteſt. Nam nec ex seipso, nec ex procedente à se, nascitur: nec ſeipsum, aut procedentem á se, exiſtendo imitatur. Seipsum quippe non imitatur, nec à se trahit exiſtendi ſimilitudinem; quia imitatio, & ſimilitudo non eſt in uno solo, sed in pluribus: illum vero non imitatur, nec ad ejus ſimilitudinem exiſtit; quia iſte non habet ab illo eſſe, ſed ille ab iſto. * Reſtat igitur hoc solum Verbum illius solius eſſe, de quo nascendo habet eſſe, & ad cujus omnimodam ſimilitudinem exiſtit. Unus ergo Pater, non plures patres; unus Filius, non plures Filii; unus procedens Spiritus, non plures procedentes ſpiritus, sunt in summa eſſentia. Qui cùm ita tres ſint, ut nunquam Pater ſit Filius, aut procedens Spiritus, nec Filius aliquando ſit Pater, aut Filius; & ſingulus quisque ſic ſit perfectus, ut nullo indigeat; id tamen quod ſunt, ſic eſt unum; ut ſicut de ſingulis pluraliter dici non poteſt, ita nec de tribus ſimul. Et cùm pariter unusquisque seipsum & omnes invicem ſe dicant; non tamen sunt ibi plura verba, sed unum: & ipſum non ſingulorum, aut omnium ſimul; sed unius tantum.

* Al. cap. 61.

COMMENTARIUS.

CAPIT. LXIII.

Hac itaque ratione videntur, &c.

1 Loquitur Author de ratione in cap. anteced. objecta: & per illam probari videri ait, non solum multos eſſe PP. multos filios, multosque Spiritus procedentes, sed & alias consequi neceſsitúdines. Id eſt, quód ſint in ſumma divina eſſentia non modó tres, sed etiam infiniti PP. infiniti Filii, infinita verba: cùm ratio ſi efficax

se-

semel fuerit, ut probet plusquam unum Patrem, plusquam unum Filium, plusquam unum Spiritum Sanctum, eamdem vim habeat neceſſe eſt ad probandum infinitos ſive innumeros, & alias plurimas absurditates.

2 *Aut certe Pater, & Filius & eorum Spiritus, &c.* Hic respondere jam incohat Author: & per hæc verba ſtatim negat quód Pater & Filius ac ipsorum Spiritus ſint tres dicentes, quamvis ſingulus ſit dicens; & quód plura ſint quæ ab eis dicuntur, tametſi unusquisque seipsum & alios dicat. Hæc erat objectionis propoſitio fundamentalis: unde hac denegata, corruit totum quo fidebat argumentum. Nam quamvis tres ſint Pater & Filius, & Spiritus Sanctus, & qui intelligunt, & á seipſis intelliguntur: una & eadem tamen eſt, ut poſtea magis explicabimus, & virtus intelligendi, & intelligibilitas in omnibus tribus.

3 *Sicut enim summæ sapientiæ inest scire & iutelligere, &c.* Reddit rationem Author, cur Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus non ſint tres dicentes, neque ſint plura, quæ dicuntur ab eis, dum ſingulus quisque seipsum, & alter alterum intelligit, atque dicit. Nempe quòd ſic eſt commune tribus personis præsens intueri ſemper quod ſciunt, & intelligunt, ſicut ipſis eſt naturale indifferenter habere scientiam & intelligentiam Ut bene percipiantur hæc, opus eſt ut quæ in cap. 29. ex D. Aug. diximus, recolantur; Neque Commentarii negligantur sup. capp. 32. & 33. Ibi enim diximus, quia D. Aug. cujus discipulum se confitetur Anselmus, accipit frequenter ſcientiam & scire non pro ipso intellectus actu & exercitio, quo ſimul ſibi, vel quaſi ante ſe objectum præsentando, illud respicit; & respiciendo illud, intime ſibi unit; atque uniendo, illud ſibi præsens actuale objectum facit: sed scientiam, ac scire sumit pro ea quam nos vocamus ſpeciem impreſſam, ex cujus impreſsione intellectus aliam speciem omnino ſimilem, quamque dicimus mentis verbum, quaſi parit vel generat; in qua ac per quam id, quod tantum erat memoriæ præsens, fit etiam actu præsens intellectui, ut actu ad illud attentio dirigatur, & illud tunc intellectus tamquam in quodam speculo contempletur. Unde Verbum divinum appellatur in scriptura *speculum ſine macula.*

4 Itaque intelligere actu & pro ipso exercitio intelligendi acceptum, eſt, ipsum intellectum, vel potentiam intellectivam quaſi propria actione reddere aut conſtituere ſibi, & quaſi ante visum suum, id præsens, quod eſt in memoria quaſi impressum, vel per ſpeciem diſtinctam, vel per seipsum, modo proprio & congruenti memoriæ: memoria enim habet etiam proprium exercitium, quo & ſpecies in se suscipit, retinet ac recolit: ſine quo exercicio intellectus nihil eſt, seu nihil intelligere valet. Ergo ſensus in prædicta propoſitione eſt quòd summæ sapientiæ eſt naturale & eſſentiale ſemper quaſi facere ſibi præsens præsentia reali objecti id quod intelligit, aut scit, id eſt, quod actu, ut memoria, præsens habet: atque adeo & eſſentiale eſt ipſi summæ ſapientiæ semper modo dicto præsens intueri & contemplari illud idem, cujus ſemper summa memoria meminit.

5 *Nihil autem aliud est summo ſpiritui hujusmodi dicere, quàm quaſi cogitando intueri; ſicut nostræ mentis locutio nihil aliud est, quam cogitantis inſpectio.* Ponit Author secundam seu quam minorem vocamus propoſitionem. Diſtinguit hic manifeſte duos dicendi modos intra mentem: non enim absolute afſerit: Nihil aliud eſt ſummo spiritui dicere; sed *hujusmodi dicere.* Indicat igitur, quod eſt summo spiritui, ſive Deo *dicere* alterius modi. Et ita eſt. Nam *dicere* duo habet: & habet primo & ſimpliciter dicere aliquid, illud intra se proferendo, promendo, producendo, formando, vel quaſi formando in ſimilitudinem, in imaginem, in Verbum: & habet etiam illud Verbum, vel formatum, vel quaſi formatum ac reipsa productum, retinere præsens: atque adeo in hoc sensu quaſi iterum illud dicit, vel repetit. Exempli gratia: memoria & habet primó ac ſimpliciter accipere quaſi elaborando ſimul, aut efformando species, ſimilitudines, minús ſeu non ultima, (ut ita loquamur) manu perfectas rerum; & habet, non alias sed easdem retinere, ne dilabantur, atque iterum & iterum easdem recolere, refricare, & ut ita dicam, renovare. In primo sensu, memoria format ſpecies, eisque dat eſſe ſimilitudinum; tametſi non in ultima perfectione; quod ad intellectum pertinet. In secundo vero sensu, non eas format, ſed formatas conservat: non ipſis tribuit aliquod novum eſſe, sed in eodem eſſe ſimilitudinum illas retinet. Unde aliquibus eſt optima in primo sensu memoria, non vero in secundo, quia deeſt illis tenacitas, seu debilis eſt ipsorum reminiscentia. Eadem quippe quæ in prima conſideratione memoria dicitur; in secunda, appellatur reminiscentiá. Sic & dictio noſtri intellectus primò eſt quidam partus, parturitiove, aut quædam verbi generatio: secundó autem eſt solùm re-

repetitio; quando nimirum diù attendit actu ad idem aliquid, illudque diù præsens contemplatur. Unde vis distinctionis in eo tunc est, quòd instat, ac nititur præsens tenere quod apprehensum, vel inventum jam est. Itaque sicut reminisci, vel species recolere, non desinit esse vere ac proprie meminisse; & sicut conservatio rerum per Deum qui eas primo creavit, non cessat esse vera & propria Dei actio, ac productio rerum, licèt non absolutè, simpliciter, sed repetita: ita dictio intellectus quatenus durat in attentione ad productum verbum, & in præsentando, ac sibi illud ad videndum devinciendo, retinet proprie mentalis dictionis nomen sive vocabulum. Et hoc saltem necesse omnino est habeat quæcumque vera rei alicujus intellectio. Unde et summa divina essentia, scilicet Deus, quodcumque intelligit, & quocumque modo, habet hoc, tametsi excellentissime, tametsi infinita cum perfectione. Quare quodcumque intelligit, dicit secundum prædictum modum: non vero quidquid intelligit, & dicit quocumque modo; gignendo intelligit, & dicit. Dicit enim Deus creaturas, formando, aut quasi formando rerum creaturum ideas; & tamen creaturas sic dicendo, illas non gignit. Nempe dicere generando ad solum Patrem pertinet, non ad Filium, neque ad Spiritum Sanctum.

6 Hanc doctrinam quantum ad sensum, hancque Anselmi interpretationem traddit B. Albertus Mag. tom. 17. part. 1. Summæ Theologiæ. Tract 7. quæst. 30. memb. 2. *Dicendum*, inquit, *quòd proculdubio generare propriè loquendo in divinis, nec sic intelligere, nec sic dicere est: tamen cum tali intelligere, & cum tali dicere, & est prius secundum naturam & secundum rationem intelligentiæ, sicut propriam est prius apropriato.*

7 „ Et in responsione ad objecta: Ad dictum Aug. inquit, & Anselmi est „ una solutio, scilicet quòd dicere se per intellectum, dicitur duobus modis, communiter scilicet & proprie. Communiter dicere per intellectum est manifestare in lumine „ intellectus. Et sic Pater dicit se, Filius dicit se & Spiritus Sanctus dicit se, in lumine intellectus se manifestans. Et sic Spiritus Sanctus dicit Patrem, & Filium, & „ dicitur ab eis, & Filius dicit Patrem, & é converso; quia sic dicere est essentiale: „ & sic dicere non ponit aliquam proprietatem in dicente, vel dicto. Proprie autem „ dicere per intellectum est ex se formatum, & distinctum ab intellectu dicente proferre, sive producere Verbum, quod sui similitudo sit secundum speciem, & imago „ perfecta secundum substantiam & omnia substantialia. Et sic dicens, principium est „ Verbi dicti & Verbum dictum principiatum á dicente: & est inter ea oppositio relationis. Unde hoc modo solus Pater dicit Filium, & nulla persona dicit seipsam, & „ nulla dicit aliam: quia sic dicere est notionale, & non essentiale, & soli convenit „ Patri. Et soli Filio convenit esse Verbum: quia sic eádem relatione est Verbum, & „ Filius; & eádem relatione dicens & Pater. Sic enim dicere est generare. Et iste est „ intellectus Anselmi & Aug.

8 Hucusque Magn. Albertus: qui licet ritè quantum ad hoc interpretetur Anselmum, memoriâ tamen lapsus fuit, aut in codice mendoso legebat, quód scilicet Anselmus in hoc cap. Deo attribuerit cogitationem absque ullo apposito temperamento. Cavendum, inquit Albertus in eadem part. Sum. tract. 8. quæst. 35. memb. 3. art. 2. *Cavendum est cùm dicitur quód Deus cogitando se, dicit se, & dicit Verbum: quod est verbum Anselmi, & Greg. Nazianzeni.* Ad Nazianzenum quod attinet, aliis sit curæ. De N. Anselmo quod ad me expectat, dico nequaquam Deo attribuisse absolute cogitare, aut cogitationem. Non sine causa dicit: *Quasi cogitando intueri.* Quippe qui non solet esse verborum prodigus, aut aliquod verbum ad icere fruſtra: præcipue in hoc opere, ubi cùm sæpe illud relegerit, & attente percurrerit, ut ipse in sua præfatione nos præmonuit, nihil potuit invenire se dixisse *quod non catholicorum Patrum, & maxime beati Aug. scriptis cohereat.*

9 At D. Aug. 15. de Trinit. cap. 16. inquit: *Ita dicitur illud Dei Verbum ut cogitatio non dicatur, ne aliquid esse quasi volubile credatur in Deo quod nunc accipiat, nunc recipiat formam ut verbum sit, eamque possit amittere, atque informiter quodam modo volutari. Et ideo Verbum Dei, sine cogitatione Dei debet intelligi ut forma ipsa simplex intelligatur: Dicuntur in Scripturis Sanctis cogitationes Dei, sed eo locutionis modo, quo ibi & oblivio Dei dicitur, quæ utique ad proprietatem in Deo nulla est.* Hæc Anselmus proculdubio legerat, qui assiduus erat in Aug. Et tamen dixit Anselmus nulla, quæ Aug. maxime non cohæreant, in Monologio suo sæpe à seipso retractato scripsisse. Non ergo dixit: *Nihil autem aliud est summo spiritui hujusmodi dicere, quàm* cogitando intueri; sed *quasi cogitando intueri.* Id est,

ita ſemper ſibi per intellectum Deus ſeipsum præſentem habet, ac ſi ſemper ſe cogitaret: & multo perfectius quàm nos, quando de nobis, vel nos metipsos cogitamus, præſentes habemus in mente noſtra. *Quandoquidem cogitatio*, inquit Aug. 15. de Trinit. cap. 9. *Visio est animi quædam, sive adſint ea quæ oculis quoque corporalibus videantur, vel cæteris ſentiantur senſibus, ſive non adſint.* Et in cap. 10. *De his ergo* ait, *nunc dixerimus quæ nota cogitamus, & nota sunt nobis, etiamſi non cogitentur à nobis. Sed certe si ea dicere velimus, nisi cogitata non psſumus. Nam etſi verba non ſonent, in corde suo dicit utique qui cogitat.*

10 Eodem lapsu in citando Anselmum laboravit Alberti discipulus Ang. Doct. & ut puto, etiam propter unam ex dictis cauſis: dum 1. part. quæſt. 34. art. 1. in argum. 2. ait: *Secundum Anselmum in Monol. Dicere summo spiritui nihil aliud est quam cogitando intueri.* Omiſſo *quasi*, quod addit Anselmus. Unde in responſione: *Anselmus*, inquit, *improprie accipit cogitationem.* Quo autem ſenſu ſit intelligendus Anselmus, jam diximus. De Deo loquendo addit *quaſi*: quod non adjungit de nobis loqnendo: subjicit quippe, ut supra manet, *ſicut nostræ mentis locutio nihil aliud est quàm cogitantis inspectio.*

11 *Certissimum autem jam conſideratæ rationes reddiderunt, &c.* Subjungit Author aliam propoſitionem jam ſtabilitam, tum capp. 37. 38. & 44. tum etiam 53. & 57. nimirum quod quidquid in Deo eſt absolutum, id eſt, eſſentia vel ad eſſentiam, tamquam attributum, pertinens, & omnibus personis divinis commune ſine ullo discrimine ſit & in eis non multiplicatur.

12 *Cùm ergo constet, quia ſicut pertinet ad ejus eſſentiam &c.* Subjicit aliam propoſitionem: & ſimul ex omnibus colligit quam intendebat conseqnentiam. Propoſitio hæc eſt: Ad eſſentiam pertinet ſicut scientia & intelligentia, ita actu scire aut intelligere, quod non eſt aliud quàm dicere, non eo sensu quo eſt gignere & convenit duntaxat Patri, sed quatenus idem eſt ac *semper præsens intueri* quod ſcitur & intelligitur, sensu nimirum ſecundo supra fuſe à nobis elucidato. *Neceſſe est ergo* (hæc eſt consequentia quam infert) *ut quemadmodum ſingulus Pater, ſingulus Filius, & ſingulus eorum Spiritus est sciens & intelligens; & tamen hi tres ſimul non sunt plures scientes aut intelligentes; sed unus sciens & unus intelligens; ita ſingulus quisque sit dicens; nec tamen ſint tres dicentes ſimul, sed unus dicens.*

13 Ang. Præcept. quæſt. & artic. proxime citatis, format ex his ultimis Anselmi verbis tertium argumentum, & ad illud respondet (præter alia) quòd *Anselmus improprie accipit dicere pro intelligere.* Sed pace S. Doct. ego in animum meum inducere non poſſum Anselmum impropriè fuiſſe locutum: tum quia Anselmus toto hoc in opere valde scholaſticè ac metaphyſicè agit, á quo agendi modo prorsus alienum eſt, verba accipere improprie, & metaphorice: tum quia etiam in vanum inſtituta ab eo fuiſſet de verbo *dicere* in hoc cap. & proximo tam operosa disputatio. Itaque sequor magis, quàm discipulum, Magiſtrum ut ſupra interpretantem Anselum de *dicere* eſſentiali, non notionali. Parcat mihi, oro, tam inſignis, immò Ang. Doct.

14 Neque solùm pro noſtra interpretatione eſt Mag. Albertus, sed & Alexander de Hales, qui audit irrefragabilis Doctor. Nam ad argumentum quod in antecedenti cap. vidimus, ſibi objeciſſe ex Anselmo, ita respondet. Loqui ac dicere multipliciter accipitur in divinis. Aliquando namque dicit eſſentiam, non connotando aliquid in creatura, ut cum dicimus: Pater dicit seu loquitur se: & tamen cointelligitur ibi aliquo modo Verbum: quoniam cointelligitur intelligentia quæ Filio apropriatur. Iſtud etenim *dicere* non eſt niſi intelligere, juxta illud Anselmi: Quid eſt summo spiritui dicere, niſi cogitando se intueri? Aliquando *dicere* summitur notionaliter, ut cum dicimus: Pater loquitur Verbum. Nam idem eſt, Patrem Verbum proferre, quod generare :: Denique unaquæque divina persona dicit, id eſt, indicat se, & aliam, sumendo dicere absolute, prout respicit dicibile: ſicque dicit se, & aliam, non ut verbum prolatum, sed ut rem indicatam.

15 „ Dioniſius Carthuſianus ſtatim subjungit (nescio utrum nomine suo, an potius ejusdem Alexandri) Præterea quæritur circa illud Aug. 15. de Trinit. *Pater tamquam seipsum dicens, genuit verbum. Non enim seipsum perfectè dixiſſet, ſi minus eſſet in Filio quod in seipso.* Ex quo videtur quod idem ſit se dicere quod generare. Ergo sequitur: seipsum perfectè dixit; ergo seipsum perfectè genuit. Dicendum, quòd non sequitur. Cum enim dicitur, perfectè se dixit, sumendo dicere notionaliter; sensus eſt quod exprimendo se, genuit ſibi æqualem, non seipsum, sed ſi-

„ ſimilem producendo. Itaque in Patre idem eſt se proferre, & generare: sed non eſt „ idem in Patre se proferre, & se generare.

16 De his Auctoribus ſine dubio D. Thom. loquitur in 1. Sentent. diſtinct. 27. quæſt. 2. art. 2. in resolutione ubi ait: *Respondeo dicendum, quòd circa hoc sunt diversæ opiniones. Quidam enim dicunt, quòd dicere de Deo dicitur tripliciter. Quandoque enim dicere est idem quod intelligere, & sic est essentiale: quandoque autem dicere idem est quod generare, & sic est notionale: quandoque autem dicere est idem quod creare, & sic dicere connotat respectum ad creaturam, & est essentiale. Dicunt igitur, quòd huic actui non respondet verbum nisi quantum ad secundum modum dicendi; & ideo quamvis dicere dicatur essentialiter, & personaliter, tamen verbum non dicitur nisi personaliter :: Alij dicunt, quòd dicere nihil aliud est in universali quàm manifestare intellectum suum.* Sed ne putes, lector, me ignorare D. Thom. Dionisio Carthusiano antiquiorem esse. Unde quod dixi, D. Thom. scilicet in hoc loco opinionem referre prædictorum Auctorum, ne intelligas à me dictum de Carthusiano, sed de Alexandro de Ales, de beato Alberto Magn. alijsque ejusdem opinionis modique dicendi.

17 *Hinc illud quoque liquido cognosci potest, quia cùm hi tres dicuntur, &c.* Confirmat Auctor per aliam rationem, quòd Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus non sint plures dicentes, sed unus dicens. Nam quando unum est principium *quo* dicendi, unumque est, & omnino idem quod dicitur; non est unde multiplicentur dicentes. In cap. quippe 37. dictum est quòd Pater, & Filius unicum sunt principium creaturarum, & unus Creator, propterea quòd una est amborum, & eadem essentia *qua* creant; cùm tamen multæ ac variæ existant creaturæ. Ergo ubi unum est principium *quo* dicendi, nempe una, & eadem Sapientia, qua tres personæ dicunt; & unum idemque omnino quod dicitur, scilicet divina essentia, quæ una, & eadem est omnium trium; minus apparet, unde multiplicitas dictionum ac dicentium desumenda sit. Nam ibi, creaturæ sunt termini realiter, & substantialiter distincti actionis creativæ: hic vero Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus unum omnino, & idem sunt substantialiter vel essentialiter: quapropter unus nequit intelligi aut dici sine alio. Nempe essentia est, ratione cujus tres divinæ Personæ sunt intelligibiles: sicut ratione essentiæ totæ tres absolute sunt, & existunt. *Esse* enim est, & intelligibile, & quod intelligitur. Ut enim ex Aug. 8. lib. de Trinit. docet Mag. sentent. lib. 1. distinct. 19. *Non verius est Pater, & Filius simul quàm Pater solus vel Filius. Non ergo majus est aliquid uterque simul, quàm singulus eorum. Et qnia æque etiam vere est Spiritus Sanctus, ideo Pater, & Filius simul non sunt aliquod majus quam ipse, quia nec verius sunt. Item. In essentia veritatis hoc est verum esse quod est esse; & hoc est esse quod est magnum esse. Hoc est ergo magnum esse quod verum esse. Quod ergo ibi æque verum est, & æque magnum est: quod ergo ibi plus veritatis non habet, non habet plus magnitudinis. Plus autem veritatis non habet quod verius non est. Non est autem verius una persona quàm alia, vel duæ quàm una, vel tres simul quàm singula. Non ergo plus veritatis habet una quàm alia, vel duæ quàm una, vel tres simul quàm singula.* Unde & ego infero. At ubi èadem est veritas, èadem est intelligibilitas. Ergo si in tribus divinis personis non est nisi una eadem veritas, quia non plus veritatis tres simul habent quàm una; non est ergo nisi una & èadem in tribus simul intelligibilitas. Ergo quamvis tres personæ ab unaquaque divina persona intelligantur, non propterea est unde intelligentia & dictio multiplicetur. Ergo neque est unde tres personæ divinæ, tres sint dicentes aut tres intelligentes. Et sic manet responsum ad objecta in cap. proximo. Eadem quippe ratio est de Verbo, termino dictionis, ac de dictione. Si ergo dictio non multiplicatur; neque dicentes: quamvis tres sint qui dicunt, & tres qui dicuntur.

18 Hinc iterum confirmatur quod in comment. sup. cap. 38. diximus, Anſelmum scilicet forsan non conceſſurum nomina adjectiva, quæ de Deo dicuntur, posse dici non solùm in singulari sed etiam in plurali: quamvis D. Thom. asserat posse dici adjective. Adjective enim dicuntur hæc vocabula, *sciens, intelligens, dicens*; & tamen hic firmissime Anselmus asserit, quòd *certe Pater & Filius & eorum Spiritus non sunt tres dicentes; quamvis singulus quisque sit dicens.* Et iterum: *certissimum*, ait, *jam consideratæ rationes reddiderunt, quidquid summæ naturæ inest essentialiter, id perfecte convenire Patri & Filio, & eorum Spiritui, singulatim; & tamen id ipsum, si simul dicatur de tribus, non admittere pluralitatem.* Et rursus: *Necesse est*, inquit,

quit, *ut quemadmodum ſingulus Pater, ſingulus Filius, & ſingulus eorum Spiritus, est sciens & intelligens; & tamen hi tres ſimul, non sunt plures scientes, aut intelligentes; sed unus sciens, & unus intelligens; ita singulus quisque ſit dicens; nec tamen ſint tres dicentes ſimul, sed unus dicens.*

19 Si in sensu adjectivo poſſent hæc nomina juxta Anselmum pluraliter de Deo dici; non tam absolute, univerſim & conſtanter negaret S. Doct. poſſe dici de Deo pluraliter. Diſtingueret aliquando saltem sensum à sensu Doctor, qui tam scholaſtice & subtiliter omnia pertractat. Denique rationem reddit cur pluraliter de Deo affirmari non possint; nempe unitas ex parte principii, & unitas ex parte termini, vel eſſentiæ divinæ scitæ, intellectæ, dictæ: neque ad pluralitatem ſuppoſitorum, vel divinarum perſonarum attendit, ut inde, ſicut D. Thom. rationem accipiat ut talia vobabula pluraliter poſsint affirmari de Deo. At hæc quæſtio & discrimen inter SS. DD. non eſt de dogmate, neque de re ſignificata, sed de modo ſignificandi & loquendi.

20 *In quo mirum quiddam & inexplicabile video &c.* Fatetur Anselmus eſſe quoddam inexplicabile myſterium hoc idem quod ipsa ratio suadet: totas videlicet tres divinas personas & seipsas & adinvicem dicere, (sensu licèt explicato) unumque duntaxat Verbum eſſe; & tamen quód hoc Verbum non possit dici Verbum niſi tantummodo Patris, cùm dictio omnium trium personarum ſit, omnisque dictio ad aliquod verbum referri videatur. Nihilominus hoc aliquibus exemplis tántulum explicari poteſt. Imprimis quando hanc vocem *intellectus* proferrimus, neceſſario concurrunt & memoria & voluntas, & intellectus: & tamen illa vox neque ſignificat memoriam, neque voluntatem, sed duntaxat intellectum. Unde á totis tribus potentiis venit illa vox: cùm tamen non ſit niſi unius tantum ſignificativa. Actiones noſtræ à Deo sunt; quandoque etiam ut ab authore ſpeciali: & tamen non dicuntur neque ſunt actiones ipſius Dei, sed noſtri duntaxat. Incarnatio Verbi Divini eſt à tota Trinitate, ut inquit Concilium 4. Lateranenſe quod refertur cap. *Firmiter* de Summa Trinitate. At tantummodo Verbum divinum incarnatum eſt, & homo factum. Beatiſsima Virgo Maria concepit Chriſtum, Spiritu Sancto cooperante: & Chriſtus non eſt Filius Spiritus Sancti, sed Virginis Mariæ. Denique omittendo alia exempla, in Sententia communi Theologorum Deus, vel divina eſſentia concurrit ſpecialiter inſtar ſpeciei impreſſæ cum intellectu beatorum ad producendum claram ipſius Dei viſsionem: & tamen dicere nemo poteſt Deum vel divinam eſſentiam videre ſimul cum intellectu creato per ipsam creatam viſionem beatorum, sed solum ipsos beatos. Ergo etiam fit aliqualiter per hæc omnia exempla intelligibile, quód Verbum divinum non ſit Verbum niſi solius Patris, neque ſimilitudo, neque imago niſi Patris: & quòd tamen totæ tres personæ, modo non ſolius Patris, sed communi tribus, jam ſatis ſupra explicato, dicant seipsas tum ſingulatim tum ſimul & adinvicem: & quód dicant aliquatenus ipsum Verbum; at Pater solus modo proprio illud dicat, id eſt, absolute producat, & vere gignat, communicando ipsi suam eſſentiam atque naturam ad perfectam ſimilitudinem sui ipſius, non tamen aliarum divinarum personarum. Itaque verbum dicitur, dictione eſſentiali, & communi, non autem notionali & propria, vel personali, & à se ipso & ab Spiritu Sancto: quia vere intelligitur à ſeipso, & ab Spiritu Sancto; non nascitur, neque eſt de ſeipso, neque de Spiritu Sancto. De Patre autem vere, & realiter exiſtit, & nascitur. Ergo dictio Verbi & Spiritus Sancti, qua Verbum à seipso & ab Spiritu Sancto dicitur, non eſt dictio quæ dat, vel communicat eſſe, sed quæ quaſi approbat, & ratum habet eſſe jam à Patre datum, & communicatum. Denique eſt dictio quæ suo innenarrabili modo quaſi facit immutabiliter præsens præsentia intelligibilitatis, aut intellectualitatis verbum divinum ipſimet Verbo divino, & Spiritui Sancto.

21 Ergo secundum N. Authorem, quamvis dictio in Deo dupliciter accipiatur, eſſentialiter & notionaliter, communiter, & proprie vel personaliter; Verbum autem non niſi uno modo eſt neque aliter eſſe poteſt, id eſt, solùm personaliter, non autem communiter, vel eſſentialiter. Ait enim; *nullatenus tamen ipsum Verbum videtur poſſe dici Verbum omnium trium, sed tantum unius eorum.* Et concludendo cap. *cum pariter*, inquit, *unusquisque seipsum, & omnes invicem se dicant; non tamen sunt ibi plura verba, sed unum: & ipsum non ſingulorum, aut omnium ſimul; sed unius tantum.* Hoc ſenſiſſe quoque videtur Albertus Magn. in verbis supra transcriptis. Alexander vero de Hales loco quoque supra indicato cùm verborum Anselmi, quibus negat Verbum divinum eſſe aut dici poſſe Verbum trium divinarum personarum, sed unius tantum, meminerit; nihilominus ait: *ſicut dicere accipitur modis his, ita &*

Verbum. Sumendo enim dicere eſſentialiter & absolute, tres ſunt dicentes, id est, intelligentes, quorum est unum intelligere & una intelligentia, & per consequens unum verbum eſſentialiter ſumptum: quoniam intelligentia appropriata est idem quod verbum. At D. Bonaventura apud Carthuſianum ubi supra, *improbat opinionem dicentium, quòd Verbum interdum eſſentialiter, quandoque personaliter accipiatur: quia hoc eſt contra Aug. dicentem quòd Verbum eo ipso quo Verbum, dicitur ad alterum: & contra Anselmum, qui ait, Apertissimum est, quod Verbum non est ille, cujus est Verbum.*

22 D. Thom. in diſtinctione ſupra citata & art. poſtquam, ut vidimus, retulit opinionem dicentium, quód in Deo dictio dupliciter accipitur, eſſentialiter, & notionaliter, at Verbum non niſi personaliter, ipse aperit mentem suam & ait: *Dicendum est cum aliis, quòd hoc nomen Verbum ex virtute vocabuli potest personaliter & essentialiter accipi.* Et poſtquam ad explicandum hunc duplicem sensum multa dixit, ſic resolutionem concludit: *Sed tamen in usu Sanctorum, & communiter loquentium est quod hoc nomen Verbum relationem realiter distinguentem importat, ut dicit Aug.* (7. de Trinitat. cap. 2.) *Quòd Verbum idem est quod sapientia genita: & ideo ista quæstio parum valet, quia non est de re, sed de vocis ſignificatione, quæ est ad placitum: unde in ea plurimum valet usus, quia nominibus utendum est ut plures, secundum Philosophum* (lib. 2. Top. cap. 2.) *de rebus autem judicandum ſecundum ſapientes: cum enim de rebus constat, frustra in verbis habetur controverſia, ut dicit Mag.* lib. 3. diſtinct. 14. *Sed tamen ea quæ in divinis dicuntur, non sunt extendenda niſi quantum Sacra Scriptura eis utitur.* At in prima part. quæſt. 34. art. 1. ait: *Quòd nomen verbi in divinis ſi proprie sumatur, est nomen personale, & nullo modo essentiale.* Et hæc eſt resolutio illius articuli. Et in ſeq. art. non aliter reſolvit, *Quòd verbum proprie dictum in divinis, personaliter accipitur, & est proprium nomen personæ Filii:: unde relinquitur, qnòd ſolus Filius proprie dicatur Verbum in divinis.* Itaque quantum ad hanc ſecundam partem, de unico Verbo Dei vel de ſignificatione duntaxat personali hujus vocabuli *verbum*, propriaque in divinis ſolius Filii, concors eſt D. Thom. cum noſtro Anselmo.

23 *Unus ergo Pater, non plures Patres, &c.* Absolvit Author hoc cap. recoligendo ſuperiora omnia quæ de tribus personis ratione jam inventa sunt: quæ ſine dubio éadem in tribus Symbolis Apoſtolorum, Nicæno, seu Constantinopolitano, & eo quod sub nomine Mag. Athanasii in Eccleſia circumfertur, & publice recitatur, continentur. Unde munus adimplevit Author ſuum, ſuamque intentionem explevit, media scilicet, & sola perveniendi rarione ad oſtenſionem tum unius summæ subſtantiæ, eſſentiæ, naturæ, reliquarum omnium rerum ex nihilo creatricis, cum omnibus cæteris ſuis attributis; tum quoque Trinitatis personarum realiter inter se diſtinctarum, Patris, Filii & Spiritus Sancti perfectiſsime consubſtantialium, coæternorum & coæqualium &c.

---

* Al. cap. 62.

CAPUT LXIV.*

Quòd hoc licet inexplicabile sit, tamen credendum sit.

VIDETUR mihi hujus tam ſublimis rei ſecretum transcendere omnem intellectus aciem humani: & ideirco conatum explicandi qualiter hoc ſit, continendum puto. Sufficere namque debere exiſtimo rem incomprehenſibilem indaganti; ſi ad hoc ratiocinando pervenerit, ut eam certiſsime eſſe cognoſcat; etiam ſi penetrare nequeat intellectu, quomodo ita ſit: nec ideirco minus his adhibendam fidei certitudinem, quæ probationibus neceſſariis, nulla alia repugnante ratione, aſſeruntur; ſi ſui naturalis altitudinis incomprehenſibilitate explicari non patiantur. Quid autem tam incomprehenſibile, tam ineffabile, quàm id quod supra omnia eſt? Quapropter ſi ea quæ de summa eſſentia hactenus disputata sunt, neceſſariis rationibus ſunt aſſerta; quamvis ſic intellectu penetrari non possint, ut &

ver-

verbis valeant explicari; nullatenus tamen certitudinis eorum nutat soliditas. Nam ſi superior conſideratio rationalibiliter comprehendit incomprehenſibile eſſe, quomodo èadem ſumma sapientia ſciat ea, quæ fecit, de quibus tam multa nos scire neceſſe eſt: quis explicet, quomodo sciat, aut dicat ſeipsam, de qua aut nihil, aut vix aliquid ab homine ſciri possibile eſt? Ergo si in eo quòd ſeipsam dicit, generat Pater, & generatur Filius: *Generationem ejus quis enarrabit?* Is. 53

COMMENTARIUS.

CAPIT. LXIV.

Videtur mihi hujus tam sublimis rei ſecretum transcendere omnem intellectus aciem humani &c.

1 Ne forte quis judicaret, Authorem noſtrum, quia ratione ſola, omni remota authoritate, agendum ſibi eſſe quaſi lex à ſuis diſcipulis impoſitum fuerat, altitudinem & profunditatem tanti myſterii penetrare præsumpſiſſe, atque avulſo fidei velamine, in apertum nobis ſtatuere voluiſſe: ea humilitate ac reverentia, quibus cuncta de Deo solet, impoſsibilitatem hoc maximum noſtræ fidei arcanum aperiendi, explicandi, fatetur. Nempe non ignorabat, quód *qui scrutator est Majestatis, opprimetur à gloria.* Et quód *videmus nunc per ſpeculum in ænigmate.* Ænigma eſt hoc: *quomodo nempe pluralitas in unitate, & hac unitate; aut ipsa in pluralitate*, ut inquit N. Bernard. 5. de conſiderat.) *ſcrutari temeritas est, credere pietas est, noſſe vita, & vita æterna est.*

2 *Si negat*, inquit adversus Roscelinum de Fide Trinitat. cap. 7. Anselmus, *tria dici poſſe de uno, & unum de tribus: ut tria non dicantur de invicem; ſicut in his tribus personis & uno Deo facimus: quoniam hoc in aliis rebus non videt, nec in Deo intelligere valet; ſufferat paulisper aliquid quod intellectus ejus penetrare non possit eſſe in Deo; nec comparet naturam, quæ ſuper omnia est libera ab omni lege loci, temporis, & compoſitionis partium, rebus quæ loco aut tempore claudantur, aut partibus componuntur; sed credat aliquid in ea eſſe, quod in istis eſſe nequit; & acquiescat authoritati christianæ, nec disputet contra illam.*

3 Itaque longiſsime abeſt Anselmus à voluntate, vel temeritate ſcrutandi ſic Trinitatis myſterium, ut ipsum, qua ratione ſit, vel quid, aut quomodo ſit, induxerit in animum demonſtrare, vel se demonſtraſſe crediderit. Contrarium potius nos docet, dum hîc ait: *Et idcirco conatum explicandi qualiter hoc ſic, continendum puto.*

4 *Sufficere namque debere existimo &c.* Quamvis Author aſſerat tantum myſterium cuicumque inexplicabile eſſe; nihilominus impoſsibile non judicat. (ni fallor) rationibus naturalibns firmis ac neceſſariis demonſtrare, suppoſita fide in eo, qui demonſtraturus eſt, ut conditione absolute neceſſaria, juxta illud: *niſi credideritis non intelligetis*: demonſtrare, inquam, hoc myſterium revera exiſtere: id eſt, exiſtere Deum unum in ſubſtantia, & trinum in perſonis; non autem demonſtrare qualiter, aut quomodo Deus unus in subſtantia, & trinus in personis ſit. Neque propter hoc evacuari fidem putat Sanct. Doct. addit quippe: *nec idcirco minus his adhibendam fidei certitudinem, quæ probationibus neceſſariis, nulla repugnante ratione, aſſeruntur; ſi suæ altitudinis incomprehenſibilitate explicari non patiantur.* Nempe judicat S. Doct. cohærere poſſe fidem circa idem objectum cum cognitione ejusdem objecti certa naturali: cum cognitione, inquam, exiſtentiæ ac perfectionum ejus obscura, & habita per discursum ex effectibus. Unde in cap. 1. hujus opusc. in his quæ de Deo credimus connumerat exiſtentiam ipſius Dei, beatitudinem ipsi per eſſentiam competentem, bonitatem, & virtutem omnipotentem producendi omnia. Hæc tamen nullus Theologus dubitat quin demonſtrabilia ſint. Quapropter in præfatione, ſive proemio ad Proslog. notum facit, suam in eo opusculo intentionem eſſe, unico (naturali sine dubio) argumento probare, *quia Deus vere est, & quia ese summum bonum nullo alio indigens, & quo omnia indigent ut sint & bene ſint, & quæcamque credimus de divina substantia.*

Ex

5 Ex illo argumento ita S. Doct. fuit convictus ad assentiendum, quód Deus existit, ut hæc in fine cap. 4. gratus pronunciet: *Gratias tibi, bone Deus, gratias tibi: quia quod prius credidi, te donante; jam sic intelligo, te illuminante; ut si te esse nollim credere, non possim non intelligere.* Judicat igitur S. Anselmus consociabilem fidem esse cum intellectu, vel cum ratione demonstrativa. Et hoc ideo est (omissis aliis quæ ipsi potuerunt esse rationes) quia firmiorem judicat assensum fidei, quàm rationis assensum, quantumvis innixum principiis certis hominibus, sive apud homines. *Si ipsa* (Sacra Scriptura) inquit Author quæst. 3. de concordia gratiæ cum lib. arbit. cap. 6. *nostro sensui indubitanter repugnat: quamvis nobis ratio nostra videatur inexpugnabilis; nulla tamen veritate fulciri credenda est.*

6 D. Aug. 15. de Trinit. cap. 6. idem quod Anselmus sentire videtur, cum illud Apost. *Invisibilia Dei, à creatura Mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*, ad Trinitatem extendit. Ait namque cap. 1. & 2. *Utrum* (Deus) *sit Trinitas non solum credentibus divinæ Scripturæ authoritati, verum etiam intelligentibus, aliqua si possumus ratione jam demonstrare debemus ::: Fides quærit, intellectus invenit: Propter quod ait Propheta; nisi credideritis, non intelligetis.* Et cap. 5. *An Trinitates*, inquit, *istas ad sensus nostros, vel ad animos pertinentes videmus potius quam credimus, Deum vero esse Trinitatem credimus potius, quàm videmus? Quod si ita est, aut invisibilia ejus per ea quæ facta sunt, nulla intellecta conspicimus; aut si illa conspicimus, non in eis conspicimus Trinitatem, & est illic quod conspiciamus, est quod etiam non conspectum credere debeamus :: Cur itaque ibi non agnoscimus Trinitatem? An hæc sapientia quæ Deus dicitur, non se intelligit, non se diligit? Quis hoc dixerit, aut quis est qui non videat, ubi nulla scientia es, nullo modo esse sapientiam? Aut vero putandum est sapientiam, quæ Deus est, scire alia, & nescire seipsam; vel diligere alia, nec diligere seipsam? Quæ si dici sive credi stultum est, & impium, ecce ergo Trinitas, sapientia scilicet, & notitia sui, & dilectio, qua se diligit. Sic enim & in homine invenimus Trinitatem, id est, mentem, & notitiam, qua se novit, & dilectionem, qua se diligit.*

7 Dicet aliquis: neque D. Aug. neque Anselmus, neque quispiam alius SS. Patrum, ita sunt intelligendi, ut demonstrare in rigore existentiam Sanctissimæ Trinitatis in animo constituerint; sed congruentibus duntaxat rationibus persuadere. Est quippe mysterium sic supra totam naturam, ut nullum omnino rationi suppetat exemplum, neque naturale aliquod principium, ex quo existentiam colligat tanti mysterii.

8 Sed ad Anselmum quod attinet, respondemus, quia si quis tantisper advertat cùm ad ipsius verba, tum ad ea quæ supra ex ipso retulimus, judicabit, puto, non nisi violenter talem impretationem admittere posse. Et ut hanc esse Anselmo mentem firmius comprobetur: en verba sat perspicua ex præfatione in libb. *Cur Deus homo. Prior*, inquit, *libellus infidelium respuentium Christianam fidem, quia rationi putant illa repugnare, continet objectiones, & fidelium responsiones; ac tandem remoto Christo (quasi numquam aliquid fuerit de illo) probat rationibus necessarijs esse impossibile ullum hominem salvari sine illo. In secundo autem libro similiter, quasi nihil sciatur de Christo, monstratur non minùs aperta ratione & veritate naturam humanam ad hoc institutam esse, ut aliquando immortalitate beata totus homo, id est in corpore & in anima frueretur; ac necesse esse ut fiat de homine propter quod factus est; sed non nisi per hominem Deum, atque ex necessitate omnia quæ de Christo credimus, fieri oportere.*

9 Verum est, quód in fine cap. 10. aliqua quasi gratis postulat à Bosone collocutore, ut deinceps ex datis disputare incipiat, indeque certò colligat necessitatem incarnationis. Sed ex illis omnibus postulatis unum duntaxat dici potest, quod ad fidem pertineat prorsus, id est, etiam ratione materiæ, & quod ex instituto á S. Doct. non probetur, peccatum scilicet originale. At cum rationes, quibus tota disputatio nititur Anselmi, non eó tendant ut tantummodo vim consequentiæ logicæ probent cum his quæ sunt fidei, sed de natura peccati contra Deum & de ratione satisfactionis in genere, deque natura rerum aliarum quærat; ut inde tandem, quod sibi in tam præclaro proposuit opere, concludat: & cum hæc omnia non per scripturam, neque per aliam authoritatem, sed per solam rationem qnærat & inveniat; nullum puto de mente Anselmi, & animo vere demonstrandi per rationes naturales id quod est fidei, id est, existentiam mysterii incarnationis, reliquum esse ambigendi locum.

Pro-

10 Proximius ad rem præsentem aperte loquitur in cap. 4. lib. de fid. Trinit. sive Ep. de Incarnat. Verbi. *Monologion*, inquit, *& Proslogion ad hoc maxime facta sunt, ut quod fide tenemus de divina natura, ejusque personis, præter Incarnationem, necessariis rationibus, sine scripturæ authoritate, probari possit.*

11 D. Aug. non sic apertus est, ut N. Anselmus. Verum cùm Apostoli textus, quem citat, vel cujus meminit, non de conjecturis, sed de intellectu expresse loquatur: nihil est cur, sensum ipsius non restringente Aug. ad opiniones & conjecturas illum detorqueamus. Accedit quód tanti facit rationem supra positam, qua utitur ut probet existentiam Trinitatis, quód stultum & impium vocet eum, qui dicat Deum nescire seipsum, non diligere; & statim colligit. *Ecce ergo Trinitas, sapientia scilicet, & notitia sui, & dilectio, qua se diligit.*

12 Quòd si locus est dubitandi de S. Augustino, nullus tamen est de S. Athanasio, qui Oratione 1. cont. Arian. num. 11. in edit. Monachor. Congreg. S. Mau. sic loquitur: "Cùm (Paulus) item Gentiles confutaret, ait: *Invisibilia enim ipsius ex creatione mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas.* Quæ vero sit virtus Dei, idem iterum his verbis docet, *Christus Dei virtus, & Dei sapientia.* Neque enim hoc in loco Patrem voluit significare, ut soletis (Ariani) inter vos dictitare, ajentes, Pater sua ipsius est sempiterna virtus. Non ita sane est. Nec enim dixit, ipse Deus est virtus; sed ejus est virtus. Nemini porro dubium fuerit, quin id quod ejus est, non idem sit quod ipse :: Nempe postquam creationis meminisset, valde congruenter de Opificis in ipsa creatione virtute loquitur. Quæ quidem virtus Verbum est Dei, per quod omnia facta sunt :: Si porro omnia per Filium facta sunt, & in eo consistunt: is quī rite creatam naturam voluerit contemplari, Verbum quoque á quo est condita, necessario contemplabitur, ac Patrem per ipsam intelligere incipiet... Admodum convenienter Paulus Gentiles increpans, quòd concentum & ordinem rerum creatarum contemplantes, nil de Verbo earum Opifice cogitarent (namque res creatæ suum indicant Opificem) ut per ipsas etiam verum Deum agnoscerent, abstinerentque à rerum creatarum cultu, admodum, inquam, convenienter dixit, *Sempiterna quoque ejus virtus & divinitas*, ut his Filium significaret. Hucusque Div. Athanasius, qui, ut dixi, nullum de mente sua relinquit ambigendi locum. His iisdem suis verbis jam in Comment. sup. cap. 11. usi fuimus.

13 Quòd autem altissimum & supra naturam omnem hoc mysterium sit, tantummodo probat illud nec penetrari, neque explicari unquam sic posse, ut non semper ratio inquieta in se maneat. Quamvis enim vi rationum ex una parte ad assentiendum existentiæ tanti mysterii inevitabiliter adducatur, & quodam modo cogatur: nihilominus cùm quomodo hoc sit, per exempla explicari nequeat; insurgunt ex alia parte & occurrunt, ne præstet assensum, insuperabiles difficultates: vel si jam assensum præstitit, fortissime pugnant, ut ab assensu, quem necessario aliæ postulant rationes, mentem avertant, & à semel dato divellant. Quapropter non frustra est fides, & ancora auxilii Dei, sed penitus necessaria.

14 Quòd si quia super naturam tantum mysterium existit, est impossibile ut demonstretur: impossibile pariter erit, ut demonstretur libertas & dominium Dei, creatio, & conservatio simul cum ipsius Dei immutabilitate omnibus numeris absoluta. Exemplum in natura nullum: æqua in apparentia repugnantia & contradictio. Nilominus quid rationi naturali certius, quid demonstrabilius, quám libertas suprema Dei, quám ipsius perfectum dominium? Quid magis etiam necessarium eidem rationi ac certum in vi ineluctabilium argumentorum naturalium, quám absoluta ac prorsus perfecta Dei immutabilitas? At quid tamen explicatu difficilius, quàm cohærentia horum duorum attributorum? Idem potest dici de concordia præscientiæ ac providentiæ Dei cum libertate nostra. Utrumque existere plusquam demonstratum est. At horum duorum simul concordia quid obscurius? Quis non dicat demonstrabilem immensitatem Dei, sic ut per suam simplicissimam essentiam totus ubique sit? Quis vero non sentiat in hac ubique Dei præsentia quandam quasi impossibilitatem & apparentem contradictionem? Nimirum occurit quòd totus Deus hoc loci sit, & simul hic totus non sit. Nonne quoque demonstrabilis est rerum ex nihilo creatio? Et tamen quis sine ingenti difficultate huic veritati præbet assensum? Quid? Cùm non solum in rebus divinis, verum etiam in naturalibus sunt quædam mysteria hominibus impenetrabilia, seu captui humano impervia. Qui explicavit ligamen, vinculum, consortium naturale rationalis animæ cum corpore? Quis

formas aut ſimilitudines quas intelligibiles species appellant? Quis modum quo visio formatur in oculo? Quis denique compoſitionem continui? Si Mathematicis credimus, ipsam ex partibus in infinitum diviſibilibus fieri demonſtrant. Si vero rationem consulimus, nihil apparet difficilius, immo & impossibilius hac divisibilitate infinita.

15 Sed neque ex eo quòd myſterium Sanctiſsimæ Trinitatis supernaturale ſit infertur, nullum medium rationi naturali eſſe poſſe, quo deducatur ad certo cognoscendum ipſius exiſtentiam. Poteſt enim aliqua res naturalis in ratione cognoscibilis eſſe connexa cum re ſupernaturali, quantum ad aliquam tantummodo rationem. Sicut res temporalis connexionem certiſsimam cum aliqua re æterna sub ratione cognoscibilis habet. Ex rebus temporalibus colligitur neceſſario exiſtere aliquam rem ab æterno & æternam. Omitto alia exempla quæ cuique facile occurrere possunt. Et certe ſi omnia in rebus creatis naturalibus improportionata sunt ad colligendum ex ipſis, via demonſtrationis, exiſtentiam Trinitatis: quomodo proportionata ſunt ad introducendum nos in quandam, licèt non omnino certam, ipſius Trinitatis cognitionem? Quo pacto ſunt ad persuadendum utilia? Si enim quod eſt naturale, nullam in nullo sensu habere poteſt habitudinem, relationem ad id quod supernaturale eſt, neque ullam cum eo adhuc in ratione cognoscibilis habere poteſt connexionem: qui fieri poteſt ut per media naturalia ratio noſtra conduci, vel trahi valeat ad aſſentiendum his quæ sunt fidei? At nihilominus hæc eſt communis praxis SS. Patrum, vel disputantium cum infidelibus, vel volentium fidelibus explicare & quodam modo capabilia facere dogmata fidei, vel verbum divinum ad gentes prædicantium. At, ut lib. 1. contra Eunomium, num. 17. in edit. Domn. Julian. Garnier Monachi è Congregat. S. Mau. ait S. Baſil. *Nec per dissimile aut alienum comprehendi potest quod ignoratur: sed ex affini affine solet cognosci.* Et num. 25. *Quæ non queunt*, inquit, *inter se comparari, quomodo in his id quod excedit cognoscetur?* Certe inſipientia, & quædam amentia eſſet velle per media penitus inconnexa quidpiam vel probare vel persuadere. At tam Aug. quàm Anselmus (etiam ſi nihil dicamus de cæteris Patribus) per rationes naturales, & per naturam animæ aut mentis noſtræ probare voluere, & reipsa probarunt Myſterium Sanctiſsimæ Trinitatis. Non ergo per media penitus inconnexa. Quæ ergo ratio eſſe poteſt, ut, ſi poſſibilis eſt connexio aliqua inter naturam, & rationes naturales cum supernaturali mysterio Trinitatis, ita quòd per talem connexionem possit aliquatenus, seu probabiliter à nobis cognosci, non queat eſſe connexio talis ut per illam possimus idem mysterium certo cognoscere? Supernaturalitas quippe ipſius non minus supernaturalis eſt comparativè ad connexionem primam, quàm ad secundam. Verumtamen rationabiliter negari non potest quædam aut probabilis connexio rationum naturalium cum supernaturali mysterio Trinitatis. Ergo ex hac parte negari non potest, tanquam impossibilis, certa, & demonſtrativa ejus exiſtentiæ connexio. Immo & Div. Paulus juxta supra positam S. Athanaſii expoſitionem, ex creatione mundi, per ea quæ facta ſunt, certò probari docuit ſempiternam quoque Dei virtutem, id est, Verbum Dei, Filium Æterni Patris.

16 Certe Scotus qui audit Subtilis Doct. scribit apud Dioniſium Carthuſianum in 1. lib. Sentent. distinct. 2. quæst. 5. *Quòd in divina natura sic persona producta seu pluralitas personarum ostendi potest per rationem, & forsan magis demonstrativam, quàm sunt multæ demonstrationes in metaphysica positæ.* Quam Scoti authoritatem non eo fine affero ut per illam probari velim ita poſſe demonstrari existentiam mysterii Trinitatis ut ſine præeunte fide quispiam illud demonstrare queat; aut etiam demonstrato, intellectus ita maneat convictus ut sine fide divina firmiter omnino ejusdem mysterii existentiæ aſſentiri valeat. Immo securus aſſero nulli in mentem venire poſſe cogitare de existentia talis mysterii absque divina revelatione. Ratio hujus est quia hæc prima & universalia principia, *Quæ ſunt idem uni tertio sunt idem inter se; & Impossibile est ſimul eſſe & non eſſe*, ita ſunt animo infixa ut inſeparabiliter omnibus cogitationibus nostris adſint nec-ſariò. Itaque non permittunt de tanto mysterio cogitare. Propter eamdem causam numquam mens ſine fide ita in aſſensu ad tale mysterium per rationes naturales firmari potest ut vel non vacillet, vel ab aſſensu omnino non retrahatur. Cæterum de hac materia adhuc in Commentario super præfationem libb. *Cur Deus homo* non leviter tractaturus sum. Quapropter operæ pretium erit illum ſimul cum hoc conferre Commentarium, & ad completam notitiam & plenam explicationem, illius lectionem adjungere.

17 *Nam si ſuperior consideratio comprehendit incomprehenſibile eſſe &c.* Ad confirmandum Author nihil impedire quominus mysterium Sanctiſsimæ Trinitatis ſi-

mul

mul ſit comprehenſibile, ineffabile, inexplicabile, & tamen existentia ejus probari queat rationibus naturalibus, sensu supradicto neceſſariis, in memoriam reducit cap. 36., in quo dixit & ratione probavit, modum quo Deus scit ac dicit ea, quæ facta ſunt, incomprehenſibilem eſſe humano captui. Nam cùm res creatæ ſint in Deo non quod in se ſunt (ut in cap. 34. dixerat) *sed quod est idem ipse*; non eſſentia mutabilis, *sed ipsa prima eſſentia & prima existendi veritas*: cùm consequenter in eo ſint absque diſtinctione, absque divisione, absque ulla compoſitione, summè immaterialiter, summè ſimpliciter, omnia denique ibi summa vita, ut etiam dictum fuit in cap. 35., arduissimum nobis est, immo impoſsibile dum in via sumus, percipere quomodo uno verbo ſimplicissimo dicat ac ſciat Deus tot, tam distinctas, tam diversas, tam varias creaturas, ſic ut non tantum generalem sed & propriam ac distinctam omnium habeat cognitionem. Cùm denique imperceptibile nobis ſit, quomodo in seipso Deus ea, quæ in ipſomet unum cum summa ſimplicitate ſunt, cognoscat tamquam diſtincta, tamquam diversa, tamquam varia, tamquam compoſita, tamquam corporea: & tamen ex alia parte nihil nobis magis certum, nihil manifeſtius per solam rationem naturalem, quàm Deum scire, & dicere in seipso, non in aliquo extra se, vel diſtincto à se, res creatas omnes, formando, vel quaſi formando ipsarum ideas & exemplaria: hinc colligit Author quòd multo magis incapabile, innenarrabile nobis erit quomodo Deus dicat ſeipsum, atque dicendo generet Verbum ſibi perfectiſsimè consubſtantiale, & secundum personam realiter diſtinctum, juxta illud Isaiæ cap. 53. *Generationem ejus quis enarrabit*? Et nihilominus non ſit impoſsibile nobis, prævia indispensabiliter ſide, certam capere de tanto myſterio notitiam per ducatum rationis naturalis.

CAPUT LXV.*

* Al. pars cap. 62.

Quomodo de ineffabili re verum disputatum ſit.

SED rursum, ſi ita se ratio ineffabilitatis illius habet, imò quia ſic eſt: quomodo ſtabit quicquid in illa secundum Patris, & Filii, & Spiritus procedentis habitudinem disputatum eſt? Nam ſi vera illud ratione explicitum eſt: qualiter eſt illa ineffabilis? Aut si ineffabilis eſt: quomodo eſt ita, ſicut disputatum eſt? An quodantenus de illa potuit explicari; & ideo nihil prohibet eſſe verum quod disputatum eſt: Sed quia penitus non potuit comprehendi, idcirco eſt ineffabilis. Sed ad illud quid responderi poterit, quod jam supra in hac disputatione conſiſtit: quia ſic eſt summa eſſentia supra & extra omnem aliam naturam, ut ſi quando de illa dicitur aliquid verbis, quæ communia ſunt aliis naturis, sensus nullatenus ſit communis? Quem enim sensum in omnibus his verbis, quæ cogitavi, intellexi, niſi communem & uſitatum? Si ergo uſitatus sensus verborum alienus eſt ab illa; quicquid ratiocinatus sum, non pertinet ad illam. Quomodo igitur verum eſt inventum eſſe aliquid de summa eſſentia; ſi quod eſt inventum, longe diversum eſt ab illa? Quid ergo? An quodammodo inventum eſt aliquid de incomprehenſibili re; & quodammodo nihil perspectum eſt de ea? Sæpe namque multa dicimus, quæ proprie, ſicut sunt, non exprimimus; sed per aliud ſignificamus id quod proprie aut nolumus, aut non poſſumus depromere: ut cùm per ænigma loquimur. Et sæpe videmus aliquid, non proprie quemadmodum res ipsa eſt; ſed per aliquam ſimilitudinem aut imaginem: ut cùm vultum alicujus conſideramus in ispeculo. Sic quippe unam eamdemque rem dicimus, & non dicimus; videmus & non videmus: dicimus & videmus per aliud; non dicimus & non videmus per suam proprietatem. * Hac itaque ratione ni-

* Al. cap. 63.

hil

hil prohibet & verum eſſe quod disputatum eſt hactenus de summa natura; & ipsam tamen nihilominus ineffabilem perſiſtere: ſi nequaquam illa putetur per eſſentiæ suæ proprietatem expreſſa; sed utcumque per aliud deſignata. Nam quæcumque nomina de illa natura dici poſſe videntur, non tam mihi eam oſtendunt per proprietatem, quàm per aliquam inuunt ſimilitudinem. Etenim cúm earumdem vocum ſignificationes cogito, familiarius concipio mente quod in rebus factis conſpicio, quám id quod omnem humanum intellectum transcedere intelligo: nam valde minus aliquid, imò longe áliud in mente mea sua ſignificatione conſtituunt, quàm ſit illud ad quod intelligendum per hanc tenuem ſignificationem mens ipsa mea conatur proficere. Nam nec nomen ſapientiæ mihi ſufficit oſtendere illud, per quod omnia facta ſunt de nihilo: nec nomen eſſentiæ mihi valet exprimere illud, quod per ſingularem altitudinem longe eſt ſupra omnia & per naturalem proprietatem valde eſt extra omnia. Sic ergo illa natura & ineffabilis eſt; quia per verba, ſicuti eſt, nullatenus valet intimari; & falsum non eſt, ſi quid de illa, ratione docente, per aliud velut in ænigmate poteſt æſtimari.

COMMENTARIUS.

CAPIT. LXV.

Sed rursum, si ita se ratio ineffabilitatis illius habet, immo quia sic eſt &c.

1 Cum in cap. proximo dixerit Author Trinitatem inenarrabilem, inexplicabilem eſſe; hinc occaſionem sumit ſibi objiciendi ſtatim initio hujus cap. quòd ex hoc ſequi videatur, omnia quæ in tot capp. de generatione Filii ac proceſs. Spiritus Sancti hucusque disputata, ſive quæſita, & inventa sunt, nulla eſſe ac vana. Ratio eſt quia de eo quod fabile non eſt ſeu dici non poteſt, nihil disputari, neque affirmari, neque negari poteſt. Quod enim aſſeritur vel negatur, ſine dubio verbis aliquibus dicitur. Si autem quod dicitur, non eſt ineffabile, & quæ de Trinitate dicta sunt, vere dicta ſunt; qua ratione Trinitas aſſeritur ineffabilis? Nempe unum è duobus neceſſario sequi videtur; quód vel Trinitas ineffabilis non ſit, aut ſi ineffabilis ſit, nihil ex his quæ hucusque de ipsa Trinitate dicta sunt, ipsam tangit neque ad ipsam pertinet.

2 *An quodantenus de illa potuit explicari, &c.* In his verbis objectioni respondet. Jam in principio diximus quòd Author Aug. imitando in variis libris, secum solo agit pro utraque parte. Reſponſum igitur eſt cum diſtinctione: Nempe quód Trinitas quantum ad aliquid, scilicet exiſtentiam, ſicut eſt cognoscibilis, ita & eſt aliquatenus enarrabilis; quantum vero ad secretissimum modum, quo Trinitas eſt, ſicut non eſt nobis cognoscibilis, ita neque fabilis aut explicabilis.

3 *Sed ad illud quid responderi poterit &c.* Replicat contra ſeipsum S. Doct. ex his quæ in cap. 26. dixit, nempe *quód ſi aliquando illi est cum aliis nominis alicujus communio, valde proculdubio intelligenda est diversa ſignificatio.* Unde ita objicit ſibi Author. In omnibus quæ in capp. ſuperioribus de Deo Trino quæſita & aſſerta ſunt, non aliis terminis, non aliis vocibus usus fuit ipse Author, quam uſitatis & communibus creaturis, immó & quæ ad ſignificandas creaturas prius inventa sunt. Si ergo valde diversum eſt, quidquid Deus eſt, ab omni eo quod commune ſit creaturæ, illisque vocabulis ſignificatum: falsum eſt omne quod per has voces de Deo in ſuperioribus dictum eſt, vel potius impertinens & penitus vacuum; cùm talium vocuum ſignificatus non ad Deum, sed ad creaturam pertineat.

4 *Quid ergo? An quodammodo inventum est aliquid de incomprehenſibili re, &c.* Objectioni ſeu replicæ incipit S. Doct. satisfacere. Respondet ergo non ita diversum eſſe quidquid Deus eſt, á primaria vocum ſignificatione, quibus ad ſignificandas animi de creaturis conceptiones uti homines voluere, quód non ſit aliqualis convenientia creaturarum cum Deo. Itaque dicit quod cúm res creatæ ſint, licet imperfec-

tæ

tæ, ſimilitudines eſſentiæ & attributorum Dei, videmus ſive cognoscimus Deum ejusque attributa per has imperfectas ſimilitudines, ut per speculum & tamquam in ænigmate. Respicit Author ad illa Ap. verba. 1. ad Corint. cap. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate.* Per speculum aut in ænigmate non ipsa res per seipsam videtur, sed per ejus ſimilitudinem, magis aut minus perfectam, secundum capacitatem & qualitatem ſpeculi. Unde dicit, utrumque verum eſſe, & rem videri, & ſimul non videri: videri per aliud, id eſt, per suam ſimilitudinem, quæ in subſtantia naturâ valde diverſa eſt ab ipsa re cujus eſt ſimilitudo, tametſi in representatione conveniat cum ipſa: per quam representationis conformitatem ducit mentem noſtram in ipſius rei cognitionem. Non videri autem rem: quia ipsa res in sua propria natura, & ſicut eſt, non videtur.

5 *Hac itaque ratione nihil prohibet, & verum eſſe quod disputatum eſt &c.* Applicat Author factæ objectioni exemplum ænigmatis & ſpeculi, ajendo ea, quæ in ſuperioribus de Deo uno atque trino disputata & aſſerta ſunt, neque falsa neque vana eſſe, sed vera: non quia in Deo hoc modo ſint quo à nobis in hac vita de Deo cogitantur, & dicuntur, sed quia ſic per creaturas representantur. Hoc eſt: non affirmamus illa de Deo, quia Deum ſecundum ſeipsum vel ſicuti eſt, aut per propriam ſpeciem cognoscamus; sed quantum de ipso Deo ejusque proceſsionibus & personis per ſpeciem alienam, per ſpeciem perfectionum creaturarum capere poſſumus. Hæ autem perfectiones quæ tamquam ſimilitudines nos manu ducunt ut illas cum excellentia tribuamus Deo, & affirmemus de Deo, illæ ſunt quæ in cap. 15. ab Authore dictæ ſunt absolute meliores ipsæ quam non ipsæ: aliquando etiam aſſerimus de Deo quæ cum his perfectionibus concilientur, ut sunt divinæ relationes.

6 *Etenim cum earumdem vocum ſignificationes cogito, &c.* Affert rationem quam ſupra tetigimus, nimirum quód omnes noſtræ voces, sive omnia vocabula noſtra illico excitant in noſtro intellectu, quod aſſolent præseferre; aliquid videlicet cum limitibus ſat ſtrictis, juxta anguſtam valde mentis noſtræ capacitatem, & secundum finitudinem & coartationem creaturarum à quibus hauſtas species gerimus in noſtra memoria. Deus vero & quidquid ipse eſt, infinitum ſimpliciter eſt, & undecumque ſine ullo limite. Quapropter omnem finitum intellectum, omnes cogitationes, omnes species, omnes voces noſtras, & omnem explicationem, immane quantum excedit! Hac de cauſa dicit Author, quia *valde minus aliquid immo longe aliud in mente nostra sua ſignificatione constituunt.* Minus scilicet: quoniam in aliquo tantum genere determinato, non totum eſſe in sua vaſtiſsima amplitudine, nobis ad cognoscendum in omnibus illis vocabulis offertur. *Longe aliud*: non quia id re vera de Deo non prædicetur, & quidem proprie & formaliter, non solùm causaliter, ut D. Thom. teſte, in 1. part. quæſt. 13. art. 2. aliqui dixerunt; sed quoniam modo inspecto ſignificandi quem habent hæc nomina, longe aliter in Deo eſt quidquid per ipsa nomina ſignificatur. Quippe *hoc nomen sapientia.* (ut ipſis Authoris exemplis utamur) quandam intellectus facultatem aut qualitatem ſic oſtendit, ut videatur hanc & nihil aliud in sua ſignificatione importare. Unde cùm ſapientia Dei non ſolum hoc, sed etiam ſit totum quod Deus eſt, ut in cap. 17. ſtabilitum habetur, hinc eſt quód secundum hanc conſiderationem valde aliud eſt quod conſtituit nomen *sapientia* sua ſignificatione in mente noſtra. Eum ad modum quo totum poteſt dici valde aliud eſſe à minima ejus particula; non tamen omnino aliud, ſeu ex omni parte, cùm in toto etiam illa, quantumvis minima, sua particula ſit. Itaque partim attinet ad eſſe totius, & proprie eſt ipſius aliquid. Idem dicendum de hoc nomine *eſſentia*, tametſi aliorum cunctorum nominum ampliſsimum ſit. Semper cingitur & coartatur secundum anguſtiam capacitatis mentis noſtræ. Cogitamus, quando hoc vocabulum *eſſentia* pronunciamus, subſtantiam ſine attributis, ſine proprietatibus, ſine actuali exiſtentia: cùm tamen reflexè judicemus tam exiſtentiam quàm attributa, non aliud eſſe in Deo, nec metaphyſice ex parte rei, quàm ipsam divinam eſſentiam. Unde rectè poſtremó colligit Author: *Ergo illa natura & ineffabilis est; quia per verba, sicuti est, nullatenus valet intimari: & falsum non est, ſi quid de illa, ratione docente, per aliud velut in ænigmate potest æstimari.*

7 D. Aug. aliquid, tantilum licet, ſimile tradit, dum contra Adimantum cap. 13. hanc Deo, Aug.que dignam, sententiam profert. *Non potest aliquid de Deo digne dici, quod ideo jam indignum est, quia potuit dici.* At lib. 1. de doct. Chriſt. cap. 6. ſimilem proponit dubitationem huic quam in præsenti cap. movet Anselmus. Solutiones tamen Anselmi nequaquam tradit. Immo dicit: *Quæ pugna verborum ſilentio ca-*

venda potius quàm voce pacanda est. Aug. Mag. in 1. part. quæſt. 13. art. 1. & 2. totam Anselmi mentem ac noſtram explicationem (tametſi Anselmianæ doctrinæ nullam mentionem faciat) vere comprehendit. At in 1. Sententiarum diſt. 22 art. 2. ubi quærit *utrum aliquod nomen possit dici proprie de Deo*, inter alia ſic reſolvit: *Dicendum est, quòd omnia illa nomina, quæ imponuntur ad ſignificandum perfectionem aliquam absolute, proprie dicuntur de Deo, & per prius sunt in ipso quantum ad rem ſignificatam, licet non quantum ad modum ſignificandi, ut ſapientia, bonitas, eſſentia, & omnia hujusmodi: & hæc ſunt de quibus dicit Anselmus* (in Monol. cap. 15.) *quòd ſimpliciter & omnino melius est eſſe quàm non eſſe.* In art. vero antecedenti ubi quærit, *utrum Deus sit nominabilis*, reſolvit, *Quòd cùm voces ſint ſigna intellectuum, secundum Philosophum, idem judicium est de cognitione rei, & nominatione ejus. Unde ſicut Deum imperfectè cognoscimus, ita etiam imperfectè nominamus, quaſi ballutiendo, ut dicit Greg. Ipse autem solus seipsum comprehendit; & ideo ipse solus seipsum perfectè nominavit, ut ita dicam, Verbum coæquale ſibi generando. Et* ad 1.: *Quòd omnes authoritates quæ dicunt Deum eſſe innominabilem, intendunt dicere, quòd nullum nomen exprimit perfectè ipsum Deum.* Conferatur art. 3. quæſt. 1. ſup. diſtinct. 2.

8 Conſonat Damascenus editionis, ut credo, omnium optimæ, Patris Lequien, Dominicani, cap. 4. ubi tradit, quòd Deus, *neque aliquid est eorum quæ ſunt: non ut nullatenus ſit; ſed quia ſuper omnia quæ sunt, atque etiam ſupra ipsummet eſſe ipse ſit. Etenim si cognitiònes circa res quæ sunt versantur; profectò quod cognitionem superat, ſupra eſſentiam quoque erit: vicissimque quod est ſupra eſſentiam, cognitionem superabit.* N. Bern. 5. de Conſid. cap. 13. *Nobis*, inquit, *quia non poſſumus cum Deo ſimplicitate contendere, dum contendimus apprehendere unum, occurrit veluti quadruplicatum. Facit hoc speculum & ænigma, per quod solum interim videri datur.* En ipſam rationem ipſumque exemplum Anſelmi. Conferatur cap. 17. & ibidem N. Commentarius.

CAPUT LXVI.*

* Al. cap. 64.

Quòd per rationalem mentem maxime accedatur ad cognoscendum ſummam eſſentiam.

CUM igitur pateat quia nihil de hac natura poſſit percipi per ſuam proprietatem, ſed per aliud; certum eſt quia per illud magis ad ejus cognitionem acceditur, quod illi magis per ſimilitudinem propinquat. Quidquid enim inter creata conſtat illi eſſe ſimilius, id neceſſe eſt eſſe naturà præſtantius. Quapropter id & per majorem ſimilitudinem plus juvat mentem indagantem ſummæ veritati propinquare; & per excellentiorem creatam eſſentiam plus docet quid de creante mens ipſa debeat æſtimare. Proculdubio itaque tanto altius creatrix eſſentia cognoscitur; quanto per propinquiorem ſibi creaturam indagatur. Nam quòd omnis eſſentia, in quantum eſt, in tantum ſit ſimilis ſummæ eſſentiæ, ratio jam ſupra conſiderata dubitare non permittit. Patet itaque quia ſicut ſola eſt mens rationalis inter omnes creaturas, quæ ad ejus inveſtigationm aſſurgere valeat: ita nihilominus èadem ſola eſt, per quam maxime ipſamet ad ejusdem inventionem proficere queat. Nam jam cognitum eſt quia hæc illi maximè per naturalis eſſentiæ propinquat ſimilitudinem. Quid igitur apertius, quàm quia mens rationalis quanto ſtudioſius ad ſe diſcendum intendit: tanto efficacius ad illius cognitionem aſcendit: & quanto ſeipſam intueri negligit; tanto ab ejus ſpeculatione deſcendit?

COM-

COMMENTARIUS.

CAPIT. LXVI.

Cúm igitur pateat quia nihil de hac natura possit percipi per suam proprietatem, sed per aliud &c.

1 Sicut fecit hucusque, ſic etiam nunc methodice nectit Authorcap. cum cap.: vel potius unumquodque hujus operis tamquam cujusdam corporis membrum jungit ad juncturam suam,, ad membrum ſibi correspondens. Ex antecedenti aſſertione, nimirum quód Deus à nobis in vita præsenti intelligi nequeat per suam proprietatem, id eſt, per propriam speciem, sed capiatur per aliud, per speciem mendicatam ex creaturis, colligit Author, & quidem rectè: Ergo *certum est quia per illud magis ad ejus cognitionem acceditur, quod illi magis per similitudinem propinquat.* Consequentia legitima eſt, immo & aperta. Nam cognitio, quæ per aliud ducitur in alterius cognitionem, fertur vel per connexionem vel per relationem, vel per representionem illius á quo fertur. At quod magis Deo per ſimitudinem propinquat, perfectius cum ſuo principio connectitur; effectus relationem ad primam causam melius inſinuat; representationem originalis ideæ, primi exemplaris, primæ veritatis magis perspicuam exhibet, præsefert. Ergo per hoc melius ducitur magisque accedit cognitio nostra ad naturam, ad subſtantiam, ad eſſentiam Dei. Quemadmodum imago quælibet quanto perfectius, & vividius representat, tanto promptius, perfectius, & melius prototypum per illam agnoscimus.

2 *Quidquid enim inter creata, &c.* Subjungit Author: At quidquid inter creata conſtat Deo ſimilius eſſe, neceſſe eſt ut ſit in ſua natura præſtantius. Quippe ut dictum eſt in cap. 31. *quemadmodum naturá illud præstantius est quod per naturalem essentiam propinquius est præstantissimo: ita utique illa natura magis est, cujus essentia similior est summæ essentiæ.*

3 *Quapropter id & per majorem ſimilitudinem plus juvat &c.* Conſequitur ergo, colligit Author, quód id per majorem ſuam ſimilitudinem plus mentem indagatricem juvat ut summæ veritati, id eſt, Deo plus cognitione sua appropinquet, ſeu magis ex propinquo Deum attingat, & minus imperfectè intelligat Deum; & per excellentiorem creatam eſſentiam plus docet, id eſt, melius agnoscere facit quid mens ſentire debeat de creatore. Sed in his attende, lector, Authorem duo nos satis profundè docère, duoque probare: nimirum quòd creaturæ non ſint ex primario conceptu, vel idea, ſive ratione, ſimilitudines Dei, id eſt, quarum præcipuum aut formale *esse* conſiſtat in repreſentando Deum. Hoc enim eſt proprium ſimilitudinnm vel specierum, quas schola vocat intelligibiles. Alioquin his intelligibilibus speciebus opus non haberemus ad cognoscendum Deum per creaturas. Sed subſtantiæ creatæ ex primaria ratione ſua conſtitutæ sunt in ſe vel ad ſe: hoc eſt, prius habent eſſe absolutum, unaquæque secundum proprium genus, propriamque speciem, & exinde fundant ſtatim relationem in Deum, tamquam in suam primam, & universaliſsimam causam: & hoc modo, in quantum poſſunt, nobis narrant gloriam Dei, suasque perfectiones excellentius præhaberi in suo creatore, à quo illas accepére. Unde colligitur quód cum ſimilitudo ſubſtantiarum creatarum cum suo creatore, primaque causa, fundetur in *eſſe* ipso creaturarum derivato á Deo; præſtantiorem creatam naturam minus imperfecta & præſtantior ſimilitudo cum Deo sequitur. Itaque non ideo quælibet creata natura præſtantior eſt, quia Deo ſimilior; sed ideo ſimilior quia præſtantior; & ideo præſtantior, quia magis eſt, ſive quia plus de summa Dei eſſentia participat. Consequenter omnino colligit Author, quia *tanto altius creatrix essentia cognoscitur, quanto per propinquiorem sibi creaturam indagatur.*

4 *Nam quod omnis essentia in quantum est &c.* Meminit solidisimæ rationis qua in cap. 31. probavit, eſſentias creatas tantó eſſe summæ eſſentiæ ſimiliores, quantó magis sunt, ſive quantò meliorem eſſentiam habent. Quapropter in hoc includitur quòd omnis creata eſſentia ſimilis ſit summæ eſſentiæ, non niſi in quantum eſt, seu per *eſſe*; non per non eſſe, vel per carentiam aut privationem alicujus *eſſe*. Sicut enim (ut fert axioma Scholaſticum) se habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis. Quamvis hoc proverbio ratio per ſe ſatis clara non indigeat.

Pa-

5 *Patet itaque quia ſicut ſola est mens rationalis &c.* Vigilanter dicit Author *ſicut ſola est mens rationalis* ; non autem anima rationalis ſola, aut ſolus homo. Si enim non primum ſed vel ſecundum vel tertium dixiſſet, falsum aſſeruiſſet, cùm Angelos excludere videretur. Itaque dixit: *ſola mens rationalis*: quia in hac Angeli cum hominibus communicant: juxta illud N. P. Gregorii: *Intelligere cum Angelis.* Quòd vero ſola mens rationalis inter omnes creaturas inveſtigare ſummam Dei eſſentiam valeat, supponit Author, non probat; eò quòd cùm in cap. 15. & 27. ſufficienter Deum probaverit non corpus eſſe ſed Spiritum; Spiritus autem, per ſe satis manifeſtum eſt, quòd à corporeo sensu nequaquam percipiatur: inde consequens neceſſarium eſt et manifeſtum Deum à sola mente capi, quæ ſpiritus, vel propriissima ſpiritus aut ſubſtantiæ ſpiritualis eſt.

6 Unde rectè deducit Author quia *eadem sola est, per quam maxime ipsamet ad ejusdem inventionem*, ſcilicet Dei, *proficere queat.* Probat hanc consequentiam. Jam cognitum eſt, inquit (per cap. ſcilicet 31.) quòd mens rationalis seu natura rationalis inter omnes creaturas maxime per eſſentiæ ſimilitudinem Deo propinquior eſt. At, ſicut etiam in hoc præsenti cap. probatum eſt, per creaturam magis Deo ſimilem intellectus noſter magis accedit ad intelligentiam Dei, magisque ipsum cognoscit. Quid igitur apertius, colligit Author, quàm quia mens rationalis quanto ſtudioſius, ſcilicet cum majori ſtudiò aut conatu, ad se discendum, id eſt, ad inveſtigandum & cognoscendum suam propriam naturam intendit, tanto efficacius ad illius summæ eſſentiæ, ad Dei cognitionem ascendit: & quantum seipsam intueri negligit; tantum ab ejus speculatione descendit; hoc eſt, multo minus Deum cognoscit? Lege libb. 9. & 10. D. Aug. de Trinit. & attentè percurre, ut scias cur Author noſter, non qualitercumque sed ſtudioſius ſive cum ſtudio & conatu ſingulari indagandam & discendam eſſe mentis animæque nostræ naturam, dicat, moneat, & hortetur.

---

* Al. cap. 65.

CAPUT LXVII.*

Quòd mens ipsa speculum ejus & imago ejus ſit.

APTISSIME igitur ipsa ſibimet eſſe velut speculum dici poteſt, in quo ſpeculetur, ut ita dicam, imaginem ejus quam facie ad faciem videre nequit. Nam ſi mens ipsa ſola ex omnibus quæ facta ſunt, sui memor & intelligens & amans eſſe poteſt: non video cur negetur eſſe in illa vera imago illius eſſentiæ, quæ per sui memoriam & intelligentiam & amorem in Trinitate ineffabili conſiſtit. Aut certe inde verius eſſe illius se probat imaginem: quia illius poteſt eſſe memor, illam intelligere & amare. In quo enim major eſt & illi ſimilior; in eo verior illius eſſe imago cognoscitur. Omnino autem cogitari non poteſt rationali creaturæ naturaliter eſſe datum aliquid tam præcipuum tamque ſimile summæ sapientiæ, quàm hoc, quia poteſt reminisci & intelligere & amare id quod optimum & maximum eſt omnium. Nihil igitur aliud eſt inditum alicui creaturæ, quod ſic præferat imaginem creatoris.

COMMENTARIUS.

CAPIT. LXVII.

Aptissime igitur ipsa ſibimet eſſe velut speculum dici poteſt &c.

1 Ex dictis in duobus proximis capp. dexterè colligit Author mentem rationalem ſibimet velut ſpeculum eſſe, quatenus ſeipsam speculando, cognoscendo imaginem Dei in seipsa tamquam in quodam speculo formatam quaſi ex reflexione luminis divini intellectus, juxta illud Psalmi, *ſignatum est super nos lumen vultus tui, Domine*, ſic com-

compendiosa via ad cognoscendum creatorem suum optime perducatur. Unde concinne & egregie Aug. 15. de Trinit. cap. 8. super illud Ap ad Corinth. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate*, inquit: *Quale ſit & quod ſit hoc ſpeculum ſi quæramus, profectò illud occurrit, quòd in ſpeculo niſi imago non cernitur. Hoc ergo facere conati ſumus, ut per imaginem hanc quod nos ſumus videremus utcumque à quo facti ſumus, tamquam per ſpeculum.* Et in cap. 9. ejusdem lib.: *Cum igitur ſpeculi & ænigmatis nomine quæcumque ſimilitudines ab Ap. ſignificatæ intelligi possint, quæ accommodatæ ſunt ad intelligendum Deum, eo modo quo potest, nihil tamen est accommodatius quàm id quod imago ejus non frustra dicitur.*

2 Sed ubi dicitur? In Ap. 1. ad Corinth. cap. 11. Respondet Aug. in eodem cap. 9. *Vir*, inquit Ap. *non debet velare caput, cùm ſit imago & gloria Dei.* Quod tam in illo cap. quàm in 7. 12. lib. Aug. non de sexu sed de mente interpretatur. Unde ibi super illud Ap. ad Collosenſ. 3. *Exuentes vos veterem hominem cum actibus ſuis, induite novum qui renovatur in agnitionem Dei secundum imaginem ejus qui creavit eum*, exponendo colligit Aug. *Si ergo spiritu mentis nostræ renovamur* (citaverat quoque illud ad Epheſ. 4. *Renovamini spiritu mentis vestræ*) *& ipse est novus homo qui renovatur in agnitionem Dei secundum imaginem ejus qui creavit eum, nulli dubium est non secundum corpus, neque secundum quamlibet animæ partem, ſed secundum rationalem mentem ubi poteſt eſſe agnitio Dei, hominem factum ad imaginem ejus qui creavit eum.*

3 *Nam si mens ipsa sola ex omnibus quæ facta sunt &c.* Supponit hic Author solam rationalem mentem ex omnibus creaturis suimet esse & memorem, & intelligentem & amantem, aut solam ipsam esse posse suimet memorem, intelligentem & amantem, juxta dicta & exposita in cap. anteced. & in 32. At hinc colligit & simul probat quod proxime dixit, solam ipsam inter creata imaginem Dei esse. *Nam*, teste D. Thom. 1. part. quæst. 35. art. 1. *Non quæcumque ſimilitudo ſufficit ad rationem imaginis, ſed ſimilitudo quæ est in ſpecie rei, vel saltem in aliquo ſigno ſpeciei.* Hoc est: Imago est similitudo alterius rei, in eo quod magis specificum, & proprium ipsius est. Quid magis proprium, &, ut more nostro loquamur, specificum in Deo quàm quòd suimet sit memor, intelligens, amansque? In his quippe sicut designantur processiones ad intra, juxta dicta in tot capp. antecedentibus, ita & ipsa Trinitas personarum. Deus vero ut trinus nihil habet in rebus creatis simile, nisi mentem rationalem. Patronum hujus sententiæ habemus Aug. ajentem in ipso calce lib. 10. de Trinit. *Est quædam imago Trinitatis ipsa mens & notitia ejus quod est proles ejus ac de seipsa verbum ejus, & amor tertius, & hæc tria unum atque una substantia. Nec minor proles, dum tantam se novit, quanta est: nec minor amor, dum tantum se diligit quantum novit & quanta est.* Nam in reliquis creaturis ut constat ex eodem Aug. 6. de Trinit. cap. 10. atque in aliis libb. solum invenitur quoddam vestigium Trinitatis. Sed ut in 1. Sentent. distinct. 3. quæst. 2. art. 3. ait D. Thom. non in omnibus creaturis vestigium Trinitatis reperimus, sed in his duntaxat quæ consequuntur esse perfectum à Deo. *Unde in his tantum*, inquit, *ſimpliciter est invenire vestigium quæ perfecta sunt in se: & hujusmodi sunt tantum individua in genere ſubstantiæ.* Et ibidem quæst. 3. art. 1. in corp. ait, *Quòd imago in hoc difert à vestigio, quòd vestigium est confusa ſimilitudo alicujus rei & imperfecta; imago autem representat rem magis determinate secundum omnes partes, & dispoſitiones partium, ex quibus etiam aliquid de interioribus rei percipi potest. Et ideo in illis tantum creaturis dicitur esse imago Dei quæ propter sui nobilitatem ipsum perfectius imitantur, & representant: & ideo in Angelo & homine tantum dicitur imago divinitatis & in homine secundum id quod est in ipso nobilius.* Et quæst. 2. art. 1. ad 3. ait, *Quòd per vestigium non devenimus in cognitionem personarum niſi valde confuse.* Et 1. part. quæst. 93. art. 6. in corp. ait: *Cùm increata Trinitas distinguatur secundum processionem Verbi à dicente, & Amoris ab utroque, ut supra habitum est: in creatura rationali, in qua invenitur processio verbi ſecundum intellectum, & proceſsio amoris secundum voluntatem, potest dici imago Trinitatis increatæ per quandam representationem speciei. In aliis autem creaturis non invenitur principium verbi, & verbum, & amor, ſed apparet in eis quoddam vestigium quòd hæc inveniantur in causa producente::: Sic igitur in homine invenitur Dei ſimilitudo per modum imaginis secundum mentem, ſed secundum alias partes ejus per modum vestigii.* Conferatur Mag. Sentent. pro intelligentia præcipue D. Aug. in 1. lib. distinct. 3.

4 *Aut certe inde verius, &c.* Non retractat Anselmus quæ mox ipse de rationali mente dicebat: sed addit, verius, melius & perfectius rationali menti convenire Trinitatis imaginem esse, quia memor potest esse Dei trini in personis uniusque in substantia, illumque intelligere illumque amare, quàm eo quòd sui ipsius mens memor sit, seipsam noscat, seipsamque diligat. Nam cum dixerimus imaginem non qualitercumque similem debere esse, sed in eo quod magis proprium alterius est, cujus imago dicitur; ut patet in imaginibus hominum sive quæ homines in individuo representant: hinc consequens est, ut quanto conformior suo prototypo imago, tanto verior atque perfectior. Rationalis mens in prædicto sensu similis Trinitati; in modo intra se operandi, aut se movendi intra se, in eo scilicet, ut inquiebat D. Thom. quòd in mente noscente & amante se, sunt quædam similes processiones processionibus divinis, quatenus Deus seipsum noscit & amat: at similior est Trinitati in eo quòd etiam ipsa mens memor est ipsius Dei, noscit & diligit ipsum Deum: quod est habere ipsum Deum ex parte objecti instar cujusdam principii memoriæ suæ, notitiæ, & amoris. Unde convenit cum Deo non solùm ex parte potentiæ generativæ, & spirativæ, sed etiam ex parte objecti. Uno verbo: in primo sensu convenit cum Deo mens rationalis, quoniam habet seipsam pro objecto memoriæ suæ, notitiæ, amoris; sicut Deus semetipsum pro objecto memoriæ suæ, sapientiæ, & amoris habet: in secundo autem mens rationalis convenit cum Deo quia pro objecto ipsum Deum habet, quemadmodum habet etiam seipsum Deus. Hæc est vis & virtus illorum verborum Authoris: *In quo enim major est, & illi similior, &c.* Itaque concludit: *nihil igitur aliud est inditum alicui creaturæ, quod sic præferat imaginem creatoris.*

5 Hanc doctrinam Anselmus ab Aug. accepit in lib. 14. de Trinit. cap. 12. ajente: *Hæc igitur Trinitas mentis non propterea Dei est imago, quia sui meminit mens, & intelligit, ac diligit se: sed quia potest etiam meminisse & intelligere, & amare à quo facta est.* Eamdem tradit doctrinam cap. 4. ejusdem lib, & lib. 15 de Trinitat. cap. 21. Sed quamvis D. Aug. negare videatur rationalem mentem imaginem Dei esse, quia sui meminit mens & intelligit ac diligit se, vel in quantum sui memor est, intelligens atque diligens; non ita est: Sed exponendus est juxta litter. D. Anſ in præsenti cap. Alioquin S. Doct. sibi metipsi adversaretur, quandoquidem paulo supra verba retulimus in quibus aperte ait quòd *est quædam imago Trinitatis, ipsa mens & notitia ejus quod est proles ejus ac de seipsa verbum ejus, & amor tertius.* In quibus de mente loquitur non secundumquod meminit Dei, ipsum noscit & amat, sed quatenus memor est sui ipsius, seipsam noscit, ac diligit: tum quia ait quòd de seipsa est verbum ejus: tum quia subjungit: *Nec minor proles, dum tantam se novit mens, quanta est: nec minor amor dum tantum se diligit quantum novit & quanta est.* Adde quod in 14. de Trinit. cap. 8. apud Mag. Sentent. lib. 1. distinct. 3. inquit: *In ipsa mente etiam antequam sit particeps Dei, ejus imago reperitur: etsi enim amissa Dei participatione deformis sit, imago tamen Dei permanet. Eo enim ipso imago Dei est mens quo capax est ejus, ejusque esse particeps potest. Jam ergo in ea Trinitatem, quæ Deus est, inquiramus. Ecce enim mens sui meminit, intelligit se, diligit se. Hoc si cernimus, cernimus Trinitatem: nondum quidem Deum, sed imaginem Dei. Hic enim quædam apparet Trinitas memoriæ, intelligentiæ, & amoris.* Veruntamen Mag. Sentent. distinct. citata lectorem monet, *Caveat ne hanc imaginem ab eadem Trinitate factam ita ei comparet ut omnino existimet similem; sed potius in qualicumque ista similitudine, magnam quoque dissimilitudinem cernat. Quod breviter ostendi potest.*

6 „ Homo unus per illa tria intelligit, meminit, diligit: quia nec memo-
„ moria est, neque intelligentia, nec dilectio; sed hæc habet. Unus ergo homo est qui
„ habet hæc tria, non tamen ipse est hæc tria. In illius vero summa simplicitate natu-
„ ræ, quæ Deus est; quamvis unus sit Deus, tres tamen personæ sunt, Pater, & Fi-
„ lius, & Spiritus Sanctus; & hæ tres sunt unus Deus. Aliud est itaque Trinitas res
„ ipsa, aliud imago Trinitatis in re alia: propter quam imaginem etiam illud in quo
„ sunt hæc tria, imago dicitur, id est homo, sicut imago dicitnr & tabula & pictura
„ quæ est in ea; sed tabula nomine imaginis appellatur propter picturam quæ est
„ in ea.

7 „ Rursus ista imago quæ est homo, habens illa tria, una persona est; illa
„ vero Trinitas non una persona est sed tres personæ, Pater Filii, & Filius Patris,
„ & Spiritus Patris & Filii. Itaque in ista imagine Trinitatis non hæc unus homo, sed

unius

„ unius hominis sunt. In illa vero summa Trinitate, cujus hæc imago est, non unius „ Dei sunt illa tria, sed unus Deus; & tres sunt illæ personæ, non una persona. „ Illa enim tria non homo sunt, sed hominis sunt, vel in homine sunt: sed numquid „ possumus dicere, Trinitatem sic esse in Deo ut aliquid Dei sit, nec ipsa sit Deus? „ Absit ut hoc credamus. Dicamus ergo in mente nostra imaginem Trinitatis, sed exi- „ guam, & qualemcumque esse, quæ summæ Trinitatis ita gerit similitudinem, ut ex „ maxima parte sit dissimilis. Hucusque Mag. Hucusque & nos super hoc cap.

CAPUT LXVIII.*

*Al. cap. 65

Quòd rationalis creatura ad amandum illam facta sit.

CONSEQUI itaque videtur quòd rationalis creatura nihil tantum debet studère, quàm hanc imaginem sibi per naturalem potentiam impressam, per voluntarium effectum exprimere. Etenim præter hoc, quòd creanti se debet hoc ipsum quod est: hinc quoque, quia nihil tam præcipuum posse, quàm reminisci & intelligere & amare summum bonum, cognoscitur; nimirum nihil tam præcipue debere velle convincitur. Quis enim neget quæcumque meliora sunt in potestate, ea magis esse debere in voluntate? Denique rationali naturæ non est aliud esse rationalem, quàm posse discernere justum à non justo, verum à non vero, bonum á non bono, magis bonum à minus bono: hoc autem posse omnino inutile est illi & supervacuum, nisi quod discernit, amet vel reprobet, secundum veræ discretionis judicium. * Hinc itaque satis patenter videtur omne ra- * Al. cap. 66. tionale ad hoc existere, ut sicut ratione discretionis aliquid magis, vel minus bonum sive non bonum judicat; ita magis, aut minus id amet aut respuat. Nihil igitur apertius quàm rationalem creaturam ad hoc esse factam, ut summam essentiam amet super omnia bona, sicut ipsa est summum bonum: imò ut nihil amet nisi illam aut propter illam; quia illa est bona per se, & nihil aliud est bonum nisi per illam. Amare autem eam nequit, nisi ejus reminisci, & eam studuerit intelligere. Clarum est ergo rationalem creaturam, totum suum posse & velle ad memorandum, & intelligendum & amandum summum bonum impendere debere, ad quod ipsum esse suum se cognoscit habere.

COMMENTARIUS.

CAPIT. LXVIII.

Consequi itaque videtur &c.

1 Ex dictis in cap. proximo Author, tum verum dicendo, tum exhortando ad quod justum est, colligit, *quòd rationalis creatura nihil tantum debet studere, quàm hanc imaginem sibi per naturalem potentiam*, id est, in sua potentia vel potentiis naturalibus, seu potius in anima rationali secundum tres potentias naturales, memoriam, intellectum, voluntatem, *impressam*, *per voluntarium effectum exprimere*: hoc est, talem se ostendere in suis actionibus, & motibus voluntariis, qualem exigit ratio imaginis divinæ essentiæ & Trinitatis. Si enim in naturalibus operari sequitur esse, vel semper est secundum esse: ergo operatio imaginis naturalis, tametsi exiguæ, & valde imperfectæ, Dei, & Trinitatis, debet semper se movere, & operari secundum esse imaginis Dei. At esse imaginis Dei, est secundum Deum, vel conforme divinæ essentiæ.

Er-

Ergo omnis motus & operatio imaginis Dei, ut imaginis Dei, quæ ſine dubio eſt omnis libera motio, & omnis operatio libera, debet eſſe ſecundum Deum, id eſt, conformis voluntati, & operationi ipſius Dei.

2 *Etenim præter hoc, quod creanti se, &c.* Præter nunc expoſitam rationem phyſicam vel metaphyſicam, alias tres partim ad ethicam, partim etiam ad phyſicam ſeu metaphyſicam pertinentes, in probationem illius conſequentiæ qua caput inchoat Author, exhibet ac expendit. Prima continetur in his verbis: *Etenim præter hoc &c.* Secunda incipit Ibi: *Hinc quoque*; quæ in eádem periodo continuó ſuccedunt. Tertia incipit in his verbis: *Denique rationali naturæ.*

3 Prima ergo fundatur in hoc. Creatura debet ſuo creatori totum quod ipſa eſt, quandoquidem ex nihilo ab ipſo facta. Ergo jura gratitudinis, ipſiusque naturæ exigunt, ut totum ſuum eſſe Deo acceptum grata voluntariè referat; totumque ſubjiciat ſuo Authori; illi ſerviat, illi perpetuó obediat: tum quia creator est totius suæ naturæ; tum quia perpetuus, & absolute neceſſarius ejusdem totius ſuæ naturæ conservator. Prima pars hujus diſcurſus ex communi hominum aprehenſione circa obligationem ex accepto beneficio contractam, desumitur. Altera pars ex universali lege & jure Parentum in filios: quod quidem jus in acceptione naturæ per Patris generationem fundamentum habet. Itaque eſt argumentum á minori, vel minus forti lege & obligatione ad majorem & fortiorem. Non eſt comparatio æqualitatis inter id quod á Deo, & tamquam creatore, & tamquam benefactore, & tamquam conservatore, non de neceſsitate ſed de libertate Dei, habemus; & illud quod à Patribus naturalibus & aliis hominibus accepimus. Quapropter multo majorem gratitudinem, ſubjectionem, obedientiam, amorem Deo debemus, quam Parentibus naturalibus, & aliis quibuscumque noſtris benefactoribus. Secunda ratio hujus est efficaciæ. Creatura rationalis nihil potest bonum tam præcipuum, quàm meminiſſe & reminisci, intelligere, & amare summum bonum: perfectio enim & bonitas cùm potentiæ tum ipſius actus, ex objecto quod respicit, & termino quem attingit, dignoscitur. At summum bonum eſt objectum excellentiſsimum & super omnia bonum, finisque altiſsimus, & perfectiſsimus cui nihil valet comparari. Ergo hoc bonum eſt quod creatura rationalis principaliſsime, & super omnia velle debet. Probat conseq. Ratio naturalis dictat actus voluntatis debere ordinatos eſſe juxta habitudinem ipſius potestatis volendi: quia operari ſicut est aut debet eſſe secundum naturam uniuscujusque rei, ita debet procedere secundum poſſe vel possibilitatem ipſius naturæ. Ergo prius & vehementius debet creatura rationalis id velle quod prius omnibus est secundum distinctionem & institutionem suæ potestatis ad volendum; & inſimul melius omnibus est quæ ipsa potest amare. Hoc non niſi summum bonum est. Ergo ſummum bonum ſic debet diligi à creatura rationali.

4 Tertia denique ratio hujusmodi est. Naturam eſſe rationalem nihil est aliud, quàm poſſe discenere justum à non justo, verum à non vero, bonum à malo, magis bonum à minus bono. Hoc autem poſſe omnino inutile est illi, & supervacaneum, niſi quod discernit, amet vel reprobet secundum veræ discretionis judicium. Ergo creatura rationalis, ne rationalis otiosé & in vanum ſit, amare debet super omnia eſſentiam summam; cum bona ſit super omnia, & summum bonum. Nam ſicut in cap. 49. arguebat Author, *otiosa & penitus inutilis est memoria & intelligentia cujuslibet rei; niſi prout ratio exigit, res ipsa ametur aut reprobetur.* Si ergo ratio judicat, ſicut reipsa censet, summum bonum super omnia amabile eſſe, atque adeo amandum super omnia; otiosa & inutilis eſſet, immo & est, hæc discretio rationis, quandiu, vel actu, vel ſaltem habitu summum bonum, quod sine dubio est finis ultimus & Deus ipſe, non diligit super omnia. Ergo nihil apertius quàm quod hìc dicit Author, creaturam rationalem ad hoc eſſe factam. Nam cum non poſsit cogitari ad hoc eſſe factam à Deo ut otiosa & inutilis ſit: neceſſario omnino consequitur factam eſſe ut ipsum Deum ſuper omnia diligat, & reliqua omnia inferiora bona propter ipsum tamquam propter ultimum finem. Ratio est manifesta: quia summa eſſentia vel Deus est per se bonus; & cœtera omnia non ſunt bona niſi per illum, ſive quia ille ipsa fecit bona. Quod autem Deus ſit summum bonum, & ſit per se, vel à se bonum, & reliqua bona non niſi ab ipso eadem faciente bona, non probat hìc Author, quia probatum illud supponit in cap. 1.

5 *Amare autem eam nequit, &c.* Subjungit Author hanc alteram propoſitionem, quam pariter supponit probatam in cap 50.: immo apud omnes certam; cum in ore ſit omnium: Nihil amatum, niſi præcognitum. Sed non minori certitudine procla-

ma-

mari à cunctis poterit : Nihil cognitum, nihil cogitatum, quin prius sit memoratum. Itaque in primo axiomate hoc ultimum continetur. Ergo certissimum est quod subjicit Author, creaturam scilicet rationalem diligere non posse summam essentiam, summum bonum, vel Deum, nisi ejusdem reminisci, ipsumque intelligere vel agnoscere studuerit. Sed non est intelligendus Author de amore duntaxat habituali, sed de actuali. Reminiscentia enim necessaria est ad actum, non ad habitum voluntatis. Sicut neque studium cognoscendi Deum est necessarium absolute ad charitatem habitualem, ut patet in parvulis ante rationis usum: sed tamen necessarium est in adultis etiam ad habitum quantum ad primam receptionem illius in ea ætate, & quantum ad augmentum, & quantum ad conservationem; & in hoc triplici sensu intelligendus quoque est Author. Si autem, & reminiscentia & studium intelligendi accipiantur pro potentia reminiscendi & studendi intelligere: verissima est etiam in hoc sensu propositio Authoris. Nullus enim habet potentiam amandi qui non habeat potentiam reminiscendi, si fuerit homo, & potentiam intelligendi, & intelligere studendi.

6 *Clarum est ergo &c.* Continuó subjicit Author postremo colligendo quòd cúm esse, & posse creaturæ rationalis ordinatum sit á Deo ad memorandum, intelligendum, & amandum summum bonum quod est ipse Deus, consequenter debet ipsa creatura rationalis totum suum esse & posse impendere in memorando (intellige actu, vel habitu, & in virtute, aut virtualiter) in intelligendo, in amando Deum super omnia & cœtera propter ipsum.

7 Totus hic tertius discursus ab illis, ut diximus, verbis incipiens, *Denique rationali naturæ non est aliud esse rationalem*, tametsi non iisdem omninò vocibus, & ordine, repetitur ab Authore, lib. 2. *cur Deus homo*, cap. 1. Aliquam tamen ibi adjungit consequentiam, hic omissam, quia ipsâ hic non erat opus. Addit quippe rationalem creaturam creatam fuisse in justitia, cúm sine justitia exequi non posset id ad quod facta est, nempe amare super omnia summum bonum.

8 Sed revertendo ad reflexam ejusdem discursus considerationem, prima propositio difficultati obnoxia est. Rationalitas quippe definitur á Philosophis, saltem hominis rationalitas: *principium discurrendi*; non vero definitur potestas, vel principium discernendi justum à non justo &c. Secunda item propositio non videtur esse vera; cùm id quod est prius ac nobilius non sit otiosum aut inutile absque eo quod est naturâ posterius, & minus nobile. Prior autem, & nobilior est, juxta D. Thom. 1. part. q. 82. art. 3. intellectus quàm voluntas.

9 Verum à 1. objectione non est difficile primam Anselmi expedire propositionem. Concedimus rationalitatem, hominis saltem, ita á Philosophis Scholæ (quæ antiquissima non est) definiri, vel potius describi. Cœterum inficiamur tam apte ab eis definiri, sicut ab Anselmo definitur. Prima ratio nostra hæc est: quia rationalitas prius intelligitur principium intelligendi seu discernendi aliquas primas & universales ideas, aut veritates necessarias, quæ etiam dicuntur prima principia, quàm concipiatur ut principium discurrendi. Discurrit namque intellectus ex veritatibus illis necessariis, tamquam ex principiis, absque ullo discursu notis. Discursus enim est motus intellectus de uno noto ad aliud ignotum. Secunda ratio est: quia dubium & disputatio satis agitata est inter Modernos philosophos, ut legere est apud N. valde Illustrem atque eruditum Feijoo, tom. 3. sui Theatri, discursu inscripto, *Rationalitas brutorum*, utrum brutis sit aliqua rationalitas, eò quod videantur, aliquos formare, facere ve discursus. Unde admissa Anselmi definitione naturæ rationalis, nullum supereſt dubium quin, tametsi brutis aliquis sit discursus, rationalia nequaquam sint. Nemo quippe ambigere potest, discretionem habeant, necne, bruta inter justitiam, & injustitiam, verum & falsum, bonum, & malum; aut comparationem faciant minoris boni cum majori bono, vel hujus cum illo. Deinde in definitione Anselmi ponitur discretio: quæ, ut diximus, prior naturâ est quolibet discursu. Denique exprimitur rationalitas comparative ad omnino spirituale objectum, justitiam scilicet ac veritatem, & quæ cum ipsis oppositionem habent. Non sic in alia vulgari definitione. Ergo definitio Anselmi anteferenda.

10 Secundæ vero propositionis Anselmi etsi difficiliùs ratio inveniatur, utpote profundior; nihilominus tamen reperitur ea quæ, ni fallor, satisfaciat objectioni. Nam ratio, cur discretio illa mentis, vel intellectus inter justum & non justum &c. inutilis tunc casús esset, ac supervacanea, est, quia cúm omnes potentiæ sint propter ultimó perficiendum subjectum, cui insunt; si aliqua potestas sit quæ sine altera nequeat ultimam subjecto perfectionem comparere, deficiente illa altera, inutilis & tamquam

superflua erit illa potentia quæ reſtet. Sine potentia vero amandi & minora, & majora bona & ipsum summum bonum, rationalis natura aſsequi non poſſet ſuam conſummatam perfectionem. Nam perveniri ſolum poteſt ad illam perfectionem per motum, & profectionem rationalis naturæ in eamdem conſumatam perfectionem. Motio autem illa eſt quædam inclinatio aut quidam intimus impulsus rationalis naturæ: quæ inclinatio, impulſusve nihil aliud intelligitur, quàm vel amor vel deſiderium, vel appetitio. Sine aſſecutione autem ſummi boni non eſt perfectio conſumata creaturæ rationalis: ſine aliis vero inferioribus bonis conducentibus non est via ad scandendum in tantam altitudinem. Præter summum quippe bonum, non invenietur quod implere possit capacitatem, vacuitatem rationalis creaturæ. Hæc nimirum vacua capacitas ex ipsa amplitudine ad discernendum bona minora, majora, & summum, satis dignoscitur. Unde quamvis prior ſit tam ampla potentia discernendi, nihil impedit quominus propter implendum vacuam capacitatem potestatis amandi ſit. Vera est igitur Anselmi etiam secunda propoſitio.

11 Illud vero quod additur ex D. Thom. tametſi certò admittendum ab Anselmo judicemus (id quod certe nescimus) nihil officit rationi ipſius Anselmi, attenta nostra expoſitione, de nobilitatis exceſſu ex parte intellectus, comparative ad voluntatem. Nam quòd intellectus prior voluntate ſit certiſsimum est. Ad exceſſum vero nobilitatis quod expectat; non est ita certum voluntatem minus nobilem eſſe potentiam, quàm est intellectus. Denique illud nihil vetat ne vera ſit èadem Anselmi propoſitio; quoniam ibidem D. Thom. dicit meliorem eſſe, relate ad summum bonum, amorem, quàm intellectio est summi boni; eò quòd voluntas ex sua natura tendat in bonum ut in seipso est; intellectus vero suum objectum attingat, secundum quod in ipso intellectu est; ſive perficitur per hoc quod veritas rei in ipso intellectu ſit: quia voluntas fertur à rebus; intellectus vero trahit res ad se: at multo melius est Deus in seipso quàm in quolibet creato intellectu. Melior est ergo amor, saltem in hac vita, ipſius Dei, vel quo diligimus Deum, quàm cognitio, per quam cognoscimus ipsum Deum.

---

* Al. cap. 67.

CAPUT LXIX*

Quòd anima semper illam amans, aliquando vere beate vivat.

DUBIUM autem non eſt animam humanam eſſe rationalem creaturam: Ergo neceſſe eſt eam eſſe factam ad hoc ut amet summam eſſentiam. Neceſſe eſt igitur eam eſſe factam, aut ad hoc ut ſine fine amet; aut ad hoc, ut aliquando vel sponte vel violenter hunc amorem amittat. Sed nefas eſt æstimare ſummam sapientiam ad hoc eam feciſſe, ut aliquando tantum bonum, aut contemnat, aut volens tenere, aliqua violentia perdat. Reſtat igitur eam eſſe ad hoc factam, ut ſine fine amet summam essentiam. At hoc facere non poteſt, niſi semper vivat. Sic igitur eſt facta ut semper vivat, ſi semper velit facere ad quod facta eſt. Deinde inconveniens nimis eſt summe bono, summeque ſapienti & omnipotenti creatori, ut quod fecit eſſe ad se amandum, id faciat non eſſe, quandiu verè amaverit; & quod ſponte dedit non amanti, ut semper amaret, id auferat, vel auferre permittat amanti, ut neceſsitate non amet; præsertim cùm dubitari nullatenus debeat quòd ipse omnem naturam se vere amantem amet. Quare manifeſtum eſt, humanæ animæ nunquam auferri ſuam vitam, ſi semper ſtudeat amare summam vitam. Qualiter ergo vivet? Quid enim magnum eſt longa vita, niſi ſit à moleſtiarum incurſione verè secura? Quisquis enim dum vivit, aut timendo aut patiendo molestiis ſubjacet, aut falsa securitate fallitur, quid niſi misere vivit? Si quis autem ab his liber vivit, beate vivit. Sed abſurdiſsimum eſt, ut aliqua natura semper amando illum, qui eſt summe bonus & omnipotens, semper mi-

misere vivat. Liquet igitur humanam animam hujusmodi esse, ut si servet id ad quod est, aliquando vere secura ab ipsa morte & ab omni alia molestia beate vivat.

COMMENTARIUS.

CAPIT. LXIX.

Dubium autem non est animam humanam esse rationalem creaturam: ergo necesse est eam esse factam ad hoc ut amet summam essentiam.

1 Cùm in anteriori capite probaverit Author creaturam rationalem in genere sive titulo præcise rationalis, ejusque attenta speciali similitudine cum Deo, introspectaque ejus natura & definitione, factam esse ad memorandum, intelligendum,& super omnia amandum ipsum Deum: nunc recta quidem & proxima consequentiâ, subdit & colligit, quòd cùm certum sit, animam humanam, scilicet qua constituitur homo, esse rationalem creaturam, necesse sit ut ad amandum summam essentiam sive Deum fuerit facta.

2 *Necesse est igitur eam esse factam, aut ad hoc, ut sine fine amet, &c.* Sed ex illa clara atque legitima illatione statim procedit Author arguendo, & hoc dilemma facit. Vel anima rationalis est facta ad amandum summam essentiam, vel Deum,sine fine; aut ad amandum pro aliquo tantum tempore: & hoc vel erit quia sponte; vel quia vi aliqua seu violentia impedienda est ab amore. At nefas est cogitare, quòd summa sapientia, quæ summa essentia & Deus est, animam fecerit rationalem, eo fine ut rejiciat aut reprobet tantum bonum, quantum est ipsa summa sapientia, summa essentia, Deus ipse: aut etiam quòd ipsa summa sapientia permittat ut, anima rationali volente in amore tanti boni perseverare, ab hoc amore per aliquam vim superiorem, per violentiam dejiciatur, avellatur. Ergo necesse est dicere rationalem animam factam esse ut non pro aliquo tantum tempore, sive sponte sive violenter, sive quia vult, sive,quia velle non permititur, Deum amet; sed factam esse ut sine fine, ut in sempiternum summam essentiam & Deum amet.

3 Vis hujus discursus in eo stat, quòd impossibile sit ut summa sapientia voluerit rationalem animam condere ad diligendum Deum amore indigno, amore qui nequaquam deceat tantum bonum. At amor ad tempus duntaxat, non semper duraturus, qui talis sit attenta institutione creatoris, indignus est qui sit á Deo, indignus est Deo, dedecetque penitus tantum bonum. Bonum quippe summum etiam æternum est, idemque sine ulla mutatione semper in se manet. Ergo semper & sine intermissione,saltem in affectu, & intentione ipsius amoris, exigit amari. Nam semel ametur, nulla supervenire causa potest aut ratio ex parte summi & invariabilis boni, ut vel cesset amor erga ipsum, vel multo minus ut reprobetur, ut rejiciatur. Non ergo contra tam essentiale jus summi boni potuit summa sapientia, creando animam rationalem, intendere, ut vel aliquando sua sponte ab amando Deum cessaret; vel permittere ut posset aliqua fortior vis esse, qui ipsam cogeret animam rationalem ut ipsum Deum amare cessaret, ut tantum bonum repelleret, reprobaret.

4 Monitum tamen lectorem volo, oblivioni ne tradat, vim argumenti in intentione & institutione Dei animam creantis rationalem, donantisque facultatem ad amandum summum bonum, totam positam esse. Nam alioquin certum omnino est animam posse rationalem sponte cessare ab amore Dei; cùm libere amet. Cæterum dum cessat (subintellige tam habitu, quàm actu) non ita facit ex intentione & institutione Dei illam potestatem conferéntis, sed duntaxat culpâ ipsius animæ rationalis, & hominis. Deinde monitum volo, ut tam in præcedenti, quàm in præsenti cap. non debeat judicare, Authorem de amore Dei super omnia ordinis supernaturalis fuisse locutum; sed vel de naturali amore vel de supernaturali.

5 *At hoc facere non potest nisi semper vivat &c.* Detegit jam Author, ad quod intendit animum in hoc cap. Duo quippe maxime probare intendit, & probat: primum, quód anima rationalis immortalis sit: secundum, quòd ad veram beatitudinem sit destinata, ad quam aliquando perventura, modó per suam culpam non stet ut non perveniat.

De

6 De animæ rationalis substantia, Spiritus an corpus, & quale corpus, atque adeo mortalis sit an immortalis, miserrime aliucinati, mirum quantum inter se digladiati sunt prisci Gentiles Philosophi. Nam referente Aug. lib. 10. de Trinit. cap. 7. „ Alii sanguinem, alii cerebrum, alii cor:: Ipsam omnino particulam corporis quem in „ visceribus dilaniatis videmus eam esse putaverunt. Alii ex minutissimis, individuis„ que corpusculis, quas atomos dicunt, concurrentibus in se atque coherentibus, eam „ confici crediderunt. Alii aerem, alij ignem, substantiam ejus esse dixerunt. Alii eam „ nullam esse substantiam, quia nisi corpus nullam substantiam poterant cogitare, & „ eam corpus esse non inveniebant: Sed ipsam temperationem corporis nostri, vel com„ pagem primordiorum, quibus ista caro tamquam connectitur, esse opinati sunt. Eòque „ hi omnes eam mortalem esse senserunt, quia sive corpus esset, sive aliqua compositio cor„ poris, non posset utique immortaliter permanere. Qui vero ejus substantiam vitam „ quandam, nequaquam corpoream, quandoquidem vitam omne vivum corpus animan„ tem ac vivificantem esse repererunt; consequenter & immortalem, quia vita carere vi„ tâ non potest, ut quisque potuit, probare conati sunt. Hactenus Aug. qui etiam 18. lib. de Civit. Dei, cap. 41. ait, Quòd ex Gentilibus Philosophis *alij fuerint asserentes, immortales esse animas, alij mortales; & qui immortales, alij revolvi in bestias, alii nequaquam; qui vero mortales, alii mox interire post corpus, alii vivere etiam postea, vel paululum, vel diutius, non tamen semper.*

7 Hoc de anima rationali dissidium non tantummodo inter Philosophos minus illustres notatur. Idem inter ipsorum facilè principes S. Justin. M. & ipse Philosophus notavit. *Plato quidem*, dicit S. Martyr cohortat. ad Græcos, num. 6. (utor editione Doctissimi Prudentii Maran Monachi Cong. S. Maurii) *Plato quidem*, inquam, *Anima omnis immortalis, clamat: Aristoteles vero perfectionem & actum eam appellans, non immortalem, sed mortalem esse discernit.* Hi autem omnes cœci erant, ac duces cœcorum. Transeamus igitur eos, & ad nostrum oculatissimum, ac desuper illuminatum ducem atque Doctorem S. Anselmum stylum vertamus.

8 Itaque probato quòd anima rationalis á Deo, ut ipsum in sempiternum amet, fuerit creata; evidenti illatione colligit, illam creatam esse ut vivat in sempiternum. Sine vita quippe quomodo amabit? Quandoquidem dilectio vita aut vivere est. Parens Aug. lib. 13. de Trinitate cap. 8. ex alia ratione probat rationalis animæ immortalitatem: ex idea nimirum, quam omnes habent beatitudinis, quamque omnes, nullo excepto, ardentissime appetunt. *Cum ergo beati*, inquit, *esse omnes homines volunt, si verè volunt, profectò & esse immortales volunt: aliter enim beati esse non possent. Denique & de immortalitate interrogati, sicut & de beatitudine, omnes eam se velle respondent.* Solidissima certe ratio. Immortalitatem probare animæ rationalis ex proposito conatur in libb. Soliquiorum per æternitatem veritatis. Lege, lector, si tibi placuerit.

9 *Deinde inconveniens nimis est summe bono &c.* Hoc maximum inconveniens, hæc maxima ve indecentia, tametsi cuique, mente non nimis obtuso, satis perspicue dissona per se atque offensiva præsentetur: nihilominus unde ortum ducat exponere nimis tardis mentibus, placet. Nempe inconveniens est maximum quòd creatura constantior sit in amando Deum, quàm Deus in amore creaturæ. Creatura quippe, quantum in se esset, absque fine sive in sempiternum amaret Deum: cùm amor non cessaret in ipsa, nisi quia Deus ab ipsa vellet vitam auferre; vel saltem impedire potens, ne ab alia causa auferretur, non impediret. Hoc autem, prosequente Deo amore creaturam, & in eo perseverante, nequaquam posset accidere: amor namque Dei est unica causa vitæ creaturæ. Non ergo cessaret tam bonus hic effectus, si non cessaret illa unica causa. Ergo Dei amor ad creaturam rationalem propter nullam aliam causam sive rationem cessaret, nisi quia Deus nollet amare suam creaturam: Cùm tamen ipsa rationalis creatura, quantum esset in se, permanere adhuc & semper vellet in amore ipsius Dei. Hoc autem sine dubio est tum contra naturam amoris divini, summi, & infiniti, tum contra summi boni naturam.

10 Deinde. Quæ sapientia est amicum seu vere amantem repellere, immo & destruere, nullâ causâ ad hoc existente, nullum motivum præstante amico vere diligente, quin potius ad contrarium per suam constantem dilectionem vocante, atrahente? Numquid decet Deum summe bonum, summe sapientem, deserere, interimere amicum, & verum sui amantem, quem ipsemet Deus fecit verum amantem & verum suum amicum? Si autem hoc dedecet maxime Deum: ergo contingere non potest ut Deus au-

fe-

ferat ab anima rationali vitam, vel auferri permittat; si ipsa in amore sui Dei perseveraverit. Ergo facta est à Deo anima rationalis ut semper viveret, & vivendo semper Deum amaret. Neque ratio Anselmi destituta authoritate & quidem antiquissima & gravissima, putetur. D. quippe Hilarius lib. 1. de Trinit, num. 9. (juxta edit. N. Coutantii Monachi Congreg. S. Mau.) eamdem aut consimilem tradit. *Porro autem*, inquit, *non est hoc Deo dignum ratio ipsa suadebat, deduxisse eum in hanc participem consilii, prudentiæque vitam hominem sub defectione vivendi & æternitate moriendi: ut in id tantum non existens substitueretur, ne subsistutus existeret; cum constitutionis nostræ ea sola esse ratio intelligeretur, ut quod non esset, esse cœpisset, non ut quod cœpisset esse, non esset.* Ubi „ super illa duo verba *non existens* Laudatus editor notat. Perinde est ac ex non existente „ conderetur. Attendenda etiam particula *ne* quæ ut hic, ita & aliás, pro *ut non* sæpius effertur. „ Scilicet, ut non existeret anima postquam homo existentia donatus est. Accedit ea quam tradit Hilarius ipse in expositione psalmi 118. litt. 4. *Neque enim*, inquit, *quisquam tam demens, aut inops sensu est, ut in id, cùm nullus esset, natum se esse existimet, ut rursum postquam natus est, nullus esset; cùm sine dubio meminerit ex bonitate Dei profectum esse quòd natus est, nec id in bonitatem ejus malitiæ cadat, ut in nobis hoc suum quo nascimur munus interimat.* Itaque S. Doct. Hilarius nos docet quód ipsamet ratio suadeat, Deo esse prorsus indignum sic hominem condere, ut moriendo, intereat quoque anima ipsius, atque adeo numquam resurgat, sed maneat in æternitate moriendi, id est, mortuus in æternum, sicut reliqua rationis & intelligentiæ expertia animalia. Indignum inquam: quandoquidem Deum, inquit, nequaquam decet sinere hominem omnino perire, ita ut neque in ipsa anima vivat, cui existentiam atque naturam nobilissimam tribuit ipse Deus, à sua solum atractus, & quasi impulsus bonitate, & dilectione. Denique S. Doct. dementem judicat eum qui, cùm antea nihil esset, se existimet natum talis naturæ, ut tota ipsius vita tam animæ quàm corporis pereat; cùm meminisse debeat quisque rationis compos, non posse in summam Dei bonitatem illud malitiæ cadere, ut absque hominis culpa, cui bene fecit, muneris liberaliter donati eum pœniteat. Itaque Anselmi ratio eadem Hilarii ratio est, eviscerata tamen, explicata, illustrata, fulta.

11 *Quare manifestum est humanæ animæ numquam auferri suam vitam, si semper studeat amare summam vitam.* Hoc ideo dicit Author, hancque adhibet conditionem sicut & paulo supra eamdem apposuit in illis verbis, *quandiu vere amaverit*: hoc, inquam, adjicit Author, eo quod in hoc cap. probare per has rationes non intendat, nisi immortalitatem animæ rationalis amantis summum bonum, & perseverantis in amore ejus. De hujusmodi animabus solúm loquendo, efficacissima est illa ratio, aut rationes illæ. Nam de contemnentibus amare id ad quod amandum sunt factæ, quamvis, attenta intentione Dei dantis esse ac potestatem ad semper amandum, eadem intentio probetur ad illas se extendere sub eadem conditione perseveranter diligendi summum bonum, non est satis per se efficax illa ratio: cùm ipse contemptus summi boni potuerit fortasis esse Deo causa vel ratio, ipsas animas contemnentes, in pœnam tam execrabilis contemptûs, existentiâ, vitâque privandi in perpetuum. Hypoteticè loquor. Nam de his peccatricibus animabus postea in cap. 71. per aliam rationem idem quod de non peccatricibus, sive non perseverantibus in peccato, probat Author.

12 *Qualiter ergo vivet? quid enim magnum est longa vita, nisi sit à molestiarum incursione vere secura?* Dexteré S. Doct. sermonem ducit, discursumque introducit in quæstionem tantopere à Philosophis agitatam de hominis beatitudine, sive omnium suorum desideriorum postremo. Itaque probata ab Authore bonæ animæ rationalis vita perpetua, suâ sponte occurrit animo interrogatio: & qualiter animæ, in amore tam constanter perseveranti, vivere correspondeat, miserè, an beate? Nàm quid prodest longa vita; quodnam magnum erit cuique beneficium *vivere* semper, molestiis, afflictionibus, doloribusque obnoxium? Nempe hujusmodi vita non est tam appetibilis quàm vita brutorum, quæ sine dubio multo minus digna sunt vitâ à molestiis libera, sensibusque jucunda: cùm multo nobilior sit hominis natura quàm sit natura brutorum. Quanto ergo minus congrua erit vita affecta molestiis, angustiis, cruciatibus, numquam interituris, bonis & constanter amantibus Deum rationalibus animabus? Hæ quippe bonæ sunt voluntatis propter bonam in Deum affectionem, propter amorem Dei super omnia.

13 *Quisquis enim dum vivit, aut timendo, aut patiendo molestiis subjacet, aut falsa securitate fallitur, quid nisi miserè vivit?* Hoc totum in idea, in notione ipsa miseriæ, cuique homini notæ, non est dubium quòd compre-

hendatur seu contineatur. Nilominus falsa securitas non tam perspicue videtur miserum facere: Cum sive delectatio, sive tristitia sequi magis videantur aprehensionem, quàm rem ipsam. Cœterum Anselmi sententiam confirmat P. Augusſt. 10. lib. de Civitat. cap. 30. *Nec veritate*, inquit, *ibi beata erit anima, quandiucumque erit, ubi oportet fallatur ut beata sit.* Et lib. 11. cap. 4. *Si autem non prævidet* (anima) *nec se turpem ac miseram fore, sed beatam semper existimat, falsa opinione sit beata: quo dici stultius nihil potest.* Itaque apprehensio sola, vel falsa cognitio boni possessi, aut possessionis boni, si facere posset beatum; laborantes dementiâ, cùm seipsos felices cogitarent, revera felices essent: atque proinde se vere beatos facere possent. Quod qui sentiret, illis absdubio esset dementior.

14 *Si quis autem ab his liber vivit, beate vivit.* Non vult dicere N. Author, quód per hoc solum quisque possit esse beatus; sed quòd qui beate vivit, necesse sit ut ab his miseriis vivat liber. Vel non est intelligendus in sensu formali, & metaphyco; sed in sensu reali: ita ut nemo possit vivere liber ab omni molestia & miseria, quin beate vivat. Nam quandiu beate non vixerit, miser erit, non possidendo quod necessario desiderat. Itaque desiderio suo cruciatur.

15 *Sed absurdissimum est ut aliqua natura semper amando illum, qui est summe bonus & omnipotens, semper misere vivat &c.* Subjungit Author hanc propositionem, ut statim colligat, animam rationalem in amore summi boni perseverantem, aliquando adepturam, ut tam ab ipsa morte quam ab omni molestia in plena securitate vivat. Vis illius antecedentis propositionis est; quia absurdissimum est dicere Deum aliqua malitia affectum aut sævitia: malitia est, aut saltem magnus defectus bonitatis, amantem sincere atque constanter non redamare. Et quæ reciprocatio amoris Dei esset conservare suam creaturam semper ipsum vere amantem, ut semper ageret miseram vitam? Sævitia deinde est afligere, ac torquere imaginem Dei innocentem sine causa. Hæcque causa vera ac justa esse posset vexandi, & cruciandi animam rationalem, tum Dei imaginem innocentem, tum Deum ipsum sincere ac fideliter amantem? Aborret igitur à Deo, ut tali sævitia animam, sui ipsius imaginem, & vere & constanter ipsum amantem, sic cruciet.

16 Similem absurditatem Juliano Pelagiano objecit P. Aug. in lib. oper. imperfecti contra eundem Julianum scripti. Dicebat enim ille Hæreticus, nullum in parvulis existere originale peccatum quod per lavacrum regenerationis mundetur. Quapropter sæpe Julianum hoc argumento perstringit, quód nimirum sequeretur Deum (quod absit) injustum ac crudelem suas imagines vexare atque cruciare penitus innocentes. Itaque & hic notabis, lector, quod sæpe repetivimus, Anselmum cum in hoc opere authoritate fidei non innitatur, sua promere argumenta & à ratione vel lumine naturali, atque ab ipsa rationali natura, ut á creatore primitus instituta, atque adeo á bonitate & sapientia Dei, antequam natura humana aliquo crimine, vindictam Dei provocante, intelligatur affecta, seu potius infecta. Itaque secundum hanc primitivam naturæ humanæ institutionem bene arguit ratio naturalis, ipsam accepisse à Deo potentiam & potestatem ad diligendum Deum super omnia, amore vel naturali vel supernaturali. Certum est enim Deum eamdem non condidisse, nisi ad amandum, & quidem semper amandum ipsummet Deum super omnia, & omnia propter ipsum.

---

* Al. cap. 68.

CAPUT LXX.*

Quòd illa se amanti seipsam retribuat, ut æternè beata sit.

DENIQUE nullatenus verum videri potest, ut justissimus & potentissimus nihil retribuat amanti se perseveranter; cui non amanti tribuit essentiam, ut amans esse posset. Si enim nihil retribuit amanti, non discernit justissimus inter amantem & contemnentem id quod summe amari debet; nec amat amantem se; aut non prodest ab illo amari: quæ omnia ab illo dissonant: retribuit igitur omni se amare perseveranti.

Quid

Quid autem retribuit? Si nihilo dedit rationalem eſſentiam, ut amans eſſet; quid dabit amanti, ſi amare non ceſſet? Si tam grande eſt, quod amori famulatur, quàm grande eſt, quod amori recompensatur? Et ſi tale eſt amoris fulcimentum, quale eſt amoris emolumentum? Nam ſi rationalis creatura, quæ ſibi inutilis eſt ſine hoc amore, ſic eminet in omnibus creaturis: utique nihil poteſt eſſe præmium hujus amoris, niſi quod ſupereminet in naturis. Etenim ipsum idem bonum, quod ſic se amari exigit, non minus ab amante deſiderari cogit. Nam quis ſic amet juſtitiam, veritatem, beatitudinem, incorruptibilitatem, ut his frui non appetat? Quid ergo summa bonitas retribuit amanti, & deſideranti se niſi ſeipſam? Nam quicquid aliud tribuat, non retribuit: quia nec compensatur amori, nec consolatur amantem, nec satiat deſiderantem. Aut ſi vult amari & deſiderari, ut aliud retribuat; non se vult amari & deſiderari propter se, sed propter aliud: & ſic non vult se amari, sed aliud: quod cogitari nefas eſt. Nihil ergo verius, quàm quod omnis anima rationalis, ſi, quemadmodum debet, ſtudeat amando deſiderare summam beatitudinem; aliquando illam ad fruendum percipiat: ut quod nunc videt quaſi *per ſpeculum & in ænigmate*, tunc videat, *facie ad faciem.* * Utrum autem eà ſine fine fruatur, dubitare ſtultissimum eſt: quoniam illâ fruens nec timore torqueri poterit, nec fallaci securitate decipi, nec ejus indigentiam jam experta, illam poterit non amare; nec illa deseret amantem se; nec aliquid erit potentius, quod eam separet invitam. Quare quæcumque anima ſumma beatitudine semel frui cæperit, æternè beata erit.

* Al. cap. 69.

COMMENTARIUS.

CAPIT. LXX.

Denique nullatenus verum videri poteſt &c.

1 Prosequitur Author materiam vel consequentiam ultimam cap. antecedentis. Cæterum ibi illam collegit ſumpto argumento à sapientia, bonitate & omnipotentia Dei: hîc vero ab attributis summæ Dei juſtitiæ, ac omnipotentiæ. Ibi nullatenus fuit ſermo de remunerativa juſtitia: hîc autem verba jam facit de retributione & correspondenti Dei amatoribus præmio. Ibi probata fuit beatitudo duntaxat in genere & indeterminate: hic vero jam in quo tantummodo vera ſit hominis beatitudo decernitur.

2 Prima igitur ratio ad suadendum, amanti animæ perseveranter aliquid pro tali amore Deum remuneraturum, desumitur á N. Authore, tum ab inconsequentia, quæ in amore Dei eſſet, ſi, nullo præcedente amore ex parte creaturæ, immo nec amandi potentia, utpote cùm necdum creata eſſet, contuliſſet tantum bonum, quantum eſt ipsam ex nihilo condere ſimul cum amandi Deum poteſtate, & ut ipsum Deum semper amaret; cùm tamen poſtea jam creatura Deum vere ac perseveranter amante, nihilominus Deus talem amorem nullo alio amore, ſive nullo alio beneficio prosequeretur, nec remuneraret. Tum etiam ab ipsa juſtitia, & omnipotentia Dei. At omnipotentiæ tam hîc quàm in cap. antecedenti ideo meminit Author, ut ſi forsan quis vellet concedere Deum non defectu voluntatis, sed poteſtatis, animam ipsum perseveranter diligentem, beneficiis correspondentibus tali amori non beatificare, vel non honorare; ut ſiquis, inquam, hoc responderet, responſioni locus non eſſet, suppoſito quòd Deus ſit omnipotens. Itaque non reſtaret alia causa cui talis remunerationis defectus tribueretur, niſi (quod abſit) aut bonitatis aut ſapientiæ aut juſtitiæ Dei defectui. Nunc ergo à summa juſtitia, quam omnis rationis compos recognoscere in Deo debet, totam ſuam efficaciam accipit argumentum.

3 *Si Deus nihil retribuit amanti, non discernit juſtissimus inter amantem & contemnentem id quod ſumme amari debet.* Arguit itaque. Deus juſtissimus eſt.

Er-

Ergo discernit inter creaturam amantem,& creaturam contemnentem id quod ſumme amari debet,id eſt ſummum bonum,quod eſt ipse Deus. At ſi Deus nihil retribueret amanti,non discerneret inter amantem animam,& animam contemnentem id,quod ſumme amari debet, ſcilicet ipsum Deum. Ergo retribuit animæ vere Deum amanti. Quòd vero ſi non retribueret, non discerneret, patet ex eo quòd æque apud ipsum haberetur amans atque contemnens, vel non amans ipsum Deum. Quòd vero, ſi juſtissimus eſt, discernat inter animam amantem, & contemnentem, ſic à nobis explicatur. Diſſonat à ſumma juſtitia, immo repugnat, quòd summa non ſit. Non eſſet summa, ſi non discerneret inter animam diligentem Deum, & animam ipsum Deum contemnentem, vel non diligentem. Ergo ſi non discerneret unam ab alia, juſtissimus non eſſet. Confer cap. 12. lib. 1. *Cur Deus homo.*

4 Eàdem ferme ratione argumentatur apud Illuſtrissimum Melchiorem Canum lib. 12. de Locis cap. 15. S. Joann. Chryſoſtomus homil. 4. de Provident. vel fato. *Si justi*, inquit, *migrant affecti injuriis, improbi rerum omnium abundantia potiti, nec post mortem, aut merces aut supplicium est: nulla certe est in cœlo pietas quæ talia curet, nulla justitia, quæ vel malos puniat, vel tribuat præmia bonis.* Adſtipulatur eloquentiæ flumen Hilarius, Galliæ decus. In 1. quippe lib. de Trinit. num. 9. (in edit. Coutantii) vel personam agens cujusdam iuſidelis, vel referens motus forſan & cogitationes cordis ſui antequam ad fidem veniret, hæc ibi tradit: *Suberat autem omnibus his naturalis adhuc sensus, ut pietatis professionem spes aliqua incorruptæ beatitudinis aleret, quam sancta de Deo opinio & boni mores quodam victricis militiæ stipendio mererentur. Nec enim fructus aliquis esset, bene de Deo opinari: cum omnem sensum mors perimeret, & occasus quidam naturæ deficientis aboleret.* Legatur Hilarii vita à Laudatissimo editore Coutantio ſcripta in fronte operum S. Doct. poſita.

5 Ad rem quoque facit quod tradit D. Thom. 1. part. quæſt. 21. art. 1. in corp. *Sicut igitur ordo congruus*, ait, *familiæ, vel cujuscumque multitudinis guvernatæ demonstrat hujusmodi justitiam in guvernante: ita ordo universi, qui apparet tam in rebus naturalibus, quam voluntariis, demonstrat Dei justitiam. Unde dicit Dionisius 8. cap. de divinis nominib. Oportet videre in hoc veram Dei esse justitiam quòd omnibus tribuit propria, secundum unius cujusque existentium dignitatem.*

6 Sed monere debeo lectorem, ut attendat, ideo N. Authorem hìc non diſtinguere inter animam contemnentem Deum & præcise non amantem, quia ſermonem facit de adultorum duntaxat hominum animabus, non de animabus infantium, de quibus infra in cap. 72. quas dicit nec amantes nec contemnentes judicandas eſſe. Hoc tamen intelligendum eſt quantum ad actum amandi vel contemnendi: quantum vero ad habitum, hoc non pertinet cognoscere ad rationem naturalem ſine auxilio fidei. Vel saltem S. Doct. de hac possibilitate vel impossibilitate cognoscendi peccatum originale per rationes naturales, quamvis prævia indispensabiliter fide, pro nunc non curat. Itaque de animabus adultorum hominum loquendo, certiſsimum eſt medium non eſſe inter amorem Dei, actualem vel habitualem, & contemptum vel habitualem, vel actualem. Immo neque eſt medium inter amorem, & contemptum actualem pro aliquo tempore. Præceptum enim diligendi Deum super omnia semper obligat quamvis non pro semper, seu non pro omni tempore, sed pro aliquibus temporibus. Ergo dum homo adultus jam cognoscit, aut cognoscere debet Deum eſſe suum ultimum finem quem super omnia debet amare, & ad quem seipsum & omnia sua referre debet, & hoc non facit; tunc etiamſi expreſſe aut formaliter Deum non contemnat, quaſi contemnens reputatur. Itaque Author non loquitur de contemtu præciſé formali, & expreſſo, sed etiam de virtuali,implicito, interpretativo ve.

7 *Nec amat amantem se; aut non prodest ab illo amari.* Hæ ſunt aliæ duæ partes ejusdem periodi quibus tamquam aliis duabus adjunctis rationibus probat Author præfatam futuram retributionem amantibus animabus summum bonum. Primam harum duarum rationem jam in cap. antecedenti tetigit Author, ibi, *præsertim cum dubitari uullatenus debeat quòd ipse omnem naturam se vere amantem amet.* Non tamen tetigit ſecundam, quæ ſub hoc dilemmate formatur. Si Deus juſtiſsimus & optimus nihil ſuis fidelibus seu conſtantibus amatoribus pro tanto amore retribuit; colligitur ſine dubio quòd aut non amat amantes ipsum, aut ſi amat, nihil ſuis amatoribus prodeſt quòd ab ipso redamentur. Utrumque á Deo diſſonat; immo non niſi ſacrilegè poteſt hoc dici de Deo. Nam omittendo ſcripturæ teſtimonium ajentis: *Ego diligentes me diligo*: Sic primum abhorret ab ipsa natura, ut ex nimia perverſitate ortum ducere ju-

di-

dicetur, quòd quicumque homo, quantumvis barbarus, indisciplinatus, & exlex, dilectores suos, veros & non ex concupiscentia, sed ex corde amantes, reciproce non diligat. Quid? Cùm & bruta, ipsa duce atque impellente natura, amant eos quos suo quodam instincto per signa sentiunt amore affici ad ipsa bruta. At Deus & est summe bonus, & est Author ipsius naturæ. Quí ergo fieri potest ut aliquis rationis compos putet Deo deesse quod tam liberalis concesserit etiam irrationali naturæ?

8 Secundum, scilicet, nihil prodesse divinum amorem eis animabus quas amat & quæ ipsum Deum vere amant, non minus absonum est atque repugnans. Nam in primis sequeretur talem divinum amorem non esse sincerum. Quippe amor, bene facere, & quidem absque omni difficultate, potens vere inopi amatori, & tamen nihil boni facit, vel nullus est, vel sincerus non est. Quid enim est vere amare, nisi velle bonum alicui? Inter velle autem bonum alicui, & facere, si omnimoda sit in voluntate potestas, ut reipsa in Dei voluntate est, nihil distat. Si ergo Deus nihil boni retribueret amanti; non posset dici ejus amor verus atque sincerus. Quo quid impossibilius? Deinde etiam sequeretur amorem divinum sterilem esse, non beneficum. Et quo pacto, si hoc verum esset, Deus volendo omnia bona feciſſet? Omitto quæ contra sapientiam & providentiam divinam pullulant jam supra tacta valida argumenta adhucque tangenda in cap. seq.

9 *Quid autem retribuit &c.* Probato jam quòd necesse sit ut Deus animabus verè Deum amantibuss retribuat, quærit nunc Author quodnam sit quod talibus animabus retribui à Deo correspondeat. Et ut probet quám magnum esse debeat, arguit à minus forti ratione ad multò fortiorem Nempe arguit ab eo quod Deus animæ necdum, utpote adhuc nihil, amanti dedit, id est ab *esse* naturæ rationalis factæ ad imaginem ipsius Dei & potentis naturaliter ipsum amare super omnia, & eo fine institutæ ut ipsum Deum super omnia diligeret, & cætera propter Deum. Unde colligitur quantum bonum sit animam rationalem amare Deum, & quidem incessanter vel actu vel affectu. Itaque cùm juxta magnitudinem boni quod est amare perseveranter ipsum Deum, debeat esse præmium talis amoris; magnum certe debere esse colligitur. Denique in forma sic arguitur. Deus ante omnem amorem animæ rationalis, fecit ipsi tantum bonum, quantum est essentia, & natura animæ rationalis ex nihilo productæ. Ergo postquam jam anima rationalis ad imaginem Dei existit & sic amat suum creatorem & summum benefactorem, ut illum amare non cesset, multo majus debet esse bonum quod & Deum deceat retribuere pro tali amore, & maxime excedat illud bonum quod antequam anima rationalis amaret, liberaliter donavit creando, & creando donavit; & insuper in eadem creatura jam facta, sui ipsius produxit amorem, & talem amorem.

10 *Nam si rationalis creatura, quæ sibi inutilis est sine hoc amore &c.* Inutilem vocat rationalem animam Author, si Deum non amet, quia ut dictum est in cap. 68. ad amandum Deum facta est. Sed in hoc non est nobis immorandum. Progrediamur igitur cum ipso Authore ad quod nunc præcipue animum intendit. Determinare & probare in intentione habet, quale sit illud tam magnum bonum correspondens animæ Deum firmiter amanti. Resolvit non aliud esse, quàm ipsum Deum. Probat. Rationalis creatura sic eminet inter omnia creata, ut solus Deus sit melior ipsa. Nihil autem potest esse præmium amoris, quem erga Deum habet tam excellens natura, nisi quod melius sit ipsâ: nam quodcumque aliud bonum jam quodammodo possideret creatura rationalis intra seipsam; & præterea ipse amor refertur ad Deum & desiderat Deum qui solus est melior rationali creatura. Non ergo aliud præter ipsum Deum potest esse talis amoris condignum præmium. Prima propositio est expressa in D. Aug. tum lib. 83. quæst. 50. ubi ait: *Nec quidquam est melius rationali anima, nisi Deus.* Tum etiam 14. de Trinit. cap. 14. ubi de anima rationali dicit, Quód *sic ordinata est, naturarum ordine, non locorum, ut supra illam non sit nisi ille*, id est, Deus. Neque quantum ad propositum, Angeli meliores simpliciter judicandi sunt anima rationali. Quippe anima ut dictum est cap. 67. imago est, licet imperfecta, Trinitatis: unde est capax sicut ipsi Angeli ipsius Dei, hoc est, potest videre Deum sicuti est in se, & frui quoque ipso Deo. Quaproter, ut ibi etiam dictum est, nihil in creatura potest cogitari hac capacitate melius, in qua consistit præsertim ratio imaginis Dei. Angeli tamen habent in se hanc imaginem, ut ita dicam, gradualiter, non essentialiter, meliorem. At natura ipsorum absolute melior & nobilior est; sed non, comparata ad ultimum finem cujus capax æque est ipsa natura animæ rationalis. Secunda vero propositio simul cum ejus probatione posita est. Adhuc tamen cum Authore in consequentibus probanda.

11 *Etenim ipsum idem bonum &c.* Probat Author, ut dixi, alia ratione, solum Deum condignum esse præmium, coronam, & beatitudinem præfati amoris. Ipsum, inquit, summum bonum quod, ut dictum est in cap. 68. exigit summe, id est, super omnia & propter se diligi à creatura rationali, eo ipso non minus cogit, id est, efficaciter amantem movet & trahit, ut etiam desideretur, semel fuerit sinpliciter amatum: naturale est quippe cuique desiderare quod efficaciter amat, & multo magis si firmiter, si perseveranter diligit. Quid autem est quod magis efficaciter diligatur quàm illud bonum quod super omnia, ante omnia, & propter se amatur? Quod autem vehementer desideratur, vere possideri appetitur, & usque ad fruitionem desiderium non cessat, si permanet amor. Ergo summa bonitas nihil judicat dignum ut retribuatur tali amanti, taliter desideranti, nisi retribuat seipsam. Probat Author consequentiam. *Nam quidquid aliud tribuat, non retribuit.* Probat etiam hoc. *Quia non compensatur amori.* Id est, cùm dignitas & excellentia amoris juxta dignitatem & excellentiam objecti, seu rei amatæ, sit judicanda & metienda, licet non semper ad æqualitatem, semper tamen ad proportionem, dignitas & excellentia amoris summi boni, supra omnia proportionaliter, sicut ipsum summum bonum, habenda est. Solum ergo summum bonum esse potest ipsius digna compensatio.

12 Deinde in probationem seu confirmationem, adjungit Author: quòd aliud quodvis præter Deum *nec consolaretur amantem, nec satiaret desiderantem.* Non consolaretur: quia vilissimum est, immo nihil, aut nullius pretii, & extimationis taliter amanti quidquid aliud, comparatum ad summum bonum, quod est ipse Deus. Non satiaret: tum propter eamdem rationem: tum quia cùm summum bonum super omnia rationalis anima diligeret, illud quod ipsi in remunerationem sui amoris daretur, propter summum etiam bonum ab ipsa deberet amari, atque proinde & amaretur: undè magis ad accendendum summi boni desiderium, quàm ad extinguendum vel satiandum, amanti Deum animæ rationali deserviret.

13 *Aut si se vult amari & desiderari, ut aliud retribuat, &c.* Suam producit Author ultimam & efficacissimam rationem. Si Deus, inquit, vult se amari à creatura & desiderari, ita ut aliud, quàm seipsum, proponat ut præmium talis amoris; non vult ut creatura Deum amet propter seipsum, & desideret, sed propter aliud, propositum tamquam præmium. At hoc cogitare, nefas. Ratio majoris est: quia si ita esset; Deus vellet, ut creatura suum amórem et desiderium referret ad consequendum, & proprie fruendum illo præmio. Ergo vellet ut creatura Deum ipsum amaret, & desideraret propter aliud consequendum & eo fruendum. Ergo non propter se. Ergo & quòd magis amaret aliud quàm summum bonum, quàm ipsum Deum: immo & quòd summum bonum & Deum posponeret alteri bono infinite minori. Ergo & vellet Deus, ut creatura ipsum summum bonum, ipsummet Deum inordinatissime atque adeo perversissime diligeret. Quid autem magis sacrilegum, immo quid insipientius proferri potest de Deo? Ergo nihil magis certum quàm quòd solus Deus potest esse condignum præmium & bonum satiativum talis amoris & desiderii, et in quo quiescat anima rationalis, amans perseveranter Deum.

14 *Nihil ergo verius, quàm quòd omnis anima rationalis, si quemadmodum debet, studeat amando desiderare summam beatitudinem; aliquando illam ad fruendum percipiat.* Pervenit Author ad finem. Ad hoc intentionem totam et in antecedenti, et in hoc cap. dirigebat: ut probaret nimirum contra plurimos philosophos, hominis beatitudinem statuentes, alios in voluptate, alios in virtute, alios aliter, omnes tamen nimis errando, stabilientes: ut probaret inquam, in nullo præter ipsum Deum veram hominis beatitudinem posse locari: atque adeo solúm fruitione Dei hominem esse posse vere beatum.

15 Hanc verissimam doctrinam quam philosophi majori ex parte non fuere assecuti, haud ita supra humanum est ingenium, ut eorum præclarissimi, magna ex parte, quoad substantiam, tametsi non penitus ab errore immunem, non cognoverint. *Inter discipulos Socratis*, inquit S. Aug. 8. de Civitate Dei cap. 4. *Non quidem immeritò, excellentissima gloriâ claruit, qui omnino cæteros obscuraret Plato.* Hic celeberrimus Philosophus suopte ingenio usque ad veritatem nostram, licet non omnino, de hominis beatitudine penetravit. *Si ergo Plato*, subjungit D. Aug. initio cap seq. *Dei hujus imitatorem, cognitorem, amatorem dixit esse sapientem cujus participatione sit beatus, quid opus est excutere cæteros? Nulli nobis, quàm isti, proprius accesserunt.*

Et

„ Et in 8. cap. Reliqua eſt pars moralis:: ubi quæritur de ſummo bono quò referen-
„ tes omnia, quæ agimus, & quod non propter aliud, ſed propter ſeipsum appetentes
„ idque adipiſcentes, nihil quo beati ſimus ulterius requiramus. Ideo quippe & finis eſt
„ dictus, quia propter hunc cœtera volumus, ipsum autem non niſi propter ipsum. Hoc
„ ergo beatificum bonum, alii à corpore, alij ab animo, alii ab utroque in homine
„ eſſe dixerunt:: Uude illi, qui dicuntur addidiſſe tertium genus bonorum, quod appe-
„ llatur extrinsecùs, ſicuti eſt honor, gloria, pecunia & ſi quid hujusmodi, non ſic
„ addiderunt ut finale eſſet, id eſt, propter ſeipsum appetendum, ſed propter aliud; bo-
„ numque eſſe hoc genus bonis, malum autem malis:: Nec iſtæ differentiæ, quoniam
„ tres sunt, ideo tres sed multas diſſenſiones philosophorum ſectasque fecerunt: quia &
„ de bono corporis, & de bono animæ, & de bono utriusque diverſi diversa opinati
„ ſunt. Cedant igitur hi omnes illis philosophis, qui non dixerunt beatum eſſe homi-
„ nem fruentem corpore, vel fruentem animo, sed fruentem Deo: non ſicut corpore,
„ vel se ipso animus, aut ſicut amico amicus; sed ſicut luce oculus; ſi quid ab his
„ ad illa ſimilitudinis afferendum eſt, quod quale ſit, ſi Deus ipse adjuverit, alio loco,
„ quantum per nos fieri poterit, apparebit. Nunc satis ſit commemorare, Platonem de-
„ terminaſſe finem boni eſſe secundum virtutem vivere, & ei soli evenire poſſe qui noti-
„ tiam Dei habeat, & imitationem; nec eſſe aliam ob causam beatum. Ideoque non
„ dubitat hoc eſſe philosophari, amare Deum; cujus natura ſit incorporalis.

16 Hucusque Aug. de Platone: qui non solum nobiscum quantum ad hominis ultimum finem beatitudinemque consentit, verum etiam eamdem, quam Anselmus naturali ratione probat vel exigit, viam & conditionem ad beatitudinem perveniendi, scilicet cognitionem Dei, imitationem & amorem, vere intellexit. Neque eſt cur de hoc dubitetur ex ea ratione quòd fruitio ipſius Dei ſit beatitudo supernaturalis, ad cujus cognitionem humanum ingenium non sufficere videtur. Fruitio quippe Dei, ut unius in ſubſtantia, niſi cognoscatur ſimul Trinitas personarum, quamvis in se supernaturalis ſit, non tamen sub omni ratione cognoscibilitatis. Deus in se unus eſt in subſtantia & trinus in personis: & tamen eſt cognoscibilis ut unus per creaturas & ſolo lumine naturali: ut trinus autem non eſt cognoscibilis à nobis pro hac vita, niſi aut per fidem, aut prævia saltem tamquam conditione indispenſabiliter neceſſaria fide & revelatione ſecundum explicationem noſtram super cap. 64. ubi de hoc egimus ex propoſito. Itaque quòd homo non possit eſſe beatus niſi fruendo Deo, ut uno, nihil afferendo, nec cogitando de Trinitate, non excedit capacitatem humani ingenii, etiam fide aut revelatione non illuminati. Quanto minus excedet, ſuppoſita fide? Author vero N. tametſi authoritate ad probandum non innitatur, sed ratione, nihilominus maxime illuſtratus erat fide & Scripturarum ac Patrum anthoritate.

17 Quòd autem hominis beatitudo non niſi in viſione & frutione eſſentiæ Dei conſiſtere queat, ipse quoque D. Thom. lib. 3. contra Gentil. á cap. 37. usque ad 51. rationibus purè philosophicis, vel naturalibus probat. Nam ſi dicatur D. Thom. noluiſſe probare ratione pure naturali beatitudinem noſtram ſitam eſſe in viſione per eſſentiam, Dei ut trini, ſed ut unius in subſtantia; quamvis facie ad faciem videri non poſſit niſi trinus & unus: idem omnino dici poterit de Anselmo, & forsan quoque de Platone, qui Deum ut unum duntaxat cognovit. De hoc tamen Philosopho non satis videtur conſtare per verba ſupra poſita S. Aug. an de viſione Dei & frutione, nulla specie creata media, fuerit locutus; an de alia inferiori viſione, & fruitione. Quippe non ita fuit in philosophando felix ut beatitudinem hominis in Deo æternam participativè atque immutabilem agnoverit. P. Anselmus certè probare intendit ac probat felicitatem „ noſtram ſive frutionem noſtram in Deo *non per ſpeculum in ænigmate ſed facie ad* „ *faciem*, ait quippe: *ut quod nunc videt quaſi per speculum & in ænigmate, tunc* „ *videat facie ad faciem.* Verumtamen mentem suam non explicat, utrum possibilem opinetur per ſpeciem creatam viſionem ac fruitionem Dei ſicuti eſt in se; an non. Satis judicavit oſtendere naturali ratione creaturam rationalem deſtinatam eſſe ad fruendum summa eſſentia Dei, dummodo in ejus amore fidelis perseveret.

18 *Utrum autem eâ sine fine fruatur, dubitare stultissimum est, &c.* Concludit afferendo quales fruitio in Deo habere debeat conditiones & qualitates ut ſit beatitudo vera. Sentiebant namque Platonici, immo ipse Plato sentiebat, teſtante D. Aug. lib. 13. de Civit. Dei cap. 19. Quoniam *á cæteris hominibus hoc videantur differre ſapientes, quòd post mortem ferantur ad ſidera ut aliquanto diutius in astro ſibi congruo quisque requiescat, atque inde rursus miseriæ pristinæ oblitus & cupidita-*

te

te habendi corporis victus redeat ad labores ærumnasque mortalium : : in hac itaque durissima conditione constituit etiam bonas atque sapientes animas, quibus non talia corpora distributa sunt cum quibus semper atque immortaliter viverent, ut neque in corporibus permanere, neque sine his possint in æterna puritate durare. Hoc execrabile dogma egregie revincit atque depellit ipse Aug. 12. lib. de Civitate cap. 20.

19 Anselmus itaque videns illud per se esse manifeste stultissimum, operosè contra illud agere noluit, ratus sat esse in memoriam reducere veram beatitudinis ideam per se notam. *Cuivis*, ait D. Aug. 11. lib. de Civit cap. 13. *jam non difficulter occurrit, utroque conjuncto effici beatitudinem, quam recto proposito intellectualis natura desiderat: hoc est, ut & bono incommutabili, quod Deus est, sine ulla molestia perfruatur, & in eo se in æternum esse mansuram, nec ulla dubitatione cunctetur, nec ullo errore fallatur.* De proprietatibus beatitudinis Anselmus copiosè in præsentia Conventûs Cluniacensis sermonem habuit, scriptum postea à suo discipulo Eadmero, & ab Anselmo tamquam suum recognitum & approbatum. Illum habes inter opera ipsius Eadmeri ad Calcem operum S. Anselmi in editione Gerberonii. Confer etiam cap. 25. Proslog.

CAPUT LXXI.*

* Al. pars cap. 69.

Quòd illam contemnens, æternè misera sit.

HINC utique consequenter colligitur, quòd illa quæ summi boni amorem contemnit, æternam miseriam incurret. Nam si dicitur quód pro tali contemptu sic justius puniatur, ut ipsum esse, vel vitam perdat; quia se non utitur ad id ad quod est facta; nullatenus hoc admittit ratio, ut, post tantam culpam, pro pœna recipiat esse quod erat ante omnem culpam. Quippe antequam esset, nec culpam habere, nec pœnam sentire poterat. Si ergo anima contemnens id ad quod facta est, sic moritur, ut nihil sentiat, aut ut omnino nihil sit; similiter se habebit, & in maxima culpa & sine omni culpa; nec discernet summè sapiens justitia inter id quod nullum bonum potest & nullum malum vult; & id quod maximum bonum potest & maximum malum vult. At hoc satis patet quàm inconveniens sit. * Nihil igitur videri potest consequentius & nihil credi debet certius, quàm hominis animam sic esse factam, ut si contemnat amare summam essentiam, æternam patiatur miseriam : ut sicut amans, æterno gaudebit præmio; ita contemnens, æterna pœna doleat: & sicut illa sentiet immutabilem sufficientiam; ita ista sentiat inconsolabilem indigentiam.

* Al. cap. 70.

COMMENTARIUS.

CAPIT. LXXI.

Hinc utique consequenter colligitur &c.

1 Ex æternitate beatitudinis Author in hoc cap. probare intendit, & quód animabus contemnentibus Deum miseria erit, & quód hæc miseria pariter erit æterna. *Colligitur*, inquit, *consequenter* : nempe ab oppósita ratione. Oppositorum enim æqualis ab oppósito est ratio. Nam si perseverans erga Deum creaturæ rationalis amor, dignus est æterna beatitudine, æterno præmio; cur non erit æterna pœna dignus, æterna miseria, pertinax Dei contemptus? Æque sine dubio malus & indignus contemptus Dei, ac bonus est & dignus Dei amor: & æque propterea ille demeritorius, ac iste meritorius.

Ori-

2 Origines, qui, Parente Aug. teſte cùm in lib. de Hæreſib. cap. 43. tum in lib. 21. de Civit. cap. 17. miſeriam damnatorum æternam eſſe nolebat, non aliter de Sanctorum beatudine judicabat: quam falſiſſimam sententiam à Philosophis, inquit Aug. imprudens accepit. Sed ab Eccleſia Catholica, utpote contra fidem, explosa ac proscripta fuit ſemper. Fuere tamen alii, quos suppresso nomine refellunt tam Greg. lib. 4. Dialog. cap. 46. quàm Aug. lib. & cap. citatis de Civit. aſſerentes felicitatem æternam fore; pœnam vero atque miseriam temporalem, non sempiternam. Hos vero misericordia falsa & ſtulta fefellit. Anselmus vero in cap. proximo & in præsenti conſequentiâ legitima pugnat contra Originem & contra illos, quos hic secutus fuit philosophos, pariterque adversus alios inſipienter misericordes.

3 *Nam ſi dicitur quòd pro tali contemptu &c.* Impugnat Anselmus responsum quod forsan poterat quispiam facere annuendo juſtitiam eſſe severe puniri flagitia, cœterum juſtius eſſe ea persequi, in nihilum redigendo animas flagitiosas, aut ſi absque annilatione eſt possibile, ipsas in perpetuum vitâ privando; quàm ipsas viventes affligere, torquère, & miseras facere in æternum. Si enim hoc dicitur: reponit Anselmus, ſimile responsum cum recta ratione nullatenus coherère. Recta namque ratio præscribit, nequaquam ſic agendum cum animabus criminoſis, ut poſt mala opera ita se habeant ſicut antequam nihil egerant boni vel mali. Pœna, ut pœna ſit, sentiri debet. Qui vero in nihilum redigitur, vel qui vitam omnino amittit, nihil sentire poteſt. Ergo ſi ita agatur cum anima, non punitur. Peccando enim, pravam senſit delectationem: aut saltem illud quod eſt propriam ſui ipſius, non autem Dei, facere voluntatem. In caſtigatione vero peccati, quamvis sola vita corporis & animæ amitteretur, non ſentiret anima hoc quod eſt quidquam contrarium pati; quod eſt felicitate carere ex voluntate Dei irata; quod denique ipsâ carere contra propriam inclinationem & voluntatem. Unde id eveniret quod Sanct. Juſtinus Mar. atque Philosoph. dicit in sua 1. contra Infideles pro Chriſtianis apologia num. 18. edit. S. Mau. nimirum, quòd *ſi animæ in statum sensûs expertem evaderet, de lucro id esset improbis omnibus.* Evaderent enim ſic dolores & pœnas quas maximas luere debebant, & quaſi illuderent juſtitiæ Dei, vel saltem eam unico momento fugerent.

4 Si autem iterum dicatur, Anselmi rationem probare, quòd anima cum corpore interire, ſimul non debeat; non vero suadere quòd poſt mortem corporis puniri nequeat per aliquam cognitionem de futura infalibiliter amissione vitæ, vel etiam de annihilatione, quæ cognitio ipſi animæ maximum dolorem ingereret; aut quòd etiam ſine annilatione & ſine vitæ amiſsione plecti & torqueri poſſet, non tamen in æternum ſed pro tempore finiendo: ſi, inquam, hoc quispiam objiceret; non propterea vis argumenti Anselmi evacuaretur. Nam etiam tunc casùs non discerneret ſapiens Dei juſtitia inter animam quæ ad tempus duntaxat; & illam quæ, quantum in se eſt, in sempiternum contemnit Deum. Anima quæ usque ad mortem corporis in contemptu Dei, seu in gravi peccato perſiſtit, contemnit, attenta animi dispoſitione, Deum in perpetuum. Non ergo secundum juſtitiam pœna eſt correspondens peccato, de se perpetuo, temporalis & aliquando finienda punitio.

5 Hæc doctrina eſt N. P. Greg. Cum enim Petrus collocutor 4. lib. Dialog. cap. 46. scire vellet, *quomodo justum ſit ut culpa quæ cum ſine perpetrata est, ſine fine puniatur.* Respondet Greg. *Hoc recte diceretur, ſi districtus judex non corda hominum, sed facta pensaret. Iniqui enim ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Nam voluiſſent utique, ſi potuiſſent, ſine fine vivere, ut potuiſſent ſine fine peccare. Ostendunt enim quia in peccato semper vivere cupiunt, qui numquam deſinunt peccare, dum vivunt.* Idem senserat S. Aug. lib. 21. de Civit. cap. 11. *Quidam*, inquit; : *Injustum putant ut pro peccatis quamlibet magnis, parvo scilicet tempore perpetratis, pœna quisque damnetur æterna; quaſi ullius id unquam juſtitia adtendat, ut tanta mora temporis quisque puniatur, quanta mora temporis, unde puniretur, admissit.*

6 Ergo quod Greg. dicit, senſit Aug. senſit Anselmus, immo sentiunt quicumque Legislatores, omnesque ſapientes, pœnam nimirum non secundum tempus, quo duravit scelus, mensurandam; sed quod attinet ad Deum qui corda ſcrutatur, judicandam ſecundum affectum aut modum voluntatis delinquendi: quantum vero ad homines, qui opera hominum in facie vident, pensandam eſſe, secundum mala, damna ve, quæ contra externum cultum religionis, vel contra Rempublicam causant ipsa peccata. Affectus hominis, dum criminosè se gerit, ita se habet erga objectum, materiamve peccati,

NOTA.

Ipse Origenes in Epiſtola ad Africanum abominatur hujusmodi erroreu, ac dicit, ſibi ſuppoſitum fuiſſe.

Lege Apolog. S. Pamphili Martyris pro Origen. in 4. tom. Oper. Orig. in noviſs. Edit. Monach. Congr. Sanct. Mauri.

ac ſi in ea ejus ultimus finis, ejus beatitudo summa conſiſteret. Unde ſic affectus animi tali adhæret objecto, ut non quaſi tranſitoriè, quaſi ad tempus, illud amore proſequatur, amplectatur, sed tamquam rei vel bono quod in æternum eſſet duraturum, & truendum ſine fine. Quapropter ſine fine, non temporalis aut aliquando terminanda, debet eſſe quoque talis peccati pœna. Rectiſsimè ergo concludit Anselmus nihil debere credi certius, quàm hominis animam ſic eſſe factam, ut ſi contemnat amare, id est, in ætate hominis adulta, aut expressè noluerit, aut virtualiter vel interpretative voluntariè omiserit usque ad mortem amare summam eſſentiam, vel Deum super omnia & propter semetipsum, æternam paſſura ſit miseriam: ita ut ſicut amans Deum ut ultimum finem perseverantiâ usque ad mortem, æterno gaudebit præmio; ita contemnens, vel formaliter vel interpretative Deum, aut non diligens ipsum propter seipsum, æterna pœna doleat: & denique ſicut amans sentiet ſive experietur immutabilem ſufficientiam omnium bonorum; ita contemnens sentiet inconsolabilem indigentiam.

CAPUT LXXII.*

Al. pars cap. 70.

Quòd omnis anima humana ſit immortalis. Et quòd aut semper misera, aut aliquando verè beata ſit.

SED nec amantem animam, neceſſe eſt æternè beatam eſſe; nec contemnentem, miseram; ſi ſit mortalis. Sive igitur amet, ſive contemnat id ad quod amandum creata eſt, neceſſe eſt eam immortalem eſſe. Si autem aliquæ sunt animæ rationales, quæ nec amantes, nec contemnentes judicandæ ſint, ſicut eſſe videntur animæ infantum, quid de his sentiendum eſt? Sunt mortales, an immortales? Sed proculdubio omnes humanæ animæ ejusdem naturæ sunt. Quare, quoniam conſtat quasdam eſſe immortales; neceſſe eſt omnem humanam animam eſſe immortalem. Verùm cùm omne quod vivit, aut nunquam, aut aliquando ſit vere securum ab omni moleſtia; nihilominus eſt neceſſe omnem humanam animam, aut semper miseram eſſe; aut aliquando vere beatam.

COMMENTARIUS.

CAPIT. LXXII.

Sed nec amantem animam, neceſſe eſt æternè beatam eſſe; nec contemnentem, miseram; ſi sit mortalis &c.

1 Ex omnibus dictis in capp. præcedentibus á 67. usque ad præsens, proximius vero ex concluſione immediati, evidentissimè nunc colligit Author rationalem animam non poſſe non eſſe immortalem. Probatum eſt enim in cap. 67. cum duobus ſequentibus, animam rationalem talis eſſe naturæ, ut ſit sui creatoris imago, & quòd ipsum amare & intelligere valeat, non per tempus duntaxat, sed etiam in ſempiternum. Probatum eſt quoque in 69. cum duobus proximis succedentibus neceſſe eſſe animam rationalem aut eſſe beatam in sempiternum, aut ſine fine miseram. Quid ergo consequentius quàm quòd anima rationalis naturæ immortalis ſit?

2 Si quis vero dicere auderet, omnes prædictas Anselmi probationes certas eſſe, suppoſita fide, ſive nitentes fide, non vero ex nuda ratione naturali, eó quod immortalitatis animæ nulla possit fieri demonſtratio, cùm potius ex principiis philosophiæ mortalis magis quàm immortalis eſſe sequi videatur. Contradicit non minor quàm tota authoritas universalis Concilii Lateranenſis sub Leone X. Sessione 8. definientis, *hæreticum eſſe dicere quòd ex principiis philosophiæ sequatur, animam eſſe mortalem. Item cùm nonnulli*, (ſubjicit) *ausi sint dicere de natura animæ rationalis quód mor-*

ta-

talis ſit: & aliqui temerè philoſophantes, ſecundum philoſophiam ſaltem verum eſſe aſſevèrent, damnamus omnes aſſerentes, animam rationalem mortalem eſſe. Cùm illa non solùm per se & eſſentialiter humani corporis forma ſit, verum etiam immortalis. Hactenus Concilium.

3 Deinde: quia, ut supra jam ex Aug. & S. M. Juſtino retulimus, philoſophi fuere & quidem in ſententia ipſius Aug. præclarissimi omnium, & apud ipsos Græcos, ut narrat ipse Juſtinus, celeberrimi, Platonici, qui non ex fide aut ex revelatione, sed ex ratione naturali inveſtigarunt atque invenerunt animæ immortalitatem. Falsum eſt ergo quòd immortalitas animæ fide tantummodo, aut etiam suppoſita fide, tamquam conditione ſimpliciter neceſſaria, cognosci possit: aut quòd aperte ſit contra principia philosophiæ, aut contra philosophiam. Quinimo à contrario valde consona eſt & consentanea toti naturæ & rationi. Philosophi vero qui circa hanc materiam errarunt, non à veris & certis philosophiæ principiis talem deduxerunt falsissimam consequentiam, ſed ab spuria & voluntaria phyſica atque ab anticipatis ſuis opinionibus. Ut enim inquit præfatum Concilium, veritas veritati non poteſt eſſe contraria: neque talia sunt argumenta contra animæ rationalis immortalitatem, quæ verâ & firmâ solutione careant.

4 Animam rationalem eſſe immortalem, ipsa natura animæ rationalis clamat & dubitare de hoc non permittit. Certissimum eſt enim, ut inquit D. Aug. lib. 13. de Trinit. capp. 5. & 8. Omnes homines velle eſſe beatos. Unde consequens eſt hunc appetitum eſſe naturalem, seu naturæ humanæ insertum. *Sed non est mortalitatis hujus*, inquit in eodem lib. cap. vero 7. Aug. *hæc vita, neque erit niſi quando immortalitas erit. Quæ ſi nullo modo dari homini poſſet, frustra etiam beatitudo quæreretur, quia sine immortalitate non potest eſſe.* Et citat. cap. 8. *Cùm ergo*, inquit, *beati eſſe omnes homines volunt; ſi vere volunt, profectò & eſſe immortales volunt. Aliter enim beati eſſe non poſſunt. Denique & de immortalitate interrogati, ſicut & de beatitudine, omnes eam se velle respondent.* Unde colligitur idem quod collegimus ex universali hominum appetitu beatitudinis, nimirum etiam ingenitum eſſe naturæ humanæ immortalitatis appetitum. At Deus ſicut non dedit naturæ humanæ in vanum inclinationem ad beatitudinem, ita neque ad immortalitatem. Sicut ergo ex naturali propenſione ad beatitudinem, non per fidem, non per divinam revelationem, sed per lumen naturale rationis evidenter colligitur, non falsam, sed veram, & assequibilem homines appetere beatudinem: ita ex naturali deſiderio immortalitatis eadem evidentia intelligitur, homines non falsam, sed veram, & consequibilem immortalitatem deſiderare. Si autem anima rationalis eſſet mortalis, vanum certe eſſet tale deſiderium; cúm neque homines resurgere poſſent, neque immortales eſſe ullo modo, scilicet nec in corpore nec in anima.

5 Præterea rationes noſtri Auctoris negari non poſſunt quòd ſint naturales, quandoquidem nituntur in ipsa ratione imaginis Dei, qua rationalis anima naturaliter prædita eſt ſecundum suas tres potentias naturales, memoriam, intellectum, & voluntatem: quandoquidem etiam nituntur in ipsa eſſentia, vel definitione naturæ rationalis: quandoquidem insuper nituntur in fine ad quem Deus etiam ut Auctor naturæ rationalem cruaturam deſtinavit, nempe ad amandum Deum super omnia, & quidem non pro aliquo tempore tantum, sed ſine fine: quandoquidem denique nituntur in providentia, & juſtitia diſtributiva Dei, & in ipſa natura summæ bonitatis divinæ.

6 *Prima ratio demonstrativa* immortalitatis animæ, inquit Illuſtriſsimus Melchior Canus, noſtræ Hispaniæ decus, lib. 12. de locis cap. 15. *Auctore Chrysostomo est hæc. Qui animum eſſe mortalem ait, is neget neceſſe est Deum humanarum rerum eſſe, & Procuratorem, & Judicem. Si enim justi migrant affecti injurijs, improbi rerum omnium abundantia potiti, nec post mortem aut merces aut supplicium est: nulla certe est in cœlo pietas, quæ talia curet, nulla justitia, quæ vel malos puniat, vel tribuat præmia bonis.* At Chrysoſtomus, ait ipse Illuſt. Canus paulo infra, *habuit pro re perspicua, & constanti non alium negaturum, Deum eſſe hominum, & Guvernatorem, & Judicem, niſi eum qui dixiſſet in corde suo: non est Deus.* Et poſt multa concludit idem Illuſt. *Demonstratum est igitur, animas eſſe immortales, tam evidenti, & neceſſaria ratione quæ refelli non valeat: niſi Deum facias aut improvidum eſſe, & negligentem rerum hominis, aut eam stultè urbem constituiſſe, in qua nullus ſupplicij timor ſit, præmij expectatio nulla.*

7 Itaque aliud eſt non cuicumque homini, etiam Philosopho, facile eſſe animæ immortalitatem demonſtrare; aliud omnibus, etiam magno ingenio præditis, hoc à natura denegatum eſſe. Primum verum eſt: secundum autem falsum. Quippe, ut cum

eo-

eodem Illuſtriſſ. Cano, paulo infra, loquamur, *sunt naturales res quædam in oculis omnium clarè poſitæ; aliæ latent in occulto tenebris denſiſſimis circumfusæ. Quæ naturæ mysteria rectiſsimè dixeris. In his, fateor, animi immortalitas est: quæ à paucis quidem, idque difficulter, sed investigari tamen atque inveniri potest.* Eadem eſt mens S. Aug. lib. 13. de Trinit. cap. 9. inquientis: *Humanis argumentationibus :: Vix pauci magno præditi ingenio, abundantes otio, doctrinisque ſubtiliſsimis imbuti, ad indagandam ſolius animæ immortalitatem pervenire potuerunt.* Loquitur certe S. Doct. de Philosophis Platonicis, ut conſtat ex his quæ continuo ſubdit: *Qui tamen*, inquit, *animæ beatam vitam non invenerunt ſtabilem, id est, veram. Al miserias eam quippe vitæ huius etiam post beatitudinem redire dixerunt.* At Anſelmo noſtro aliisque Ss. Patribus, & Eccleſiæ Doctoribus multo minus difficile fuit quám Paganis Philosophis immortalitatem animæ etiam rationibus naturalibus demonſtrare: quandoquidem lux fidei, & Sanctarum Scripturarum, caliginem, quæ mentes illorum Philosophorum in quadam obscuritate conſtituebat, in Sanctorum animis sedem habere non permittebat.

8 *Si autem aliquæ sunt animæ rationales, &c.* ¶ Agit nunc Auctor personam dubitantis circa Infantum animas necdum usu rationis gaudentium: quæ animæ propterea incapaces sunt pro tunc Deum amare, aut contemnere. Quid ergo, inquit, de his animabus aſſerendum eſt; quòd ſint mortales an immortales? Nam illis accommodari non poteſt ratio qua in tribus capp. antecedentibus pro adultorum animabus Auctor usus eſt.

9 *Sed proculdubio omnes humanæ animæ eiusdem naturæ sunt, &c.* ¶ Ad rationem dubitandi respondet Anselmus, animas etiam infantum, omni dubio depulso, immortalis eſſe naturæ. Quod hac ratione demonſtrat. Omnes animæ humanæ ejusdem naturæ sunt: alioquin non omnes homines eſſent ejusdem ſpeciei, aut infantes non eſſent veri homines; quod utrumque evidenter falsum eſt. Manet autem probatum de animabus hominum adultorum naturaliter eſſe immortales. Ergo & omnes infantium animæ.

10 *Verum cùm omne quod vivit, &c.* ¶ Subintellige quod vivit rationaliter, vel actu, vel cum capacitate ad intelligendum. De huius generis vita semper in capp. præcedentibus fuit ſermo. Dicit ergo: ſi omne quod ita vivit (cùm præter Deum nemo ſibi ſufficiens ſit, nemo sua beatitudo) aut numquam aut aliquando vivat ſine moleſtia, securum á metu, & penitus quiescat, neceſſe eſt: Ergo & neceſſe eſt omnem animam humanam tam infantium quàm adultorum, aut miſeram ſemper eſſe, aut aliquando vere beatam. Quippe animæ eorum qui in infantia à sæculo migrant, semel à corporibus separatæ, naturaliter, & neceſſario suam deſiderant beatitudinem. Non enim animæ per se ætatum varietati sunt obnoxiæ, ita ut aliquando ſint in infantia, aliquando in pueritia, aliquando in juventute, aliquando in adolescentia, in virilitate, aliquando denique in senectute: sed hæ varietates hominum sunt, non autem animarum rationalium, quæ ſpirituales ſunt, & in natura ſua neque crescunt neque decrescunt, sed à principio omnes habent perfectam naturam suam. Ergo etiam animæ infantum á corporibus separatæ, & utuntur ratione ſua, & voluntate. Unde neceſſe eſt ut vel ſint in perpetuum miseræ, numquam adipiscentes quod vehementiſsime appetunt, ſcilicet beatitudinem; vel ſint aliquando felices, & verè beatæ, id aſſequendo quod tam ardenter deſiderant.

---

* Al. cap. 71.

CAPUT LXXIII.*

Quòd nulla anima injuſte privetur summo bono, & quod omnino ad ipsum ſit nitendum.

QUÆ vero animæ incunctanter judicandæ ſint ſic amantes id, ad quod amandum factæ sunt, ut illo quandoque frui; quæ autem ſic contemnentes, ut illo semper indigere mereantur; aut qualiter, quo vemerito illæ, quæ nec amantes, nec contemnentes dici poſſe videntur, ad bea-

beatitudinem æternam, miseriam ve distribuantur; aliquem mortalium disputando posse comprehendere, proculdubio vel difficillimum vel impossibile existimo. Quòd tamen à summe justo, summeque bono creatore rerum nulla eo bono, ad quod facta est, injuste privetur, certissimè est tenendum: & ad idem ipsum bonum est omni homini toto corde, tota anima, tota mente amando et desiderando nitendum.

COMMENTARIUS.

CAPIT. LXXIII.

Quæ vero animæ incunctanter judicandæ sint, &c. ¶

1 Mysterium profundissimum prædestinationis tangit Anselmus. Dicit ergo quod licét per rationes supra expensas, & alias, quæ adduci possunt, ostendatur, animas hominum, attenta primæva naturæ rationalis institutione, destinatas à suo esse Creatore, tum ad intelligendum, amandumque ipsum Deum, propter semetipsum, tum quoque ad obtinendum veram beatitudinem in præmium talis amoris; sicut à contrario mittendas in æternam pœnam atque miseriam, si contempserint Deum, aut neglexerint illum diligere, morientibus hominibus, quorum animæ sunt, in crimine suo; nihilominus ingenio humano investigari non possit, quæ in singulari, aut signanter animæ erunt reipsa felices atque beatæ; quæ vero numquam, sed in perpetuum infelices atque miseræ. Sicut etiam certum est, inquit, ratione humana assequi non posse, an omnes infantum animæ provehantur in æternam felicitatem, an multæ, sed non omnes, an paucæ, an hæ potius quàm illæ; neque á contrario, an illæ magis quàm istæ in miseriam perpetuam introducantur.

2 Causa vero cur primum de adultorum scilicet animabus judicium certum (propterea addit *incunctanter*) assequi nemo possit humano quamtunvis ingenio præditus, ea est, quòd nempe, cùm liberum hominis arbitrium inconstans, & nimis volubile sit, nihil est unde, attentâ sola natura, colligi certo queat, hujus hominis præ illo arbitrium liberum perseveraturum in Dei amore, bonisque operibus; an potius ante mortem á recta via declinaturum, atque proinde non in amore Dei perseveraturum. Et quamvis ex vita transacta in rectis operationibus, & in perseverantia, prout apparet in oculis hominum, usque ad mortem, valeant homines probaliter magis aut minus judicare, hunc vel illum hominem beatitudinem fuisse assecutum; alium vero vel alios propter contraria opera mala, & finalem sensibilem impœnitentiam, miseros semper futuros, damnatosque in æternum: quia vero homines in cor non penetrant aliorum, ideo hominum judicium est valde obnoxium fallentiæ.

3 Causa vero semper dubitandi (loquimur inspecta sola natura, & ratione naturali, non fide) de beatitudine vel miseria parvulorum est, quia animæ infantum cùm neque ament Deum, neque contemnant, nec bene aut male operentur, nulla cogens videtur ratio ut felices, & beatæ potius, quàm miseræ sint: quinimo neque ex parte ipsorum ulla quamtumvis levis est discretionis ratio, scilicet ut magis hujus vel illius, horum vel illorum infantium animæ in beatitudinem, aut miseriam perpetuam immitantur. Sed neque ratio cogens apud nos est ut omnes sint beatitudinis participes: cùm sine aliquo Dei amore, & opere bono, nullum jus eos ad beatitudinem habere allegari potest: & aliunde rationes suspicandi in animum nostrum subeunt ob miserias quas in hac vita patiuntur, fortasis non esse penitus innocentes. Ex alia parte ingenio humano non minus occurit, Deum utpote summe bonum, & summe sapientem curam habere de omnibus, universisque rebus providere, atque adeo eius esse summæ benignitatis suas innocentes rationales creaturas, imaginesque suas, licet nihil boni egerint, ad beatitudinem cujus sunt capaces efferre. Ratio tamen efficax est ut ipsorum animæ parvulorum pœnam sensûs, ut dicitur, non experiantur, si penitus essent innocentes. Eadem etiam est ut innocentes nulla pœna plectantur. At beatitudo vera, quæcumque fuerit, debita non est, nisi Deum propter semetipsum diligentibus.

4 Quamvis hæc tam adultorum quàm parvulorum discretio, secretiſsimum, & naturali ingenio impenetrabile myſterium ſit, etiam nihil respiciendo ad gratuitam ſupernaturalem Dei providentiam : adhuc ſecretius, & impenetrabilius eſt in prædestinatione gratuita tam de adultis quàm de parvulis, quamdiu manent in hac vita : at poſt mortem certitudo poteſt eſſe judicij circa prædeſtinationem aliquorum, ſed non niſi poſt declarationem Eccleſiæ ; ut de Sanctis qui vel beatificati, vel canonizati dicuntur. De parvulis autem baptizatis, & morientibus ante rationis uſum eſt certitudo moralis de ipsorum salute ; multo tamen minor certitudine quam habemus de Sanctis in Canonem, vel numerum Sanctorum à Summo Pontifice relatis. Nescimus enim qualis fuerit intentio baptizantis, vel utrum fortaſsis nulla fuerit, neque saltem faciendi quod Eccleſia facit. Scientia nobis, inquam, deeſt omnino certa de tali intentione: non deeſt tamen omnis scientia, juxta magis, aut minus probabiles rationes, & circunſtantias ex parte baptizantis. Circa incertitudinem ſive arcanum divinæ prædeſtinationis legi poteſt, ſi lubet, S. Aug. in lib. de prædeſt. Sanctorum, & dono perseverantiæ, aliisque in locis, præsertim quæſt. 2. ad ſimplicianum num. 16. (in Edit. S. Mauri) ubi magis cum Anselmo in hoc cap. correlationem habere videtur. Conferatur quoque Proslog. N. Auct. cap. 11.

5 *Quòd tamen à summè justo, summeque bono creatore rerum nulla eo bono, ad quod facta est, injustè privetur, certissimè est tenendum.* Dicit ergo Anselmus quòd tametſi oculta nobis circa prædictam animarum discretionem ratio penitus ſit ; nequaquam hæſitare debemus de Summa Dei juſtitia, atque bonitate, quin summe juſtè, id eſt, ex ſapientissima, & rectiſsima ratione ita se gerat in prædeſtinando hos homines, & illos reprobando, vel à Regno Cœlorum excludendo. Deus utpote summè Sapiens, & summè juſtus, nihil absque vera, & recta ratione decernere, neque agere poteſt. Deo aliquam eſſe rationem, & non meram pro libito voluntatem, ut ex infantibus hos ſalvet, illos reprobet, fuit Div. Aug. mens, expreſſa in Enchiridio cap. 95. num. 24. *tunc*, inquit loquendo de ſcientia Sanctorum in Gloria, *non latebit, quod nunc latet, cùm de duobus parvulis unus eſſet assumendus per misericordiam, alius per judicium relinquendus, in quo is qui aſſumeretur, agnosceret quid ſibi per judicium deberetur, niſi misericordia subveniret ; cur ille potius, quàm iste fuerit aſsumptus, cùm causa una eſſet ambobus: cur apud quosdam non factæ sint virtutes, quæ ſi factæ fuiſſent, egiſſent illi homines pœnitentiam, & factæ ſunt apud eos qui non fuerant credituri.* Eadem fuit M. Greg. sententia lib. 2. Dialog. cap. 16. de judiciis divinis, quæ incomprenſibilia Ap. vocat. Ait namque incomprehenſibilia eſſe his quibus Deus ipsa non revelet, non tamen quibus illa manifeſtet.

6 Sed iterum attentionem convertendo super verba N. Authoris mihi videtur, idoneam probationem ex illis erui poſſe ad perſuadendum, Deum nullum hominem reprobare, neque excludere à Regno Cœlorum niſi propter vel actualem, vel saltem originalem culpam. Ait enim nullam animam eo bono, ad quod facta eſt, injuſte privari à summè juſto summèque bono creatore. At creatio animæ rationalis, per quam creationem ad fruendum Deo (scilicet ut Authore naturæ & fine ultimo, in ordine naturali, naturæ rationalis) iuxta dicta in capp. 68. & 69. facta eſt, quodam ordine intelligentiæ præceſsit in mente divina decretum prædeſtinationis, aut reprobationis. Ergo ſi nulla rationalis anima eo bono injuſtè privatur, consequens eſſe videtur ut neque ſine culpa præcedente in præscientia Dei à beatitudine & fruitione Dei omni excludatur.

7 *Et ad idem ipsum bonum est omni homini toto corde, tota anima, tota mente amando & deſiderando nitendum.* Primum Decalogi præceptum Author commendat : tum ut moneat, arduam licèt, non tamen eſſe impoſsibilem, aut inaſſequibilem veram felicitatem in Deo ; tum etiam ut viam ſic paret ad caput quod ſtatim sequitur.

CA-

CAPUT LXXIV.*

* Al. cap. 72.

Quòd summa essentia sit speranda.

SED in hac intentione humana anima nullatenus se poterit exercere, si desperet quò intendit se posse pervenire. Quapropter quantum illi est utile studium annitendi, tantum necessaria est spes pertingendi.

COMMENTARIUS.

CAPIT. LXXIV.

Sed in hac intentione &c. ¶

1 Indicat Author aliud esse intentionem finis, scilicet beatitudinis, & aliud spem perveniendi in eum finem. Intentio enim est prima voluntas seu amor beatitudinis, nihil adhuc in specie curando de mediis, quibus assequenda talis beatitudo sit. Spes vero media percurrit: seu potius illis prudentiæ consilio inventis, & præeunte judicio quòd à potestate non longe sint; tunc fit in animo spes, quæ motus est voluntatis cum certitudine rationis, tametsi non infalibili ex parte ipsius sperantis, tendens in finem.

2 *Quamvis enim sperare sine amore non possit*, ut inquit D. Aug. cap. 117. in Enchirid. *fieri tamen potest ut id non amet sine quo ad id quod sperat non potest pervenire. Tamquam si speret vitam æternam (quam quis non amat?) & non amet justitiam, sine qua nemo ad illam pervenit. Objectum spei*, dicit D. Thom. 2.2. quæst. 17. art. 1. in corp. *Est bonum futurum arduum possibile haberi :: In quantum ergo speramus aliquid ut possibile nobis per divinum auxilium, spes nostra attingit ad ipsum Deum cujus auxilio innititur.* Et quæst. seq. art. 4. *Sed contra est*, inquit, *quòd spes est certa expectatio futuræ beatitudinis, sicut Mag. dicit lib. 3. dist. 26.* Et in corp. art. *Spes certitudinaliter tendit in suum finem, quasi participans certitudinem à fide, quæ est in vi cognoscitiva.*

3 Itaque si per spem anima movetur, aut tendit in assecutionem finis, beatitudinis ve, sicut & N. Greg. homil. 13. in Evang. dicit. *quisquis ille est, spe ad supernam Patriam tendat*; & nos quoque experimur omnes, quòd deficiente in nobis spe cujuscumque rei assequendæ, vel assequendi quamcumque rem, illicò in nobis amor efficax vel absolutus ejusdem rei cessat: rectè Author dicit, quia *nullatenus anima se poterit exercere in intentione*, id est, efficaci amore beatitudinis quæ in fruitione Dei consistat, *si desperet quò intendit se posse pervenire.* Consultò *in hac intentione* dicit: nam in intentione, non huius in particulari vel illius beatitudinis, sed indesignatæ beatitudinis necessarió & naturaliter omnis anima se exercet. Certissimum est quidem quia cuncti volunt esse beati, noluntque miseri esse. Sed hæc necessaria intentio, sicut à ratione non fit, neque dependet, ita neque conducitur spe, sed ab impetu est naturæ voluntatis rationalis. Cæterum ut anima liberè intendat seu cum exercitio libertatis & deliberationis finem ultimum seu beatitudinem in determinato subjecto intendat cum efficacia, *necessaria est*, inquit Author, *spes pertingendi.*

CA-

* Al. pars cap. 72.

CAPUT LXXV.*

Quod credendum ſit in illam, hoc eſt, credendo tendendum in illam.

AMARE autem aut ſperare non potest, quod non credit. Expedit itaque eidem humanæ animæ summam eſſentiam & ea, ſine quibus illa amari non potest, credere; ut illam credendo, tendat in illam. Quod idem apte breviusque ſignificari poſſe puto; ſi pro eo quod eſt credendo tendere in summam essentiam, dicatur credere in summam eſſentiam. Nam ſi quis dicat se credere in illam, satis videtur ostendere, & per fidem, quam profitetur, ad summam se tendere eſſentiam; & illa se credere, quæ ad hanc pertinent intentionem: nam non videtur credere in illam, ſive qui credit, quod ad tendendum in illam non pertinet; ſive qui per hoc, quod credit, non ad illam tendit. * Et fortaſſe indifferenter dici poteſt, credere in illam, & ad illam: ſicut pro eodem accipi poteſt, credendo tendere in illam, &, ad illam: niſi quia quisquis tendendo ad illam pervenerit, non extra illam remanebit, sed intra illam permanebit. Quod expreſsius & familiarius ſignificatur, ſi dicitur tendendum eſſe in illam; quàm ſi dicitur, ad illam. Hac itaque ratione puto congruentius poſſe dici credendum eſſe in illam; quàm ad illam,

* Al. cap. 73.

COMMENTARIUS.

CAPIT. LXXV.

Amare autem, aut sperare non poteſt quod non credit &c.

1 Quamvis prior naturâ ſit & ordine generationis fides quàm charitas, aut spes; nam *fides*, ut inquit Ap. ad Heb. 11. *est sperandarum substantia rerum.* Et alibi; *Quommodo invocabunt in quem non crediderunt?* Nihilominus cùm Author, ut tam sæpè præmonuimus, personam agat cujusdam secum cogitantis & sola ratione gradatim inveſtigantis ea quæ ſunt fidei, aut alicujus curantis infidelem ratione trahere atque perducere (Deo scilicet intùs gratia sua illuminante, & adjuvante, atque cooperante) ad nostram fidem: hinc eſt ut á notioribus argumentis, aut quæ magis in promptu cuique homini ad credendum proponi poſſunt, ſive ad intelligendum quæ jam credit, in hoc opere semper incipiat. Quod magis cuique præſto eſt, natura ſua ſine dubio eſſe intelligitur, motus quoque proprii intra se orti, atque inclinationes naturales quas inceſſanter intimè experitur. In antecedentibus capp. homini reduxit ad memoriam quid ac qualis eſt ejus natura, & ad quod ſit facta, vel ad quem finem inſtituta. Lege à cap. 67. Hæc omnia ſtatim & nullo negotio ratio percipit, ſi saltem aliquis ſit qui perspicuè doceat de hoc, aut moneat. Experitur intimè quicumque proprio in corde quaſi quoddam perpetuum pondus quo in propriam fertur commoditatem & felicitatem. Experitur deinde indeſinenter ardentiſsimum ſemper vivendi deſiderium, non autem in miseriis, non in afflictionibus, non in laboribus, non in anguſtiis, non in pœnis, sed in abundantia omnium bonorum, pace perfecta, completa requie, consumato gaudio, omni penitus depulsa anxietate, aut timore tot & tanta bona & vitam ita felicem aliquando amittendi.

2 Hinc non difficillimè provehitur animus ad intelligendum in quo ſita poſsit eſſe tam felix vita; nempe in solo Deo. Deinde ſatis proclive eſt ut ex illo generalis ſive indeſignatæ felicitatis amore atque deſiderio nascatur alius amor & aliud deſiderium obtinendi in Deo illam summam felicitatem; nihil adhuc curando de juſtitia aut rectitudine voluntatis neceſſaria ad eam felicitatem aſſequendam: sed solùm conſi-

de-

derando, quòd forsan non erit impossibile neque summè arduum ad eamdem aliquando pervenire. Postquam jam animus hominis ratione ductus hunc gradum ascendit; non est difficile ipsi suadere, ut nisi speret firmiter ad eam felicem vitam aliquando pervenire, ab amore illius deficiet absdubio atque prosecutione; adeoque cessante motu, numquam ad illam perveniet. Homine de hoc quoque jam convicto & ipsius voluntate sic jam affecta & præparata: sine mora etiam conducetur & evehetur ad assentiendum, quód ut ne aliquando spes deficiat, immo & vera sit spes, necessarium penitus sit credere constanter summam Dei essentiam esse verum objectum spei hominis, & ultimum finem in quo solo potest esse beatitudo nostra; simulque credere media non deesse quibus homo dignus fiat frui tanta felicitate.. Nam quo pacto quis poterit spe sua niti ad adipiscendum quod firmiter non credit se posse aliquando assequi, aut fieri dignum ad illud pervenire? Aut qua ratione crediturus est hac firmitudine, se posse quidpiam aliquando adipisci, si media de se efficacia, & indefectibilia, neque sibi defutura, nisi ipsemet ea rejiciat, vel in culpa sit, pariter credat?

3 Hoc si semel credat paganus vel infidelis homo: non longe erit, ut credat, Deo interius illuminante, atque adjuvante, ea vere omnia media esse quæ, ad obtinendum veram in Deo felicitatem, nobis ut penitus necessaria revelata in Scripturis sunt. Vel saltem credere non refugiet, Deum sic esse potentem, & bonum ut neque ipsi desint in promtu copiosa & efficacia media perducendi homines ad beatitudinem, neque vera & sincera voluntas: quod utrumque probatum manet in capp. 68. & 69. Itaque cùm pariter in illis & seqq. capp. ostensum fuerit, amorem verum & constantem quo homo Deum diligat super omnia, & propter semetipsum, esse quo homo fruitione Dei fit dignus, & sine hoc amore indignum penitus esse: persuadebitur etiam &, Deo gratiâ sua adjuvante, credet ea sine quibus Deum vere ac perseveranter amare super omnia & propter semetipsum nemo potest.

4 *Quòd idem apte breviusque significari posse puto &c.* Omnia prædicta, nimirum credere summam essentiam cum intentione seu amore ipsius tamquam finis ultimi, & veræ beatitudinis naturæ rationalis, insuperque cum firma spe ad eamdem perveniendi, credendo pariter media ad hoc necessaria; hæc, inquam, omnia compendiosè posse significari per hæc verba, *credere in summam essentiam*, docet hic nos Author. Ratio ejus est, quia propositio *in* satis significare videtur motum & accessum sicut & fulcrum quo innitatur homo ipse credens & firmiter per spem in Deum tendat, & per amorem accedat, atque proficiat in suum ultimum finem. Unde P. Aug. ad cujus doctrinam etiam in hoc cap. Anselmum respexisse probabile est, serm. 144. de verb Evang. Joann. in edit. Monach. S. Mau. *Multum interest*, inquit, *utrum quisque credat ipsum esse Christum & utrum credat in Christum: Nam ipsum esse Christum & dæmones crediderunt, nec tamen in Christum dæmones crediderunt. Ille enim credit in Christum, qui sperat in Christum, & diligit Christum. Nam si fidem habet sine spe, ac sine dilectione, Christum esse credit, non in Christum credit.*

5 Ang. Præc. 2. 2. quæst. 2. art. 2. etiam distinguit inter credere Deo, credere Deum & credere in Deum. Sed quamvis in hoc quod est *credere in Deum*, quodammodo accedat ad explicationem Aug. & N. Ans. nihilominus ab eis distat. Certe in Symbolo dicimus quia credimus in Deum Patrem omnipotentem & in Jesum-Christum Filium ejus unicum & in Spiritum Sanctum; non vero dicimus, & in Sanctam Ecclesiam Catholicam; sed credimus *Sanctam Ecclesiam Catholicam*: ut significemus nos certe credere existere unam Sanctam Ecclesiam Catholicam & Apostolicam; non vero fidem nostram cum spe niti aut fundari, fulciri ve in Ecclesia, sicut neque nostrum amorem vel charitatem inclinare in Ecclesiam tamquam in suum ultimum finem, propriumque motivum.

6 *Et fortasse indifferenter dici potest credere in illam, & ad illam &c.* Non firmiter assentit Author uti his verbis licere: *credimus ad essentiam divinam*, vel *ad Deum*: sed addit, *fortasse*. Vult dicere, quia si attendamus quod *in Deum credere* motum significat simul voluntatis per spem, & per amorem quibus movemur, & accedimus ad Deum, non improprie diceremus nos credere *ad Deum*: quia certé præpositio *ad* motum indicat sicut præpositio *in*. Unde dicimus: iter facio in vel ad illum locum, ad Galliam v. g. vel in Galliam. Sed S. Doctor, dicendo *fortasse*, satis innuit eum loquendi modum in usu non esse. Neque post ætatem S. Doct. cuiquam, quantum arbitror vel sciam, Theologo in usu fuit. Cæterum etiam quantum ad proprietatem significandi, nihil curando de usu aut consuetudine loquendi, agnoscit S. Doctor majorem

Theologicam vim, & energiam in præpoſitione *in* quàm in præpoſitione *ad*: quoniam præpoſitio *ad* ſignificare videtur merum reſpectum vel acceſſum ad Deum, magis externum quàm internum; præpoſitio autem *in* apta, & idonea eſt ſignificare tum nissum, & firmitudinem motùs poſitam eſſe in Deo, tum etiam quòd talis motus ſit ad manendum in Deo, quiescendum intra ipsum Deum, non tantum circa ipsum Deum, vel extra Deum. Certe ſecundum doctrinam Chriſti Domini, qui ab ipso beatificantur, intrant in gaudium Domini sui.

7 Hæc doctrina consona eſt etiam D. Aug.: Nam ubi supra continuó prosequitur: *Qui ergo in Christum credit, credendo in Christum, venit in eum Christus, & quodam modo unitur in eum, & membrum in corpore ejus efficitur. Quod fieri non potest, niſi & spes accedat, & charitas.* Quamvis fateor Anselmum in ultimis verbis de beatitudine loqui, non de charitate in via: at ratio vel eàdem, vel valde ſimilis eſt.

CAPUT LXXVI.*

* Al. cap. 74.

Quòd in Patrem & Filium & eorum Spiritum pariter & in ſingulos & ſimul in tres credendum ſit.

CREDENDUM igitur eſt pariter in Patrem & Filium & eorum Spiritum & in ſingulos: & ſimul in tres: quia & ſingulus Pater & ſingulus Filius, & ſingulus eorum Spiritus eſt summa eſſentia: & ſimul Pater & Filius cum suo Spiritu ſunt una eademque summa eſſentia, in quam ſolam omnis homo debet credere: quia eſt solus finis, quem in omni cogitatu, actuque suo per amorem debet intendere. Unde manifeſtum eſt, quia ſicut in illam tendere, niſi credat illam, nullus poteſt: ita illam credere, niſi tendat in illam, nulli prodeſt.

COMMENTARIUS.

CAPIT. LXXVI.

Credendum igitur eſt pariter in Patrem, & Filium, & eorum ſpiritum, &c.

1 Hæc Auctoris consequentia omnino manifeſta eſt, suppoſitis antecedentibus ſatis jam probatis, & ſtabilitis à cap. 29. usque ad 64.: nimirum ſummam eſſentiam, quæ una ac ſimplicissima eſt, eſſe verum Patrem, verum Filium, & verum Spiritum Sanctum, ita ut unicus ſit Pater, unicus ſit Filius, unicus ſit Spiritus Sanctus: insuperque hos tres communicare penitus, & cum summa ſimplicitate, in illa summa eſſentia, ſic, ut ſive Pater, ſive Filius, ſive Spiritus Sanctus, ſingulus ſit per se, & absque indigentia alterius perfectissime illa summa eſſentia, & Deus: & denique omnes tres non eſſe niſi unum, & eumdem perfectum Deum. Ex his ergo evidenter consequitur, quod Auctor dicit, fidem noſtram æque debere credere in Patrem, & Filium, & in Spiritum Sanctum, ſive ſimul duo vel tres, ſive unus ſingulatim, accipiantur; æque, inquam, ſicut debet credere, & credit, juxta dicta in cap. antecedenti, in ſummam eſſentiam. Itaque omnia quæ exposuimus de fide, spe, & charitate in cap. proximo, intelligenda indiscriminatim sunt de tribus divinis personis tam ſingulatim quàm ſimul acceptis. Denique, & omnia dicta à cap. 67. usque ad præsens de inſtitutione creaturæ rationalis, & de ipſius ultimo fine, & vera beatitudine, atque de retributione, providentia, & amore ex parte Dei ad rationalem creaturam, eamdem vim consequentiæ habent ut de Deo trino in personis, & de tribus personis in Deo intelligantur: quamvis ratio naturalis, fide divina deſtituta, nequeat ducere consequentiam usque ad personarum Trinitatem. Verumtamen semel ac quis credat, aut

ra-

ratione per Theologum quodammodo, ut credat, suadeatur, Deum esse tres personas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, simul cum perfectione, & summa dicta simplicitate; sine difficultate percipiet connexionem, & vim consequentiæ.

2 *Quia est solus finis, quem in omni cogitatu, actuque suo per amorem debet intendere, &c.* ¶ Sententia Auctoris est, his verbis attentis, hominem debere omnes suas cogitationes, & actiones in Deum referre per amorem; non qui semper actu sit, sed qui moraliter continuo perseveret, numquam illum retractando, vel intercipiendo per mortale peccatum. *Non oportet* inquit Ang. Mag. 1. 2. quæst. 1. art. 6. ad 3. *ut semper aliquis cogitet de ultimo fine, quandocumque aliquid appetit, vel operatur: sed virtus primæ intentionis quæ est respectu ultimi finis, manet in quolibet appetitu cuiusque rei, etiam si de ultimo fine actu non cogitetur: sicut non oportet quòd qui vadit per viam, in quolibet passu cogitet de fine.*

3 Sed præstat Auctorem dilucidare ipsiusmet luce. In quæst. 3. de concordia gratiæ cum lib. arbit. cap. 11. distinguendo inter voluntatem actualem, ab ipso dictam *usum*, & voluntatem affectivam, ab ipso appellatam *affectionem instrumenti volendi*, de hac ultima ita loquitur S. Doct.: *Eodem modo sanctus homo asseritur, etiam cùm dormit, & non cogitat, indesinenter habere voluntatem justè vivendi.* Et infra: *Velle autem æquivocum est sicut videre: quemadmodum namque dicitur videre qui utitur visu; & qui non utitur; sed qui habet aptitudinem videndi: ita asseritur velle, & qui utitur instrumento volendi cogitando quod vult; & qui non utitur, quoniam affectionem, hoc est, aptitudinem habet volendi.* Hæc autem intelligenda sunt non de voluntate sumpta pro nudo habitu, sed pro voluntate etiam virtuali, vel moraliter permanenti quantum ad actum vel exercitium: tum quia aliás de Sancto homine adulto sine fundamento assereretur indesinenter habere voluntatem justé vivendi etiam cum dormit, & non cogitat; cùm numquam justitiam actu voluerit: tum etiam quia in eodem cap. non longe â principio ait, quòd affectio voluntatis est, *qua sic afficitur ipsum instrumentum ad volendum aliquid, etiam quando illud quod vult non cogitat, ut si venerit in memoriam, aut statim, aut suo tempore illud velit.* Unde subjicit: *in justo quoque homine similiter est affectum idem instrumentum ad volendum justitiam, etiam cùm dormit, ut cùm eam cogitat, statim eam velit.* At homo qui ita affectus est ut statim atque cogitet justitiam, illam diligit, quamvis hoc certum non sit, sed quandoque vel propter aliquam passionem, aut diaboli, vel hominum suggestionem à rectitudine deficiat, non potest prudenter judicari multo tempore manere in solo habitu justitiam diligendi absque omni actu. Ergo quando N. Author in his verbis, quæ nunc commentamur, ait hominem in omni cogitatu actuque suo debere intendere per amorem in ultimum finem; neque intelligendus est de amore actuali exercitii, neque de amore præcisé habituali, sed de habitu simul cum actu & exercitio præterito, virtualiter aut moraliter permanenti; aut etiam non præterito sed pro aliquibus temporibus præsenti & existenti.

4 Addo, sententiam apud Catholicos Gallos satis, imò valde plausibilem esse hominem adultum debere omnes suas deliberatas actiones in Deum saltem virtualiter referre per caritatem ortam vel ab habitu, vel ab auxilio transitorio. Distinguunt enim inter dominantem caritatem, & caritatem non dominantem. Primam dicunt esse inconjungibilem cum mortifero peccato, sed non secundam. Quapropter Illustrissimus Bosuet, qui tanquam oraculum habetur in Galliis, operosum scripsit tractatum, in quo firmiter defendit, & persuadere nititur, opus omnino esse, ad consequendam justificationem intra Sacramentum Pœnitentiæ, amore Dei saltem initiali caritatis, seu adhuc non dominantis in corde hominis; neque sufficere servilem omnino metum propter gehennam. Ego autem hæc refero. Quid ego sentiam, non aperio: opus enim esset longa disputione, & extra rem.

CAPUT LXXVII.*

* Al. cap. 79.

Quæ sit viva, quæ mortua fides.

QUAPROPTER quantacumque certitudine credatur tanta res; inutilis erit fides, & quasi mortuum aliquid, nisi dilectione valeat & vivat. Etenim

enim nullatenus fidem illam, quam competens comitatur dilectio, ſi ſe opportunitas offerat operandi, otiosam eſſe; ſed magis se quadam operum exercere frequentia, quod ſine dilectione facere non poſſet, vel hoc solo probari poteſt; quia quod summam juſtitiam diligit, nihil juſtum contemnere, nihil valet injuſtum admittere. Ergo quoniam quod aliquid operatur, inesſe ſibi vitam, ſine qua operari non valeret, oſtendit: non absurde dicitur, & operosa fides vivere, quia habet vitam dilectionis, ſine qua non operaretur; & otiosa fides non vivere, quia caret vita dilectionis, cum qua non otiaretur. Quare ſi cæcus dicitur, non tantum qui perdidit visum; sed & qui cúm debet habere, non habet: cur non ſimiliter poteſt dici *fides ſine dilectione, mortua*; non quia vitam suam, id eſt, dilectionem, perdiderit; sed quia non habet, quam semper habere debet? Quemadmodum igitur illa fides, *quæ per dilectionem operatur*, viva eſſe cognoscitur: ita illa, quæ per contemptum otiatur, mortua eſſe convincitur. Satis itaque convenienter dici poteſt viva fides credere in id, in quod credi debet; mortua vero fides credere tantum id, quod credi debet.

COMMENTARIUS.

CAPIT. LXXVII.

Quapropter quantacumque certitudine credatur tanta res; inutilis erit fides, & quaſi mortuum aliquid, niſi dilectione valeat & vivat. ¶

1 Finem Author imposuit cap. præcedenti, dicendo quia nulli prodeſt credere summam eſſentiam ſive Trinum, & unum Deum, niſi tendat in illam summam eſſentiam aut in Deum. Nunc cap. incipit juxta morem suum in toto hoc opere, ab ea proxime ſententia in qua cap. quod præceſſit, deſierat. Itaque, ut jam alibi lectorem advertere fecimus, capita capitib. nectere semper curavit hucusque Anselmus. Unde fere semper unum cap. eſt tamquam consecutio alterius. Intentio vero Authoris in præſenti cap. eſt, non inficiari veram eſſe fidem ſine dilectione tam actuali quàm habituali, ſi fidei species attendatur & natura; sed probare duntaxat inutilitatem ejus, quantum ad consecutionem æternæ vitæ & beatudinis, absque tali dilectione Dei, vel actuali vel ſaltem habituali: insuperque oſtendere quòd vita fidei per opera manifeſtetur. Veritatem aut veram speciem & naturam fidei manere absque dilectione, sanctitate, atque juſtitia ſupponit Author in illis verbis: *quantacumque certitudine credatur tanta res.* Per fidem, quæ vera fides non ſit, nequit Deus Trinus & unus credi quantacumque certitudine, id eſt, certitudine, quæcumque illa ſit in summo gradu certitudinis: hæc enim certitudo ſine limite non poteſt non eſſe divina, atque adeo & vera. Deinde Author adjicit, *& quaſi mortuum aliquid.* Ac si dicat: ſicut mortuum corpus non deſinit eſſe propter absentiam vitæ verum corpus, quantum ad eſſentiam & naturam corporis, illud tamen ſine vita nihil prodeſt, niſi ut vermium esca ſit: ita fides, quamquam ſine Dei amore actuali & habituali vera eſſentialiter fides eſt, homini cum sola fide perseveranti usque ad mortem corporis, inutilis penitus erit, niſi ut in inferno ex fidei notitia vermis conscientiæ pascatur ad sempiternam torturam. Et ſicut cadaveris nullus eſt proprius motus, nulla actio vitalis: ita fides ſine gratia & ſine charitate nullum motum, nullam actionem vitæ ſupernaturalis agere valet. Unde Ap. 1. ad Corint. cap. 13. ait: *Et ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil ſum.* At nihilominus Sacra Synodus Trid. Seſsione 6. de juſtific. can. 28. definit, Quòd, *ſi quis dixerit, amiſſa per peccatum gratia; ſimul & fidem ſemper amitti; aut fidem, quæ remanet, non eſſe veram fidem, licet non ſit viva; aut eum, qui fidem ſine charitate habet, non eſſe chriſtianum; anathema ſit.*

2 *Etenim nullatenus fidem illam, quam competens comitatur dilectio, &c.* ¶ Quod Auctor hoc loco dicit, charitatem otiosam non eſſe, aut fidem quam cha-

charitas comitatur, dum adeſt opportunitas se manifeſtandi per opera externa, eſt etiam ſententia noſtri Greg. lib. 2. Homiliar in Evang. homil. 30. juxta edit. Monach. S. Maur. *De dilectione*, inquit, *Conditoris lingua, mens, & vita requiratur. Numquam est Dei amor otiosus. Operatur etenim magna, ſi est: ſi vero operari renuit, amor non est.* Ratio eſt, quia verus amor eſt motus animi, & inclinatio in amatum, eidemque bonum quærens. Qualiter ergo poterit evenire ut operari frequenter renuat, dum opportuna se offert occaſio, in favorem, obsequium, laudem, honorem, complacentiam, lætitiam, gaudium, aut etiam modo poſsibili in utilitatem, & bonum amati? Nullo modo. Quod & hac ratione (aliis prætermissis) probat Anſelmus. Qui summam juſtitiam diligit, nihil juſtum contemnere, nihil valet absolute injuſtum admittere: nam ex amore alicujus boni ſpontè suà nascitur odium oppoſiti mali: ſicut, exempli ergo, ex amore felicitatis odium miseriæ; & ex vitæ amore, & salutis odium infirmitatis ac mortis. Summæ vero juſtitiæ quæcumque injuſtitia opponitur. Ergo qui summam diligat habitu juſtitiam, odio habebit quoque habitu quamlibet injuſtitiam: qui vero illam diligat etiam actu, pariter, & hanc, nempe injustitiam, odio actuali persequetur. Hoc dico propter peccatum veniale quod juſti, etiam dum illud admittunt, nequaquam secundum habitum juſtitiæ diligunt, sed potius eidem contradicunt. Quamquam veniale peccatum non ſit ſimpliciter injuſtitia, ſed cum adjuncto valde diminuente ſignificationem: quapropter non eſt inconjungibile cum amore ſimpliciter tali summæ juſtitiæ, sed duntaxat cum amore omnino perfecto, & robuſtissimo juſtitiæ Summæ, scilicet Dei.

3 Neque hæc poſtrema de peccato veniali ſine auctoritate dicimus. Habemus enim pro nobis inſigne patrocinium D. Thom. 1. 2. quæſt. 88. art. 1. ad 2. ajentis sufficere, *Quòd aliquis habitualiter referat se, & omnia sua in Deum, ad hoc quod non semper mortaliter peccet, cùm aliquem actum non refert in gloriam Dei actualiter. Veniale autem peccatum non excludit habitualem ordinationem actus humani in gloriam Dei, sed solùm actualem: quia non excludit charitatem, quæ habitualiter ordinat in Deum.* Et ad 3.: *Quòd ille qui peccat venialiter, inhæret bono temporali non ut fruens, quia non constituit in eo finem, sed ut utens, referens in Deum non actu, sed habitu.* Et ad 1.: *Peccatum veniale dicitur peccatum secundum rationem imperfectam, & in ordine ad peccatum mortale: ſicut accidens dicitur ens in ordine ad substantiam, secundum imperfectam rationem entis. Non enim est contra legem: quia venialiter peccans non facit quod lex prohibet, nec prætermittit id, ad quod lex per præceptum obligat, ſed facit præter legem: quia non observat modum rationis quem lex intendit.*

4 Ergo qui summam juſtitiam, in qua neceſſe eſt ut omnis juſtitiæ speries comprehendatur, diligit, consequens eſt ut nullam juſtitiam contemnat; sed potius quamcumque, habitu saltem, juſtitiam diligat. Nam ſi omnem diligit, nullam respuit: ſi omnem diligit, pariter ergo quamlibet particularem juſtitiam in omni contentam. At omnis homo ratione utens, ſive aliquid agat, ſive non agat, illud agere debet aut non agere quod rectum eſt ab ipso fieri aut non fieri. Quod autem rectum eſt ut ab ipso fiat aut non fiat, generalis juſtitia dictat ut vel fiat ab ipso vel non fiat. Igitur qui diligit summam juſtitiam, consequens eſt ut operari diligat, & operetur, quando operari debitum, & rectum eſt: vel non operari, neque operetur, dum juſtum eſt non operari; ea saltem quæ nullo pacto cohærere poſſunt cum amore summæ juſtitiæ, qualia sunt injuſta ſimpliciter. At summa eſſentia, juxta dicta in capp. 15. & 16. summa juſtitia eſt. Ergo qui diligit summam eſſentiam, diligat neceſſe eſt ſummam juſtitiam, & omnem juſtitiam; insuperque cunctam rejiciat injuſtitiam: diligat, inquam, habitu saltem; pariterque habitu saltem rejiciat. At injuſtitiam ſimpliciter, ſive peccatum mortale etiam actu semper, & pro semper repellere debet, ſi animo ocurrat, aut mentem invadat. Ergo qui diligit Deum, operatur quod juſtum ſimpliciter eſt operari, id eſt, quod præcipit Deus: & abſtinebit ab eo quod ipse Deus prohibet, quoniam absolutè injuſtum eſt, prohibitum á Deo, facere. Manifeſtabit ergo ſic, vitam se dilectionis Dei habere. Hoc eſt quod Chriſtus Dominus dicit: *Si quis diligit me, sermones meos servabit:: Qui non diligit me, sermones meos non servat.*

5 *Ergo quoniam quod aliquid operatur, ineſſe ſibi vitam, ſine qua operari non valeret, ostendit, &c.* Fidem ſine operibus mortuam dici, & eſſe Auctor

oſtendit in eis qui operari bene poſſunt, & non operantur : mortuam eſſe, inquam, non quia in operibus vita fidei conſiſtat, aut opera fidem vivificent ; sed quia opera bona ſigna sunt vitæ supernaturalis. Nam ſicut per motus corporis quibus homo, & cætera animalia se movent, agnoscimus eis vitam ineſſe, vereque vivere, quamvis aliud ſit vita, aliud illi corporales motus ; & ab oppoſito ex carentia omnis motus corporalis colligimus nullam eis vitam ineſſe neque vivere : ita ex defectu omnis operis boni cum vita animæ connexi, scilicet cum gratia, & charitate quæ universalis eſt juſtitia, colligitur veriſsime tamquàm ab effectu neceſſario connexo cum sua causa, fidem eſſe ſine vita, mortuamque eſſe. Nam ſicut corpus, ſi haberet vitam, non poſſet non aliquem in se, & ex se motum habere ; ita ſi fides vitam secum haberet charitatis, gratiæ, & juſtitiæ, aliquid boni operaretur, neque eſſet omnino otiosa. Unde bene arguitur : fides in hoc vel illo homine nihil operatur boni ſimpliciter, & conducentis ad vitam æternam : ergo talis fides eſt otiosa, & mortua. Explicatum eſt igitur quod docet Jacobus Apoſt. fidem scilicet ſine operibus mortuam eſſe. Sicut & illud S. Pauli, *fides quæ per dilectionem operatur.* Unde Parens Bernard. Serm. 2. temp. resurrect. *Vita*, inquit, *corporis est anima, per quam movetur, & sentit: vita vero fidei charitas est, quia per illam operatur, ſicut in Ap. legis : fides, &c.* ut sup.

6 *Quare ſi cæcus dicitur, non tantum qui perdidit visum, &c.* Hæc dicit Auctor ut quaſi respondeat tacitæ objectioni quæ fieri poterat : nimirum, quòd ſi paritas tenet vel exemplum cadaveris, cúm corpus nequaquam cadaver aut mortuum dicatur antequam vitam habuerit, sed solùm poſtquam illam amiserit ; neque fides mortua erit, antequam ſit ei dilectionis vita, sed duntaxat poſt vitam juſtitiæ, & charitatis habitam, & amiſſam. Unde fides illius qui vere credidit sed non ſic ut perveniret usque ad suam juſtificationem, secundum illud exemplum mortua dicenda non eſt. Ut, inquam, huic tacitæ objectioni respondeat, nunc adjungit, quòd quamvis in vita corporis consuetudo loquendi non admittat mortuum corpus appellare, quod numquam fuit vivificatum, sed illud solum cui vita aliquando fuit, & illam perdidit; nihilominus exemplum in corpore ſine vita poſitum, opportunum eſſe ad congruentem comparationem cum fide mortua, etiam antequam habeat vitam. Cæcus, inquit, frequenter dicitur qui à nativitate visu caruit : unde tales dicuntur cæci á nativitate. Et certe cæcitas visûs privatio eſt non minús quàm mors vitæ privatio. Ergo ſi mortuum eſſe nihil eſt aliud quám corpus privatum vita, ſicut eſſe cæcum nihil aliud quàm animal visu privatum : quantum ad rem nihil differunt corpus vita privatum, quam aliquando habuerit ; & corpus privatum vita, cujus numquam particeps fuit, aptum tamen à natura eſt, & deſtinatum ut vita potiatur : quamvis consuetudo non ſit, corpus in hoc ultimo sensu mortuum vocari. Certè ſi corpus formatum ex semine maris in utero fœminæ, propter aliquam accidentalem causam, etiamſi fere proxime dispoſitum, animatum non fuerit ; illud tamen secundum rei veritatem mortuum proprie appellari poteſt : quia vere privatum vita eſt quam debuit habere. Ex eadem ratione cæcus à nativitate dicitur proprie cæcus : quia licet numquam visum habuerit; attenta aptitudine, & inſtitutione naturæ, visum habere debuit, aut nasci cum visu.

7 Unde colligitur quòd fides cúm ab initiò vitam secum conjunctam habere debeat, quia homo ſic debet credere, ut Deum quem credit confeſtim diligat super omnia, semper dicenda eſt mortua quandiú vitâ juſtitiæ & charitatis caruerit. Præterquamquod homo propter peccatum originale ſicut vere privatus eſt juſtitia, & charitate atque proinde & animæ vita, ita & vere privatus eſt propter idem peccatum virtute fidei. Sicut ergo anima exiſtens in peccato originali, vere eſt mortua, quamvis nunquam in seipsa vitam gratiæ & charitatis habuerit, quia secundum institutionem naturæ humanæ in principio & in Adamo juſtitiam & charitatem omnis anima humana, quando in se exiſteret, acceptura erat, atque proinde & nnnc habere debet : ita ſi aliquando fidem divinam homo adultus recipit, quin tunc ſimul juſtificetur, non propterea deſinit eſſe talis hominis mortua fides : quia secundum eamdem primam conſtitutionem Adami in juſtitia, & Sanctitate, ſimul cum fide gratiam & caritatem recipere debet, tametſi Deus ipſi gratiam juſtificationis ſolum propter culpam originalem denegaret.

8 *Satis itaque convenienter dici potest viva fides credere in id, in quod credi debet &c.* Cum in cap. 75. dixerit Author quòd credere in summam eſſentiam ſit, in illam ſimul tendendo per spem & amorem, credere : ſi absque tali amore, probatur, fidem non vivere, vivam autem eſſe cum tali amore : quid consequentius quám

quòd

quòd viva fides ſit ea, quæ in ſummam eſſentiam ſive Deum, in quem debet credere, credit; mortua vero fides illa quæ non in Deum credit, ſed duntaxat credit Deum? Non propterea inficias it Author, omnem Chriſtianum Catholicum poſſe ac debere confiteri ſe credere in ſummam eſſentiam, in unum Deum, & in Patrem & in Filium, & in Spiritum Sanctum; confiteri, inquam, etiam illum qui Deum nequaquam diligit: ſed vult dicere Author quòd quando ita fidem ſuam Chriſtianus, cui vita non eſt gratiæ & charitatis, profitetur, vere hoc dicit, ex ea ratione quòd ſimul cum tota Eccleſia fidem totius Eccleſiæ profitetur, & Eccleſia Sancta & viva per gratiam & caritatem eſt, quanvis non in omnibus ſuis partibus aut membris: eum ad modum quo ille homo, qui ſicum vel aridum aliquod membrum habet, verissime dicere potest, quòd absolute mortuus non ſit ſed vivus. Præterea prædictus Chriſtianus cum veritate proferre poteſt ſe credere in unum Deum, quia ſic semper credere debet, & ipse fatetur quod fides sua exigit ab eo. Verumtamen certum eſt etiam quia ſibi in operibus contradicit; juxta illud Ap. *Qui confitentur se noſſe Deum, factis vero negant.* Et S. Joann. Evang. ait: *Qui dicit se noſſe Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est.* Unde & N. Greg. lib. 2. homil. 29. ait: *Vera fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit.*

CAPUT LXXVIII.*

* Al. cap. 76.

Quòd tres ſumma eſſentia quodam modo dici possit.

ECCE patet omni homini expedire ut credat in quandam ineffabilem trinam Unitatem & unam Trinitatem: Unam quidem & Unitatem, propter unam eſſentiam; trinam vero & Trinitatem, propter tres, neſcio quid. Licet enim possim dicere Trinitatem, propter Patrem, & Filium & utriusque Spritum, qui sunt tres; non tamen poſſum proferre uno nomine, propter quid tres; velut ſi dicerem, propter tres perſonas; ſicut dicerem unitatem, propter unam subſtantiam. Non enim putandæ ſunt tres personæ: quia omnes plures personæ ſic ſubſiſtunt ſeparatim ab invicem; ut tot neceſſe ſit eſſe subſtantias, quot sunt personæ: quod in pluribus hominibus, qui quot personæ, tot individuæ sunt subſtantiæ, cognoscitur. Quare in summa eſſentia, ſicut non sunt plures subſtantiæ; ita nec plures perſonæ. Si quis itaque inde velit alicui loqui, quid tres; dicet eſſe Patrem, & Filium, & utriusque Spiritum: niſi forte indigentiâ nominis proprie convenientis coactus elegerit aliquod ex illis nominibus, quæ pluraliter in summa eſſentia dici non poſſunt, ad ſignificandum id quod congruo nomine dici non poteſt: ut ſi dicat illam admirabilem Trinitatem eſſe unam eſſentiam, vel naturam; & tres personas ſive subſtantias. Nam hæc duo nomina aptius eliguntur ad ſignificandam pluralitatem in summa eſſentia: quia persona non dicitur, niſi de individua rationali natura; & subſtantia principaliter dicitur de individuis, quæ maxime in pluralitate subſiſtunt. Individua namque maxime ſubstant, id eſt, subjacent accidentibus: & ideo magis proprie nomen subſtantiæ suscipiunt. Unde jam supra manifeſtum eſt ſummam eſſentiam, quæ nullis subjacet accidentibus, proprie non poſſe dici ſubſtantiam; niſi subſtantia ponatur pro essentia. Poteſt ergo hac neceſsitatis ratione irreprehenſibiliter illa summa & una Trinitas, ſive trina unitas, dici una eſſentia & tres personæ ſive ſubſtantiæ.

COM-

COMMENTARIUS.

CAPIT. LXXVIII.

Ecce patet omni homini expedire ut credat in quandam ineffabilem trinam unitatem, & unam Trinitatem &c.

1 Ex tribus capp. proximis ita patet. Quòd vero Author dicit *quandam ineffabilem &c.* non ſic eſt accipiendum quaſi diminuere velit veritatem myſterij Trinitatis: ſed dicit *quandam*, eo quòd hucusque non declaraverit quid tres ſint Pater, & Filius & Spiritus Sanctus. Unde propterea in his verbis dicit: *Trinam vero, & Trinitatem, propter tres, neſcio quid.* At ſuper hoc jam satis dictum eſt sup. cap. 38. ſicut etiam de ineffabilitate tanti myſterij, sup. cap. 64. & 65. Circa expressionem autem *Trinam unitatem* opportunius in fine cap. ubi eadem expressio repetitur, verba faciemus.

2 Sed primaria Authoris in hoc cap. intentio est explicare quod hucusque prudens distulerat, scilicet, qualiter Pater & Filius & Spiritus Sanctus ſint & dicantur tres personæ. Ab initio lectorem sæpe monuimus, quam personam agat Anselmus, qua que methodo procedat in toto hoc opere. Quo animadverso, non erit cuique mirum, quód hactenus *personas* non nominaverit Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Nempè prius erat inquirendum, probandum atque explicandum quod ex divinis Scripturis & Symbolo constat Eccleſiæ: ac postea dicendum de nominibus exquiſitis & inventis ab ipsa Eccleſia, idoneis ad exprimendum contra importunos Heterodoxos suam fidem. Quamvis alia præcipua ſit ratio hujus ſilentii Authoris, usque ad præsens, de personis seu de hoc nomine *persona*; & ea est quam jam toties exposuimus.

3 *Non enim putandæ sunt tres personæ &c.* Hoc dicit Author quaſi arguendo, attenta ratione ſive idea quam habemus de humanis personis, ad quas ſignificandas primò instituenda fuit & instituta à Latinis hominibus hæc vox *persona*. Unde propterea in verbis proxime antecedentibus dixit Anselmus quòd Pater & Filius & Spiritus Sanctus non possint uno nomine proferri quid tres ſint, velut ſi diceremus eſſe tres personas. Nomen quippe *persona* inter homines ex ſua primitiva institutione pluraliter non profertur, niſi ad deſignandas plures individuas substantias, ita ut quælibet per se realiter ab alia separata subſistat. Pater vero, Filius & Spiritus Sanctus neque sunt tres individuæ substantiæ, sed una duntaxat; vel potius proprie loquendo relatè ad categorias Aristotelis, neque una neque plures; sed unus individuus ac ſimplicissimus Spiritus, ſicut dictum est in cap. 27. Neque per se separatim subſistunt; sed cum summa unitate & inseparabilitate existunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus in illa summa eſſentia. Mag. Parens August. copiosius atqqe diffuſius objectiones circa hoc & difficultates prosequitur lib. 7. de Trinitate à cap. 4. usque ad 6. incluſive: quæ objectiones eò intendunt, ut probent Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum eſſe non poſſe aut dici tres personas; & quòd ſi plures personæ possent appellari, pariter nuncupari poſſent vel plures Dij, vel eſſentiæ plures. Prædictæ vero Anselmianæ objectionis expreſsis verbis non meminit Auguſt. quamvis multas variasque proponat: at ex his, quas promit, etiam Anselmi objectio, aliàs per se satis obvia, formari poteſt. Cæterum in ea magis respexiſſe Anselmum judico ad Boetij definitionem de persona jam tunc temporis, credo, inter Philosophos ac Theologos univerſim receptam. Præterea Aug. arguit ex eo etiam quòd nomen *persona* non relativum ſit, sed absolutum, ſicuti hoc nomen *eſſentia*.

4 *Si quis itaque inde velit alicui loqui, quid tres; dicet eſſe Patrem, & Filium, & utriusque Spiritum.* Hoc dicit Auctor præcisè attenta littera Sacrarum Scripturarum, insuperque nominum proprietate, realem diſtinctionem relativam ex ſua inſtitutione palàm ſignificantium. Hæc enim vocabula Pater, & Filius per se, & propriſsimè ſignificant oppoſitionem relativam etiam in Creaturis: quamvis per aliud, ſive *per accidens* ex appellativa ſignificatione, seu ratione ſubjecti creati ſignificent etiam quodammodo diſtinctionem realem subſtantiarum, & naturarum creaturarum. Nam per se, & secundum formale ſignificatum etiam in creatis unitatem naturarum secundum ſimilitudinem deſignant. Solum nomen Spiritus Sancti proprissimum est tertiæ per-

SO-

sonæ Trinitatis secundum quod relativum est : neque in creaturis invenitur aliquod simile relativum nomen.

5 *Nisi forte indigentiâ nominis propriè convenientis coactus elegerit aliquod ex illis nominibus, &c.* Hanc necessitatem , & hanc indigentiam in causa fuisse, inquit Aug. præallegato 7. lib. de Trinit. cujus verba jam in Commentario nostro ad cap. 38. transcripsimus , ut Latini , & Græci quæsierint , uniquique in sua lingua, aliquod nomen vel vocabulum , quo unico Hæreticis responderent, dum ab ipsis respondère cogerentur quid tres , aut quæ tria essent Pater , & Filius , & Spiritus Sanctus. Latini vocabulum *persona* prætulerunt : Græci vero hoc nomen *substantia.*

6 *Nam hæc duo nomina aptius eliguntur, &c.* Cur hæc duo nomina aptius eligerentur sive electa fuerint , necdum rationem legi , nec in libb. de Trinit. neque in alijs quos viderint S. Augustini. S. Joannes Damascenus in Dialecticæ suæ cap. 42. (juxta edit. P. Lequien) dicit quòd *nomen hypostasis :: Interdum significat eam quæ per se est , ac seorsim subsistit , exstantiam : Qua significatione individuum significat ; illud , inquam , quod numero differt , ut Petrum , & Paulum, & certum aliquem equum.* Et in fine cap. ait : *Quòd accidentia in ipsis hypostasibus considerantur : quibus hypostasis ab ejusdem speciei hypostasibus disjungatur. Eoque nomine individuum proprie hypostasis nomen consecutum est ; in qua nimirum substantia cum accidentibus reapse consistat.*

7 Et in cap. seq. : *Persona est* , inquit , *quæ per suas operationes , & proprietates , perspicuam , & ab iis quæ ejusdem cum ipsa naturæ sunt , discretam nobis expressionem exhibet*, v. g. *Gabriel cum S. Deipara differens , cùm unus Angelorum esset , solus illic præsens loquebatur , & á reliquis ejusdem naturæ Angelis , locali illa præsentia , ac sermone , quem miscebat , discretus :: Sciendum autem SS. Patres , hypostasim , & individuum , & personam pro eodem usurpasse; nempe pro eo quod per se ac in propria subsistentia , ex substantia , & accidentibus constat , & subsistit , numeroque differt , ac certum aliquem significat , ut Petrum , Paulum , aliquem equum. Hypostasis porro à subsistendo dicta est.* D. Aug. lib. 7. de Trinit. cap. 6. dicit , Græcos appellare Patrem , & Filium , & Spiritum Sanctum tres substantias sive hypostases. Quibus innuit apud ipsos pro eodem usurpari nomen *hypostasis* , ac nomen *substantia* apud Latinos.

8 Notionem *hypostaseos* eam esse apud Patres Græcos quam describit Damascenus , comprobatur ex Mag. Basilio Ep. 38. in edit. P. Garmier Monachi Cong. S. Maur. aliás 43. *Gregorio Fratri de discrimine essentiæ , & hypostasis* inscripta. In hac itaque epistola ita loquitur Basilius : *Hoc igitur dicimus quod propriè dicitur , id hypostasis nomine indicari. Qui enim hominem dixit , confusam quandam ideam per indefinitam significationem auribus intulit , sic ut natura quidem eo nomine ostendatur , subsistens autem res , & propriè nomine designata , minimè significetur. Qui autem Paulum dixit , ostendit in re hoc nomine significata subsistentem naturam. Hoc igitur hypostasis est , non indefinita essentiæ notio , quæ ob communitatem rei significatæ nullam sedem reperit , sed quæ quod commune in aliqua re , & incircunscriptum est , per conspicuas proprietates restringit ac circunscribit.* Et infra : *Quam igitur in nostris rebus agnovisti discriminis rationem inter essentiam , & hypostasim , eam & ad divina dogmata transferens non errabis.*

9 Denique Monachi Benedict. Cong. S. Maur. in præf. ad tom. 3. operum Mag. Basil. §. 1. ajunt : *Quia Budeus , & post eum Henricus Stephanus observant sæpe apud antiquos Scriptores hypostasim de iis dici , quæ verè existunt, & iis opponi quæ specie tantum aut cogitandi ratione.* Unde Budeus in Comment. profert hunc Aristotelis locum de Mundo. *Ad summam eorum quæ in aere apparent , alia specie tenus existunt , alia habent etiam hypostasim. Addit etiam illud Themistij in Phis. 2. Quæ ne ratione quidem separari possunt , ea etiam hypostasi* „ *separant.* Cùm ergo hypostasis , (colligunt laudati Monachi) opponatur iis , quæ „ sola ratione aut specie tantum existunt ; merito SS. Patres , ut Patrem verè esse „ Patrem , Filium verè esse Filium , Spiritum verè esse Spiritum ostenderent , tres „ hypostases prædicarunt contra Sabelium , & Noetum , qui cùm tres personas dice- „ rent , teste Basilio ep. 214. num. 3. Sed hoc personæ nomen ad metaphoricos sen- „ sus detorquerent ; aliquid eis opponi debuit quod pariter eludere non possent. At „ nihil ad eam rem aptius , nihil significantius hypostasis voce. Unde Sabellius unum

NOTA.

Postmodum di dici Editorem 3. tom. oper. S. Basilii fuisse Dom. Prudentium Maràm. Monach. doctissim. Cong. S. Mau.

„ prorsus hypostasi Deum esse contendebat, ut ibidem testatur Basilius. Hactenus doctissimi Monachi.

10 Ex his omnibus satis perspicue colligitur, cur nomen *hypostasis* aut quod idem est, sensu Græco, nomen *substantia* à Patribus græcis magis aptum fuerit judicatum ad designandum veram Trinitatem in summa divina essentia. Cur vero nomen *persona* opportunius, & aptius habitum fuerit à Latinis, ex hac omni præcedenti doctrina non fit aliqua sufficiens conjectura. Quinimo elicitur ex illo Basilii testimonio in præfata à Monachis citata ep. 214. apud Græcos minùs idoneum visum fuisse, eò quod æquivocationi obnoxium poterat esse. S. Greg. Naziancenus apud eosdem Monachos in eadem præfatione, causam nos docet cur Latinis displicuerit nomen *hypostasis* ad designandum nomine uno Sanctissimam Trinitatem. *Nam cùm essentia una*, inquit, *& tres hypostases à nobis piè dicerentur (quòd alterum divinitatis naturam, alterum trium personarum proprietates declaret) atque eodem quidem modo apud Romanos intelligerentur, cæterum ob linguæ illius angustiam, & verborum inopiam, hypostasim ab essentia distinguere non possent, eoque factum esset, ut ne tres substantias admittere viderentur, personarum vocabulum inducerent, quid tandem contigit? &c.* Hæc Greg. Theologus in Orat. 21. Adhuc tamen non habemus cur, cùm displicuerit Latinis nomen *hypostasis*, visum ipsis fuerit accommodatius, & magis proprium nomen *personæ*.

11 Verum cùm Severinus Boetius, Consul Romanus, Sæculo 6. floruerit, ipsique attribuatur hæc definitio personæ, *Rationalis naturæ individua substantia*, inde colligimus, nomen *personæ* ideo placuisse Patribus Latinis, & ab eis, etiam ante Boetium, fuisse adoptatum ad prædictum finem, quia ejus propria notio apud Latinos erat ut significaret, non substantiam indefinitam, & communem, sed substantiam individuam, sive individuum subsistens naturæ rationalis. Unde, & propter rationem individuationis aut incommunicabilitatis quam præseferebat, & quia simul tanquam communem designabat naturam rationalem, rectè opportunum, & præ alijs vocabulis aptum Latinis potuit apparere, ad significandum quid tres essent in divina essentia Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Et hæc est N. Auctoris ratio, dum dicit, *quia persona non dicitur nisi de individua rationali natura.*

12 De nomine vero *substantia* sive *hypostasi* dicit Auctor eò aptius esse ad prædictam significationem, *quia substantia principaliter dicitur de individuis quæ maximè in pluralitate subsistunt. Principaliter* inquit: nam ut satis solidè probant varijs exemplis Laudatissimi Monachi Benedictini in supra dicta præfatione ad volumen 3. oper. S. Bas. §. 1. aliquando nomen *hypostasis* apud antiquos Patres græcos accipitur pro eodem ac *ousia* vel essentia. Sed magis principaliter dicitur substantia de individuis; tum quia cùm individua subsistant ultimo determinata, nequeunt prædicabiliter aut prædicamentaliter esse in alio, cùm de pluribus prædicari non possint: tum etiam quia, attenta origine aut derivatione nominis *substantia*, *magis proprie*, ut rectè dicit Auctor, *nomen substantiæ accipiunt.* Substantia derivatur à subsstando accidentibus. *Proprium substantiæ est*, inquit S. Joan. Damascenus in suæ Dialect. cap. 47. *non esse in subjecto. Nam ipsa potius accidentibus subjicitur ut existant; ac non ipsa in alio esse obtinet. Individua autem*, ut pariter advertit N. Auctor, *maximè substant, id est, subjacent accidentibus. Genera enim, & species*, ut docet Ang. Mag. in 1. sentent. distint. 23. quæst. 1. art. 1. in corp. *Non substant accidentibus nisi ratione individuorum: & ideo nomen substantiæ primò, & principaliter convenit particularibus substantijs, secundum Philosophum (cap. de substantia) & secundum Boetium lib. de duabus naturis.* Et infra: *substantia, secundum quod substat accidentibus, per prius convenit individuis quàm generibus, & speciebus.*

13 *Unde jam supra manifestum est summam essentiam quæ nullis subjacet accidentibus, proprie non posse dici substantiam; nisi substantia ponatur pro essentia.* Citat Auctor capp. 26. & 27. ubi hoc dixit, & explicuit, & nos cum ipso. Itaque intelligentia ejus in præsenti hæc est, ut si substantia consideretur secundum quod vel significat substare accidentibus, vel dicta est à subsstando accidentibus, sic proprie subsstantia non convenit Deo neque divinis personis: si autem subsstantia ponatur pro essentia, tunc propriissimè, & maximè subsstantia est Deus, & quælibet trium divinarum personarum. Nomen substantiæ æquivocationi obnoxium esse dicit quoque D. Thom. art. citato in resp. ad 5. *Apud nos*, inquit, *nomen substantiæ æquivocatur. Quandoque enim ponitur pro essentia secundum quod nos dicimus definitionem signi-*

NOTA.

Ousia vocabulum græcum venit à verbo substantivo *Eimi* cum accentu in ultima, quod significat *sum*.

fi-

ficare ſubſtantiam rei. Quandoque ponitur pro ſuppoſito ſubſtantia, ſicut dicimus Sortem eſſe ſubſtantiam quandam.

14 *Potest ergo hac neceſſitatis ratione irreprehenſibiliter illa Summa, & una Trinitas, ſive Trina unitas, dici una eſſentia, & tres perſonæ ſive tres ſubſtantiæ.* Quòd ſine reprehenſione dici queant apud Latinos tres perſonæ in divina ſubſtantia, vel natura, ſicut etiam apud Græcos tres subſtantiæ aut hypoſtaſes in divina eſſentia, patet ex dictis. Quòd vero promiſcuè cùm perſonæ tum tres subſtantiæ dicantur tam apud Græcos quàm apud Latinos, niſi admonito lectore vel auditore de ſensu, & ſignificatione nominis, ſicut ipſe Auctor in præfatione hujus operis fecit, ſemper erit obnoxium reprehenſioni poſt ætatem ipſius Anſelmi, à tempore ſcilicet Mag. ſentent. vel saltem D. Thom.: quia nulli homini particulari fas eſt recedere à conſuetudine ſtabilita loquendi in Eccleſia sua; ſcilicet Latino nequaquam licet recedere à more Latino; neque Græco à Græco more. Quid? cùm & ipſe Anſelmus apud aliquos minùs doctos non fuit reprehenſione exemptus, ut ex ep. ipſius 71. lib. 1. conſtat. *Jam enim talium*, inquit, *paſſus sum nimis acceleratam reprehenſionem, ex eo quòd ſecutus beatum Aug. dixi de perſonis, & de ſubſtantia Dei. Qui tamen nunc cognoscunt ſe non conſideratè reprehendiſſe; & ex hac occaſione quod prius non animadvertebant, gaudent ſe cognoscere. Nesciebant enim ſic non dici propriè de Deo tres perſonas, quomodo tres ſubſtantias; quadam tamen ratione ob indigentiam nominis propriè ſignificantis illam pluralitatem quæ in ſumma Trinitate intelligitur Latinos dicere tres perſonas credendas in una ſubſtantia: Græcos vero non minùs fideliter tres ſubſtantias in una perſona confiteri.* Sed in his ultimis verbis irrepſit mendum: quod in comment. in præfationem Authoris advertimus irrepſiſſe quoque in Ep. 103. lib. 4. dum pro *tres ſubſtantias in una eſſentia*, male poſitum fuit, *in unâ perſona*. Lege, ſi tibi placet, præfationem Authoris cum noſtro comment.

15 Itaque quod Anſelmus dicit de irreprehenſibilitate in hoc loquendi modo, intelligendum est relatè ad primos, ſive græcos ſive latinos Patres, qui neceſſitate coacti has voces introduxerunt, quæ neque inveniuntur in Scriptura Sacra, teste D. Aug. lib. 7. de Trinit. & N. Anſelmo citata Ep. 103. lib. 4. neque Deo propriè conveniunt, ſi ipſarum inſpiciatur inſtitutio primitiva, & ſecundum promptum, quem nobis præsentant, modum ſignificandi. Verumtamen id ad quod in Deo ſignificandum electa hæc nomina ab Eccleſia sunt, verum, reale, ac propriſsimum est: ſigillata enim ſunt ad ſignificandum pluralitatem relativarum proprietatum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Judicium de nomine*, ait D. Thom. in 1. distinct. 23. quæst. 1. art. 2. ad 1. *Non debet eſſe ſecundum hoc à quo imponitur, ſed ſecundum id ad quod ſignificandum inſtituitur.* Ergo Deus verè & propriè ſecundum morem loquendi Græcorum dicitur una eſſentia, tres subſtantiæ, vel hypostases: & juxta Latinorum conſuetudinem et inſtitutionem æquè verè ac propriè dicitur una eſſentia, ſubſtantia vel natura, & tres perſonæ. Quamvis ſi modus horum vocabulorum *ſubſtantia*, & *perſona*, quem in sua ſignificatione præseferunt, conſideretur, potest dici quòd non propriè ſignificant divinas relationes Patris & Filij, & Spiritus Sancti: quia modus, ut primùm menti occurrit, est absolutè, non relativè ſignificandi. Et hæc est ratio cur dixerit D. Aug. & post eum Anſelmus, de Deo propriè non dici tres perſonas aut tres subſtantias, neque apud latinos neque apud Græcos. Non tamen intelligi per hoc voluerunt, Deo propriè non convenire horum vocabulorum ſignificatum, quem ſive Latini ſive græci Patres eisdem vocabulis impoſuerunt, vel affixerunt. Quinimò & etiam propriè Deo convenit, licèt non ex integro, talium nominum primitivus ſignificatus quem in se habebant, prius quàm à Patribus pro deſignanda Sanctiſsima Trinitate seligerentur. Significabant enim quoddam per se ſubsistens atque distinctum, insuperque eſſentiæ & naturæ separationem, aut divisionem: & quamvis hoc ultimum nequaquam Deo conveniat, primum tamen proprissimè convenit.

16 Habent ergo Latini apta nomina; habentque itidem Græci idonea vocabula ad respondendum Hæreticis aut Infidelibus, quid tres ſint Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Latini respondent: sunt tres perſonæ. Græci autem; tres ſubſtantiæ, vel hypostaſes. Si autem quis metaphysicus scrupulum moveat de termino *quid*, quasi de eſſentia interroganti, non de persona: sciat, quòd *quid*, ut respondet D. Thom. distinct. supra citata quæst. 1. art. 3. ad 4. *quandoque quærit de eſſentia, ut cùm quæritur: Quid est homo? Animal rationale mortale. Quandoque quærit ipsum ſuppoſitum, ut cùm quæritur, Quid natat in mari? Piscis, respondetur. Et ita etiam fuit res-*

ponsum Hæreticis quærentibus, Quid tres personæ? In his ultimis verbis credo quòd irrepſerit vox *personæ*: non enim quærebant Hæretici quid tres personæ, ut conſtat ex P. Aug. & S. Anselmo, sed quid tres sunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Alioquin Patres Latini ipſis Hæreticis respondiſſent per ipsam Hæreticorum quæſtionem: neque inſtituiſſent, vel elegiſſent hanc vocem *persona*, ut responsum darent, cum jam Hæretici illam in suamet interrogatione præocupaſſent. Denique 4. argumentum cui prædictam responſionem reddit S. Thom. ita proponitur. "*Quid* quærit de subſtantia vel „ eſſentia. Sed, ſicut in littera dicitur, Hæreticis quærentibus: Quid tres sunt? Res„ pondetur: Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; quòd eſt nomen perſonæ. Ergo *persona* ſignificat eſſentiam. Ubi vides quòd in argumento quæſtio Hæreticorum non exprimitur per hæc verba, *Quid tres personæ?* Sed, quid tres sunt?

17 Sed de his vocabulis *persona*, & *substantia*, quod sat eſt, ut puto, locuti fuimus. Nunc de his expreſsionibus *Trina unitas* quibus Anselmus in hoc cap. bis utitur, reſtat ut aliquid dicamus. Hincmarus, Archiepiscopus Remenſis, qui Monachus N. Ordinis in celeberrimo Cœnobio S. Dioniſij in Francia antea fuerat, tempore ſcilicet CAROLI CALVI Imperatoris, *Librum scripsit*, ut refert præclarissimus atque ſapientissimus Monachus Domn. Joan. Mabilio, seu Mabillonius, annalium Benedict. lib. 35. num. 43. Ad annum 859. *De non Trina-deitate contra Gotescalcum, & Ratramnum, qui ultimam Hymni de Ss. Martyrib. Strophan, in qua Trina-Deitas laudabatur, retinendam contendebant contra Hincmarum, qui eos ob id erroris arguebat, quaſi ex eo tres deitates admittere viderentur. Hinc est quòd in classe Gothescalci errorum Hincmarus hunc superaddebat, tametſi tam Gothescalcus, quàm Ratramnus illam consecutionem pernegabant.* Nec sane Hincmari prolixus hanc in rem liber evicit, ut ab hoc versu retinendo averteretur Eccleſia.

18 In noſtro sæculo, anno videlicèt 1715. ut traditur in Bibliotheca historico-critica Cong. S. Mau. à P. Dom. Philipo le Cerf scripta, in lucem prodijt quidam liber inscriptus, *Vindiciæ veterum codicum confirmatæ*, Authore doctissimo Domno Petro Coutantio Monacho ejusdem Cong. contra Patrem Germonium Societatis Jesu. Eo in libro inter alia hi modi loquendi propugnantur, *Trina Deitas*, *Trina unitas*, *Trina veritas*, tamquam omnino Catholici, & semper in Eccleſia admiſsi, et uſitati. Propugnaturque deinde, neque Ratramnum, neque Gothescalcum in his loquendi modis ullo modo ab Eccleſia receſiſſe, vel quidpiam, nec tantilum læſiſſe dogmata.

19 Hunc librum P. Coutantij legere non merui. Verumtamen ex præsenti cap. N. Authoris, ex Aug. & aliis, certus sum quód ita ſit. D. Aug. duobus saltem in locis has expreſsiones *Trina unitas* usurpat, nimirum in suis confessionibus lib. 12. cap. 7. hujusmodi loquens: *Deus una Trinitas & Trina unitas*: & in lib. de duab. animab. cont. Manich. cap. ultimo ſic orat: *Trina unitas, quam Catholica Ecclesia colit, supplex oro &c.* Auctor libri *contra quinque hostium genera*, qui in appendice ad tom. 8. oper. S. Aug. Edit. Monach. S. Maur. qui que Auctor eſt antiquissimus, ſic affatur cap. 7. *Gratias tibi Deus, gratias tibi vera, & una Trinitas, una & Trina veritas, Trina & una unitas.* Auctor quoque Orationis *de hominis structura*, quæ in appendice ad tom. 1. oper. Mag. Baſilij à Dom. Juliano Garnier Cong. S. Maur. collocata eſt, num. 3. utitur hac expreſsione *Trinæ Deitatis. Ortùs itaque*, ait, *nostri exordium, vera Trinæ Deitatis professio intelligitur.*

20 Præterea in Miſſali veteri Gallicano, quo vel tota vel pars Eccleſiæ Gallicanæ ante Carolum Mag. id eſt ante dimidium sæculi 8. utebatur, edito, & expoſito à supra Laudato Mabillonio in sua Liturgia Gallicana, ad pag. 364. inter aliàs interrogationes quæ baptizandis fieri leguntur uua eſt: *Credis Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum Trinæ Veritatis, Deum eſſe perfectum?* Et respondetur: *Credo.* Ubi ipse Commentator Mabilio ad marginem conjiciendo corrigit, legendum forte: *Trinæ unitatis*, loco *Trinæ veritatis.* Quid? Cùm etiam in hoc tempore Eccleſia in Officio feſti Sanctissimi Corporis Chriſti, à S. Thom Aquinate compoſito, eſſe omnino catholicam hanc expressionem *Trina Deitas* voce sua publica profitetur. Quippe in ultima ſtropha hymni, incipientis *Sacris solemniis*, ſic canimus omnes: *Te Trina Deitas, unaque poscimus, ſic nos tu viſita, ſicut te colimus.*

CA-

CAPUT LXXIX.*

* Al. pars cap. 76.

Quòd ipſa ſit Deus, qui ſolus omnibus dominatur, & omnia regit.

VIDETUR ergo, immò incunctanter aſſeritur quia nec nihil eſt id quod dicitur Deus : & huic ſoli ſummæ eſſentiæ proprie nomen Dei aſsignatur. Quippe omnis qui Deum eſſe dicit, ſive unum, ſive plures ; non intelligit niſi aliquam ſubſtantiam, quam cenſet ſupra omnem naturam, quæ Deus non eſt, ab hominibus, & venerandam, propter ejus eminentem dignitatem ; & exorandam ſibi, propter quamlibet imminentem neceſsitatem. *Quid autem tam pro ſua dignitate venerandum, & pro qualibet re deprecandum ; quàm ſumme bonus, & ſumme potens Spiritus, qui dominatur omnibus, & regit omnia ? Sicut enim conſtat quia omnia per ſumme bonam, ſummeque ſapientem omnipotentiam ejus facta ſunt, & vigent ; ita nimis inconveniens eſt, ſi æſtimetur quòd rebus à ſe factis ipſe non dominetur ; ſive quòd factæ ab illo, ab alio minus potente, minusve bono vel ſapiente ; aut nulla penìtus ratione, ſed ſola caſuum inordinata volubilitate regantur : Cùm ille ſolus ſit, per quem cuilibet, & ſine quo nulli bene eſt, & *ex quo, & per quem, & in quo ſunt omnia.* Cùm igitur ſolus ſit ipſe, non ſolùm bonus Creator, ſed & potentiſsimus Dominus, & Sapientiſsimus Rector omnium : Liquidiſsimum eſt hunc ſolum eſſe, quem omnis alia natura, ſecundum totum ſuum poſſe, debet diligendo venerari, & venerando diligere ; de quo ſolo proſpera ſunt ſperanda, ad quem ſolum ab adverſis fugiendum, cui ſoli pro quavis re ſupplicandum. Vere igitur hic eſt non ſolùm Deus, ſed ſolus Deus, ineffabiliter trinus, & unus.

* Al. cap. 77.

COMMENTARIUS.

CAPIT. LXXIX.

Videtur ergo, immo incunctanter aſſeritur, &c. ¶

1 Hucusque Auctor hoc nomen *Deus* expreſſe non pronunciaverat. Penitus hac voce abſtinuit, tametſi à principio usque ad finem (quem jam tangimus) omnem suam mentem, omne ingenium, discursus omnes in rem, per hanc vocem *Deus* ſignificatam, absdubio intenderit, direxeritque. *Non enim revera*, inquit P. Aug. lib. 1. de Doctrina Chriſt. cap. 6. *in ſtrepitu istarum duarum ſyllabarum ipse cognoscitur : Sed tamen omnes latinæ linguæ ſcios, cùm aures eorum ſonus iste tetigerit, movet ad cogitandam excellentiſsimam quandam, immortalemque naturam.* Cùm igitur, ut ſæpe admonuimus, egerit N. Auctor in toto hoc opere hominem aut personam ſecum ſola meditantem, & quaſi non credentem, vel potius de Fide, & Scriptura non curantem, vel ipſis non innitentem, sed per rationem naturalem tantummodo quærentem ea quæ ſunt fidei, ſive per se ſive per accidens : non fuit aut non visum fuit congruum Auctori noſtro de Deo hac voce expreſſé agere ; ſed melius judicavit Deum omnesque ipſius proprietates vel attributa demonſtrare ſecundum illam ideam quæ ex creaturis per rationes, quibus uti ſibi proposuit Anselmus, colligi, & mente formari poterat.

2 Anselmus in animum suum induxit argumenta desumere ex convenientia, & similitudine, quam omnes inter se habent creaturæ, nimirum ex ratione bonitatis, ex ratione magnitudinis, ex ratione entis, ex ratione denique naturæ, substantiæ, & essentiæ: ut inde colligeret subsistere aliquod summum bonum per seipsum, vel à seipso, summum magnum, summum ens, summa essentia, summa substantia, summa natura; per quod aut per quam tamquam per exemplar, causamque efficientem cuncta creata convenirent in unum, & ex cujus participatione, & influentia universa creata essent inter se similia in entitate, bonitate, &c. Cùm autem res creatæ non conveniant in Deitate; nulla enim est, quæ sit secundum naturam Deus: non poterat ex aliqua convenientia aut similitudine in tali nomine colligere aliquem existere supremum Deum Auctorem omnium. Postea vero cùm quidquid demonstrandum erat, deberet consequens esse ex illo primo, & summo ente, ex illo summo bono, ex illa summa natura vel essentia, non debebat hæc vocabula mutare in hoc aliud vocabulum *Deus*, sed conservare semper nomina summi entis, summi boni, summæ naturæ, summæ essentiæ atque substantiæ: ne videretur pagano vel infideli aliqua ambiguitas subesse, utrum de uno, & eodem subjecto omnia inquisita, & inventa in hoc Monologio dicerentur, an de diversis. Deinde, ne sine causa aut necessitate hæc vox *Deus* aliquid negotij faceseret disputanti, vel secum meditanti.

3 Nunc vero inventis jam omnibus quæ de significato hujus vocis *Deus*, & de suis attributis, & proprietatibus credimus; inventoque etiam quòd in hanc summam rem significatam omni homini est credendum, & sperandum; ipsamque solam super omnia, & propter semetipsam esse ab ipso homine amandam: tempus opportunum est palàm dicendi, & omnino aperte exprimendi hanc summam essentiam, & nihil aliud, esse Deum, & illi soli tribui posse proprie hoc nomen *Deus*. Consultò inquit Auctor *proprie*: ut nempe tacitè indicet etiam rationalibus creaturis, Sanctis præsertim, aliquando in Scriptura tribui hoc nomen *Deus*, v. g. in Psalmo 81. ubi dicitur: *Ego dixi, dij estis*. At hæc appellatio creaturis proprie non congruit sed improprie; non substantivè, sed nuncupativè. D. Thom. adi in 1. part. quæst. 13. art. 9.

4 *Quippe omnis qui Deum esse dicit, sive unum sive plures, &c.* Probat Author soli summæ essentiæ, de qua in toto hoc opere actum est, convenire proprie nomen Dei, sicut dictum est, per ideam, vel notionem quam omnes, qui sive unum, sive plures dicant esse deos, unanimiter de Deitate mente concipiunt, & apud se vel insitam habent, vel ipsi formant. Omnes quippe Nationes hominum, ut & ex Authoribus tùm sacris tum profanis constat, nihil aliud in sua prima idea esse Deitatem judicabant, aut judicant, nisi quandam excellentem naturam cæteris omnibus superiorem, cujus ope, & beneficiis homines indigeant: atque proinde omnibus hominibus in suis necessitatibus & periculis implorandam, exorandam, & venerandam. At ex omnibus in hoc Mologio quæsitis & inventis constat hanc summam essentiam, quam nos Christiani Deum credimus, solam esse, à qua sunt universa quæ sunt, & quidquid sunt; ab ea quoque servari in suo esse; ipsamque esse naturam omnium supremam, vel super omnia existentem, summè perfectam in omni genere, summè potentem & omnipotentem; omnibusque proinde dominari, cunctaque regere. Non ergo est inter omnia, quæ sunt, aliud ens, cui attribui debeat aut possit prædicta in omnibus hominibus deitatis idea. Ergo neque aliud quidpiam est cui proprie possit tribui hoc nomen *Deus*. Summa igitur essentia, quam nos credimus, partimque intelligimus, sola est quæ verè & propriè est Deus. Confirmat D. Aug. in lib. de doctrina Christ. cap. 6. quod N. hîc Author dicit de idea Deitatis universaliter, vel naturaliter inserta, vel propria hominum cogitatione formata. *Cùm ille unus*, inquit, *cogitatur deorum Deus, ab his etiam qui alios & suspicantur & vocant, & colunt deos sive in Cœlo, sive in terra, ita cogitatur, ut aliquid quo nihil melius sit, atque sublimius illa cogitatio conetur adtingere:: Quòd si unum Deum deorum esse non putant, & potius multos aut innumerabiles æqualis ordinis Deos; etiam eos tamen prout cuique aliquid corporis videtur excellentius, ita figuratos animo tenent. Illi autem qui per intelligentiam pergunt videre quod Deus est, omnibus eum naturis visibilibus & corporalibus, intelligibilibus etiam & spiritualibus omnibus mutabilibus præferunt. Omnes tamen certatim pro excellentia Dei dimicant; nec quispiam inveniri potest, qui hoc Deum credat esse quo melius aliquid est. Itaque hoc omnes Deum consentiunt esse quod cæteris rebus omnibus anteponunt.* Hactenus Augustinus. Verum-

ta-

tamen de hac divinitatis idea, & utrum sit universim hominibus inserta & congenita, tractabimus ex proposito cum Authore nostro in Proslog. capp. 2. 3. & 4. & in toto lib. apologetico contra Gaunilon., è vestigio subsequenti.

5 *Sicut enim constat quia omnia per summe bonam, summeque sapientem omnipotentiam ejus facta sunt & vigent.* Hoc constat, primum ad omnium rerum creationem quod attinet, à principio hujus Monologij usque ad cap. 9. inclusive: in quibus omnibus capp. ad demonstrandum hoc, traduntur rationes, sicut etiam apta, & idonea responsa ad expediendas in contrarium oppositas objectiones. Secundum, scilicet, cunctas res creatas vigere vel conservari á summa & omnipotente Dei essentia, constat ex cap. 13.

6 *Ita nimis inconveniens est, si æstimetur quod rebus à se factis ipse non dominetur &c.* Satis insinuat his verbis Author homines fuisse sic cæcos ut turpissimè vel judicarent, vel suspicarentur, totam hanc Mundi machinam non à Deo summo, aut summe bono, summeque sapienti guvernari ac regi, sed ab alio inferiori deo: simulque indicat fuisse alios, qui magis adhuc (si possibile est magis) lumine rationis orbati, seu potius mentis lumen perversissimè fugientes, vel opprimentes, dicerent à nullo hunc mundum regi, neque provideri, sed cuncta fortuitis motibus volvi, ac temerè agitari, nulla penitus vidente aut curante Ratione. S P. N. Theophilus (ita honoris causâ Græci loquuntur & libb. Ss. Patrum inscribunt) ille, inquam, Antistes Antiochenus lib. 2. ad Autolycum num. 4. secundum novissimam edit. Cong. S. Mau. oper. S. Justini M. & aliorum, *Quidam ex Porticu*, ait, *Deum omnino negant esse, aut si quis sit, nullius curam gerere, præterquam sui. Atque hæc quidem omnino Epicuri & Chrysippi stultitia pronunciavit.* Super quæ notat ibi Editor eruditissimus. „ Mirum nonnullis visum est, velut Gatakero, not. ad Anton. pag. 64. Cur Stoicos „ Theophilus cum Epicureis, Chrysippum cum Epicuro in pravis de Deo & providentia „ sententiis confundat. Id etiam erudito Uvolfio molestum est. Sed tamen non difficile „ est Theophilum defendere. Nam quod spectat ad Dei naturam, Stoicorum plerique „ Deum esse statuebant corporeum & mutationi obnoxium, utpote ignem omnium re„ rum, quæ generantur, rationes in se continentem. His autem, ut observat Origenes „ contra Celsi. pag. 169. Epicurus, qui deos ex atomis componebat, non valde inferior erat His de Stoicis dictum existimo: *Quidam ex Porticu Deum prorsus esse negant.* „ Quod autem addit Theophilus, *vel si sit, nullius curam gerere præterquam sui*, id „ facile intelligent qui Marcionem suam de summo Deo, nihil prorsus agente, senten„ tiam accepisse ab Stoicis meminerint. *Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate: „ à Stoicis venerat*, inquit Tertulianus, præscript. cap. 7. De ijsdem Stoicis ait Apol. „ cap 47. *Positum vero extra Mundum Stoici* (Deum asserebant) *qui figuli modo ex„ trinsecùs torqueat molem hanc; intra Mundum Platonici, qui gubernatoris exem„ plo intra illud maneat quod regat.* Hactenus prælaudatus S. Justini, & Theophi„ li Editor.

NOTA.

Legi postea quod Editor Oper. S. Justini, S. Theoph. & alior. sub uno volumine fuerit Domn. Prudent. Maran.

7 Ex his mihi videtur Marcion sensisse, aut Mundum non fuisse conditum à summo Deo, sed ab alio ficto & falso Deo, quem poneret infra summum; aut forsan sensisse non à supremo Deo mundi conditore Mundum regi, ac guvernari, sed ab illo ficto infimo Deo. Sed prima pars tam ingentis stultitiæ jam ab Authore nostro in primis hujus oper. capp. usque ad 12. præoccupata est & solidissime confutata. Secunda autem pars ita fatua est & irrationalis, ut ab alia impugnatione supersedere meritò judicaverit Author. Præterquamquod ex capp. 13. & 14. cum nostris ad ea capp. commentarijs manet hoc sufficientissima impugnatum ratione; cùm oppositum ibi sit demonstratum.

8 *Alii* (subdit præfato loco S. Theophilus) *omnia fortuitò fieri asserunt, ac Mundum ingenitum esse æternam naturam: ac omnino nullam Dei esse providentiam dicere ausi sunt.* Hi, aut saltem ex his fuisse videntur, Thales Milesius, qui referentè Aug. lib. 8. de Civit. Dei cap. 2. *Nihil huic operi, quod Mundo considerato tam admirabile adspicimus, ex divina mente præposuit*: & Anaximander ejus auditor, qui eodem Aug. ibidem teste *nec ipse aliquid divinæ menti in his rerum operibus tribuit.* Cæterum hanc insignem fatuitatem, potius ridendam, quam seriò impugnandam, funditùs destructam reliquit etiam Author per easdem rationes & argumenta quibus præcedentes stultitiæ, seu potius amentiæ. Omnes vero Atheos & impios si quis jure convictos desiderat compendioso valde argumento, Authoris N. Proslog. legat cum ipsius Apologetico. Si autem errorum circa creationem Mundi corporei, immo & spirituum,

re-

regimenque, & providentiam, monſtruosam turbam legere aliquem delectaverit, ut altor continere cachinos nequeat; noſtrum Manssuetum, doctiſsimum Monachum Congreg. S. Mau. adeat in prima diſſertat. De Gnoſticorum origine, succeſsione, de variis ipsorum ſectis, de ipsorum turpissimis erroribus: eo fine elucubrata ut Opera S. M. Irenæi Epiſc. Lugdunenſis illuſtret, & facilia intellectu reddat.

9 *Cùm igitur solus ſit ipse non solus bonus creator, sed & potentissimus Dominus, &c.* Poſtremó colligit Author quòd hunc solum creatorem bonorum rerum omnium, supremum Dominum & sapientissimum rectorem, debeat omnis natura, scilicet, Rationalis cognitione ac ratione ducta, irrationalis vero impetu inſtinctuque naturæ, diligere venerando, & venerari diligendo secundum totam virtutem. Quod alia probatione non indiget niſi universali conſtantique omnium populorum praxi, habentium, aut qui habuere unum vel plures deos. Sed noſter verus & ſolus Deus quem ſibi propoſuit Anselmus ratione naturali ſola in hoc Monologio demonſtrare, aut saltem nimis credibilem facere, eſt Deus venerandus, & amandus toto corde, totaque virtute, non modò ut unus, verum etiam ut in personis Trinus. *Te decet laus, tibi gloria Deo Patri & Filio cum S. Spiritu in Sæcula Sæculorum* Amen. Ex Reg. S. P. N. Benedicti cap. 11. Denique. *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Psalmo 117. ℣. 9.

IMPOSITA FUIT, SECUNDIS CURIS, huic Commentario in Monologium S. Anselmi suprema manus, nocte præcedente diem S. Scholaſticæ Sororis SSmi. P. N. Benedicti, anni videlicet 1763.

***

CEN-

CENSURA DOMNI GABRIELIS Gerberonii in sequentem librum.

HUJUS lib. argumentum & intitulationem discere quivis potest ab Eadmero in lib. 1. de Vita S. Anselmi, ex Prologo hujusce libri, & Epist. 11. & 17. lib. 2.

Hoc opus inter alia S. Anselmi exstat in omnibus editis ac manuscriptis. In editis quidem inscribitur, Prosologion; sed per errorem: * inscribendus enim est iste liber, Proslogion, ut habent Mss. 464. & 2267. Bibliothecæ Regiæ, & alia antiquiora: ut videre licet in Castigationibus, quas ad Calcem operum posuimus. Quòd Anselmus adhuc Prior Becci, & quidem post Monologium, ipsum composuerit, ex Eadmero loco citato palam est. Quæ eo in opusculo de Divina Natura, & ejus personis S. Anselmus edisseruit, ipse commendat in cap. 4. lib. *de Fide Trinit. & de Incarnat. Verbi.* Quæ autem in eo de pleno beatitudinis gaudio eloquutus est, Hugoni incluso legenda consulit in Ep. 22. lib. 2. Etsi libellus iste sententiarum ac subtilissimæ contemplationis pondere magnus esset, ut ait Uvillelmus Gemmet. lib. 6. Histor. Norman. cap. 9. quidam tamen hujus lib. rationem confutare aggressus est, de quo in seq. opusc. Censura dicemus.

Observandum hic supereſt, quòd cùm S. Anselmus indubius sit hujusce opusculi Author, ex quo maxima pars Manualis quod S. Augustini Operibus inseritur, conflata est; liquidò constat istud non Augustini sed magna ex parte Anselmi fœtum esse, ut infra demonstrabimus in Censura Meditationis 21. quæ incipit: *Eja nunc &c.* Et ex isto opusculo tota excerpta est.

NOTA.

Qui græcè sciunt, statim deprehendent errorem. Lege Commentarium nostrum super titulum Monologii, post Censuram Gerberonii.

SANCTI ANSELMI PROSLOGION, seu Alloquium de Dei existentia.

PROOEMIUM.

POSTQUAM opusculum quoddam, velut exemplum meditandi de ratione fidei, cogentibus me precibus quorumdam fratrum, in persona alicujus tacitè secum ratiocinando quæ nesciat investigantis edidi: Considerans illud esse multorum concatenatione contextum argumentorum, cœpi mecum quærere si forte posset inveniri unum argumentum, quod nullo alio ad se probandum, quàm se solo indigeret; & solum ad astruendum quia Deus vere est, & quia est summum bonum nullo alio indigens, & quo omnia indigent ut sint & bene sint; & quæcumque credimus de divina substantia, sufficeret. Ad quod cùm sæpe studioseque cogitationem converterem; atque aliquando mihi videretur jam capi posse quod quærebam, aliquando mentis aciem omnino fugeret: tandem desperans volui cessare; velut ab inquisitione rei, quam inveniri esset impossibile. Sed cùm illam cogitationem, ne mentem meam frustra occupando, ab aliis, in quibus proficere possem, impediret, penitus á me vellem excludere: tunc magis ac magis nolenti & defendenti se cœpit cum importunitate quadam ingerere. Quadam igitur die, cum vehementer ejus importunitati resistendo fatigarer, in ipso cogitationum conflictu sic se obtulit quod desperaveram; ut studiosè cogitationem amplecterer, quam so-

licitus repellebam. Æſtimans igitur quod me gaudebam inveniſſe, ſi ſcriptum eſſet, alicui legenti placiturum; de hoc ipso & quibusdam aliis, sub persona conantis erigere mentem suam ad contemplandum Deum, & quærentis intelligere quod credit, ſubditum ſcripſi opusculum. Et quoniam nec iſtud, nec illud, cujus ſupra memini, dignum libri nomine, aut cui auctoris præponeretur nomen, judicabam; nec tamen éadem ſine aliquo titulo, quo aliquem, in cujus manus venirent, quodammodo ad se legendum invitarent, dimittenda putabam; unicuique ſuum dedi titulum: ut prius, exemplum meditandi de ratione fidei: & sequens, fides quærens intellectum, diceretur. Sed cúm jam à pluribus cum his titulis utrumque transcriptum eſſet, coegerunt me plures, & maxime | Reverendus Archiepiscopus Lugdunenſis, Hugo nomine, fungens in Gallia Legatione Apostolica, qui mihi hoc ex Apoſtolica præcepit auctoritate, ut nomen meum illis præſcriberem. Quod ut aptius fieret, illud quidem Monologium, id eſt, ſoliloquium: iſtud vero Proslogion, id eſt, Alloquium nominavi.

PROOEMII COMMENTARIUS.

Postquam opusculum quoddam &c.

1 Opusculum hoc eſt Monologium, cujus præfationem S. Doct. legere præſtat cum noſtro ibidem commentario. Ex hoc vero procemio apertè colligitur, quòd supra Gerberonius dicit ex Eadmero in S. Doct. vita, nimirum, hunc quem nunc commentari aggredior libellum scriptum fuiſſe poſt Monologium ab eodem S. Doctore. Quæ vero in ejus compoſitione ſibi accidiſſe narrat hîc Sanctissimus Doctor, narrat pariter ejus præfatus discipulus Eadmerus in 1. lib. de Anselmi vita: At cum aliquibus, quas ſilet Anſelmus, particularibus circunſtantiis scitu & notatu non indignis.

2 Deinde ex hoc quoque procemio nota, lector, finem ſibi à S. Doctore in hocce opere scribendo præfixum. Nempe non omnia probare intendit quæ credimus: sed ea duntaxat quæ de divina subſtantia credimus. Probat igitur veram Dei exiſtentiam, proprietates, attributa, personales relationes, dominationem super omnia. Probat insuper nullius rei, præter Deum, exiſtentiam, subſiſtentiam, conservationem, bonitatem, tum naturalem tum moralem, felicitatem denique eſſe, niſi à Deo & in Deo. Probat, inquam, non quemadmodum in Monologio per multa variaque argumenta, sed unicum duntaxat quod nullo alio indigeat, sed ſibi ad omnia probanda sufficiat. Rationem quæ ipsum ad hoc S. Doctorem movit, habes, lector, in his verbis: *Conſiderans illud eſſe multorum concatenatione contextum argumentorum, cæpi mecum quærere ſi forte poſſet inveniri unum argumentum, quod nullo alio ad ſe probandum, quàm se solo indigeret &c.* Nempe conſideravit Monologium intellectu difficile eſſe, eò quód multis contextum eſſet ligatis & inter se concatenatis argumentis, seu probativis rationibus. Quapropter consulere voluit majori utilitati, brevitati, & levamini discipulorum, aliorumque in poſterum Sacræ Theologiæ operam navantium. Inquiſivit ergo prædictum unicum argumentum: & in ejus inquiſitione ſic insudavit, ita secum conflictum ſuſtinuit, ut omnem inventionis spem amitteret. Feliciter tamen magis à Deo oblatum & oſtensum, quàm proprio labore repertum, nobis ſine invidia communicavit. Unde in hoc procemio quaſi hæc verba Scripturæ profert; *videte quoniam non solum mihi laboravi sed omnibus exquirentibus veritatem*, dum ait: *æstimans igitur quod me gaudebam inveniſſe, ſi scriptum eſſet, alicui legenti placiturum:: subditum scripſi opusculum.*

3 Ad personas divinas quod ſpectat, ſi quis dubitet an per hoc etiam unicum argumentum earum exiſtentiam intendat probare; legat rogo cap. 23. & tunc scrupulum, credo, ſtatim depellet. Neque quòd Anselmus dicat in hoc agere opusculo perſonam quærentis intelligere quod credit, propterea ullo modo causeris. Habet pro se S. Doctor Isaiam cap. 7. ajentem, juxta Septuaginta & Italicam verſionem novissimè in lucem editam à N. Sabatier: *Si non crediderítis, neque intelligetis.* Habet etiam Aug. 15. de Trinit. cap. 2. inquientem: *Fides quærit, intellectus invenit.* Verúm circa poſ-

ſi-

ſibilitatem demonſtrandi myſterium Sanctiſsimæ Trinitatis, suppoſita indispensabiliter fide, quantum ſcilicet ad quæſtionem *an ſit*, jam sup. cap. 64. Monologij ex propoſito locuti ſumus: tractabimusque iterum circa hanc eamdem materiam possibilitatis demonstrandi myſteria fidei in comment. ſup. præfat. in libb. *Cur Deus homo.* Quapropter ad utrumque locum lectorem mittimus.

CAPUT I.

Excitatio mentis ad contemplandum Deum.

EIA nunc homuncio, fuge paululum occupationes tuas, absconde te modicum à tumultuoſis cogitationibus tuis. Abjice nunc onerosas curas, & poſtpone laboriosas diſtenſiones tuas. Vaca aliquantulum Deo & requiesce aliquantulum in eo. Intra in cubiculum mentis tuæ; exclude omnia præter Deum, & quæ te juvent ad quærendum eum; & clauso oſtio quære eum. Dic nunc, totum cor meum, dic nunc Deo: Quæro vultum tuum, *vultum tuum*, *Domine*, *requiro*. Eia nunc ergo, tu Domine Deus meus, doce cor meum ubi & quomodo te quærat, ubi & quomodo te inveniat. Domine, ſi non eſt hìc; ubi te quæram absentem? Si autem ubique es; cur non video te præsentem? Sed certe habitas lucem inaceſsibilem. Et ubi eſt lux inaceſsibilis, aut quomodo accedam ad lucem inaccessibilem? Aut quis me ducet, & inducet in illam; ut videam te in illa? Deinde, quibus ſignis, qua facie te quæram? Nunquam te vidi, Domine Deus meus; non novi faciem tuam. Quid faciet, altiſsime Domine, quid faciet iſte tuus loginquus exul? Quid faciet servus tuus anxius amore tui, & longe projectus à facie tua? Anhelat videre te; & nimis abeſt illi facies tua. Accedere ad te deſiderat; & inacceſsibilis eſt habitatio tua. Invenire te cupit; & nescit locum tuum. Quærere te affectat; & ignorat vultum tuum. Domine, Deus meus es, & Dominus meus es; & nunquam te vidi. Tu me feciſti & refeciſti, & omnia mea bona tu mihi contuliſti, & nondum novi te. Denique ad te videndum factus ſum; & nondum feci propter quod factus ſum. O misera ſors hominis, cùm hoc perdidit, ad quod factus eſt. O durus & dirus caſus ille! Heu! quid perdidit, & quid invenit? Quid abſceſsit, & quid remanſit? Perdidit beatitudinem, ad quam factus eſt; & invenit miseriam, propter quam factus non eſt: abſceſsit, ſine quo nihil felix eſt; & remanſit, quod per se nonniſi miserum eſt. Manducabat tunc homo panem Angelorum, quem nunc esurit; manducat nunc panem dolorum, quem tunc nesciebat. Heu publicus luctus hominum: universalis planctus filiorum Adæ! Ille ructabat saturitate; nos ſuspiramus esurie. Ille abundabat; nos mendicamus. Ille feliciter tenebat; & miſerè deſeruit: nos infeliciter egemus, & miserabiliter deſideramus; & heu, vacui remanemus. Cur non nobis cuſtodivit, cùm facile poſſet, quo tam graviter careremus? Quare ſic nobis obſeravit lucem, & obduxit nos tenebris? Ut quid abſtulit nobis vitam & inflixit mortem? Ærumnoſi, unde sumus expulſi, quo ſumus impulſi? Unde præcipitati? Quo obruti? A patria in exilium: á viſione Dei in cæcitatem noſtram: á jocunditate immortalitatis, in amaritudinem & horrorem mortis. Misera mutatio de quanto bono! in quantum malum! Grave damnum, gravis dolor, grave totum. Sed heu me miserum, unum

de

de aliis miseris filiis Evæ, elongatis à Deo! Quid incœpi? Quid effeci? Quó tendebam? Quò deveni? Ad quid aspirabam? In quibus suspiro? Quæsivi bona; & ecce turbatio. Tendebam in Deum; & offendi in me ipsum. Requiem quærebam in secreto meo; & tribulationem & dolorem inveni in intimis meis. Volebam ridere à gaudio mentis meæ; & cogor rugire à gemitu cordis mei. Sperabatur lætitia; & ecce unde densentur suspiria. Et ò tu, Domine, usquequo? Usquequo, Domine, oblivisceris nos, usquequo avertis faciem tuam á nobis? Quando respicies & exaudies nos? Quando illuminabis oculos nostros, & ostendes nobis faciem tuam? Quando restitues te nobis? Respice, Domine, exaudi, illumina nos, ostende nobis te ipsum. Restitue te nobis, ut bene sit nobis; sine quo tam male est nobis. Miserare labores & conatus nostros ad te, qui nihil valemus sine te. Invitas nos; adjuva nos. Obsecro, Domine, ne desperem suspirando; sed respirem sperando. Obsecro, Domine, amaricatum est cor meum sua desolatione, indulca illud tua consolatione. Obsecro, Domine, esuriens incœpi quærere te; ne desinam jejunus de te: famelicus accessi; ne recedam impastus. Pauper veni ad divitem, miser ad misericordem; ne redeam vacuus & contemptus. Et si antequam comedam suspiro; da, vel post suspiria, quod comedam. Domine, incurvatus non possum, nisi deorsum aspicere; erige me, ut possim sursum intendere. Iniquitates meæ supergressæ caput meum, obvolvunt me; & sicut onus grave, gravant me. Evolve me, exonera me; ne urgeat puteus earum os suum super me: liceat mihi suspicere lucem tuam, vel de longe, vel de profundo. Doce me quærere te, & ostende te quærenti: quia nec quærere te possum, nisi tu doceas, nec invenire, nisi te ostendas. Quæram te desiderando, desiderem quærendo. inveniam amando, amem inveniendo. Fateor, Domine, & gratias ago, quia creasti in me hanc imaginem tuam, ut tui memor sim, te cogitem, te amem: sed sic est abolita attritione vitiorum, sic est obfuscata fumo peccatorum; ut non possit facere, ad quod facta est, nisi tu renoves & reformes eam. Non tento, Domine, penetrare altitudinem tuam; quia nullatenus comparo illi intellectum meum: sed desidero aliquatenus intelligere veritatem tuam, quam credit & amat cor meum. Neque enim quæro intelligere ut credam: sed credo, ut intelligam. Nam & hoc credo quia nisi credidero non intelligam.

COMMENTARIUS.

CAPIT. I.

Eja nunc homuncio. ¶

1 Utitur hac voce S. Doct. non solùm hîc sed & alibi, v. g. in lib. de Fide Trinit. sive Ep. de Incarnat. Verbi cap. 1. in illis verbis: *Quippe si ego contemptibilis homuncio &c.* S. Doct. ita demissè de se sentiebat, ita despiciebat se, ut indignum se profiteretur absoluta hominis appellatione; habebat enim illud Prophetæ alta mente repostum: *Homo cum in honore esset, non intellexit comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Et illud Christi Domini: *Qui se humiliat, exaltabitur.* Hinc est quod in Epistolis suis ante omnia seipsum in earum superscriptione sic accusabat: *Anselmus Peccator &c.* juxta illud Scripturæ: *Justus accusator est sui in principio sermonis.*

2 Sed ad id, quod in hoc cap. agit Author, orationem nostram convertendo; primùm excitat seipsum ad quærendum Deum, ad intelligendum tam magna quæ-

ren-

rendum Deum, ad intelligendum tam magna quæ de ipso nobis prædicat Scriptura Sancta. Secundò depingit præsentis ſtatûs miseriam humanam, ipsamque cum illa felicitate, qua in Paradiso fruebatur Adamus, comparat, lachrimabiliterque deplorat: eum ad modum quo S. Job in libri ſui cap. 3. & P. Gregorius illum exponendo in lib. 4. cap. 26. Denique gratias Deo refert eò quod ipsum creando, imaginem ſibi suæ divinitatis impresserit, ut posset per ipsam, immo & eſſet memor sui Dei, ipsum cogitare, cognoscere, atque diligere: ſimulque petit à Domino, ut hanc per peccatum obscuratam imaginem ita renovet & illuſtret, ut quadamtenus pro modulo suo divinas intelligat veritates: non tamen eo fine hoc rogat ut propter intelligentiam credat, aut niſi intelligat, se non firmiter crediturum; sed potius ex eo quia firmiter credit, vult quod credit intelligere. *Neque enim quæro, ait* concludendo cap. *intelligere ut credam: sed credo ut intelligam. Nam & hoc credo quia nisi credidero, non intelligam.* Credebat enim Scripturæ ajenti, ut supra jam citavimus: *Si non crediderítis, non intelligetis.* Credebat etiam S. Regi David ajenti: *Credidi, propter quod locutus sum.* Unde Hilarius, quem Author N. in præparando se ad intelligentiam divinorum per humilem orationem, imitatur, ait lib. 1. de Trinit. num. 12. juxta edit. Coutantii: *Non idcirco mens non crederet, quia non intelligeret; sed idcirco se meminiſſet intelligere poſſe, si crederet.* Hinc etiam Aug. Ep. 120. ad Consentium num. 3. *Fides præcedat rationem, qua cor mundetur, ut magnæ rationis capiat, & perferat lucem.* Et Ep. 137. ad Voluſianum num. 15. *Intellectui fides aditum aperit, infidelitas claudit.*

3 Illud autem quod circa medium cap. de Primo Parente traddit aut supponit Author, ad modum & facilitatem pertinens, quibus in paradiso pollebat, confirmat D. Bernardus ſermone 1. in Septuageſ. juxta edit. Clariſs. Mabill. *Non ſimpliciter corpus*, inquiens, *ſed corpus quod corrumpitur agravat animam: ut immunem ab hoc gravamine Primi Parentis animam noveris ſtitiſſe, donec adhuc corpus gereret incorruptum. Nimirum in libertate poſuit eum Deus, ut inter ſumma & infima verſans, & in illa excederet ſine difficultate & ad hæc ſine illecebra, aut neceſſitate descenderet: illa penetrans naturali vivacitate & puritate; hæc Authoritate judicans præſidentis.*

4 Suffragatur Ang. Doct. 1. part. quæſt. 94. art. 1. in corp. Sicut dicitur „ Eccleſ. 7. inquit, *Deus fecit hominem rectum.* Hæc autem rectitudo fuit hominis di„ vinitus inſtituti, ut inferiora ſuperioribus subderentur, & ſuperiora ab inferioribus non „ impedirentur. Unde homo primus non impediebatur per res exteriores à clara & fir„ ma contemplatione intelligibilium effectuum quos ex irradiatione primæ veritatis percipiebat, ſive naturali cognitione ſive gratuita. Unde dicit Aug. 11. ſup. Genes. ad litt. Quòd *fortaſſis Deus primis hominibus antea loquebatur, ſicut cum Angelis loquitur, ipsa incommutabili veritate illuſtrans mentes eorum etſi non tanta participatione eſſentiæ quantam capiunt Angeli.*

CAPUT II.

Quòd vere ſit Deus: etſi insipiens dixit in corde suo, non eſt Deus.

ERGO, Domine, qui das fidei intellectum, da mihi, ut quantum ſcis expedire, intelligam, quia es, ſicut credimus; & hoc es quod credimus. Et quidem credimus te eſſe aliquid, quo nihil majus cogitari poſsit. An ergo non eſt aliqua talis natura, quia *dixit insipiens in corde suo, non eſt Deus*? Sed certe idem ipse inſipiens, cum audit hoc ipſum quod dico, aliquid quo majus nihil cogitari poteſt; intelligit quod audit, & quod intelligit, in intellectu eſt; etiamſi non intelligat illud eſſe. Aliud eſt enim rem eſſe in intellectu: aliud intelligere rem eſſe. Nam cum pictor præcogitat quæ facturus eſt, habet quidem in intellectu; sed nondum eſſe intelligit, quod nondum fecit. Cùm verò jam pinxit; & habet in intellectu, & intelligit eſſe quod jam fecit. Convincitur ergo etiam inſipiens eſſe vel in Psal. 13. ℣ 1.

intellectu aliquid, quo nihil majus cogitari poteſt: quia hoc cùm audit, intelligit; & quicquid intelligitur, in intellectu eſt. Et certe id, quo majus cogitari nequit, non poteſt eſſe in intellectu solo. Si enim vel in solo intellectu eſt, poteſt cogitari eſſe & in re: quod majus eſt. Si ergo id, quo majus cogitari non poteſt, eſt in ſolo intellectu; idipsum, quo majus cogitari non poteſt, eſt quo majus cogitari poteſt: sed certe hoc eſſe non poteſt. Exiſtit ergo proculdubio aliquid, quo majus cogitari non valet & in intellectu & in re.

CAPUT III.

Quòd Deus non poſsit cogitari non eſſe.

QUOD utique ſic vere eſt, ut nec cogitari possit non eſſe. Nam poteſt cogitari eſſe aliquid, quod non possit cogitari non eſſe; quod majus eſt, quàm quod non eſſe cogitari poteſt. Quare ſi id quo majus nequit cogitari, poteſt cogitari non eſſe: id ipsum quo majus cogitari nequit, non eſt id quo majus cogitari nequit: quod convenire non poteſt. Sic ergo vere est aliquid, quo majus cogitari non poteſt, ut nec cogitari possit non eſſe; & hoc es tu, Domine Deus noſter. Sic ergo verè es, Domine Deus meus, ut nec cogitari possis non eſſe; & meritò. Si enim aliqua mens posset cogitare aliquid melius te; ascenderet creatura ſuper creatorem, & judicaret de creatore: quod valde eſt absurdum. Et quidem quicquid eſt aliud præter solum te, poteſt cogitari non eſſe. Solus igitur veriſsimè omnium, & ideo maximè omnium habes eſſe: quia quicquid aliud eſt, non ſic verè eſt, & idcirco minus habet eſſe. Cur itaque *dixit insipiens in corde suo, non est Deus*? Cùm tam in promptu ſit rationali menti, te maximè omnium eſſe. Cur, niſi quia ſtultus & *insipiens*?

CAPUT IV.

Quomodo insipiens dixit in corde suo, quod cogitari non poteſt.

VErùm quomodo dixit inſipiens in corde suo, quod cogitari non potuit: aut quomodo cogitare non potuit, quod dixit in corde? Cùm idem ſit dicere in corde, & cogitare. Quòd ſi verè, imo quia vere & cogitavit, quia dixit in corde; & non dixit in corde, quia cogitare non potuit; non uno tantum modò dicitur aliquid in corde, vel cogitatur. Aliter enim cogitatur res, cùm vox eam ſignificans cogitatur: aliter cùm idipsum, quod res eſt, intelligitur. Illo itaque modo poteſt cogitari Deus non eſſe: iſto vero, minime. Nullus quippe intelligens id quod ſunt ignis & aqua, poteſt cogitare ignem eſſe aquam secundum rem: licet hoc possit, secundum voces. Ita igitur nemo intelligens id quod Deus eſt, poteſt cogitare, quia Deus non eſt; licet hæc verba dicat in corde, aut ſine ulla. aut cum aliqua extranea ſignificatione. Deus enim eſt id quo majus cogitari non poteſt, Quod qui bene intelligit, utique intelligit idipſum ſic eſſe, ut nec cogitatione queat non eſſe. Qui ergo intelligit ſic eſſe

Deum

Deum, nequit eum non esse cogitare. Gratias tibi, bone Domine, gratias tibi: quia quod prius credidi te donante, jam sic intelligo, te illuminante; ut si te esse nolim credere, non possim non intelligere.

COMMENTARIUS

IN CAPP. II. III. IV.

1 Hæc tria capita sub eodem Commentarii contextu includimus, quia in eumdem scopum respiciunt, & per eumdem continuatum discursum. Ergo S. Doct. his in tribus capp. probare intendit, immo, & manifestissime probat vel ostendit, *Deum existere* sic cuique intelligenti hujus vocis *Deus* significationem, palàm esse, ut hoc negare non possit. Medium quod assumit S. Doct. est ipsa vera nominis *Deus* significatio: hæc nimirum simplex idea, primaque notio: *id quo nihil melius aut majus cogitari potest.* Hoc est illud principium quod in procemio dixit Anselmus tam anxiè, tamque multo tempore á se quæsitum, ad probandum, quòd Deus verè existat, & sic existat sicut illum esse credimus.

2 Primo aspectu præventus jam fuisse à D. Aug. lib. 1. de Doctrina Christ. cap. 6. legenti Anselmus videbitur. *Nam cùm ille*, inquit Aug. *unus cogitatur deorum Deus, ab his etiam qui alios, & suspicantur, & vocant, & colunt deos sive in Cælo, sive in terra, ita cogitatur, ut nihil melius sit atque sublimius, illa cogitatio conetur attingere.* Unde, & per consequens apparebit non fuisse cur pro inveniendo hoc unico argumento sic angeretur, & laborasset Anselmus.

3 Sed præterquamquod non sunt idem formaliter, vel quantum ad vim, & efficaciam probandi, quod posuit Aug. & id quod Anselmus sibi assumpsit, ut infra ex ipso Anselmo dicetur: indubié aliqua potest esse jam scripta cogitatio, aut propositio, immò, & in mentem semel ac iterum venire potest; & nihilominus ignorari ejus conducentia ad id vel illud probandum, ejusve connexio cum hac vel illa consecutione seu consequentia. Quod patet ex eo quòd omnium mentibus hominum insunt, & congenitæ sunt generalissimæ quædam notiones; universalissimaque scientiarum elementa, & principia in ipsis inserta á natura sunt: & tamen neque omnes homines assequuntur scientias, neque qui assequuntur, ad id regulariter perveniunt, nisi studio, non parvoque labore Nam aliud est noscere rem, atque aliud intelligere correlationes ejus. Sicut aliud cognoscere rem esse, aliud rem illam alterius esse causam; aliud hominem esse rationale animal, aliud genitorem, aut Patrem esse. Potest quippe primum esse, quin sit secundum; quamvis hoc secundum esse non queat, nisi primum illud fuerit.

4 Ast, ut jam advertimus, unum principium ab altero, Augustini scilicet ab Anselmi, formaliter, & quantum ad vim probandi, inter se discrepant. Testimonium Anselmus ipse perhibet cap. 5. lib. Apologetici pro præsenti argumento contra Monachum Gaunilonem. *Quod sæpe repetis*, (ait Anselmus ad Gaunilonem) *me dicere, quia quod est majus omnibus, est in intellectu; & si est in intellectu, est & in re: aliter enim omnibus majus, non esset omnibus majus. Nusquam in omnibus dictis meis invenitur talis probatio. Non enim idem valet, quod dicitur; majus omnibus, & quo majus cogitari nequit, ad probandum quia est in re quod dicitur.* Cujus rationem inter utrumque diversitatis statim in eodem cap. subjicit S. Doct. ad cujus lectionem nostrum mittimus lectorem.

5 Aug. dicit quòd omnium hominum qui de Deo cogitavere, aut cogitant, prima cogitatio, aut etiam quæcumque alia, ad id conatur attingere ut intelligat Deum, quo nihil melius sit atque sublimius. Anselmus vero ultra in conceptione, & expressione progreditur: nempe quòd hæc vox *Deus* vere significet id quo nihil melius aut majus cogitari queat. Dixi quòd ultra procedat Anselmus in conceptione, & expressione: sicut etiam dixi quia non sunt idem formaliter, & quantum ad probativam energiam, id quod Aug. dixit, & id quod in argumentum assumit Anselmus. Nam secundum rem vel ex parte subjecti utriusque rationis, & cogitationis, idem absdubio

sunt

sunt id quod est omnibus majus, vel quo nihil melius sit atque sublimius, & id quo nihil majus aut melius cogitari queat. Deus enim est solus cui utrumque convenit, & de quo vere potest tam conjunctim quàm separatim utrumque dici. Itaque verus Deus est quo nihil melius est atque sublimius: & idem Deus verus est quo nihil majus aut melius cogitari valet.

6 Verumtamen etiamsi idem non sint in sensu formali, secundum dicta, quod tradit Aug. & id quod quæsivit Anselmus, & per illustrationem Dei accipere meruit: colligitur tamen ex ipsis verbis Aug. omnium hominum mentibus Anselmianam de Deo cogitationem vel ideam, & notionem, naturaliter inditam esse, quamvis non ita perspicuam, sed magis aut minus obnubilatam, immò & quasi obliteratam in aliquibus. Undenam ille certatim omnium conatus collocandi Deitatis ideam in eo quod sibi melius videtur, sive in cœlo sive in terra? *Omnes*, inquit idem Aug. eodemque citato loco, *pro excellentia Dei certatim dimicant. Nec quisquam inveniri potest, qui hoc Deum credat esse quo melius aliquid est. Itaque hoc omnes Deum consentiunt esse, quod cæteris rebus omnibus anteponunt.* Undenam, ut dicebam, hæc pro excellentia Dei super cœteras res omnes hominum universim concertatio, nisi quia omnibus naturaliter insertum est cogitare de Deo quod melius cogitare queant; quo nihil majus aut melius absolute valeat cogitari? Si enim cogitarent, aliquid melius Deo cogitari posse; non esset cur non posset etiam aliquid melius esse: illud nimirum quod supra Deum cogitaretur, si revera existeret. Si autem hoc omnibus non judicaretur inconveniens: pariter neque absurdum videretur eisdem quod reipsa existat aliquid absolute melius Deo suo. Non itaque sic certatim omnes pro Dei excellentia dimicarent; neque quod rebus omnibus anteponunt, consentirent Deum esse. Maneat itaque firmum ex verbis Aug. omnibus hominibus Anselmi ideam cogitationemque de Deo inditam cum naturâ esse, quamvis ipsam reflexè non cuncti agnoscant: aut eam se talem in se habere, vel tam excelsam nisi admoniti non advertant.

7 Neque hoc solùm colligitur ex Aug. sed etiam aliud quod pariter (ut infra probabitur) sensisse Anselmum judicamus; hanc nimirum veritatem, *Deus est vel existit* universis palàm vel obscure esse per se notam. Veritas quippe, quæ ubi primùm occurrit aut menti proponitur, confestim, & necessario elicit assensum ex quocumque homine utenti ratione, neque permittit dissensum, est veritas omnibus per se nota. Hujusmodi est hæc veritas *Deus est*. Igitur omnibus per se nota. Probo min. Propterea veritas universalium primorumque principiorum omnibus hominibus ea vi occurrit, ut illico mentes omnium necessario trahat ad assensum, locumque non dat dissensui, quia à natura hæc veritas principiorum omnibus congenita est. At pariter à natura est congenita cuique hominum hæc veritas *Deus est*. Quod probatur Veritas quæ omnium hominum mentes pervadit, nullique deest, non adquisita, sed naturalis cuique rationali est, & consequenter congenita per naturam: ut patenter ex D. Thom. colligitur in 1. part. quæst. 82. art. 1. in argum. *Sed contra* sic discurrente: *Sed contra est. Aug. dicit in 13. de Trinit. quòd beatitudinem omnes una voluntate appetunt. Si autem non esset necessarium, sed contingens, deficeret ad minus in paucioribus. Ergo voluntas ex necessitate aliquid vult.* Unde & S. Joann. Damascenus lib. 3. fidei orthodoxæ cap. 14. ait: *Velle naturæ est, quemadmodum, & videre: omnibus enim hominibus adest. Sed quoquo pacto velle, non naturæ, sed nostri consilij: quemadmodum quoquo pacto videre, bene aut male: non enim omnes homines similiter volunt, neque quoque similiter vident.* Recta igitur, & legitima est secundum istos magnos viros consequentia: Inest hoc aut illud omnibus hominibus: ergo non contingens, non acquisitum illud est, sed naturale, sed naturâ universis congenitum, vel insertum. At hæc veritas *Deus est*, vel clare vel obscure omnium hominum mentes perambulat, nulli hominum abest. Est igitur ipsis à natura. Probo min. *Omnes* juxta Aug. *pro excelentia Dei certatim dimicant. Omnes conveniunt Deum esse quod cæteris rebus anteponunt.* Unde & in eodem loco ait, quia quisque ea in re, quæ sive in cœlo sive in terra, sive inter corporeas, sive inter res spirituales, omnium optima sibi videtur, collocat Deitatem. At hoc ita concorditer, & uniformiter omnes homines non facerent, nisi ipsis naturaliter atque indeficienter universim assisteret hæc veritas *Deus est*, omnesque sine exceptione mentes hominum penetraret.

8 Quod comprobatur ex naturali appetitione seu voluntate beatitudinis, atque

que

que ipſius per multas, & varias vias inquiſitione: quæ utraque in omnibus reperta motio tam conſtans, & tam universalis, demonſtrat, quòd omnibus per se nota ſit veritas hæc: beatitudo exiſtit, qua poſſumus eſſe felices. Quapropter infert Aug. 13. de Trinitat. cap. 5. quòd quia *nec quisquam potest amare, quod omnino quid vel quale ſit, nescit; nec potest nescire quid ſit quod velle ſe scit, sequitur, ut omnes beatam vitam sciant.* At æquè omnes, teſte ibidem, ſcilicet, in lib. 1. de doctrina Chriſt. ipso Aug. inveſtigant inter res cunctas pulcherrimam, & optimam juxta propriam cujusque opinionem, ubi melius, & sublimius collocent divinitatem. Omnes ergo supponunt, neque dubitant de exiſtentia divinitatis. Alioquin supra hanc verteretur prius inveſtigatio, quàm ſuper ſubjecto cui concreta ſit, aut in quo determinate ſit. Conſtat itaque quòd hæc veritas *Deus est* secundum Aug. cunctis eſt per ſe certa & nota. Quid? Quòd non solùm hæc veritas univerſis juxta Aug. per se agnita eſt, ſed etiam quòd Deus id ſit quo nihil melius cogitari possit. Ut hoc probemus, non aliud nobis opus eſt niſi repetendo accomodare eadem quæ aſſumpſimus ad probandum quòd hæc veritas *Deus est* secundum Aug. per se omnibus nota eſt.

9 Hæc, ut supra dicebam, eſt pariter, immo expressior Anselmi ſententia. Nam imprimis in cap. 3. præsentis opusc. ait: *Sic verè es, Domine Deus meus, ut nec cogitari possis non esse.* Et in cap. 4. *Nullus intelligens id quod sunt ignis & aqua, potest cogitare ignem esse aquam secundum rem; licèt hoc possit secundum voces. Ita igitur nemo intelligens id quod Deus est, potest cogitare quia Deus non est; licèt hæc verba dicat in corde aut sine ulla, aut cum aliqua extranea significatione.* Deinde in apologetico contra Gaunilonem, dicit quia *In isto argumento*, nempe id quo melius nihil cogitari poteſt, non eſt opus alio quàm hoc ipso quod sonat, *quo majus cogitari non possit.* Et ratio frequens ipſius S. Doct. eſt, quia in vi ſolius negationis ſtatim sequitur, nasciturve contradictio. Notum eſt autem omnibus per se, quòd contradictio vera eſſe non possit. Omnes itaque propoſitionis, per se cunctis notæ, proprietates quas enumerat D. Thom. aut quæ colliguntur ex ipso, tum 1. part. quæſt. 2. art. 1. tum in disputatis quæſt. 10. de mente art. 12. tum denique contra Gent. cap. 10. attribuit Anselmus huic enuntiatæ veritati *Deus est.* Niſi forsan quis velit hanc ponere exceptionem, quòd non cunctis per se notum ſit hujus nominis *Deus* ſignificatum.

10 Sed præterquamquod nescio cur hoc etiam ſit neceſſarium; cùm alioquin nulla eſſet cunctis veritas per se nota: jam vidimus, & probavimus ex Aug. quòd ſive per hanc vocem *Deus*, ſive per aliam alterius linguæ, univerſi homines intra se impreſſum naturaliter habent ſignificatum hujus nominis *Deus*; hoc eſt, impreſſam retinent ideam, notionemve divinitatis. *Non enim revera* inquit in cap. 7. lib. 1. de doct. Chriſt. *in strepitu istarum duarum syllabarum*, (Deus) *ipse cognoscitur: Sed tamen omnes latinæ linguæ scios, cùm aures eorum sonus iste tetigerit, movet ad cogitandam excellentissimam quandam immortalemque naturam.* Quod vero de lingua latina aſſerit Aug. non eſt cur non affirmetur de quacumque altera lingua. Signum igitur & manifeſtum indicium est, quòd in quacumque lingua Deus proferatur, omnes intra ſe in animo suo inveniunt impreſſam speciem atque ideam divinitatis.

11 Hæc autem eſt, ut diximus, reipsa, non alia, quam proponit Anſelmus, quamquam non ſic expreſſam, non ita reflexe conſideratam, immò, & in multis hominibus non parum offuscatam & quadam caligine opertam. Cùm ergo hæc idea ſive Dei notio in semetipsa exiſtentiam includat, nulloque aliò argumento, seu medio ſit opus, ut inquit Anselmus, sed per semetipsam Deum eſſe probet: manifeſtum ſit hanc veritatem *Deus est* apud Anselmum eſſe per se omnibus notam.

12 Hoc ita apertum eſt ut Ang. Doct. qui sententiam in quatuor locis contrariam propugnat, fateri non detrectet. Ait ſiquidem in disputatis quæſt. 10. de mente art. 12. ſupra jam citatis: *Respondeo dicendum quòd circa hanc quæstionem* (quam scilicet nunc versamur) *invenitur triplex opinio.* Et relatis duabus, prosequitur: *Alij vero, ut Anselmus, opinantur, quod Deum esse ſit per se notum, in tantum, ut nullus possit cogitare interius Deum non esse, quamvis hoc possit exterius proferre, & verba quibus profert, cogitare interius.*

13 Neque D. Thom. Solus ſed etiam D. Bonaventura, & B. Albertus Mag. fatentur vel potius ſupponunt, Parentem Anselmum hac in Sententia fuiſſe. D. Bonav. in 1. Sentent. diſt. 8. quæſt. 2. ſuscitat hoc dubium: *Utrum divinum esse sit adeo verum quòd non possit cogitari non esse.* Quod dubium ſic tractare incipit: *Et*

quòd sic, videtur per Anselmum qui dicit quòd Deus secundum communem animi conceptionem est quo nihil majus cogitari potest. Sed majus est quòd non possit cogitari non esse, quàm quod non esse cogitari potest. Ergo &c. Et in fine quæst. sic cum Anselmo concludit: *Concedendum est ergo quòd tanta est veritas divini esse quòd cum assensu non potest cogitari non esse nisi propter ignorantiam cogitantis, qui ignorat quid est quod per nomen Dei dicitur. Et concedendæ sunt rationes ad hoc.*

14 B. Albertus tom. 17. tract. 4. quæst. 19. memb. 2. hoc idem proponit Dubium: *Utrum Deus possit non esse vel cogitari non esse?* Et postquam arguit pro utraque parte, resolvit cum distinctione; sed semper in favorem Anselmi, quemadmodum S. Bonav. unde ad argumentum illud quod pariter sibi, & objicit, & disrumpit Anselmus, ita respondet: *Dicendum quòd Anselmus hoc solvit, quod insipiens ideo dixit, non est Deus, quia insipiens est: hoc est, quia sapientiam ejus quod dixit non habuit. Dixit enim non intelligendo dicibile, sed convertendo se ad cor proprium: per quod dicitur, in corde suo, malitia scilicet errorum, & concupiscentiarum cæcantium.*

15 At quia hoc argumentum est unum ex præcipuis, quibus nititur fiditque Doct. Angelicus pro stabilienda contraria sententia sua; age videamus, qualis ac quanta sit ejus vis apud ipsum D. Thom. & Aristotelem, cujus illustrationem ac defensionem fere ubique tantopere sibi præfixit, & quasi honori sibi fecit. Aristoteles in 4. Metaphys. lect. 6. cùm principium quoddam vellet ponere firmissimum, omnibusque sic per se notum, ut nemo circa illud pati queat deceptionem, atque adeo neque illud inficiari; posueritque hoc communissimum, *fieri non posse ut idem simul insit, & non insit eidem, atque per idem*: statim addit, *fieri non potest ut idem esse quispiam atque non esse existimet: ut quidam Heraclitum dicere arbitrantur. Non enim necesse est, quæ quispiam dicit, ea & ita esse ipsum existimare.* En consimile argumentum contra illud, universis per se notissimum, principium: & en ab Aristotele datam consimilem solutionem.

16 Sed forsan D. Thom. negat suppositum argumenti. Minimè gentium. En verba. *Verum est autem*, inquit in expositione præfati textus Aristotelis, *quòd Heraclitus hoc dixit, non tamen hoc potuit opinari. Non enim necessarium est quòd quidquid aliquis dicit, hæc mente suscipiat vel opinetur... Si igitur quis opinetur simul duo contradictoria esse vera, opinando simul idem esse, & non esse, habebit simul contrarias opiniones. Et ita contraria simul inerunt eidem, quod est impossibile.* Nihil ergo est cur S. Thomas repudiet S. Anselmi solutionem, quam ipse simul cum Aristotele argumento adaptat consimili: neque jus est Ang. Præceptori vim aliquam in tali argumento facere contra Anselmum, cùm, ipsomet teste, nullam adversus Aristotelem præseferat: & tanto minùs, quanto in nostra causa ex dicto manifesti juxta Scripturam insipientis contra Nos desumitur argumentum, in causa vero Aristotelis ab opinione aut locutione cujusdam Philosophi non omnino incelebris & à S. Mart. Justino in Apologia 1. pro Christianis, inter eos, qui cum ratione vixerunt, numerati: *quales*, inquit, *apud Græcos fuere Socrates, & Heraclitus.* Idem Philosophi elogium, & prosequitur, & auget in Apolog. 2. num. 8. in editione Congreg. Sanct. Mauri.

17 Sed neque singularis est Anselmus in ea de dicto Insipientis expositione. Sicut ejus Sententiam D. Bonav. ac M. Alb. toto corde amplexi fuere, ita & ejus modum illam explanandi, & objectioni respondendi adoptarunt. D. Bonaventuræ ubi supra hæc sua decisio est. „ *Respondeo dicendum quòd aliquid non esse est dupliciter:* „ *Aut in ratione falsi, sicut cogito de hoc, homo est asinus*: & hoc cogitare nihil „ aliud est quàm quod est, quod dicitur, intelligere. Hoc modo potest cogitari non „ esse veritas divini esse. Alio modo est cogitare cum assensu, sicut cogito aliquid non „ esse, & credo non esse: & hoc modo cogitare aliquid non esse quod est, potest „ venire aut ex defectu intelligentiæ, aut ex defectu intelligibilis. Defectus autem in- „ telligentis est cæcitas aut ignorantia: ob quam quia ignorat rem, ideo cogitat ipsam „ non esse. Convenit autem dupliciter cogitationem esse de aliquo ente, videlicet, *si* „ *est*, & *quid est*. Intellectus autem noster deficit in cogitatione divinæ veritatis, quan- „ tum ad cognitionem *quid est*: tamen non deficit quantum ad cognitionem, *si est*. „ Unde Hugo: *Deus ab initio sic cognitionem in homine temperavit, ut sicut nun-* „ *quam quid esset poterat ab homine comprehendi, ita nunquam quia esset poterat ig-* „ *norari.* Quia ergo intellectus noster numquam deficit in cognitione Dei, *si est*, ideo

„ nec

„ nec potest ignorare ipsum esse. Quia vero dicit in cognitione, *quid est*, ideo fre-
„ quenter cogitat Deum esse quod non est; sicut Idolum: vel non esse quod est; sic ut
„ Deum non justum.

18 „ Et post pauca. Hoc autem modo, inquit, procedunt rationes pro-
„ bantes quia aliquis intellectus cogitat vel cogitare potest, divinum esse non esse. Alio
„ modo potest cogitari aliquid non esse propter defectum à parte intelligibilis. Et hu-
„ jusmodi defectus potest esse dupliciter; aut defectus præsentiæ, aut defectus eviden-
„ tiæ. Defectus præsentiæ: utpote quia non semper, quia non ubique. Aut quia sem-
„ per & ubique, non tamen ubique totaliter. Quia non semper est, aliquando est, ali-
„ quando non est: & ideo aliquando vere potest cogitari non esse. Similiter de eo quod
„ non est ubique: quia eàdem ratione qua potest cogitari non esse hic, potest cogitari
„ non esse alibi. Similiter de eo quod secundum partem adest, secundum partem abest.
„ Deus autem est semper, & ubique, & totus semper ubique: ideo non potest cogi-
„ tari non esse. Hanc rationem assignat Anselmus in lib. contra insipientem.

19 Non solùm propter defectum præsentiæ potest cogitari aliquid non es-
„ se, sed etiam propter defectum evidentiæ: quia non est evidens in se, neque est evi-
„ dens in probando. Sed divini *esse* veritas est evidens in se, & in probando. In se;
„ quia sicut principia cognoscimus in quantum terminos, & quia causa prædicati clau-
„ ditur in subjecto, ideo seipsis sunt evidentia: sic & in proposito. Nam Deus, sive
„ summa veritas est ipsum *esse*, quo nihil melius cogitari potest. Ergo non potest non
„ esse, nec cogitari non esse. Prædicatum enim clauditur in subjecto. Nec tantum ha-
„ bet evidentiam in se, sed etiam ex probatione: quoniam divinam veritatem esse
„ probat, & concludit omnis veritas & natura creata: quia si est ens per participa-
„ tionem, & ab alio; est ens per essentiam et non ab alio. Probat etiam ipsam & con-
„ concludit omnis intelligentia recta: quia omni animæ eius cognitio est impressa, &
„ omnis cognitio est per ipsam. Probat iterum ipsam, & concludit omnis propositio
„ affirmativa. Omnis enim talis aliquid ponit; & aliquo posito, ponitur verum; & ve-
„ ro posito, ponitur veritas, quia est causa veri... Concedendum est ergo quòd tanta
„ est veritas divini *esse*, quòd cum assensu non potest cogitari non esse, nisi propter
„ ignorantiam cogitantis, qui ignorat quid est quod per nomen Dei dicitur. Et con-
„ cedendæ sunt rationes ad hoc. Hucusque Bonavent. Egregia sanè docrina! Quæ mirificè
illustrat Anselmum, & ex ea fit satis nedum objectioni de dicto fatuo insipientis, ve-
rum & aliis objectionibus sui Condoctoris S. Thomæ, amicitiaque conjuncti.

20 Adstipulatur Mag. ejusdem D. Thom. B. Albertus Mag. loco supra
citato. " Dicendum, resolvit, quòd actus rationis, sive sit in parte superiori, sive in-
„ feriori, dupliciter, consideratur. Comparatus scilicet ad libertatem rationis sive poten-
„ tiæ á qua elicitur: & sic dicit Avicena, quòd nihil affirmat quod negare non possit,
„ & nihil negat quod non possit affirmare, neque aliquid cogitat à quo non possit
„ averti. Et si trahitur passionibus vel errore, afficitur sicut oculus stans in fumo, ut
„ dicit Aristoteles, & non videt quemadmodum oportet eum videre. Unde tunc fre-
„ quenter dicit non esse quod est, et esse quod non est. Et hoc modo in corde dixit
„ Insipiens, Deum non esse.

21 Hilarius, Episcopus Pictavensis, eloquentiæ Rodhanus ore Hierony-
mi, omnibus Patribus antea citatis antiquior, in expositione Psalmi 52. his verbis
(juxta editionem Congreg. S. Mauri) expositioni Anselmianæ suffragatur: " Dixit In-
„ sipiens in corde suo, non est Deus. Vitij humani est pudenda eloquia verbis oris
„ non audere committere, sed instinctu nequitiæ interioris urgente, ea intra cor elo-
„ qui: dum adversum publici pudoris necessitatem voluntatis iniquitate luctante, quod
„ pudet dici, non pudet cogitare. Et idcirco stultus in corde suo dicit, non est Deus;
„ quia si vellet verbis oris hoc eloqui, stultus esse sicuti est, publici assensus iudicio
„ argueretur. Quis enim Mundum contuens, Deum esse non sentiat? Sed fit frequen-
„ ter, ut cùm non veri necessitas ad confessionem Dei cogat, oblectatio tamen vitio-
„ rum Deum nobis non esse persuadeat: & quod contra fidem credimus, id tamen de
„ consilio impii cordis eloquamur. Ex quo illud Dei dictum est per Prophetam, Po-
„ pulus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me: quia nolunt credere,
„ quod negare non possunt. „ Hæc omnia S. Hilarius.

22 Et Doctissimus Coutantius in nota marginali qua corrigit mendum *vo-*
luptatis quod irrepserat pro *voluntatis* in editione Parisiensi, ait; *Contra mentem Hi-*

la-

tarii innuentis intellectum quidem convictum eſſe quòd Deus ſit, ſed repugnare voluntatem iniquam, quæ nollet eum vitiorum eſſe vindicem.

23 Mag. Baſilius homilia *Quod Deus non est Author malorum*, hæc de præfato Inſipiente aſſerit juxta editionem mox laudatæ Congreg. *Qui dicit Deum non eſſe, Insipiens est & stultus, cùm vere mente privatus ſit atque prudentia.* Quod autem argumentum vel quale ex cogitationibus cujusdam mente privati contra quamcumque aſſertionem poterit eformari? Et cur Inſipiens, qui talem blasphemiam profert, aut cogitat intra se, mente á Baſilio privatus aſſeritur, niſi quia hoc ita contra mentis naturam eſt, ut existentia Dei à mente, niſi amiſſa, niſi extincta, avelli non possit? Quasi volens itaque insipiens obruere atque extinguere mentem suam, Deum eſſe naturaliter, & neceſſario intime sentientem, illam inſipientiam cogitavit.

24 S. Joann. Damascenus quem Ang. Doct. interpretari curavit ita ut sibi non adversaretur neque Anselmo faveret (omiſſo nostro Gregorio quem etiam in medium afferre poſſemus) claudat nihilominus Patrum agmen, pro Anſelmo nostro in explanatione præfati textûs agentium. Damascenus itaque lib. 1. de Fide orthodoxa cap. 3. *Cognitio*, inquit, *quòd Deus ſit, nobis naturâ inſita est, atque ingenita. Verùm posteà quam naturæ hominum pravitas invaluit, ut quosdam in irrationabilissimum, & omnium malorum pessimum perditionis baratrhum detruderet, ut dicerent non eſſe Deum (quorum inſipientiam detegens ſacriloquus David inquit, Dixit Inſipiens in corde suo non est Deus) dispuli Domini &c.* Sentit ergo S. Doctor Inſipientem, nonniſi prius ſummé depravata natura sua, ita intra se locutum fuiſſe. Igitur in natura rectè à Deo constituta includitur neceſſario, tamquam ipſius naturalis perfectio, notitia Dei. Obfuscari itaque, opprimique hæc veritas in natura, in animo potest: avelli verò aut penitus extingui non potest.

25 Ergo ea Inſipientis locutio, vel absqué ullâ fuit rei ſignificatione, vel cum ſignificatione nimis extranea; vel locutio dumtaxat fuit pravissimi cordis, voluntatis ve nimis perversæ: non autem mentis locutio, immo mendacium internum formale fuit. Propterea Damascenus in 1. cap. postquam inſitam naturaliter cunctis divinitatis notitiam agnovit, statim subjicit: *Sed & ipsa Mundi creatura, & ejus coaptatio, pariter & gavernatio, magnitudinem insinuat naturæ divinæ.* Ut quamvis homo sua pravitate posset in mentem suam offundere spiſſam caliginem, nequaquam tamen ſibi ineſſet facultas delendi, obscurandi, aut claudendi clarissimum, præsentissimum omnibus atque apertiſsimum librum hujus Mundi, in quo divina sapientia elegantissimè scripta atque ostensa est.

26 Itaque cùm Damascenus non dicat quòd cognitio Dei univerſis naturaliter ingenita ſit, quia ipsa Mundi creatura & ejus coaptatio magnitudinem divinæ inſinuat naturæ; sed ita dicat, *Sed & ipsa Mundi creatura &c.* judicet cui satis animi, sapientiæ, & autoritatis fuerit, qualiter vera interpretatio D. Thomæ poterit eſſe, dicentis in quæst. 10. de mente art. 12. ad 1. argumentum quo illud à Damasceno asseritur, *quia omnibus naturaliter insertum est aliquid, unde potest perveniri ad cognoscendum Deum eſſe.* Et 1. part. quæst. 2. art. 1. ad 1. *quòd sub quadam confuſione est nobis naturaliter insertum, in quantum scilicet Deus est hominis beatitudo. Homo enim naturaliter deſiderat beatitudinem: & quod naturaliter deſideratur ab homine, naturaliter cognoscitur ab eodem.* Et in 1. Sentent. distinct. 3. quæst. 1. art. 2. ad 1. *Quòd authoritas Damasceni intelligenda est de divina cognitione nobis inſita, ſecundum ipſius ſimilitudinem, & secundum quod est in sua natura; ſicut etiam dicitur, quòd omnia appetunt Deum: non quidem ipsum, prout conſideratur in sua natura, sed in sui ſimilitudine: quia nihil deſideratur, niſi in quantum habet ſimilitudinem ipſius, & etiam nihil cognoscitur.* Cæterum, pace tanti Doct. ſi hoc tantummodo eſſet quod nobis dicere voluiſſet Damascenus, æque brutis accomodare potuiſſet, secundum duas postremas D. Thom. interpretationes. At Damascenus aliquid speciale nobis de homine præ brutis inſinuare voluit: tum quia in eodem 1. cap. hæc verba anteponit, *Attamen haud quaquam nos deseruit Deus, omnimoda sui circumfusos ignorantia.* Tum etiam quia ad pravitatem naturæ refert quòd Inſipiens dixerit in corde ſuo, *Non est Deus*, contra id quod nobis naturâ inſitum est atque ingenitum: non autem negavit Inſipiens Deum eſſe vel conſideratum in sui ſimilitudine, id est, in bonitate, vel vaga vel creata; neque conſideratum secundum rationem communem beatitudinis; sed absdubio Deum negavit, ſi non intellectum in vera Dei natura, negavit tamen ut in quadam à se cogitata particulari natura. Denique Damascenus cùm addat, ut diximus, *sed & ip-*

sa Mundi creatura &c. satis, ni fallor. innuit se non de Deo sub illa confusione, sed de Deo secundum suam propriam naturam in verbis proximè antecedentibus locutum fuisse.

27 Sententia autem Damasceni adhuc amplius detegi poterit per verba duorum aliorum Græcorum Patrum, Justini scilicet Mart. & Mag. Basilii. Quippe Damascenus utpote natione Græcus, magis legit, & secutus est Ss. Patres, & Doctores Græcos. Ergo Justinus in 2. Apologia num. 6. juxta editionem Congreg. S. Mauri, ita loquitur: *Dei appellatio non nomen est, sed rei non enarrabilis insita naturæ hominum opinio.* Basilius vero lib. 1. adversus Eunomium num. 12. juxta editionem ejusdem Congreg. sic redarguit Eunomium. *Percontemur autem eum, undenam comprehendisse se eam* (essentiam Divinam) *dicat? Ex omnium ne notione? At hæc Deum esse, non quid sit, nos admonet.*

28 Cæterum ex prædicta secundo loco posita Angelici Doct. expositione nobis arma conficimus ut pro Anselmo decertemus, alterique argumento respondeamus, quod ipsi opponit in duobus locis ex prædictis: nimirum quòd multi hunc Mundum aut corpus dixerunt esse Deum aut crediderunt. Non ergo verum est, inquit, cunctis naturaliter agnitam esse veram ideam divinitatis, aut Deum id esse quo nihil majus aut melius cogitari possit. Ipse, inquam, Doct. Ang. suo nos docet argumento respondere. Nam si verum est quòd omnes homines beatitudinem naturaliter agnoscunt, quam naturaliter desiderant: igitur naturaliter insitam à Deo habent veram speciem seu ideam beatitudinis. Deus Author nisi veritatis esse non potest. Et nihilominus, ipso D. Thom. teste in fine prædictæ responsionis ad 1. argumentum, *Alii beatitudinem existimant divitias; quidam voluptates, quidam autem aliquid aliud.* Ergo cum vera naturaliter inserta in animo hominis à Deo cognitione beatitudinis, potest error esse in contractione talis veræ ideæ beatitudinis. Unde Beatus Aug. 13. de Trinit. cap. 5 agnoscit omnes scire quid ex sua ratione sit beatitudo, quamvis non ignoret multorum ignorantiam sive errorem circa determinationem, designationem ve subjecti in quo consequenda hæc beatitudo erit. *Quoniam verum est*, inquit, *quòd omnes homines esse beati velint... Nec quisquam potest amare, quod omnino quid vel quale sit nescit; nec potest nescire quid sit, quod velle se scit, sequitur, ut omnes beatam vitam sciant.* Error itaque quorundam hominum in designando subjecto divinitatis nihil præjudicat vel derogat insitæ à natura notitiæ omnibus animis, atque adeo quód Deus id sit, quo nihil melius cogitari potest.

29 Proximius adhuc ex eodem Parente Aug. respondere volumus. „ *Sanè*, ait in 1. lib. de doctrina Christ. cap. 7. jam supra allegatis, quoniam diversis „ moventur bonis, partim eis quæ ad corporis sensum, partim eis quæ ad animi in„ telligentiam pertinent, qui dediti sunt corporis sensibus, aut ipsum Cœlum, aut quod „ in Cœlo fulgentissimum vident, aut ipsum Mundum, Deum deorum esse arbitrantur. „ Aut si extra Mundum ire contendunt, aliquid lucidum imaginantur, idque vel infi„ nitum, vel ea forma quæ optima videtur inani suspicione constituunt, aut humanicor„ poris figuram cogitant, si eam cæteris anteponunt. Quód si unum Deum deorum es„ se non putant, & potius multos aut innumerabiles æqualis ordinis deos, etiam eos ta„ men prout cuique aliquid corporis videtur excellere, ita figuratos animo tenent. Illi au„ tem qui per intelligentiam pergunt videre quod Deus est, omnibus eum naturis visi„ bilibus & corporalibus, intelligibilibus etiam, & spiritualibus mutabilibus præferunt. „ Omnes tamen pro excellentia Dei certatim dimicant.

30 Ecce qualiter Aug. asserit, quód omnes pro excellentia Dei certatim dimicant, etiam illi *qui aut ipsum Cœlum, aut quod in Cœlo fulgentissimum vident, aut ipsum Mundum, Deum deorum esse arbitrantur.* At quo pacto etiam hi? Nempe quia nihil melius ipsis occurrebat, neque quidquam sibi melius videbatur cogitari posse, vel ipso cœlo, vel sole, vel toto ipso Mundo: atque proinde cùm penitus à natura persuasi, convictique essent, quòd Deus non nisi id quod melius omnibus esset cogitari debebat, propterea tametsi errabant in particulari judicio, determinante subjectum, cujus esset divinitas, in eo tamen vi alterius judicii de natura deitatis, præcedentis judicium aliud, divinitatem, qua melior cogitari non potest, statuebant. Uno verbo: errabant in judicio particulari; non autem errabant in judicio communi. Sic errant qui in scientiis, ex principiis penitus certis falsas deducunt consequentias. Unde idem S. Par. dicit de aliis qui Deum quærere extra Mundum contendebant, quód *aliquid lucidum, idque vel infinitum, vel ea forma quæ optima inani suspicione Deum*

constituunt, aut humani corporis figuram cogitant. Id eſt, Deum cogitant cum humana figura, ſi hanc figuram cœteris aliis figuris anteponunt. Error ergo erat in applicatione illius optimæ ideæ aut ſimplicis omnibus naturaliter inſitæ cogitationis de Deo ſive deitate: non autem error erat in illa idea, ſimplici ve naturali aprehenſione veriſſima, animis omnium hominum indivulsè affixa.

31 Confirmatur ſolutio ex ipſo D. Thom. cum veritate aſſerente quòd aliqui Philoſophi demonſtraverint Deum eſſe: & nihilominus non demonſtrarunt ipſum primum omnino principium, id eſt, ex nihilo creans omnia; ſed primum duntaxat activum, vel motivum principium quod ex prima increata, ingenerabili, incorruptibili que materia, cuncta fecerit, faciatque: ſicut in Commentario ſuper 8. cap. Monologii ex variis Authoribus cúm gravibus, tum antiquis, atque ex ipsomet D. Thom. 2. lib. contra Gent. cap. 16. probavimus. Non ergo demonſtravissent illi Philoſophi Deum eſſe; cùm Deus verus non ſit, qui ex nihilo omnia non fecerit; ſi tenet contra Anselmum argumentum D. Thomæ. Ratio vero quare non tenet neque contra Anselmum, neque in ipsum D. Thom. ea eſt quam D. Bonaventura loco supra allegato tradit, nimirum quòd *quia qui cogitat Deum non eſſe, quod eſt, ut juſtum, per conſequens cogitat ipsum non eſſe; ideo ratione defectus intellectûs Deus potest cogitari non eſſe, ſive ſumma veritas; non tamen ſimpliciter ſive generaliter, ſed ex conſequenti: ſicut qui negat beatitudinem eſſe in Deo, negat eam eſſe.* Hæc S. Bonav.

32 Addit adhuc D. Thomas, lib. præfato primo contra Gent. cap. 11. respondendo ad rationem Anselmi, quód in ſignificationibus quas Damascenus hujus nominis *Deus* tradit, non connumeratur idea Anselmi de Deo. Non ergo id ſignificat, inquit, nomen *Deus*, quo nihil melius cogitari possit. Sed ipse D. Thom. dum 1. part. Summæ composuit, tunc jam melius agnovit, Damascenum fuiſſe locutum in illo cap. 12. lib. 1. de fide orthodoxa, non de eo ad quod ſignificandum nomen impoſitum eſt, ſed de his à quibus desumptum, vel accepit derivationem. In art. quippe 8. quæſt. 13. ubi quærit, *Utrum hoc nomen Deus ſit nomen naturæ*, ſibimetipſi objicit verba in præfato loco Damasceni, & ita objectioni respondet: *Ad 1. ergo dicendum, quòd omnia quæ posuit Damascenus pertinent ad providentiam, à quo imponitur hoc nomen Deus ad ſignificandum.* Unde in corp. art. incunctanter nihilominus resolvit, *quòd non est semper idem id à quo imponitur nomen ad ſignificandum, & id ad quod ſignificandum nomen imponitur... Unde hoc nomen Deus est nomen operationis quantum ad id à quo imponitur ad ſignificandum. Imponitur hoc nomen ab universali rerum providentia. Omnes enim loquentes de Deo, hoc intendunt nominare Deum, quod habet providentiam universalem.. Ex hac autem operatione hoc nomen Deus aſſumptum, impoſitum est ad ſignificandum divinam naturam.* Ipse itaqne S. Thom. tandem agnovit, parum aut nihil virium suo ineſſe argumento, ſive contra seipsum ſive contra Anselmum. Unde in art. 1. quæſt. 2. partis ejusd. ubi quærit, *Utrum Deum eſſe ſit per se notum*, nequaquam prædictæ meminit objectionis: quinimo in responſione ad 2. concedere non detrectat, quòd hoc nomen *Deus* ſignificet id quo majus cogitari non poteſt. Merito quidem: cùm Mag. P. Aug. 6. cap. lib. 1. de doctrina Chriſt. ut supra jám diximus, asserat, quia *omnes latinæ linguæ scios, cùm aures eorum sonus iste tetigerit* (vox nempè Deus) *movet ad cogitandam excellentissimam quandam immortalemque naturam.*

33 Verum Ang. Doct. subjungit, forsan illum, qui hoc nomen *Deus* audit, non intelligere id ſignificare quo nihil majus aut melius cogitari poteſt. Ad hoc jam respondeo in verbis proxime extractis de lib. S. Aug. Unde supra jam collegimus quòd propter eamdem rationem idem omnino dicendum ſit de voce inſtituta in quacumque alia lingua præter latinam, ad Deum ſignificandum. Supponendum eſt enim vocem, Deum ſignificantem, pronunciandam eſſe in nota unicuique sua lingua. Sint minus; nulla eſſet veritas omnibus per se nota. Hæc enim illa eſt juxta eundem D. Thom. quæ ſtatim atque percipitur, quodnam ſit quod per illam ſignificatur, trahit insuperabili vi cujusque intellectum, ut eidem veritati aſſentiatur. Unde ſi hoc de aſſensu procedit, ut procedere debet dubitatio D. Thomæ, jam probatum supra est, hunc aſſenſum omnibus hominibus de præfata idea seu notione Dei omnino naturalem atque neceſſarium eſſe. Oportuna sunt verba D. Bonav. in textu quem satis prolixum supra transcriptum reliquimus. *Alio modo*, inquit, *est cogitare cum aſſensu, ſicut cogito aliquid non eſſe, & credo non eſſe: & hoc modo cogitare aliquid non eſſe quod est, potest venire aut ex defectu intelligentiæ, aut ignorantia: ob quam quia ignorat rem, ideo*

CO-

cogitat ipsam non esse. „ Conuenit autem dupliciter cogitationem esse de aliquo ente, „ videlicet, *si est & quid est.* Intellectus autem noster deficit in cogitatione divinæ „ veritatis, quantum ad cognitionem *quid est*: tamen non deficit, quantum ad cogni- „ nitionem *si est.* Unde Hugo: Deus ab initio sic cognitionem in homine temperavit, „ ut sicut numquam *quid esset* poterat ab homine comprehendi, ita numquam *quia* „ *esset* poterat ignorari. Quia ergo intellectus noster numquam deficit in cognitione „ Dei, *si est*, ideo nec potest ignorare ipsum esse. Quia vero deficit in cognitione, „ *quid est*, ideo frequenter cogitat Deum esse quod non est; sicut idolum: vel non „ esse quod est; sicut Deum non justum.

34 At inquit D. Thom. *Quia nos non scimus de Deo quid est, non est nobis per se nota* (existentia Dei, vel hæc propositio, Deus est) *sed indiget demonstrari per ea, quæ sunt magis nota quoad nos, & minùs nota quoad naturam, scilicet per effectus.* Sic terminat S. Doct. corp. art. 1. quæst. 2. sup. citatæ ex 1. part. Sed etiam ad hoc, ut credo, non est difficile ex doctrina ipsiusmet D. Thom. respondere. Ergo dupliciter possumus scire vel nescire de Deo quid est. Possumus enim scire aut nescire etiam per simplicem ideam et notionem & imperfectè, quid Deus sit: & possumus nescire per veram definitionem quid sit. Hoc ultimum verum est: primum autem, secundum ipsum D. Thom. falsum est. Nam in prima part. quæst. 13. art. 2. ad 1. ait, *Quòd hæc nomina non significant quid est Deus, quia à nullo istorum nominum exprimitur quid est Deus perfectè, sed unumquodque imperfectè eum significat, sicut & creaturæ imperfectè eum representant.* Ergo secundum D. Thom. licèt nesciamus quid Deus perfectè sit, scimus tamen imperfectè quid sit. Hoc autem sufficit ut hæc propositio, *Deus est*, possit esse nobis per se nota. Nam scire possumus, licèt imperfectè, quid sit ejus prædicatum & quid subjectum. *Si autem apud aliquos*, inquit in mox citato art. 1. q. 2. *notum non sit de prædicato, & subjecto quid sit; propositio quidem quantum in se est, erit per se nota, non tamen apud illos, qui prædicatum & subjectum propositionis ignorant.* Ergo à contrario, infero ego, apud quos notum fuerit quid sit prædicatum & quid subjectum, propositio erit per se nota. At ut supra ex D. Aug. probavimus, notum est omnibus hominibus, magis aut minus clarè, vel obscurè, magis aut minus imperfectè, quid sit Deus, & quid sit *esse* vel *existere.* Ergo omnibus hominibus per se nota est hæc propositio, *Deus est vel existit.*

35 Sed quantum ad propositum S. Anselmi parum refert quòd quis ignoret, vel sciat significatum hujus vocabuli *Deus*; & quod cogitare possit cum assensu vel non possit Deum existere: dummodo non possit non intellectu capere quid significent hæc verba, dum ad aures ejus proferuntur: *Id quo majus aut melius non valet cogitari.* Si enim hæc verba intelligantur, & ex eorum intelligentia, statim mens convicta reddatur, *Id quo nihil majus aut melius potest cogitari*, non posse non existere; obtinet Anselmus quod intendit: nempe convictionem cujuscumque hominis, etiam insipientis, ex hac sola prædictorum verborum intelligentia & explicatione, absque alio medio vel argumento. Unde quæstio non de re, sed erit de nomine: Utrum nimirum hæc propositio *Deus est*, sit omnibus per se nota; an vero hæc quæ in equivalentia èadem est: Utrum hanc notionem, *Id quo nihil majus aut melius potest cogitari, sit omnibus per se notum existere*: vel melius, *Utrum universis hominibus per se notum sit, non posse non existere id quo nihil majus aut melius queat cogitari.* Si autem hoc concedatur: ad mentem, & intentionem S. Anselmi parva aut nulla erit quæstio. „ Quare nec credibile, ait in cap. 7. lib. Apologetici contra Gaunilonem, po- „ test esse, id circo quemlibet negare quo majus cogitari nequit, quod auditum ali- „ quatenus intelligit; quia negat Deum, cujus sensum nullo modo cogitat: aut si & „ illud, quia non omninò intelligitur, negatur; nonne tamen facilius id quod aliquo „ modo, quàm id quod nullo modo intelligitur, probatur? Et in cap. 9. Nam etsi „ quisquam est tam insipiens, ut dicat non esse aliquid, quo majus non possit cogita- „ ri; non tamen ita erit impudens, ut dicat se non posse intelligere aut cogitare quid „ dicat: aut si quis talis invenitur; non modò sermo ejus est respuendus sed & ip- „ se conspuendus. Quisquis igitur negat aliquid esse, quo majus nequeat cogitari; uti- „ que intelligit, & cogitat negationem, quam negationem intelligere, aut cogitare non „ potest sine partibus ejus: pars autem ejus est, *quo majus cogitari non potest.* Qui- „ cumque igitur hoc negat; intelligit & cogitat, quo majus cogitari nequit. Palam autem est „ quia similiter potest cogitari, & intelligi, quod non potest non esse: majus vero

CO-

„ cogitat, qui hoc cogitat; quàm qui cogitat quod possit non esse. Cum ergo cogi-
„ tatur, quo majus non possit cogitari, si cogitatur quod possit non esse,
„ non cogitatur quo non possit cogitari majus: sed nequit idem simul cogitari & non
„ cogitari. Quare qui cogitat quo majus non possit cogitari; non cogitat quod possit, sed
„ quod non possit non esse. Quapropter necesse est esse quod cogitat; quia quidquid
„ non esse potest, non est quod cogitat. Et in cap. 10. quod ultimum est: Tantam
„ vim hujus probationis in se continet significatio; ut hoc ipsum quod dicitur, ex ne-
„ cessitate, eo ipso quod intelligitur, vel cogitatur, & revera probetur existere, &
„ id ipsum esse quidquid de divina substantia oportet credere. En proprios per se notæ propositionis characteres ab Anselmo probatos inesse huic assertioni: *id quo nihil majus aut melius cogitari potest, re ipsa existit.* Nam imprimis non indiget, ait, alio medio aut alia probatione ad convictionem intellectus, & extorquendum assensum, nisi mera explicatione, & dilucidatione ipsius subjecti, quod est; *id quod nihil majus aut melius cogitari potest.* Deinde si negetur talis propositio; statim deducitur ad inconveniens contradictionis ipsius: quod proprium est negationis primorum principiorum, ut patet in 4. Metaph. Aristotelis.

36 Ex hac doctrina S. Anselmi aperte cognoscitur D. Thom. in 1. Sentent. distinct. 3. q. 1. art. 2. ad 4. fallentiæ fuisse obnoxium; fallentiæ, inquam, passivè non activè: non enim voluit nos fallere S. Doct. sed fallentiam, ut homo, passus est. Sic enim respondet ad ratiocinium S. Anselmi positum in primis capp. Proslog. *Ad 4. dicendum, quòd ratio Anselmi ita intelligenda est. Postquam intelligimus Deum, non potest intelligi quod sit Deus, & possit cogitari non esse; sed tamen ex hoc non sequitur, quòd aliquis non possit negare vel cogitare, Deum non esse: potest enim cogitare nihil hujusmodi esse quo majus cogitari non possit: & ideo ratio sua procedit ex hac suppositione, quòd supponatur aliquid esse quo majus cogitari non potest.* At valde alia est mens (pace tanti Doct.) & intentio S. Anselmi. Non supponit re ipsa existere id quo majus aut melius cogitari non possit, ut probet non posse non esse vel non existere; sed probat. Probat autem ex eo quòd sit in intellectu, vel ex eo quod intelligatur aut cogitetur id quo nihil majus aut melius cogitari potest; Probat, inquam, existere, & in re, & necessario cogitari aut intelligi etiam esse in re.

37 Præter verba Anselmi supra posita, quæ hanc fuisse suam mentem, & intentionem convincunt, in medium adhuc afferre placet hæc quæ sequuntur ex cap. 6. & 8. ejusdem lib. Apologetici: *quòd autem objicis*, inquit in cap. 6. *quælibet falsa, vel dubia similiter posse intelligi, & esse in intellectu; quemadmodum illud, quod dicebam. Miror quid hic sensisti contra me, dubium probare volentem; cui primum hoc satis erat, ut quolibet modo illud intelligi, & esse in intellectu ostenderem: quatenus consequenter considerare tur utrum esset in solo intellectu, velut falsa; an & in re, ut vera.* Et in cap. 8. *quod vero tam studiose probas* (eidem Gauniloni ait) *quo majus cogitari nequit, non tale esse, qualis nondum facta pictura in intellectu pictoris; sine causa fit. Non enim protuli ad hoc picturam præcogitatam, ut tale illud de quo agebatur, vellem asserere: sed tantum, ut aliquid esse in intellectu, quod non esse intelligeretur, possem ostendere.* Sed quid laboramus in congregando textus, & verba, quibus probemus, & manifestum faciamus, ratiocinium Anselmi contra Insipientem non ex suppositione procedere, ut inquit D. Thom. quòd re ipsa sit vel existat id quo nihil majus aut melius cogitari possit; cùm ipse Div. Thom. si quando scripsit Commentarium super 1. Sentent. discursum S. Anselmi in ipso Proslogio S. Anselmi legisset, per semetipsum id quod nunc probamus, statim agnovisset? Et certe parum temporis tardavit S. Doct. in agnoscendo; quandoquidem jam in quæstione 10. inter disputatas, de mente, art. 12. ut supra jam vidimus, aperte fatetur, Anselmum opinari, *quòd Deum esse sit per se notum, in tantum ut nullus possit cogitare interius Deum non esse, quamvis hoc possit exterius proferre, & verba quibus profert, cogitare interius.*

38 Et jam sub hac intelligentia D. Thom. de mente Anselmi, procedit in 1. part. citatis q. 2. articulo 1. ad 2. & dicit: *Dato etiam quòd quilibet intelligat hoc nomine Deus significari hoc quod dicitur, scilicet illud, quo majus cogitari non potest; non tamen propter hoc sequitur, quòd intelligat id quod significatur per nomen, esse in rerum natura, sed in aprehensione intellectus tantum. Nec potest argui quòd in re, nisi daretur quòd sit in re aliquid, quo majus cogitari non potest. quod non est datum à ponentibus Deum non esse.*

Non

39 Non D. Thom. primus fuit qui Anselmo negavit suæ argumentationis consequentiam. Gaunilon, Monachus Benedictinus Maioris-Monasterii prope Turonum (Marmoutier près de Tour) contra præfatam Anselmi consecutionem scripsit, ipso adhuc vivente Anselmo, tractatulum quendam in Gerberonii editione post librum Proslogii insertum: qui tractatulus Anselmo occasionem dedit ut Apologiam seu librum apologeticum à nobis jàm citatum, pro bonitate illationis suæ ac invicti roboris argumenti contra Insipientem, componeret & exararet. Hunc librum quoque Apologeticum habes in prælaudata editione statim post tractatulum, & objectiones Gaunilonis. Hunc quoque & nos post expositum Proslogium, proxime commentabimur. Illum D. Thomas si vidisset, et legisset, aliud fortassis de argumento Anselmi judicium tulisset. Quòd numquam legerit, immo nec ullam de ipso notitiam habuerit, satis certo colligitur ex eo quòd neque in commentario super 1. Sentent. neque in quæst. disput. neque in opere vel summa contra Gentil. neque in 1. part. in quibus omnibus locis sibi argumentum Anselmi objicit, libri Apologetici meminerit; vel saltem aliquam ex rationibus, et explicationibus, ibi ab Anselmo appositè ac nervosè additis, sibi opposuerit. Legit vero S. Bonaventura, qui illum ut supra vidimus, non solùm expressè citat, verùm etiam utitur Anselmi rationibus in eo libro contentis, signanter in cap. 1.

40 Post Ang. Præcept. *Alii*, inquit Domnus Gabriel Gerberon in censura ipsius tractatuli contra Anselmum Gaunilonis, *hanc S. Anselmi ratiocinationem veluti quæ in Logicam peccaret exploserunt: sed ausim dicere*, subjungit Gerberonius, *quòd nec eam intellexerunt.* Eadem fuit, quæ Gerberonio, Sententia famoso, et eruditio Eliæ Dupin in sua amplissima Bibliotheca, dum sæculo 12. crisim vel censuram facit de Anselmi operibus.

41 Dionisius Carthusianus in 1. lib. Sentent. q. 2. ubi quærit, *An Deum esse sit per se notum*, finem quæstioni imponendo, ut ipse ait, hæc de Gaunilone, ignoto sibi nomine, et de Cancelario Parisiensi Magistro Joanne Gersono scripta reliquit. „ Sciendum, quòd tempore S. Anselmi quidam vir doctus scripsit contra proba„ tionem Anselmi, qua probavit Deum esse ex hoc quòd Deus est id quo majus co„ gitari non potest, et tale ens tam necesse est esse, ut cogitari non possit non esse. „ Et scriptum viri illius vocatur, Responsio pro Insipiente, qui scilicet dixit in cor„ de suo, Non est Deus. Anselmus quoque adhuc vivens in corpore, respondit viri „ illius objectioni. Verumtamen, sicut Cancellarius Parisiensis, Magister Joannes de Ger„ sono in quodam ait tract. discursus Anselmi est revera sophisticus, nec tenet in om„ nibus. Unde, et vir ille sic arguit contra Anselmum: Narratur de quadam terra pul„ cherrima, et quantum conjicere valeo, vir ille recitat hoc de illa, quæ est quasi al„ ter (ut fertur) Paradisus, de qua in itinerario, et historia S. Brandani habetur. De „ qua vir ille sic arguit: Vocetur terra illa A, arguaturque ita: A est pulcherrima ter„ ra; ergo hujusmodi terra est. Sic in simili. Deus est id quo majus cogitari non valet: „ ergo hujusmodi ens est. Et addit vir ille: nescio quis insipientior sit, an is qui pu„ tat hoc sequi, an insipiens qui dixit in corde suo, Non est Deus.

42 Ubi vides quòd neque Dionisius neque Joannes Gerson nomen sciebant illius viri qui contra argumentationem Anselmi libellum scripsit. Sed neque alii sciebant. „ *Hactenus*, inquit N. Gerberonius in Censura ejusdem responsionis pro Insipiente, hu„ jusce respondentis nomen auditum non fuerat, quod nos declaravimus ex Mss. fide „ quæ Gaunilonem Majoris-Monasterii Monachum hujus responsionis Authorem pro„ clamant. Video etiam quòd, sive supradicta narratio sit Joannis Gersòn, an Dionisii Carthusiani, vel sit utriusque simul, valde immutata fuerit: aliter namque in ipsa responsione Gaunilonis habetur. „ Ajunt quidam, inquit Gaunilon ad num. 6. alicubi Oc„ ceani esse Insulam, quam ex difficultate, vel potius impossibilitate inveniendi quod „ non est, cognominant aliqui perditam: quamque fabulantur multo amplius, quàm de „ fortunatis Insulis fertur, divitiarum, deliciarumque omnium inextimabili ubertate „ pollere, nulloque possesore aut habitatore, universis aliis, quas incolunt homines, ter„ ris, possidendorum redundantia usquaque præstare. Hoc ita esse dicat mihi quispiam; „ et ego facile dictum, in quo nihil est difficultatis, intelligam. At si tunc velut con„ sequenter adjungat, ac dicat: non potes ultra dubitare Insulam illam omnibus ter„ ris præstantiorem verè esse alicubi in re, quam et in intellectu tuo non ambigis esse: et „ quia præstantius est non in intellectu solo, sed etiam esse in re; ideo sic eam neces„ se est esse; quia nisi fuerit, quæcumque alia in re est terra, præstantior illa erit; ac „ sic ipsa jam à te præstantior intellecta, præstantior non erit. Si, inquam, per hæc il-

„ le mihi velit adstruere de Insula illa quod vere ſit, et ambigendum ultra non eſſe: „ aut jocari ipsum credam; aut nescio quem ſtultiorem debeam reputare; utrum me, ſi „ ei concedam; an illum ſi se putet aliqua certitudine Insulæ illius eſſentiam aſtruxiſ- „ se, niſi prius ipsam præſtantiam ejus solummodo ſicut rem verè atque indubie exiſten- „ tem, nec ullatenus ſicut falsum, aut incertum aliquid in intellectu meo eſſe do- „ cuerit.

43 Et in num. 7. „ *Hæc interim*, prosequitur Gaunilon, ad objecta in- „ ſipiens ille responderit; cui cum deinceps aſſeritur tale eſſe majus illud, ut nec sola „ cogitatione valeat non eſſe: & hoc rursus non aliunde probatur, quàm eò ipso, quòd „ aliter non erit omnibus majus, idem ipsum possit referre responsum, & dicere. Quan- „ donam ego rei veritate eſſe tale aliquid, hoc eſt, majus omnibus, dixi: ut ex hoc „ mihi debeat probari in tantum etiam re ipsa id eſſe; ut nec possit cogitari non eſſe? „ Quapropter certissimo primitùs aliquo probandum est argumento aliquam superiorem, „ hoc est, majorem ac meliorem omnium, quæ sunt, eſſe naturam: ut ex hoc alia jam „ possimus omnia probare, quibus neceſſe eſt illud quod majus ac melius est omnibus, „ non carere.

44 Et tandem concludit suam Gaunilon responſionem. *Cætera libelli illius tam veraciter, & tam præclarè sunt magnificèque differta, tanta denique refertæ utilitate, & pij ac Sancti affectus intimo quodam odore fragantia, ut nullo modo propter illa, quæ in initijs rectè quidem sensa, sed minùs firmiter argumentata sunt, ista sint contemnenda; sed illa potius argumentanda robustius, ac omnia cum ingenti veneratione, & laude suscipienda.* Sicut Gaunilon concludit suum responsum, laude præclara opusculum Anselmi extollendo, & ipſi ingentem venerationem debitam eſſe fatendo: ita Anselmus librum suum Apologeticum terminat gratias ipſi Gaunilo- ni reddendo. *Gratias ago*, inquit, *benignitati tuæ. & in reprehenſione, & in laude opusculi mei. Cùm enim ea, quæ tibi digna susceptione videntur, tanta laude extu- listi; satis apparet, quia quæ tibi infirma visa sunt, benevolentia, non malevolen- tia reprehendisti.*

45 Hæc tam prolixe transcripſi ad verbum omnia, tum ut honori Gauni- lonis, cùm etiam æſtimationi, & conscientiæ Jonnnis Gersonii consulam. Nam imprimis narratio Dioniſii Carthuſiani suprapoſita ſic pervertit sensum, & objectionem Gaunilonis ut occaſionem dare queat iutelligendi seu opinandi, Gaunilonem Anselmum cum Inſipiente qui dixit in corde ſuo, *Non est Deus*, comparaſſe. Quod absdubio into- leranda eſſet impudentia. At ut in verbis ipſius Gaunilonis videmus, infinitè, ut ita dicam, á tanta audacia, & inverecundia diſtat: cùm potius ingenti veneratione suscipien- da eſſe omnia quæ continentur in Anselmi libello, etiam ratiocinium quod ipsemet impugnat, dicat. Nihilominus occaſionem Carthuſianus propriè non dedit ut Illuſtris- simus Godoy tom. 1. in 1. part. q. 2. art. 1. §. 6. dixerit, Joannem Gerson ex relatio- ne Carthuſiani non modò tamquam omnino ſophiſticum Anselmi extimaſſe ratiocinium, verùm etiam addidiſſe, *Nescio quis insipientior sit, an is qui putat hoc sequi, an inſipiens, qui dixit in corde suo, Non est Deus.* Non, inquam, Dioniſius in causa fuit ut prædictus Illuſtrissimus hæc verba Gersonio tribuerit: sed lectio parum attenta & vigil in culpa fuit, ut quod Carthuſianus aut ipse Joannes Gerson de illo quodam viro, ipſis proprio nomine ignoto, qui argumentationem S. Anselmi contra Insipientem impugnavit, retulere, Illuſtrissimus Godoy de Gersonio dictum à Dioniſio acceperit. Errore certé manifeſto: ut ipsa series patefacit verborum. At ex tanto errore proces- ſit ut inſignem virum Joannem Gersonium *nimis audacem* ipse Illuſtrissimus Godoy ibidem appellaverit, utpote qui tantum Doctorem, Anselmum scilicet, cum inſipien- te comparaverit. Certe suppoſito errore, Illuſtriſsimus Godoy moderationis limites non transilivit, sed potius calamo aliquid temperavit. Sed detecto semel errore, evanescit reprehenſio. Tantum intereſt legere Authores in seipſis, non in apographis, aut in qui- busdam extractis, aut in aliis referentibus ſcriptoribus. Tantum insuper refert, attenè, vigilanter, neque celeriter verba in libris legere; neque ſolúm quomodocumque ver- ba, sed totum contextnm, & quandoque etiam cum aliis locis ipsorum Authorum dic- ta comparare.

46 Sed ad Sententiam Dioniſii Carthuſiani quod attinet de Anselmi argu- mentione, ſic ipsam ibidem poſt verba ſupra poſita detegit, & explicat. *Nihilominus*, ait, *in hac re potius consentio prætactæ responſioni Bonaventuræ, & dico cum Ale- xandro* (de Hales) *quòd discursus Anselmi tenet duntaxat de Deo, & quòd ipse*

sit

ſit purissimum prorsùs, perfectum, & actualissimum eſſe ab eo, qui nominis ſignificationem intelligit, secundum quod Bonaventura demonstrat, ut patuit. Argumenta contra istud inducta, in præhabitis sunt soluta. Nam & prima principia quamvis per se nota, à quibusdam Philosophis negantur. Eadem fuit mens Aegidii Romani apud ipsum Carthuſianum ibidem ajentis: *Quoniam hoc est neceſſe per se notum, videlicet non poſſe cogitari non eſſe, ſateri oportet quód Deum eſſe ſit aliquo modo quo ad nos notum per se. Et cùm ipſi* (Authores antea ab ipso relati) *dicunt quòd tunc sciremus de Deo quid est, æquivocatio est in eo quod quid est. Non enim oportet de Deo scire quid rei, sed quid nominis. Nam, & ſapientibus per se notum est, incorporalia non eſſe in loco, & tamen incorporalium quiditates poſitivè videre non queunt. Denique de propoſitione per se nota, tria dicuntur quæ de propoſitione hae, Deus est, verificantur. Primum est, quod prædicatum est de ratione subjecti, ſicque esse est de ratione Dei. Secundum est, quod per se notum directè negari non potest, ſed indirectè, ab eo qui non intelligit illud: ut patet 4. Metaphysicæ de Heraclito negante illud principium, de quolibet affirmatio, vel negatio: quia cernebat res eſſe in tanto fluxu, quod propoſitione de eis prolata, poſſet mox de ipſis proferri contrarium: & ita non intelligebat, nec ipsum directè negavit, quin illa verificatio contradictoriorum non eſſet ſimul. Sic quoque nullus directè negat Deum eſſe; sed ſi id negat, hoc est indirectè: quia non aprehendit quid est quod dicitur per nomen hoc Deus. Tertium quod dicitur de propoſitione nobis per se nota est, quod quilibet eam approbat mox auditam, secundum Boetium lib. de Hebdomadib. quod non est intelligendum nisi præsuposito intellectu ſignificationis verborum. Sic & quicumque intelligit quid dicatur aut deſignetur per nomen hoc Deus, mox approbat propoſitionem hanc, Deus est. Itaque Deum eſſe, est per se notum hominibus, utpote sapientibus, quemadmodum incorporalia non eſſe in loco. Unde Anselmus in Prosologion.* (corrige Proslogion) *cap.* 3. *ait*: Cur dixit Inſipiens in corde suo, Non eſt Deus, cùm tam in promptu ſit rationali menti, Deum maximum omnium eſſe? Cur, inquam, niſi quia Inſipiens eſt, & ſtultus? *Ergo Deum eſſe, per se notum est, non omnibus, sed ſapientibus.* Hæc Ægidius. Qui quamvis solis sapientibus Deum eſſe dicat eſſe per se notum, nihilominus ut ex toto contextu patet, non alios intelligit sapientes, quàm eos qui mente cápiunt ſignificatum per verbum. Hi autem non solùm docti sunt vel scientiarum periti. sed omnes homines mentis compotes neque malitia obcæcati, quemadmodum erat inſipiens qui dixit in corde suo, *Non est Deus.* Ipse enim Ægidius, tali inſipienti opponit ſapientes; quibus eſſe per se notum Deum exiſtere ex verbis Anselmi colligit.

47 Neque solúm tot hucusque à nobis relati Authores Anselmi ſive discursum proprie, ſive tantum redargutionem inſipientis seu contra inſipientem, approbarunt; verùm etiam Pater Vazquez qui certe SS. Patribus non solet adulari, ait in disput. 20. in 1. part. cap. 4. Anselmianum ratiocinium acutam satis eſſe demonſtrationem; ipsamque legitimis demonſtrationibus connumerat. Commune præterea fuit hoc judicium famoso Cartheſio, ipſiusque Sectariis, teſte Rmo. & valde Illuſtri N. Hieronymo Feixoo tom. 1. sui critici Theatri, discursu 9 §. 2. num. 12. sed præſtat ipsum audire, vocibusque ipſis suis. *En lo que unicamente hallo*, dice, *que Descartes fue copiante, es en la prueba ſingular de la existencia de Dios, conque èl, y sus ſectarios hicieron tanto ruido, jactandola como un descubrimiento admirable, y de summa importancia para convencer à todo Atheista. Pero este descubrimiento no fue de Descartes, ſino de mi Padre San Anselmo, que propuso la misma prueba en terminos terminantes en el Proslogio, capitulo* 2. 3. *y* 4. Quæ verba juris latini facta ſic reddo. Unica res in qua Cartesium Authorem non originalem sed plagio utentem invenio, ea eſt probatio ſingularis, qua Dei exiſtentiam demonſtravit, & per quam tam ipse quàm ſuæ doctrinæ sectarii, omnium in se admirationem verterunt, nomenque ſibi fecere non parvum, jactantes se talem demonſtrationem peperiſſe quæ miræ, & summæ energiæ eſſet vel efficaciæ ad convincendum quemcunque Atheum. Cœterum hæc adinventio non eſt tribuenda Cartesio, neque partus ejus fuit, sed mei Parentis S. Anselmi, qui eamdem omnino, etiam penes verba, probationem scriptam reliquit in Proslogio, cap. 2. 3. & 4.

48 Sed age, videamus utrum Anselmiana Consequentia, & probatio legitima ſit; an vero merus, ut aliqui voluere, paralogismus. Deus eſt id quo nihil majus aut melius cogitari possit: veluti jam in superioribus manifeſtissimum fecimus, hanc

ideam

ideam vel notionem Dei omnibus hominibus naturaliter esse, magis aut minus clarè vel obscurè, per se notam, utpote ipsis naturâ insitam. Cæterum S. Doctor sic se gerit cum insipiente qui dixit in corde suo, *Non est Deus*, ac si congenita ipsi naturæ rationali non esset. Unde sic arguit. Certe idem ipse Insipiens, cum audit hanc Dei notionem pronuntiatam, id scilicet quo majus nihil cogitari potest; intelligit quod audit; si nempe talis Dei notio in sua propria, aut alia sibi nota lingua proferatur. At cùm intelligit hanc Dei notionem, hæc ipsa notio in intellectu ejus est; etiam si adhuc non intelligat illud cujus est talis notio revera existere in se. Ergo jam habemus Deum, ut in prædicta notione expressum, intelligi ab Insipente, & in ipsius esse intellectu, quamvis adhuc non assentiatur vel expresse intelligat, existere in re. Nempe aliud est, inquit Anselmus, rem esse in intellectu: aliud intelligere rem esse, scilicet, extra intellectum, & in seipsa, quod absolute est rem esse. Nam cùm Pictor ideam alicujus figuræ vel imaginis præcogitat, quam nondum fecit, sed ideo eam mente format, ut postmodum executioni mandet; ipsam figuram vel imaginem habet tunc quidem in intellectu, & eam intelligit; sed nondum intelligit esse talem imaginem in re, seu extra mentem suam, in tabula scilicet vel linteo vel pariete, vel in alio subjecto, quia nondum illam fecit seu pinxit. Cùm vero jam pinxit; & habet ipsam in intellectu quia eam intelligit, & simul intelligit esse factam in re, aut existere in tabula, linteo, pariete &c. Ad hunc ergo modum convincitur etiam Insipiens in suo esse intellectu, vel alterius, quicumque intelligat aliquid quo nihil majus aut melius cogitari potest: quia hoc cùm audit (linguâ scilicet sibi nota) intelligit; & quidquid intelligitur, in intellectu est.

49 Nunc sic: at id quo majus aut melius cogitari nequit, non potest esse in solo intellectu. Ergo id quo majus aut melius cogitari nequit, verè existit in re. Probat min. Insipiens qui talem Dei notionem intelligit, ut dictum est, & in intellectu habet, etiam potest cogitare esse & in re id quod exprimitur per talem notionem. At si hoc potest etiam cogitare; non potest non assentiri, aut secundum mentem convinci, revera existere in re id quo majus aut melius absolutè non potest cogitari. Ergo ex eo quod Insipiens cogitet & intelligat id quo nihil majus aut melius potest cogitari, convincitur ejus mens revera existere id quod intelligit, nempe quo majus aut melius cogitari non valet. Quòd Insipiens possit cogitare existere in re id quod secundum notionem intelligit, ut aliquid quo nihil majus aut melius queat cogitari, negari non potest: quandoquidem facillimum est etiam Insipienti cogitare, & intelligere quid sit existere extra intellectum, & in re. Quòd autem hoc semel possit intelligere, & cogitare, convincatur. etiam existere in re id quo nihil majus, aut melius queat cogitari, sic ab Anselmo probatur.

50 Majus & melius intelligitur, & cogitatur id quod non solùm esse in intellectu. sed etiam in re intelligitur, & cogitatur, quàm id quod duntaxat intelligitur, & cogitatur esse in intellectu, & non extra intellectum, & in re. At si aliquid majus aut melius intelligit, seu cogitat, dum cogitat esse non solùm in intellectu sed etiam in re id, quo nihil majus aut melius cogitari potest, quam illud cogitando esse tantum in intellectu, & non in re; ex eo quòd Insipiens intelligat, & cogitet id quo nihil majus aut melius cogitari valet, cogitur ad assentiendum etiam esse in re. Probat min. Intellectus etiam Insipientis cogitur ad assentiendum illi veritati, quam negare non potest, nisi sibimetipsi apertè contradicat. Sed si Insipiens, qui intelligit aut cogitat aliquid majus, aut melius, dum cogitat existere non solum in intellectu sed etiam in re id, quo nihil majus, aut melius cogitari valet, neget esse non solùm in intellectu sed etiam in re, apertè sibimetipsi contradicit. Ergo &c. Probat minorem. Apertè sibi contradicit, dum id ipsum negat, quod affirmat. Sed si insipiens neget esse in re id quo nihil majus aut melius cogitari potest, quodque melius cognoscit cogitari dum cogitatur esse non solum in intellectu sed etiam in re; idipsum quod asserit, negat. Ergo palàm sibimetipsi contradicit. Probat min. Dum negat esse in re; negat esse id quo majus aut melius cogitari non potest, idipsum quod cogitat, & affirmat id esse quo nihil majus aut melius potest cogitari. Ergo idipsum quod asserit, negat. Probat antecedens. Id quod cogitatur esse tantum in intellectu, non in re, non est nec cogitatur id quo nihil majus aut melius cogitari valet. Sed dum Insipiens negat esse in re id quod ab ipso cogitatur tamquam aliquid, quo majus aut melius non potest cogitari; cogitat esse tantum in intellectu, & non in re. Ergo dum negat in re esse; id ipsum quod cogitat tamquam aliquid quo nihil majus aut melius cogitari valet, non est, nec ab

ip-

ipso cogitatur id quo nihil majus aut melius potest cogitari. Ergo sibi contradicit. Ergo Insipiens convictus est, sive fateri velit veritatem, sive nolit.

51 Confirmat & superexaltat Anselmus discursum seu redargutionem contra Insipientem. Potest cogitari aliquid de cujus idea vel notione ita sit esse (scilicet in seipso, & extra intellectum, hoc enim est absolute esse) ut nec cogitari possit non esse. Sed id de cujus notione vel idea sit, ita esse ut non possit cogitari non esse, necessario existit. Ergo si id quo nihil majus aut melius valet cogitari, fuerit idipsum, quod non potest cogitari non esse, vel de cujus ratione, & idea sit ita esse ut non possit cogitari non esse; id quo nihil majus aut melius valet cogitari, necessario existit. At revera id quo nihil majus, aut melius valet cogitari, est illud idem de cujus idea, atque notione est ita esse ut non possit cogitari non esse. Ergo revera necessario existit id quo nihil majus, aut melius valet cogitari. Prima omnium propositio negari non potest: quandoquidem nulla repugnantia est in cogitando existentiam esse de ratione essentiali aut prima notione alicujus rei, quemadmodum est de essentia hominis rationale. Immò facilè cognoscitur omnino necessarium esse ut aliquid sit, extra cujus essentiam non sit esse sive existere; alioquin omnia essent contigentia, immò & repugnantia ut aliquando essent. Nulla enim tunc casùs posset esse causa ut essent: cum ipsa entia contigentia non possent dare sibi esse. Quod enim non est, non potest dare esse. Attamen alia sensibilior, ut ita dicam, via convincendi Insipientem, se posse intelligere aliquid cui tam essentiale sit esse ut non possit cogitari non esse, sicut homini rationale, ita ut irrationalis cogitari non potest; est ea quam ipse Anselmus in cap. 8. lib. Apologici proponit. In promptu est cuique, volenti illam ibidem legere.

52 Secunda verò propositio non minus certa est quàm prima. Siquidem necessario omnino cuique convenit id quod sibi tam essentiale est, sicut homini rationale. Ergo si esse vel existere ita est alicui essentiale sicut homini rationale; illud necessario existit, neque potest non existere. Consequentia autem sub illa conditionali prorsus legitima est.

53 Minor autem subjuncta sic probatur. Majus aut melius est id de cujus ratione essentiali vel idea sive notione est *esse*, sive *existere*, quàm id de cujus essentia metaphysica vel ratione ideali non est ipsum *esse* sive *existere*. At nihil est majus eo, quo nihil majus aut melius cogitari potest. Ergo id quo nihil majus aut melius cogitari potest, est idipsum de cujus ratione essentiali vel idea vel notione est ita esse existere ut nec cogitari possit non esse, quemadmodum homo non potest cogitari sine rationali. Ergo Insipiens non potest cogitare id quo nihil majus aut melius valet cogitari; & simul cogitare non esse in re. Nam non potest cogitare esse vera duo simul contradictoria. Cogitaret autem; si cogitaret non esse in re id quod cogitat ut aliquid quo nihil majus aut melius valet cogitari. Quippe si cogitat id quo nihil majus aut melius valet cogitari, cogitat id de cujus ratione essentiali, idea vel notione est ita esse in re ut nec possit non esse, nec possit cogitari non esse, nisi per contradictionem, sicut homo absque contradictione non potest cogitari non esse rationalis. Ergo aperta contradictio est cogitari non esse in re id, quod nisi sit in re, non est id quod cogitatur: sicut id quo nihil aut melius valet cogitari si cogitetur non esse in re, cogitatur non id quo nihil majus aut melius valet cogitari, sed id quo majus aut melius cogitari valet. Ergo id ipsum cogitatur simul, & non cogitatur. Hoc autem est impossibile. Convictus est ergo undique Insipiens (quamvis fateri nolit ex summa malitia) esse in re, immò, & ipsum Insipientem cogitare esse in re, id quo nihil majus aut melius valet cogitari. Convictus ergo pariter est ex hac Anselmi redargutione, & Deum esse in re, & ipsum Insipientem intùs mente negare non posse Deum existere. Confer cap. 2. & 9. inter alia libri Apologetici, & per te videbis hanc esse vim, & efficaciam discursûs, vel redarguitionis Anselmi in his capp. Proslogii.

54 Sed quorsùm, inquies, tot discursus, tot consecutiones, si hæc veritas, *Deus est*, cuique homini ab ortu naturæ infita est, si omnibus per se nota? Cur, si hæc idea vel notio, *Id quo nihil majus aut melius cogitari potest*, trahit indeclinabiliter, insuperabiliter, mentem cujusque hominis ad sui assensum, ut nimirum assentiatur, non solùm intra mentem sed etiam in re existere, & in seipso; cur, inquam, tantum pro victoria contra Insipientem laboravit Anselmus?

55 Respondeo, hoc Anselmum feciſſe non alia ratione nisi ea qua Aristoteles in 4. Metaph. intendit probare firmissimam universalissimi ac cunctis per se noti principii veritatem, *Impossibile idem esse & simul non esse secundum idem.* At non

proprie & in rigore demonstrare hoc principium voluit Aristoteles, sed duntaxat redarguendo. " Licet tamen hoc quoque (ait) demonstrare redarguendo, *impossibile esse* „ *atque non esse*, si modò is qui contendit quicpiam dicat... Demonstrare redarguen„ do, & demonstrare, differre dico. Qui namque demonstrat, videbitur, quod initio „ quæritur, postulare„. Si vero alius sit hujus causa, redargutio, non demonstratio erit. Super quem textum Div. Thom. hanc gloſſam facit. *Hic ostendit* (Aristoteles) *quòd aliquo modo potest prædictum principium demonstrari, dicens, quod contingit prædictum principium demonstrare argumentativè... Sed solùm si ille, qui ex aliqua dubitatione negat illud principium, dicit aliquid, id est, aliquid nomine significat.*

56 Sicut ergo illud primum principium non proprie, & in rigore demonstravit Stagirita, cùm demonstratio fiat à notiori; sed duntaxat redarguendo per aliquid neceſſariò involutum in ipsa hominis illud principium negantis negatione: ita Anselmi ratiocinium non vera & proprie dicenda est demonstratio, sed contra Inſipientem redargutio ex ipsamet Inſipientis denegatione; accipiendo ſignificatum nominis Dei, quem non eſſe dixit, ſi illum nempe ſignificatum cogitat, & in intellectu habet. Alioquin, ſi quod inficiatur, nesciat; ore tenus erit sua negatio. *Quòd ſi nihil dicat*, ait ibidem ille philosophus, *ridiculum est profectò ab eo rationem quærere, qui nullius rationem habet.* Et Div. Thom. Commentationem prosequendo: *Si vero nihil dicit, derisibile est quærere aliquam rationem ad illum qui nulla utitur ratione loquendo.* Sic et noſter Author in lib. Apologet. cap. 9. *Nam etſi quisquam*, ait, *est tam inſipiens, ut dicat non esse aliquid, quo majus non possit cogitari; non tamen ita erit impudens, ut dicat se non posse intelligere aut cogitare quid dicat: aut ſi quis talis invenitur; non modo sermo ejus est respuendus, sed & ipse conspuendus.* Unde S. Doctor ſtatim ſubjicit: *Quisquis igitur negat aliquid esse, quo majus nequeat cogitari; utique intelligit, & cogitat negationem quam facit: quam negationem intelligere, aut cogitare non potest ſine partibus ejus: pars autem ejus est*, " Quo majus co„ gitari non poteſt„. *Quicumque igitur hoc negat; intelligit et cogitat, quo majus cogitari nequit.*

57 Ergo redargutio non fit à re per se magis nota ad minus notam; sed á Concessione, à dicto, à cogitationibus, ab intelligentia ipſius, rem seu veritatem per se notissimam denegantis, ut mens illius per semetipsam convicta maneat. Hoc eſt quod facere Ariſtoteles voluit relatè ad illum qui primum universaliſsimum metaphyſicæ principium diſſiteretur. Hoc, quod & fecit, & facit in his capp. Proslog. & in toto Apologetico respondendo ad objectiones Gaunilonis, Anselmus.

58 Bene ſit, ais: non ſit propriè demonstratio, ſit duntaxat redargutio. At non convincit absolutè, sed hypoteticè: supposito scilicet quòd talis idea, talis notio non ſit rei impossibilis, aut in se repugnantis. Forsan erit qui pro inſipienti dicat ſe mente capere talem notionem, talem ideam, ſignificatum ve præfatorum verborum; attamen ignorare utrum de re possibili an impossibili.

59 Hæc autem responſio magis in se chimerica eſt. Siquidem terminos illicó repugnantes complicat. Jungit nimirum impoſsibilitatem cum ente aperté possibili. Bonum & ens idem sunt. Quod bonum eſt, præsefert entitatem. Quod autem entitatem præsefert, pariter & poſsibilitatem. Sed ſi omne quod bonum enunciatur, enunciatur ens, enunciatur poſsibile: quod dicitur ita bonum, ut aliquid melius cogitari nequeat, quid erit? Nonne maximè ens? Si autem maximè ens; & maximè possibile cogitetur neceſſe eſt. Nulla eſt igitur tergiversatio, nullæ sunt rimæ, ut mens Inſipientis non maneat convicta, se non poſſe negare, tale ens exiſtere, & maximè exiſtere.

60 Responsum Eminentissimi Cajetani, diſtinguentis in Commentario sup. 1. p. D. Th. q. 2. art. 1. inter exiſtentiam *exercitam*, & *ſignatam*, non moror. Qualiacumque hujusmodi diſtinctionis verba ſint, non aliud ſignificare volunt niſi exiſtentiam idealem, vel cogitatam, vel possibilem, & exiſtentiam realem, seu qua res eſt extra intellectum, extra meram possibilitatem, in seipsa. Hæc autem quæ ab ipso vocatur *exercita*, jam dictum eſt, & per ſe patet, quòd melior ſit quám idealis, tantùm cogitata, tantùm possilis. Itaque præocupata ab Authore per vim ejusdem sui ratiocinii eſt.

61 Supereſt ut proximius expendamus cum noſtro Authore hîc in cap. 3. quomodo dixerit inſipiens in corde suo, *Non est Deus.* Nam D. Thom. 1. Sent. diſt. 3. q. 1. art. 2. in argum. 1. *Sed contra* arguit; ea quæ sunt per se nota, juxta Philoſoph. in 4. Metaph. etsi exterius negentur ore, nunquam interius poſſunt negari cor-

de

de. Et ſubjungit: *Sed Deum eſſe potuit negari corde.* Ex his verbis Ps. 13. *Dixit inſipiens in corde ſuo: Non est Deus.* Ergo &c. Hoc argumentum præocupatum hic ab Anſelmo eſt. *Verum quomodo* (inquit) *dixit inſipiens in corde ſuo quod cogitari non potuit: aut quomodo cogitare non potuit, quod dixit in corde? Cum idem ſit dicere in corde, & cogitare.* Et respondet S. Doctor, cogitationem cordis eſſe poſſe de ipsa re per voces ſignificata; & eſſe etiam poſſe non de re, sed de ipſis vocibus. Quia ſicut poſſum rem cogitare ſignificatam, ita & poſſunt ipsas voces intus in ſilentio cogitare. "Frequenti namque usu, ait in cap. 10. Monol. cognoscitur quia rem unam tri-„ pliciter loqui poſſumus. Aut enim res loquimur ſignis senſibilibus, id eſt, quæ sen-„ ſibus corporeis ſentiri poſſunt, senſibiliter utendo; aut eadem ſigna, quæ foris sen-„ ſibilia sunt, intra nos insenſibiliter cogitando; aut nec senſibiliter, nec insenſibiliter „ his ſignis utendo; sed res ipsas, vel corporum imaginatione, vel rationis intellectu, „ pro rerum ipsarum diverſitate, intus in noſtra mente dicendo. Aliter namque homi-„ nem dico, cùm eum hoc nomine, homo, ſignifico: aliter cum idem nomen tacens co-„ gito: aliter cùm eum ipsum hominem mens, aut per corporis imaginem, aut per ratio-„ nem intuetur; per corporis quidem, ut cùm ejus senſibilem figuram imaginatur; per „ rationem vero, ut cum universalem ejus eſſentiam, quæ eſt animal rationale morta-„ le, cogitat.

62 Ergo Inſipiens, inquit Anselmus, uno solùm ex duobus modis cogitare in corde potuit non eſſe Deum: aut aliud intelligendo ſive cogitando quàm per hoc vocabulum *Deus* ab omnibus, qui verum ~~cum~~ colunt, ſignificatur, id eſt, aliquid quo nihil majus poteſt cogitari; aut potius has voces *Non est Deus* duntaxat cogitavit & dixit in corde, scilicet intùs apud se, quin rem ſignificatam, per intelligentiam, & aſſensum diceret vel exprimeret. Quemadmodum is qui intelligendo quid ſit aqua, & quid ſit ignis, et propterea cognoscendo repugnantiam ut ignis ſit aqua, & aqua ſit ignis, dicit nihilominus intra se, aut etiam lingua proferendo, ignem eſſe aquam, & aquam eſſe ignem. Hic enim homo jungit duntaxat voces hujus enunciationis, *Ignis est aqua*: non autem eſt possibile ut intelligentiâ mentis conjungat, & identificet tam contrarias res et naturas, quales sunt ignis & aqua. Hoc enim implicat contradictionem. Unde eſſet conjungere & idem facere duo contradictoria; ut perinde ſe haberet eſſe aquam, & non eſſe aquam, eſſe ignem & non eſſe ignem. Nullus autem intellectus hoc facere, seu intelligere poteſt, nullus cogitare. Quod non solùm redargutione demonſtrare intendit in 4. Metaph. Ariſtoteles, sed etiam Div. Thom. apertissime aſſerit in 1. p. q. 25. art. 3. in corp. dicens: *Id quod contradictionem implicat, verbum eſſe non potest: quia nullus intellectus potest illud concipere.* Si verbum eſſe non poteſt; neque in corde ſive per cor ſpiritùs dictum. Hac de causa & noſter Author non modò aſſerit nullum intellectum intelligendo naturas aut veritates ignis & aquæ dicere poſſe ignem eſſe aquam, aquam eſſe ignem; verum etiam dicere nullum poſſe Deum non eſſe in re, ſi intelligendo cogitat quid per hoc nomen *Deus* proprie ſignificetur. Cum enim id ſignificetur, quo nihil majus aut melius cogitari poteſt; huic autem non minùs repugnet nos eſſe in re, quàm igni eſſe aquam, & aquæ eſſe ignem, immò multo magis repugnet: contradictionem implicat, ſi illud intelligentiâ cogitetur tanquam quo nihil majus cogitari queat, & tamen non eſſe in re; non minùs quàm includit contradictionem, intelligendo quid eſſentialiter ſit aqua, et quid eſſentialiter ignis, corde dicere ignem esse aquam, aquam eſſe ignem.

63 Ecce non semel verba, in quibus Author dat pro causa contradictionem, quam vel aſſerit, vel tanquam univerſis manifestissimum supponit, à nullo intellectu, conjungendo scilicet extrema, v. conjuncta, aut conjungibilia intelligendo, concipi poſſe vel cogitari. In ſine cap. 2. hujus libri quem nunc commentamur: *Si ergo id*, inquit, *quo majus cogitari non potest, est in solo intellectu; idipsum, quo majus cogitari non potest, est quo majus cogitari potest: sed certe hoc eſſe non potest.* Et in cap. 3. *Quare si id, quo majus nequit cogitari, potest cogitari non eſſe: idipsum quo majus cogitari nequit, non est id quo majus cogitari nequit: quod convenire non potest.* Et in lib. Apolog. cap. 2. *Quid ergo consequentius, quàm ſi quo majus cogitari nequit, est in solo intellectu; idem eſſe quo majus cogitari possit? Sed utique, quo majus cogitari potest, in nullo intellectu est quo majus cogitari non possit.* Denique in cap. 9. *Cùm ergo cogitatur, quo majus non possit cogitari, ſi cogitatur quod possit non eſſe, non cogitatur, quo non possit cogitari majus: sed nequit idem ſimul cogitari & non cogitari,*

Ut

64 Ut autem videas Anselmum vim per suam expositionem sacro textui nequaquam facere; advertas oportet, non idem esse dicere in corde sed non de corde aut non corde, et dicere in corde, et de corde vel dicere corde, et in corde. Unde in Ps. 11. ℣. 3. dicitur: *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum: labia dolosa, in corde & corde locuti sunt.* Ubi Breviarum Mozarabe apud nostrum Sabatier in edit. versionum Italicæ habet: *In corde & de corde locuti sunt mala.* Græcus textus: *In corde, & in corde locuti sunt.* Potest etiam verti: *In corde & per cor locuti sunt.* Nempe dicere non in corde tantùm sed etiam corde, vel de corde (quando cor accipitur pro ipso intellectu), est dicere ita, ut ex ipsa conceptione, & idea rei quæ habetur in mente, & in memoria ipse intellectus verbum ipsius rei dicat: at dicere tantùm in corde, sed non corde, vel de corde, est dicere non de specie vel idea ipsius rei, sed de speciebus ab imaginativa præsentatis, tum litterarum, tum vocum, tum sonituum, tum aliarum rerum extranearum, & sensibilium. Solus intellectus apprehendit & cognoscit veritatem rerum aut falsitatem. Itaque Insipiens non corde aut de corde, id est, non intellectu vel de intellectu dixit, *Non est Deus*, sed in corde de imaginatione illas intra se protulit voces: aut aliquid sensibile Deum imaginatus est, & hanc imaginationem in corde seu in mente dixit, sed non de mente vel juxta mentem. Ut autem hoc melius percipias, attende ad te ipsum, & experieris, æque te apud te in corde dicere posse has voces, *ignis est aqua*, sicut dicis, *ignis non est aqua*: & non minus te posse apud te proferre, *possibile est idem simul esse & non esse*; ac dicis, *impossibile est idem esse simul & non esse.* Nequaquam autem hæc potes dicere, nimirum *ignis est aqua*; *possibile est idem simul esse & non esse*, intelligendo aut mente cogitando ita esse.

65 Hinc, ut hæc tria capita omnino absolvam, in transcursu colligo nulla esse entia rationis, quatenus hæc talia sint quæ implicent contradictionem, vel quæ absolute impossibilia sint, ut re, vel realiter existant. Quippe intellectus, secundum dicta, non potest apprehendere tanquam inter se se conjuncta, vel conjungibilia, extrema repugnantia: quod erat necessarium ut posset facere ens rationis,

66 Secundum quod colligo ex ultimis verbis Authoris in hoc cap. 4. est, fidem conjungi posse (saltem juxta suam sententiam) cum naturali, quantumvis certa, cognitione circa eamdem rem. *Gratias tibi*, ait, *bone Domine, gratias tibi: quia quod prius credidi, te donante; jam sic intelligo, te illuminante; ut si te esse nolim credere, non possim non intelligere.*

CAPUT V.

Quòd Deus sit quicquid melius est esse, quàm non esse, & solus existens per se, omnia faciat de nihilo.

QUID igitur es, Domine Deus, quo nihil majus valet cogitari? Sed quid es, nisi id quod summum omnium solum existens per seipsum, omnia alia fecit de nihilo? Quicquid enim hoc non est, minus est, quàm quod cogitari possit: sed hoc de te cogitari non potest. Quod ergo bonum deest summo bono, per quod est omne bonum? Tu es itaque justus, verax, beatus, & quicquid melius est esse, quàm non esse: melius namque est esse justum, quàm non justum; beatum, quàm non beatum.

COMMENTARIUS.

CAPIT. V.

Quid igitur es, Domine Deus, quo nihil majus valet cogitari?

1 Antequam virtutem in hoc cap. contentam, palàm ut in artis dialecticæ formam convertendo, cum extensione quadam exponam; candidatos seu in Sacra

Theo-

Theologia initiatos cupio, facioque monitos, ubicumque Anselmus hanc ſic profert orationem, *quo nihil majus aut melius cogitari potest*, ſubintelligendum eſſe hoc nominativum *id* ante relativum, & ablativum *quo*. Insuper, Authorem in hoc libro sub forma percontationis proponere tum quæſtionem, tum resolutionem, quandoque objectionem, quandoque ad ipsam responsum. Emulatur etiam in hoc S. Auguſtinum in suis libris confessionum. Jam in Monologio advertimus hunc disputandi aut quærendi etiam de rebus fidei morem, duas sub tacita forma dialogi agendo personas, fuiſſe Auguſtino familiarem, sed præcipue in libro quæſtionum ad Simplicianum, ſicut in admonitione ad eundem librum notant eruditissimi Monachi Benedictini Congregationis S. Mauri. Ergo hic disputandi, ſcribendique modus lectorem vigilem, ut ipſi quoque monent, deſiderat. Itaque S. Anselmus, jam in capp antecedentibus convicto inſipiente quòd vere ſit Deus, & quòd non possit non eſſe Deus; convicto, inquam, ex notione propria Dei, quæ eſt hæc; *Id quo nihil majus aut melius cogitari pòtest*: nunc incipit alloqui Deum sub forma percontationis circa alia innumerabilia quæ præfata amplissima Dei notio intra se continet, & quæ ex ipsa demonſtrari poſſunt. Quid es, Domine, inquit, per hoc quòd ſis id quo nihil majus aut melius cogitari valet? Nam hæc notio multa alia, immò infinita neceſſe eſt ut, præter exiſtentiam quam nos apprehendimus, intra se comprehendat.

2 *Sed quid es, niſi id quod summum ōmnium solum existens per seipsum, omnia alia fecit de nihilo?* In hac secunda interrogatione respondet Author præcedenti, Deum, ſi eſt, ut revera eſt, id quo nihil majus vel melius cogitari poteſt, eſſe in primis quod summum omnium solum eſt exiſtens per se, seu à se, & quod cœtera omnia fecit ex nihilo, atque adeo proprie creavit omnia.

3 *Quidcquid enim hoc non est, minus est quàm quod cogitari possit: sed hoc de te cogitari non potest.* Per has duas propoſitiones probat Anselmus quod proxime dixit. Et probat ſic. Quicquid non eſt ita summum omnium, ut ipsum solum per se vel à se exiſtat, & omnia alia ex nihilo fecerit, non eſt id quo nihil majus aut melius cogitari valet; sed minus eſt, quàm id quo majus nequit cogitari. At Deus cùm ſit id quo nihil majus aut melius cogitari poteſt; cogitari non poteſt non eſſe hoc, sed minus: quandoquidem ſic Deum cogitari implicat contradictionem: nullus autem intellectus juxta non longe dicta in Comment. capp. antecedentium etiam ex ipso Authore, cogitare valet idem & ſimul non cogitare, neque cogitare, ut in se se conjuncta, duo contradictoria. Ergo Deus ſi eſt, ut utique eſt, id quo nihil majus aut melius cogitari poteſt; non poteſt non eſſe, nec cogitari non eſſe summum omnium, quod solum per se vel à se existat, & alia cuncta fecerit ex nihilo.

4 *Quod ergo bonum deest ſummo bono, per quod est omne bonum?* Hæc interrogatio vim habet alterius subjunctæ propoſitionis & consequentiæ. Itaque subjicit: Sed summo bono, per quod eſt omne bonum, vel à quo omnia alia bona ex nihilo facta sunt, nihil boni deeſſe potest. Ergo Deo nullum poteſt deeſſe bonum. Quod scilicet vel proprie & formaliter deipso Deo enuncietur, prædicetur, vel saltem illud contineat, ut causando extra se communicet. Nam ſi omnia à Deo accipiunt quicqnid sunt, & quidquid bonitatis habent; neceſſe penitus eſt ut nullum bonum cogitabile Deo abſit. A quo vel in quo quærendum eſſet, ſi aliquod bonum ei desset? Quis poſſet illud causare? Nulla causa eſt cogitabilis; ſi omnia, ſine Deo dante ipſis eſſe, nihil sunt. Ergo aliud bonum præter id quod est summum bonum, præter id quod eſt Deus, vel eſt á summo bono, à Deo, neque eſt possibile, nec cogitabile. Denique quia ſi summo bono, ſi Deo aliquid boni deeſſet; non eſſet id quo nihil majus aut melius cogitari poteſt. Melius enim cogitatur ſine omni defectu, quàm cum aliquo defectu: melius, ſi nullum deſit bonum, quàm ſi aliquod bonum deſit.

5 *Tu es itaque justus, verax, beatus &c.* Ex eo quod Deo nullum possit deeſſe bonum, & ex eo quòd nihil melius Deo cogitari poteſt, colligit Anselmus, aſſerendas seu dicendas eſſe proprie, & formaliter de Deo omnes quas Theologi vocant perfectiones *ſimpliciter ſimplices*. Hæ autem sunt, quas ipse in cap. 15. Monologii sub hac generali & absoluta regula comprehendit: *omne id quod absolute & in omni melius est eſſe, quàm non-eſſe*. Intelligentiam hujus regulæ capies, ſi legeris illud caput. Si autem tibi non ſufficiat; legere ibidem poteſt noſtrum Commentarium. Exempli gratiâ hic S. Doct. non ponit, niſi juſtitiam, veracitatem, beatitudinem. Apertissimé melius eſt eſſe juſtum, quàm non-juſtum; veracem, quàm non-veracem; beatum, quàm non-beatum. In cap. cit. alia exprimit. At in seq. ejusd. scilicet Monol. multo plura

Concludamus ex jacto hîc principio ab Authore, & cum ipso dicamus: *Deus est id quo nihil majus aut melius cogitari potest: Igitur est summa essentia, summa vita, summa ratio, summa salus, summa justitia, summa sapientia, summa veritas, summa benitas, summa magnitudo, summa pulchritudo, summa immortalitas, summa immutabilitas, summa beatitudo, summa æternitas, summa potestas, summa unitas; quod non est aliud, quam summe ens, summe vivens, & alia similiter.* His et adjicere possumus: Ergo pariter est summa caritas, summa sanctitas, summa rectitudo, summa prudentia, summa voluntas, summa libertas, summa incomprehensibilitas, summa infinitudo, summa immensitas; & alia huiusmodi.

6 Sed probatio Authoris eamdem à contrario vim consequentiæ habet, quantum ad negandum de Deo universas impuras perfectiones, quæ scilicet non sunt simpliciter simplices. Regulam has quoque dignoscendi tradidit Author in eod. cit. 15. cap. Monol. quæ hujusmodi est: *omne id quod absolutè melius est non-esse, quam esse.* Explicationem hujus etiam regulæ ibidem habes: & adjicere potes nostrum commentarium. Ergo intellecta hac regula, sic ex eodem principio colligere certissimè potes: *Deus est id quo nihil majus aut melius cogitari potest:* Igitur non est corpus, aut quocumque modo corporeum; non Cœlum, neque sol, neque luna, neque stellæ, neque aqua, neque aer, neque ignis, neque aquila, neque leo, neque quidpiam quod compositum sit, aut partibus constet, atque adeo, neque est hic universus mundus. Sic potes alia innumerabilia colligere eadem certitudine ex eodem principio, applicáta eàdem regula.

7 Ecce hoc solo infinitæ, ut ita dicam, fœcunditatis, & efficacitatis ab Anselmo quæsito, inventoque probandi principio, omnia probata, & quidem facillimè, brevissimè, certissimè, quæ de Deo in ratione perfectionis propriè, & formaliter prædicari vel enunciari possunt: & enpariter ipso solo (supposita quoque intelligentia alterius regulæ, vel potius consequentiæ primæ regulæ) probatum eàdem facilitate, brevitate, certitudine, perspicuitate, quæ proprie neque formaliter dici de Deo non possunt, sed potius esse neganda.

8 Universalem fœcunditatem hujus principii, & efficaciam probé novit noster P. Mellif. Bernardus, qui eo feliciter usus est, cùm adversus Gilberti Porretani errores, tum etiam contra Petrum Abelardum. Sufficiat in medium adducere hæc verba libri 5. de consider. ad Eugen. cap. 7. *Quid est Deus? Id quo nihil melius cogitari valet. Si approbas; non oportet assentiaris esse id quo Deus est, & quod Deus non est. Hoc enim sine dubio melius. An non melius Deo, quod Deo dat ut Deus sit?* Et ita sub hoc principio Gilbertinos impugnando prosequitur. Nec tamen propterea hinc colligas Gilbertum & Abelardum hæreticos fuisse. Nam etsi errarunt; neque ea affecti fuere pertinacia, quæ hæresim voluntariam seu formalem causat, neque in errore permanserunt; sed Illustriss. Antistes Gilbertus statim, Abelardus tandem aliquot annis ante mortem, voluntariè, & sponte retractarunt.

9 At erit cui difficultatem ingerat id quod hîc dicit noster Author: melius nimirum esse ab alio non existere, quàm existere ab alio. Non est melior, inquiet, Deus Pater, quàm Deus Filus, licèt ille à nullo sit, hic autem existit à Patre: neque Spiritus Sanctus est minor Patre, vel Filio, quamvis ab utroque procedendo sit. Cœterum non ait Anselmus quòd ab alio esse vel existere sit minus bonum quàm non esse vel existere ab alio. Neque dicit quòd non esse ab alio melius sit quàm ab alio esse. Sed ait, quia quicquid non est id quod solum existat per seipsum, & condiderit cœtera cuncta ex nihilo, minus est quàm quod cogitari possit; vel minus quàm id quo nihil majus possit cogitari. Vigilantissimè S. Doct. omnia, quæ scripsit, docuit. Sciebat non quomodocumque ab alio esse, minus esse quàm non esse ab alio: neque à nullo esse melius, quàm quocumque modo esse ab aliquo. Sciebat hoc verum penitus esse in aliis omnibus modis existendi ab alio præter Verbi æterni generationem, & Spiritus Sancti processionem. Propterea non dixit quod contra ipsum objicitur; sed quod nos respondemus. Filius itaque quamvis existat à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre & Filio; per se tamen existunt. *Nam sicut Pater habet vitam in semteipso, sic dedit Filio vitam habere in semetipso.* Hoc autem, ut in lib. de process. Sp. S. cap. 20. ait ipse Anselmus, quanvis de Spiritu Sancto in Scriptura Sacra non legatur sicut legitur de Filio, non minus tamen verum est dictum de Spiritu Sancto, vel non minus verisimè de ipso asseritur, quàm de Filio. Non minus est suum esse, et est id quod est, Filius, quàm Pater, non minùs est suum esse et id quod est, Spiritus Sanctus quàm Pa-

ter

ter, et Filius. Non minus denique intelliguntur de Filio, et de Spiritu Sancto illa Dei verba ad Moysem, *Ego sum qui sum. Qui est misit me ad vos.* Non minus inquam, intelliguntur, quàm de Patre. Sed legere præstat caput 44. Monolog. cum Comment.

CAPUT VI.

Quomodo Deus sit sensibilis, cùm non sit corpus.

VErùm cùm melius sit te esse sensibilem, omnipotentem, misericordem, impassibilem, quàm non esse: quomodo es sensibilis, si non es corpus: aut omnipotens, si non omnia potes: aut misericors simul, & impassibilis? Nam si sola corporea sunt sensibilia; quoniam sensus circa corpus, & in corpore sunt: quomodo es sensibilis, cùm non sis corpus; sed summus Spiritus, qui corpore melior est? Sed si sentire non est, nisi cognoscere, aut non nisi ad cognoscendum; qui enim sentit, cognoscit secundum sensuum proprietatem; ut per visum colores, per gustum sapores: non inconvenienter dicitur aliquo modo sentire, quicquid aliquo modo cognoscit. Ergo Domine, quamvis non sis corpus; vere tamen eo modo summè sensibilis es, quo summè omnia cognoscis; non quo animal corporeo sensu cognoscit.

COMMENTARIUS.

CAPIT. VI.

Verùm cùm melius sit te esse sensibilem, &c.

1 In hoc cap. Author primùm supponit, Deum esse sensibilem, hoc est, sensitivum melius esse quàm non esse sensibilem, aut sensitivum (loquitur eo modo quo solemus accipere passivum pro activo, dum v. g. dicimus quòd animal sit vivens sensibile, aut homo risibilis) melius quoque omnipotentem esse, quàm non esse omnipotentem; misericordem, quàm non esse misericordem. Secundò contra has tres suppositiones proponit dubitandi rationem, ibi: *Quomodo es sensibilis, si non est corpus: aut omnipotens, si non omnia potes: aut misericors simul & impassibilis?* Tertiò promovet dubium contra primam duntaxat suppositionem, in proximis verbis: *Nam si sola corporea &c.* Nam ad alias duas quod attinet, reservat ex proposito dicere in duobus capp. seqq.

2 *Nam si sola corporea sunt sensibilia &c.* Hìc, ut inquiebam, proponit in quo sit ratio dubitandi, sic Deum ipsum alloquendo. Sola corporea sunt sensibilia, aut sola ipsa sentire possunt. Tu vero, Domine, non es corpus neque corporeus, sed summus spiritus es; si id es, quo nihil majus aut melius cogitari potest: melior est autem spiritus quàm corpus. Videtur ergo, Domine, quòd sensibilis non sis, aut quòd quidpiam sentire non possis. Rationem de sua prima propositione hanc subjicit in illis verbis: *Quoniam sensus circa corpus & in corpore sunt.* Itaque dicit. Sensus tantummodo sunt, vel habitudinem naturalem habent et exercent circa corpus, et corporea, tanquam circa propriam materiam, proprium objectum: nam vel sunt circa colorem, vel circum odorem, vel sonitum, vel saporem, vel quantitatem, et ejus affectiones seu qualitates, asperitatem, lenitatem, duritiem, molitiem, frigus, calorem, et si quæ sunt alia. Ergo sensus non excedunt proprias corporis rationes, genus ve corporeum. Non enim excedere queunt essentialem habitudinem suam ac destinationem: sicut non valent suam prætergredi naturam, aut transgredi terminos sibi præfixos.

Se-

3 Secundò sensus nonnisi in corpore tanquam in subjecto sunt, possuntve esse: tum quia oculus, aures, nares, lingua, tactus, instrumenta corporalia, et carnalia sunt: tum etiam quia ipsorum actus, vel sensationes nonnisi ex corporum impressionibus, quas species Philosophi sensibiles vocant, excitantur, moventur, formantur. Igitur sensitiva natura, cujus et cui insunt sentiendi facultates, sive sensus, nequit non esse corpus, aut saltem corporea. Denique idem argumentum debito modo accommodatum fit ex sensibus interioribus: præsertim exemplo brutorum. Vides dubitandi rationes. Videbis statim responsum.

4 *Sed si sentire non est nisi cognoscere, &c.* Respondet distinguendo in sensatione duplicem rationem seu considerationem activè sentiendi. Una, quatenus sentire perceptio est ac quædam discretio unius ab altera re: sicut visus discernit album à nigro; gustus amarum á dulci; auris sive auditus consonantiam à dissonantia; olfatus, vel adoratus odorem à fœtore; tactus ab aspero lene. Alia, secundum quod sentire est simul quidam motus à corpore impressus, atque adeò et est in corpore ipsius sentientis passio. Sub prima consideratione quamdam habet analogiam sensatio cum cognitione; eo quòd cognoscere aliquid est illud per intellectum percipere atque discernere quid sit aut quale. In secunda autem consideratione nihil sensatio commune habet cum intellectu, minùs cum Deo. Itaque juxta primam duntaxat considerationem Deus sensibilis ab Anselmo asseritur, vel magis suponitur esse. Unde in fine dubium omnino resolvendo ait: *Ergo Domine, quamvis non sis corpus; vere tamen eo modo summe sensibilis es, quo summe omnia cognoscis; non quo animal corporeo sensu cognoscit.*

5 Consonat, quantum ad tribuendum quandam sensibus cognitionem, D. Thom. 1. part. q. 14. art. 1. in corp. ajens: *sensus cognoscitivus est, quia receptivus est specierum sine materia.* De natura vero sensuum externorum, de ipsorum differentiis & organis, sicut etiam de modo quo immutantur, alterantur, tam ex parte sui, quàm ex parte objecti, legendus in ead. p. q. 78. art. 3. ubi omnia juxta Aristotelis physicam exponit: quem nullibi (nisi multum fallor) se indicat Anselmus sequi, nisi in dialectica, decem Cathegoriis; et in his absque ulla omnino sequendi quasi professione, aut sub lege ab ipso Aristotele non declinandi. In testimonium legatur S. Doctoris *dialogus de veritate*, in cap. 6. ubi de veritate agit quæ in sensibus est, atque de modis (exempli causâ) quibus per colores visus afficitur.

6 De voce autem *sensibilis*, qua relatè quoque ad Deum hic utitur Author, sciendum est, ea etiam, vel æquivalenti usum fuisse in cap. 31. Monolog. ubi invenies hæc verba: *Summa natura suo quodam modo singulari non solum est, sed & vivit & sentit, & rationalis est.* Imitatus est in hoc quoque D. August. in lib. 15. de Trinit. cap. 4. quod jam in comment. ad cit. Monol. caput monuimus. Sed audi veruntamen adhuc ipsum loquentem Aug. in cap. 5. lib. præfati. *Quis audeat dicere*, ait, *unum Deum nihil sentientem?* Et infra. *Illa vita, quæ Deus est, sentit atque intelligit omnia, & sentit mente, non corpore, quia spiritus est Deus. Non autem sicut animalia quæ habent corpora, per corpus sentit Deus.. Ac per hoc simplex illa natura sicut intelligit, sentit; sicut sentit, intelligit: idemque sensus qui intellectus est illi.* Hæc Augustinus. Quæ cum Anselmi doctrina in hoc cap. tanquam cum ipsius doctrinæ Augustinianæ legitima filia, mirè consonant.

CAPUT VII.

Quomodo sit omnipotens, cùm multa non possit.

SED & omnipotens quomodo es, si non omnia potes? Aut si non potes corrumpi, nec mentiri, nec facere verum esse falsum: ut, quod factum est, non esse factum, & plura similiter: quomodo potes omnia? Aut hæc posse, non est potentia; sed impotentia. Nam qui hæc potest, quod sibi non expedit & quod non debet, potest: quæ quanto magis potest, tanto magis adversitas, & perversitas possunt in illum, & ip-

ipse minus contra illas. Qui ergo ſic poteſt, non potentia poteſt; ſed impotentia. Non enim ideo dicitur posse, quia ipse possit; sed quia suâ impotentia facit aliud in se posse: ſive aliquo genere loquendi; ſicut improprie dicuntur, ut cùm ponimus *eſſe* pro *non eſſe*: & *facere*, pro eo quod eſt, *non facere*, aut pro *nihil facere*. Nam ſæpe dicimus ei, qui rem aliquam eſſe negat: *ſic eſt, quemadmodum dicis eſſe*: cùm magis proprie videatur dici: *ſic eſt, quemadmodum dicis non eſſe*. Item dicimus: *iſte sedet, ſicut ille facit*: aut *iſte quiescit, ſicut ille facit*: Cùm sedere ſit quiddam non facere, & quiescere ſit nihil facere. Sic itaque cùm quis dicitur habere potentiam faciendi aut patiendi, quod ſibi non expedit, aut quod non debet, impotentia intelligitur per potentiam; quia quo plus habet hanc potentiam, eò adverſitas, & perverſitas in illum sunt potentiores & ille contra eas impotentior. Ergo, Domine Deus, inde verius es omnipotens, quia potes nihil per impotentiam & nihil potes contra te.

COMMENTARIUS.

CAPIT. VII.

Sed & omnipotens quomodo es, ſi non omnia potes, &c.

1 Vidimus in cap. anteced. Anselmum supponentem tanquam omnino certum, melius absolutè eſſe omnipotentem, quàm non-omnipotentem: atque proinde et ſupponentem Deum eſſe omnipotentem. Hoc autem licet cuicunque palàm ſit; nihilominus nonnullæ quoque contra illud cuicunque facilè occurrunt difficultates. In genere et uno verbo difficultates omnes in cap. antec. proposuit, ajendo: *Quomodo es omnipotens, ſi non omnia potes?* Nunc ſicut quæstionem solam ex propoſito, ita et ad difficultates in specie descendit. Itaque quaſi arguentis instar, ſic quærit à Deo. Omnipotens ille est, inquit, qui omnia ſine ulla exceptione potest. Tu vero, Domine, vidêris non omnia poſſe. Non ergo vidêris eſſe omnipotens. Probatio secundæ, vel minoris propoſitionis in promptu est. Siquidem non potes, Domine, corrumpi, nec mentiri, nec facere verum eſſe falsum, aut quod factum est non eſſe factum, et alia plura ſimilia. Vidêris ergo, Domine, quòd omnia non possis. Aut ſi omnia potes; quomodo hæc talia non potes?

2 *Aut hæc poſſe, non est potentia, sed impotentia.* Incipit hîc respondere quæstioni ac solvere difficultates, dicendo quòd poſſe illa omnia et cetera ſimilia, non est vere poſſe, sed magis, non posse; non est potentia, sed impotentia.

3 *Nam qui hæc potest, &c.* Rationem suæ responſionis dat ajendo, eò illa poſſe non est vere poſſe, sed magis non poſſe, quoniam qui talia potest; non quod expedit aut quod debet, potest, sed quæ neque expediunt, neque esse debent. Hæc autem cùm fiunt (aut ſi fierent; nam factum non esse factum nunquam fit, nec à quoquam potest fieri) non fiunt aut fierent per potentiam ejus qui facit, aut faceret ipsa, sed per impotentiam, seu insufficientem potentiam ad reſistendum perverſitati, adverſitati, id est, rebus pugnantibus contra vitam, veracitatem, fidelitatem, contra fidem, spem, constantiam, firmitudinem, contra temperantiam, honestatem, castitatem, religionem, contra denique unionem partium naturalium vel essentialium, et conservationem perfectionum, aliarumque rerum illius subjecti quod potest corrumpi, et corrumpitur; mentiri, et mentitur; confundere falsum cum vero, neque aliquid inter utrumque interponere differentiæ; quod potest non servare ac retinere justitiam, caritatem, fidem, spem, honestatem, castitatem, ceterasque virtutes, et reipsa non servat, aut non retinet; quod denique mori, lædi, alterari, immutari, seu transmutari potest, et revera mutatur, transmutatur, alteratur, læditur, moritur, destruitur. Itaque nihil corrumpitur, destruitur, aut vitam, salutem, integritatem, et propriam perfectionem, proprium ve statum amittit per ipsius, quod corrumpitur, destruitur,

violatur, alteratur, transmutatur, vel dejicitur à suo naturali, morali, supernaturali statu, propriam, & solam potentiam; sed vel per potentiam solùm alterius, ut frequenter contingit in physicis, vel saltem simul per potentiam alienam, ut semper accidit in moralibus. Nam etsi quandoque peccatum sit sine externo tentatore, nunquam tamen absque interno, id est, propria, sive carnali, sive spirituali, concupiscentia. Hæc autem distincta quodammodo est ab ipso qui peccat. Unde peccatum contra naturam dicitur esse. Natura non habet ut contrà semetipsam agat, sed pro semetipsa, & pro suarum perfectionum & rerum conservatione. Hinc naturalis, sive de jure naturæ est defensio. Quando ergo natura non manet integra, aut suarum aliquid deperit perfectionum, eò sine dubio fit, quia servare contra impugnatorem, vel totaliter, vel aliquo modo non potest; sed ipsius impugnationi, & actioni, sive necessario, seu voluntarie, & liberè succumbit.

4 Semper itaque malum, ut inquit August. corrumpit naturam, & nihil aliud est, quàm corruptio boni. Unde in lib. 15. de Trinitat. cap. 14. cum Anselmo apprimè consentit in assertione, quòd posse mentiri, non potentia, sed impotentia est; sicut à contrario mentiri non posse, non impotentia, sed summa potentia. *Falsum*, ait loquendo de Verbo Dei, *habere aliquid hoc Verbum nunquam potest, quia immutabiliter sic se habet, ut se habet, de quo est: potenter hoc non potest: nec est infirmitas ista, sed firmitas, qua falsa esse non potest veritas.* Et in cap. seq. *Magna*, inquit, *illius Verbi potentia est; non posse mentiri, quia non potest illic esse, est & non; sed est, est, non, non.* Item in lib. de Symbolo ad Catechum. cap. 1. *Deus omnipotens non potest falli, non potest miser fieri, nec potest vinci. Hæc utique & hujusmodi absit ut possit omnipotens. Si enim hujusmodi passionibus, atque defectibus subjici posset, omnipotens minime foret. Et inde monstratur omnipotens, quia ei hæc propinquari non valent.* Quæ ultima verba fere eadem sunt cum his, quibus hoc caput claudit Anselmus: *Ergo, Domine Deus, inde verius es omnipotens, quia potes nihil per impotentiam, & nihil potes contra te.*

5 Magister Sententiarum, qui in lib. 1. dist. 42. agit de omnipotentia, & easdem objicit difficultates, quas hic Anselmus, utiturque pro solutione supra positis authoritatibus S. Aug. ipse de suo ait: *Sed non ideo omnipotentiæ Dei in aliquo detrahitur, vel derogatur, si peccare non posse dicitur: quia non esset hoc potentiæ, sed infirmitatis. Si enim hoc posset, omnipotens non esset.* Et post aliqua. *Hoc ergo diligenter considerantibus omnipotentia ejus secundum duo apparet, scilicet quòd omnia facit quæ vult, & nihil omnino patitur. Secundum utrumque Deus omnipotens verissimè prædicatur: quia nec aliquid est quod ei ad patiendum corruptionem inferre valeat, nec aliquid ad faciendum impedimentum afferre. Manifestum est itaque Deum omnino nihil posse pati, & omnia facere posse, præter ea sola, quibus ejus dignitas læderetur, ejusque excellentiæ derogaretur: in quo tamen non est minus omnipotens: hoc enim posse, non esset posse, sed non posse. Nemo ergo Deum impotentem in aliquo dicere præsumat, quia omnia potest quæ posse potentiæ est, & inde vere dicitur omnipotens.*

6 D. Thom. in 1. p. q. 25. art. 3. ad 2. ait, *Quòd peccare est deficere à perfecta actione. Unde posse peccare est posse deficere in agendo, quod repugnat omnipotentiæ. Et propter hoc Deus peccare non potest, qui est omnipotens.* Et ad 1. ait: *Quòd non potest* (Deus) *moveri & pati, non repugnat omnipotentiæ.* Rationem omnium tradit in corp. art. 1. ejusd. q. *Manifestum est*, inquit, *quod unumquodque secundum quod est actu, & perfectum, secundum hoc est principium activum. Patitur autem unumquodque, secundum quod est deficiens & imperfectum. Ostensum est autem, quòd Deus est purus actus & simpliciter & universaliter perfectus, neque in eo aliqua imperfectio locum habet. Unde sibi maxime competit esse principium activum, & nullo modo pati. Ratio autem activi principii convenit potentiæ activæ: nam potentia activa est principium agendi in aliud; potentia vero passiva est principium patiendi ab alio. Relinquitur ergo quòd in Deo maximè sit potentia activa.* Hæc Doct. Angel. At posse pati ab alio, in quantum tale, non est potentia, sed impotentia. Concors est igitur Div. Thom. cum Anselmo, licet quantum ad modum explicandi & verba, Mag. Sent. plus conformitatis cum ipso habeat.

7 In hoc tamen videntur non esse concordes Ss. Doctores, quòd scilicet Anselmus quasi indicat, Deum non posse facere ut quod factum est non sit factum, non quia sit ex se & intrinsecùs impossibile, sed quoniam Deus est omnipotens, & nihil potest illum pervertere, agendo ut ipse à vero declinet, & ab operatione ordinatissima,

sa-

sapientissimaque ; Div. vero Thomas hanc tribuit impossibilitatem ipsi intimæ repugnantiæ terminorum. Nàm in art. 4. cit. quæst. resolvit, *Quòd sub omnipotentia Dei non cadit aliquid quod contradictionem implicat : præterita autem non fuisse, contradictionem implicat :: Unde præterita non fuisse, non subjacet divinæ potentiæ.* Et in art. 3. de quacumque contradictionis implicatione generalem rationem reddit, cur divinæ omnipotentiæ non subjacet, quia nimirum *hoc omnipotentiæ non subditur, non propter defectum divinæ potentiæ, sed quia non potest habere rationem factibilis.*

8 Non dubito quin Anselmus ac D. Thom. quamquam in assertionibus majori ex parte conveniunt, non infrequenter tamen per diversas explicandi res divinas gradiantur vias. In præsenti materia possibilitatis aut impossibilitatis ita judico evenire. Anselmus tam hic quàm in 12. cap. de *de casu diab.* & in cap. 18. lib. 2. *Cur Deus Homò* omnem impossibilitatem, & necessitatem subjicit Deo. Unde impossibilitatem explicat per impotentiam alterius cujuscumque rei ad agendum contra omnipotentem voluntatem & actionem : necessitatem vero, per subjectionem essentialem omnium rerum suæ deserviendi efficacissimæ intentioni atque providentiæ, aque exponit. Audiatur itaque in cit. cap. lib. 2. *Cur Deus Homo.* Ubi rationem reddit impossibilitatis hujus enunciati : *Quod factum est, non potest non esse factum. Jam diximus*, inquit, *quia Deus improprie dicitur aliquid non posse aut necessitate facere. Omnis quippe necessitas, & impossilitas ejus subjacet voluntati.* Et paulo infra. *Sicut nulla*, inquit, *necessitas sive impossibilitas præcedit ejus velle, aut nolle ; ita nec ejus facere, aut non facere : quamvis multa velit immutabiliter & faciat. Et sicut cùm Deus facit aliquid ; postquam factum est, jam non potest non esse factum, sed sempeo verum est factum esse, nec tamen recte dicitnr imposibile Deo esse ut faciat quod præteritum est, non esse præteritum : nihil enim ibi operatur necessitas non faciendi ; sed Dei sola voluntas, qni veritatem semper (quia ipse veritas est) immutabilem, sicut est, esse vult: Ita si proponit se aliquid immutabilier facturum ; quanvis quod proponit, antequam fiat, non possit non esse facturum ; non tamen ulla est in eo faciendi necessitas, aut non faciendi impossibilitas : quia sola operatur in eo voluntas. Quotiens namque dicitur Deus non posse, nulla negatur in eo potestas ; sed insuperabilis significatur potentia, & fortitudo. Non enim aliud intelligitur, nsi quia nulla res potest efficere, ut agat ille quod negatur posse.* Hucusque Anselmus in eo libro.

9 Et quidem rectè. Nam cùm Deus sit prima ratio universorum, sicut est omnium sine exceptione prima causa ; non est quærenda extra Deum ratio, cur hoc possit, illud vero non possit facere, id velle, istud non. Alioquin oporteret quærere rationem de prima, supremaqne omnium ratione. Quod absurdissimum foret. Quippe tum prima absolutè, & suprema cunctorum ratio aliam supra se priorem, & superiorem haberet. Et sicut primæ, & supremæ quæreretur ratio, ita de hac quæsita posset pariter & alia quæri. Itaque nullus esset finis in quærendo. Quapropter Aristoteles in 4. lib. Metaph. & ibidem suus Commentator Div. Thom. sine discrepantia inter se, dicunt, quòd de hoc universalissimo primoque metaphysico principio, *Impossibile est simul esse & non esse secundum idem*, vera nequeat esse & propria demonstratio : quia nimirum *non possunt omnia demonstrari. Si enim omnia*, inquit D. Thom. *demonstrarentur, cum idem per seipsum non demonstretur, sed per aliud, oporteret esse circulum in demonstrationibus. Quod esse non potest, quia sic idem esset notius, & minus notum... Vel oporteret procedere in infinitum. Sed si in infinitum procederetur, non esset demonstratio : quia quælibet demonstrationis conclusio redditur certa per reductionem ejus in primum demonstrationis principium ; quod non esset, si in infinitum demonstratio sursum procederet &c.* Ob eamdem, immò & fortiorem rationem, non est probanda omnipotentia ab vel ex aliqua ratione distincta ab ipsa omnipotentia secundum rem ; non est probanda, inquam, tamquam à priori : neque aliqua alia ratio prior extra ipsum Deum quærenda est, cur hoc possit, illud non possit : seu proprie loquendo, cur hoc vel illud impossibile sit fieri ab ipso.

10 Et hoc rursum patefit. Nam id principium, *Impossibile est idem simul esse & non esse secundum idem*, vel quod æquivalet, *Impossibile est quodcunque implicat contradictionem*, designatum à Div. Thom. in cit. art. 3. tanquam universalis & certissima judicandi regula, quæ Deus possit, quæ vero non possit, non est absolutè primum principium supra Deum, neque prima absolutè veritas : sed est primum principium inter ea quæ animis nostris insita sunt à creatore Deo ; & prima ve-

ri-

ritas comparativè solùm ad alias veritates creatas ; sicut & prima probandi & demonstrandi ratio solùm quantum ad creaturas , & relatè ad alias rationes inferiores , quæ insint animis nostris , aut quibus imbui noster intellectus potest. Itaque hoc quod dicitur primum principium , non est nisi secundum , si referatur ad Deum : neque prima veritas , sed secunda , cum ipso Deo comparata. Cùm ergo tale principium , utpote creatum & secundum , talisque veritas , quippe quæ non absolutè prima , neque increata sed á creatore facta , necessario sub Deo sit , tanquam sub verè , & absolutè primo omnium principio , atque verè & simpliciter omnium prima veritate, primaque ratione : nequaquam esse regula , & ratio potest ad judicandum de Deo , neque de ipsius attributis, quorum unum est omnipotentia: sed potius per ipsum Deum , ejusque attributa de reliquis omnibus inferioribus veritatibus , principiis , rationibus , regulis , judicium ferendum est , tanquam per omnium , etiam regularum , supremam regulam. Aliàs ; sequeretur illud magnum absurdum , quod in cap. 3. huj. quem præ manibus habemus libri sapientissimè pro simili deducit Author , creaturam scilicet ascendere super creatorem, & judicare de creatore. Omnis quippe regula potius comprehendit sub se regulatum , & supra ipsum est , quàm comprehendatur ab ipso , vel sub eo sit.

11 Itaque omnis secunda , vel à Deo per creationem , factionem , insitionem , infusionem , in mentes rationalium quorumcumque veritas , quantumvis necessaria , infallibilisque videatur, semper tam in necessitate, quàm infallibitate cedat necesse est primæ absolutè veritati , quæ Deus est. Hæc quippe per essentiam & à se sicut est veritas , ita & necessaria & infallibilis : illa vero , scilicet secundæ & creata , quemadmodum est per participationem veritas , sic non per essentiam , neque à se necessitatem aut infallibilitatem habet. Unde veritas est , in quantum particeps primæ divinæ veritatis, & cum ea tamquam cum origine & suprema regula sua conformatur: sic necessaria, infallibilisque est , quatenus partem (ut ita dicam) capit necessitatis , & infallibilitatis divinæ veritatis.

12 Hinc aptè colligitur , adhuc posse investigari , aut quæri , reddique rationem , cur hoc principium , *Impossibile est idem esse , simulque non esse , secundum idem* verissimum , certissimum sit. Potest namque abs dubio responderi , ideo esse tale , quia à solo Deo , qui summa & per essentiam veritas est , & summa , essentialiterque infallibilibilis , insuperque summè , & essentialiter verax , edoctum , & congenitum , aut concreatum sit. Si autem ulterius quæratur ratio , cur Deus summe verax, summa veritas , summè infallibilis , & per essentiam sit ? Nulla est reddenda propriè á priori ratio , nec reddi potest : quia absolutè nulla est.

13 Dicendum est igitur cum Anselmo , vel ex Anselmo : Deus hoc vel illud potest , quoniam omnipotens est : Deus autem illud vel istud non potest , eò quòd sit infinitè potens , nullamque impotentiam habet , neque quidpiam contra ipsum prævalere potest , ut aliquid indecens , indignum, malum, vitiosum , inordinatum , distortum agat. Aut sic reddi ratio potest : Deus hoc potest , quia et summè est potens , et illud vel vult facere , vel velle potuit ; Deus autem illud aut istud non potest , quoniam aut liberè , aut naturaliter , sive essentialiter non vult , seu non esse vult , insuperque infinitè potens sua voluntas est. Nam quod facere decrevit , potest , quia libere voluit et vult : quod vero facere non decrevit , et potuit decernere , ideo potest , quia naturaliter vel essentialiter illud in sua essentia tanquam in causa vult. Sed quod absolutè dicitur impossibile , ideo non potest (tametsi improprie loquendo) quia neque libere, neque naturaliter sive essentialiter illud vult ; sed potius ut non sit nec fiat , essentialiter vult ; & quia est omnipotentissima voluntas. Deus enim naturaliter , & essentialiter vult , ut sua essentia sit variis , & infinitis modis ratio vel idea , sicut innumerabilibus modis ad extra communicabilis , id est , secundum esse & secundum bonum tantummodo , non autem secundum esse et non esse, secundum bonum , & non bonum. Impossibile vero absolutè , si fieret , non modò secundum esse et bonum , sed simul secundum non esse , et non bonum fieret. Hoc autem esset non distinguere esse à non esse, neque bonum à non bono seu negatione boni. Unde iterum juxta Anselmum potest responderi : Deus contradictoria , aut quod implicat contradictionem facere nequit, quia nonnisi sapientissimè , et ordinatissimè potest et vult : sed contradictoria velle esset insipientissimè , et inordinatissimè velle ; quia esset velle confundere lucem cum tenebris, vitam cum morte , bonum cum malo, virtutem cum vitio , verum cum falso , immò esset velle universa confundere.

Si

14 Si hoc quoque quæras: *Cur Deus mentiri nequeat?* Respondendum est: quia Deus nonnisi summa veritate, et summa veracitate vult. Si denique interroges: *Cur Deus peccare non possit?* Ecce quoque responsum: quia Deus nonnisi rectè et justè aut velle aut agere potest; vel quia est ipsa rectitudo atque justitia. Peccare autem fit per defectum rectitudinis, et justitiæ in voluntate irrecta vel injusta. Defectus justitiæ seu rectitudinis voluntatis non potentia nec potentiæ aliquid est, sed impotentia, vel privatio alicujus potestatis, sive fortitudinis, seu virtutis potentiæ voluntatis.

15 S. Petrus Damiani, parens noster, in opusculo de Omnipot. hanc pulcherrimè quæstionem tractat: *Utrum Deus possit facere ut quòd factum fit, factum non fuerit.* Una ex ejus principalibus responsionibus ea est, quam supra ex S. Anselmo cap. 18. lib. 2. *Cur Deus homo* in medium attulimus. Postremò dicit, quòd inspecta Dei æternitate, ubi nihil est præteritum, responderi potest, Deum facere posse ut quod factum est secundum tempus, factum non sit, seu non sit præteritum secundum æternitatem. Itaque concors est cum P. Anselmo: nam totum, quod dicit, nititur in summa Dei veritate, constantissima, potentissimaque voluntate, quæ præteriti, aut facti veritatem voluit esse perpetuam, voluitque ut nunquam veritas confunderetur cum falsitate, aut in falsitatem transmutaretur, sed firmissima et distincta atque separata à falsitate perpetuò maneret. Et forsan Div. Thom. secundum intentionem et occultam mentem ab Anselmo non discordat; sed solùm rationem à signo reddere voluit. Certissimum est, ipsum docere noluisse, aliquam posse reddi rationem à priori, secundum rem, divinæ omnipotentiæ; cùm nulla sit: sed si prædictam rationem dedit tanquam à priori; hæc intelligenda est ab ipso data, non quantum ad rem, sed quantum ad cognitionem nostram, dum in via sumus.

16 Dices tamen. Deus non ideo potest quodcunque facere, quia vel illud vult aut potest velle, sive liberè, sive naturaliter seu essentialiter; sed potius ideo velle quodcumque potest, quia omnipotens est. Ergo non est danda pro ratione voluntas, cur Deus hoc aut illud possit vel non possit, sed potius omnipotentia pro ratione reddenda est, cur istud, vel illud possit velle, vel non possit.

17 Respondeo, quòd talis est potentia Dei ad quodcumque faciendum, ut intelligi nequeat, quin in ipsius intelligentia ingrediatur voluntas Dei: non enim intelligi potest esse potentia de se necessaria, vel ad faciendum quantum est ex parte sui necessariò, & solùm voluntarie ac liberè ex parte voluntatis, ex cujus quasi imperio libero agat; sed ipsa divina omnipotentia de se voluntaria, & libera potentia est, ad voluntariè, & liberè, non necessariò, etiam ex parte sui, faciendum, quidquid facere sibi placuerit. Itaque sine voluntate non est neque intelligi potest divina omnipotentia, non solum ad faciendum re ipsa, sed nec ad posse facere. Verum est igitur omnipotentiam ideo posse hoc vel illud facere, aut non posse facere, quoniam aut facere illud vult, seu velle potest facere; aut non vult, neque velle facere potest.

CAPUT VIII.

Quomodo sit misericors, & impassibilis.

SED & misericors simul, & impassibilis quomodo es? Nam si es impassibilis, non compateris: si non compateris, non est tibi miserum cor ex compassione miseri; quod est esse misericordem. At si non es misericors, unde miseris est tanta consolatio? Quomodo ergo es, & non es misericors, Domine; nisi quia es misericors secundum nos, & non es secundum te? Es quippe secundum sensum nostrum, & non es secundum tuum. Etenim cum tu respicis nos miseros, nos sentimus misericordis effectum; tu non sentis affectum. Et misericors es igitur, quia miseros salvas, & peccatoribus tuis parcis; & misericors non es, quia nulla miseriæ compassione afficeris.

COMMENTARIUS.

CAPIT. VIII.

Sed & misericors simul & impassibilis, quomodo es?

1 Ex proposito nunc difficultatem perscrutatur, in cap. 6. leviter tantùm indicatam. Qui fieri potest, inquit, aut quomodo esse potest, Domine, ut simul, & misericors, & impassibilis sis, cùm hæc duo inter se repugnare videantur? Et tamen si es, ut tam firmiter jam in primis capp. assertum est, quo nihil majus, aut melius cogitari potest, hæc duo simul in te esse conjuncta apparet penitus necessarium. Melius namque abs dubio est, Deum esse simul misericordem & impassibilem, quam non esse misericordem, neque impassibilem.

2 *Nam si es impassibilis &c.* Ratio difficultatis ita proponitur. Si Deus est impassibilis, non compatitur. Qui non compatitur, videtur quòd non sit misericors. Ergo quo pacto Deus misericors est, si passibilis non est? Probatur minor. Qui non compatitur, non est ei miserum cor per compassionem ortum atque conceptam ex aliena miseria. Cujus autem cor non sic ex aliena miseria affectum se habet ac sentit, ut sit ei miserum cor, videtur quòd non sit misericors. Misericordia enim ab eo dicitur quod faciat miserum cor per compassionem alienæ miseriæ. Non itaque videtur Deus simul posse impassibilis esse atque misericors.

3 *At si non est misericors, unde miseris est tanta consolatio?* Ex alia parte, inquit, si Deus non est misericors, miseriam alienam non sublevat: quod manifestissime falsum est. Nam unde, vel ex quo alio advenit miseris tanta consolatio, quantam omnes experimur? Ecce ex utraque parte nudus.

4 *Quomodo ergo es, & non es misericors, Domine, &c.* Et en solutionem. Respondet igitur Anselmus, Deum esse misericordem, quantum ad effectum, non ad affectum compassionis. Est dicere, Deum absque ulla penitus animi mobilitate, aut cordis, voluntatis ve suæ immutatione, absque aliqua tristitia, aliquo ve dolore, idem omnino, sed multo melius, facere, quod nos affectu compassionis, tristitiæ atque doloris sublevando miseriam alienam, facimus. Non tamen hoc sic intelligas, ut in Deo non sit verè, propriè atque formaliter misericordia; eo sensu scilicet ut solùm dicatur misericors, quatenus proprium misericordiæ causat effectum, non tamen sit proprie in eo verum attributum misericordiæ; eum ad modum quo non est formaliter, nec propriè corpus aut corporeum, sed virtute, & efficienter duntaxat, quatenus verum corpus, veraque corporea efficiendo causat. Ne sic Anselmum intelligas. Non hunc potuit admittere errorem. Quod fit manifestum, tum eò quòd in cap. 6. ut vidimus, misericordiam collocat inter perfectiones, quas Scholastici appellant *simplicer simplices*, quas que ipse Anselmus in cap. 15. Monol. designat ac diffinit per hoc quòd sint meliores absolutè, & in omni ipsæ quàm non-ipsæ. Tum etiam ex cap. sequenti hujus libri, ubi inter alia de misericordia Dei colligit, alloquendo Deum sicut monuimus jam facere in toto hoc opere: *Ideo ergo misericors es, quia totus & summè bonus es.* Sensus igitur Anselmi hic est, Deum nempe non eo sensu misericordem esse, quo humana misericordia, à qua hoc nomen acceptum est, juxta naturam mutabilem subjecti, cui inest, misericordia dicitur; sed ea consideratione duntaxat, qua secundum se & ex propriis hæc virtus consideratur. Hoc est, non est in Deo misericordia secundum imperfectum modum, quo in hominibus existit, sibi tamen secundum suam rationem, & notionem diffinitivam, penitus accidentalem: esse vero proprié & formalter in Deo secundum suam propriam, & essentialem perfectionem.

5 Nam, ut inquit Div. Thom. 1. p. q. 13. art. 3. in corp. *Deum cognoscimus ex perfectionibus procedentibus in creaturas ab ipso: quæ quidem perfectiones in Deo sunt secundum eminentiorem modum quàm in creaturis. Intellectus autem noster eo modo apprehendit eas, secundum quod sunt in creaturis, & secundum Quod apprendit, ita significat per nomina. In nominibus igitur quæ Deo attribuimus, est duo considerare, scilicet perfectiones ipsas significatas, ut bonitatem, vitam, & hujusmodi, & modum significandi. Quantum igitur ad id quod significant hujusmodi nomina, propriè competunt Deo, & magis propriè quàm ipsis creaturis; & per*

prius

prius dicuntur de eo. Quantum vero ad modum significandi non propriè dicuntur de Deo: habent enim modum significandi qui creaturis competit. Hæc D. Thom Qui & alibi ait, aliud esse id à quo nomen accipitur ad significandum; aliud ad quod significandum accipitur nomen. Sicut nomen lapidis ex eo dictum est quód pedem lædit, sive derivatnm est à lædendo pedem: ar non lædere pedem significat, sed substantiam lapidis. Sic & misericordiæ nomen, quamvis interpretatum juxta derivationem grammaticalem, eò dicatur quia faciat miserum cor, nihilominus non ad hoc significandum (saltem principaliter) desumptum est, sed ad designandum quandam virtutem inclinantem cor ad sublevandum alienam miseriam.

6 Cæterum confirmare proximius libet Anselmi doctrinam ex Ang. Præcept. cap. 1. p. q. 21. art. 3. ubi expresse & ex proposito quærit: *Utrum misericordia competat Deo?* Et respondet, *Quòd misericordia est Deo maxime tribuenda, tamen secundum effectum, non secundum passionis affectum. Ad cujus evidentiam considerandum est, quòd misericors dicitur aliquis quasi habens miserum cor: quia scilicet afficitur ex miseria alterius per tristitiam, ac si esset ejus propria miseria. Et ex hoc sequitur quod operetur ad depellendam miseriam alterius, sicut miseriam propriam, & est misericordiæ effectus. Tristari ergo de miseria alterius non competit Deo: sed repellere miseriam alterius, hoc maxime ei competit.* Ovum ovo non est similius, quàm hæc doctrina Anselmianæ. At statim aperte indicat Div. Thom. misericordiam esse vere ac proprie, seu formaliter perfectionem Dei. Prosequitur enim: *Defectus autem non tolluntur, nisi per alicujus bonitatis perfectionem. Prima autem origo bonitatis Deus est: Sed considerandum est quòd elargiri perfectiones rebus pertinet quidem, & ad bonitatem divinam, & ad justiam & ad liberalitatem, & misericordiam: tamen secundum aliam, & aliam rationem, &c.* Ubi vides misericordiam à S. Doctore cum aliis proprie, & formaliter perfectionibus Dei connumerari, & quòd dicit, defectus creaturarum non tolli nisi per alicujus bonitatis perfectionem. Unde sequitur S. Doctorem habuisse misericordiam tanquam unam ex perfectionibus bonitatis Dei.

7 Eædem omnino sunt quæstio & responsio apud N. P. Gregor. lib. 20. Moral. cap. 32. juxta edit. Cong. S. Mauri. *Misericordia*, inquit, *à misero corde vocata est, eo quód unusquisque intueatur quempiam miserum, atque ei compatiens, dum dolore animi tangitur, ipse cor miserum facit, ut eum à miseria liberet... Quomodo habet* (Deus) *misericordiam qui cor nunquam miserum habet?... Cùm miseriæ nostræ subvenit, misericors vocatur, quamvis miseriis subveniat, & cor miserum nunquam habeat.* P. August. contra Adimantum cap. 9. derivationem misericordiæ à misero corde ex dolore alienæ miseriæ nomen accipisse his verbis confirmat: *Ex eo appellatam misericordiam dicunt, quòd miserum cor faciat dolentis aliena miseria.*

CAPUT IX.

Quomodo totus justus & summè justus parcat malis, & quòd justè misereatur malis.

VErùm malis quomodo parcis; si es totus justus, & summè justus? Quomodo enim totus justus, & summè justus facis aliquid non justum? Aut quæ justitia est, merenti mortem æternam dare vitam sempiternam? Unde ergo, bone Deus, bone bonis, & malis, unde tibi salvare malos; si hoc non est justum, & tu non facis aliquid non justum? An quia bonitas tua est incomprehensibilis, latet hoc in luce inaccesibili quam inhabitas? Vere in altissimo, & secretissimo bonitatis tuæ latet fons unde manat fluvius misericordiæ tuæ. Nam cùm totus & summè justus sis; tamen idcirco etiam malis benignus es, quia summè totus bonus est. Minùs namque bonus esses, si nulli malo esses benignus. Melior enim est, qui & bo-

bonis, & malis bonus eſt; quàm qui bonis tantùm eſt bonus: & melior eſt, qui malis, & puniendo, & parcendo bonus; quàm qui puniendo tantum. Ideo ergo misericors es, quia totus & summè bonus es. Et cùm forsitan videatur cur bonis bona, & malis mala retribuas: illud certe penitus eſt mirandum, cur tu totus & summè juſtus, & nullo egens, malis, & reis tuis bona tribuas. O altitudo bonitatis tuæ, Deus, & videtur unde ſis misericors, & non pervidetur! Cernitur unde flumen manat & non perspicitur fons unde nascatur. Nam & de plenitudine bonitatis eſt, quia peccatoribus tuis pius es; & in altitudine bonitatis tuæ latet, qua ratione hoc es. Etenim licet bonis bona, & malis mala ex bonitate retribuas; ratio tamen juſtitiæ hoc poſtulare videtur. Cùm vero malis bona tribuis; & scitur quia summè bonus hoc facere voluit, & mirum eſt cur ſummè juſtus hoc velle potuit. O misericordia, de quàm opulenta dulcedine & dulci opulentia nobis profluis! O immenſitas bonitatis Dei, quo affectu amanda es peccatoribus! Juſtos enim salvas juſtitia committante; iſtos vero liberas, juſtitia dominante. Illos, meritis adjuvantibus;, iſtos meritis repugnantibus. Illos, bona quæ dediſti cognoscendo; iſtos mala quæ odiſti ignoscendo. O immenſa bonitas, quæ ſic omnem intellectum excedis, veniat super me misericordia illa, quæ de tanta opulentia tui procedit. Influat in me, quæ profluit de te. Parce per clementiam; ne ulciscaris per juſtitiam. Nam etsi difficile ſit intelligere quomodo misericordia tua non abſit à tua juſtitia: neceſſarium tamen eſt credere quia nequaquam adversatur juſtitiæ, quod exundat ex bonitate, quæ nulla eſt ſine juſtitia, imo verò concordat juſtitiæ. Nempe ſi mericors non es, niſi quia es summè bonus; & summè bonus non es, niſi quia es summè juſtus: vere idcirco es misericors, quia ſummè juſtus es. Adjuva me, juſte & misericors Deus, cujus lucem quæro; adjuva me, ut intelligam quod dico. Verè ergo ideo misericors es, quia juſtus. Ergo nè misericordia tua nascitur ex juſtitia tua? Ergo né parcis malis ex juſtitia? Si ſic eſt, Domine, ſi ſic est, doce me quomodo eſt? An quia juſtum eſt te ſic eſſe bonum, ut nequeas intelligi melior; & ſic potenter operari, ut non possit cogitari potentiùs? Quid enim hoc juſtius? Hoc utique non fieret; ſi eſſes bonus, tantùm retribuendo, & non parcendo: & ſi faceres de non bonis tantùm bonos, & non etiam de malis. Hoc itaque modo juſtum eſt ut parcas malis, & ut facias bonos de malis. Denique, quod non juſtè fit, non debet fieri; & quod non debet fieri, injuſtè fit. Si ergo non juſtè malis misereris, non debes misereri. Et ſi non debes misereri, injuſtè misereris. Quod ſi nefas est dicere; fas est credere te juſtè misereri malis.

COMMENTARIUS.

CAPIT. IX.

Verum malis quomodo parcis; si es totus justus, & summè justus? &c.

1 Anselmus præcedens caput finivit, ajendo Deum duplici ratione eſſe misericordem, & quia salvat homines, & quia iniquis parcit. Nempe quia non ex debito Deus aliquos ad vitam æternam elegit ac prædeſtinavit, quantumvis illi innocentes, ſicut Angeli in sua creatione, supponerentur qui per adeptionem veræ felicitatis á mi-

seria salvandi sunt: & quia insuper non innocentes homines post prævisum Adam. peccatum, sed peccatores salvare decrevit & salvat. Quicumque rationalis naturaliter appetit esse beatus: unde fit ut quandiu beatitudinem non adipiscitur, miser reputetur & sit. At qui præter hoc, aliquo crimine maculantur, multo magis miseri sunt. In eo ergo quòd Deus erga Angelos, qui non peccavere, misericors sit, nullam proponit Anselmus difficultatem: Et revera nulla est. At non parva occurrit in eo, inquit, quòd Deus justus totus, id est, secundum suam totam simplicissimam essentiam, & summè justus cùm sit, iniquis faciat misericordiam, injustis & peccatoribus misericors sit. Injustitia quippe videtur esse quòd supremus judex non solùm non puniat culpas, verumetiam illis parcendo, quasi faveat, & foveat. Saltem hoc, si injustia non est, nulla videtur esse actio justitiæ. Quomodo nihilominus, ò Domine, totus justus et summè justus es? Nam quæ justitia esse potest, vitam dare sempiternam, aut decernere illam dare merenti mortem æternam? Unde ergo, bone Deus, habes, aut tibi congruit salvare malos, si hoc non est justum, & tu nunquam facis aliquid vel injustum, vel non justum?

2 Præterea. Justitia distributiva exigit ut unicuique secundum merita sua, sive bona, sive mala, retribuatur. Deo autem toti justo, & summe justo maxime convenit ut supremo Regi ac Gubernatori distributiva justitia quæ unicuique justa opera sua, seu bona, seu mala retribuat. Non ergo locus videtur esse misericordiæ quæ iniquis parcendo, loco æternæ pœnæ, quam merentur, retribuat eis æternam vitam. Aut si misericordiæ locus est; qualiter Deus justus totus & quidem summè justus est? Hæ sunt quæ contra conjunctionem seu identatem misericordiæ cum Dei justitia, & justitiæ cum misericordia, occurrunt.

3 *An quia bonitas tua est incomprehensibilis &c.* Quibus difficultatibus hinc jam incipit Author satisfacere, & adæquatam parare solutionem. Mentem dicit elevandam esse usque ad incomprehensibilem Dei bonitatem, ut inde agnoscere queat mens nostra, nullam oppositionem inter se habere misericordiam divinam atque justitiam, ut una cum altera unum & idem simplicissimè possint esse. Nam quemadmodum ex uno eodemque fonte profluere queunt in oppositum currentes rivuli, cùm una tamen & eadem in specie, & qualitatibus aqua sit: ita, immò non ita; sed perfectius, sed incomparabiliter simplicius, in eodem immenso fonte divinæ bonitatis idem penitus esse queunt virtutes misericordia & justitia, inclinantes tamen, vel ex sua unaquæque propria ratione petentes, ut diversos et inter se oppositos effectus causent.

4 *Nam cùm totus & summè justus sis, &c.* Prosequitur Anselmus, et dicit, quòd quamvis Deus in omnibus suis tam voluntatibus, seu actibus voluntatis, quàm operationibus, et operibus sit indeclinabiliter, et summè justus, nihilominus tamen, cùm etiam sit undecumque summè bonus, vera exinde præsentatur ratio ut ipsum intelligamus simul, et cum summa simplicitate justum, et misericordem atque benignum. Misericordia quippe et benignitas ex bonitate procedunt, seu potius meræ sunt explicationes bonitatis, quibus ipsa infinita bonitas se ad extra abundè communicat, atque diffundit. Unde Div. Thom. in 1. p. q. 21. art. 3. in corp. ait, quòd *Elargiri perfectiones rebus pertinet quidem & ad bonitatem, & ad justitiam & ad liberalitatem & ad misericordiam: tamen secundum aliam & aliam rationem.*

5 Itaque Anselmus probat Deum non posse non esse talis bonitatis ut non omnes puniat, sed aliquibus parcat; et sic benefaciat, ut ipsos salvet, eisque vitam largiatur æternam. Ut hoc demonstret, ad suum recurrit firmissimum, amplissimumque principium, per quod ab initio libri omnia, quæ Dei sunt, probare sibi proposuit. Deus, inquit, ita bonus est, ut melior cogitari nequeat. Ejus quippe certissima, ut in superioribus toties repetitum est, notio est hæc: *Id quo nihil majus aut melius cogitari potest.* Melior autem sine dubio cogitatur Deus, si bonis et malis, quàm si bonis duntaxat bonus cogitetur. Ergo ipsa bonitas Dei, quia major cogitari non potest, id exigit ut Deus benefaciat bonis et malis. Ergo et parcere aliquibus peccatoribus petit, seu de se habet. Itaque bonitas Dei nequit non esse de se misericors.

6 Deinde, melior est et cogitatur Deus, ait Anselmus, si cogitetur et sit malis aliquibus bonus parcendo, aliis vero non parcendo, sed eos puniendo, quàm vel omnibus veniam concedendo, vel nullis parcendo, sed omnes puniendo. Ergo melior Deus cogitatur, si justus simul et misericors, quam si vel solùm justus, aut solùm misericors cogitetur. *Idea ergo* (colligit Author) *misericors es, quia totus, & summè*

bonus es. Idem et de justitia colligendum est, et virtualiter atque implicité ipse Author colligit. Bonitas itaque Dei utrunque attributum petit. Unde et Christus Dom. in Evang. ait: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.*

7 Et ratio hoc amplius ostendit. Nam cum natura boni sit diffusiva sui, et benefaciendum inclinet; amplior, universalior, et validior ostenditur, dum non modò bonis sed etiam malis benefacit, quàm si solis bonis; dummodo tamen summæ rationi ac sapientiæ non repugnet. At diffusio bonitatis quæ ostenditur in parcendo quibusdam, et quibusdam non parcendo, amplior, universalior, potentior manifestatur, quám vel omnibus, vel nullis parcendo: et aliunde hoc non repugnat summæ rationi atque infinitæ sapientiæ. Sic ergo bonitas Dei melior cogitatur. Recta ratio et sapientia summa tam longé est ut cum hujusmodi pugnet bonitate, quin potius dictat, justitiam non debere esse penitus rigidam, et sine omni clementia aut benignitate. Nam justitia penitus inclemens declinat in sævitiam, neque virtus dicenda est: cùm nihil caritatis, nihil dulcedinis habeat, sed totum amarum et asperum. Ex alia parte æquè dictat, ut misericordia justa sit, neque sic parcat, ut in insensibilitatem (ut ita loquar) degeneret, et audaciam delinquendi potius augeat, quàm prudenter restringat. Ergo ipsa summa ratio ac sapientia potius conciliat utrumque attributum justitiæ, et misericordiæ, quàm cum uno vel cum utrisque simul, pugnet.

8 Dicet quispiam. Absolutè potuit Deus nullis hominibus parcere, sed omnes, nullo excepto, damnare propter peccatum Adami, immò et universos, qui propria voluntate crimen aliquod commississent, sicut reipsa omnes qui deliquerunt Angelos condemnavit: quin propterea Deus minùs bonus esset, aut contra suam bonitatem ageret. Respondeo Deum ita se gerere potuisse quia ipsius bonitas non necessario eum inclinat, sed liberè ad miserendum, et quia nulli, nisi quia ipse vult, debitor est: attamen non est possibile ut ejus bonitas ad liberè miserendum non inclinet, aut etiam tunc non inclinaret. Itaque etiam in ea providentia non exerceretur inclementer justitia sua. *Nunquid obliviscetur misereri Deus*; ait Propheta, *aut continebit in ira sua misericordias suas*? Etiam in inferno non obliviscitur omnino misereri Deus, minùs scilicet puniendo damnatos, quám ipsi demerentur. Ergo sensus nostri Authoris est, tantam et talem debere cogitari bonitatem Dei; ut misertiva simul sit et punitiva; non quòd necessariò aut parcat aut puniat, aut simul quibusdam parcere, & quosdam punire debeat. Unde tanquam rem congruentissimam colligit, meliorem esse providentiam in qua Deus reipsa & bonis & malis beneficus sit, ac benefaciat, quàm si solis bonis esset bonus; & in qua non omnium malorum misereatur, sed aliis parcat, alios puniat; illis vitam æternam, his æternam mortem, juxta uniuscujusque opera, retribuat; quám si vel omnibus misereretur, & parceret, universosque salvaret iniquos, vel à contrario nullis parceret, nullum malum ab æterna morte liberaret, neque salvaret in æterna vita.

9 *O altitudo bonitatis tuæ, Deus, &c.* Exclamat hic Anselmus, dicendo adhuc non per ea, quæ jam exposita sunt, pervideri, id est, adhuc non satis perspicuè videri rationem, cur Deus, licet jam cognoscatur esse misericors, quia totus bonus & summè bonus, sit pius peccatoribus suis, hoc est, contra eum peccantibus, ipsumque graviter offendentibus.

10 *Etenim licet bonis bona, & malis mala, &c.* Causam, seu motivum suæ exclamationis, admirationis, promit. Quòd Deus bona bonis, inquit, & mala malis retribuat, ratio satis in promptu est. Ratio namque justitiæ retribuere unicuique postulat secundum bona vel mala merita sua. Cur autem Deus non modò peccata reis, eos non puniendo, indulgeat, verumetiam bona pro malis tribuat, ratio potius est in admiratione suæ infinitæ & incomprehensibilis bonitatis, quàm in cognitionis nostræ inventione. Hoc certissimè scimus, Deum, quia summè bonus est, hoc facere voluisse: quâ vero ratione, cùm summè itidem justus sit, hoc velle potuerit, potius miramur quam scimus. Nam licet justitia admittat, ut fiat aliquibus malis & aliquoties misericordia, vel partem vel totam relaxando pœnam; nulla sufficiens, nisi ex profunda meditatione, ratio occurrit, cur summa permittat justitia, ut æque bonum, immó & magis bonum Deus se malis ostendat, quàm bonis. Remittere enim Deum peccata & ad gratiam suam peccatores inimicos suos per seipsum convertere & amplectendo admittere, infinitum beneficium est, atque adeo majus & mirabilius, quám non malis gratiam conferre, ipsosque in bono servare, ac denique in gloria constitutos in æternum salvare. Quid, si

hæc

hæc quoque beneficia etiam peccatoribus, ex inimicis factis amicis, pariter conferat, sicut revera confert? Hæc omnia certe omnem excedunt admirationem. Recole parabolam de filio prodigo.

11 *Justos enim salvas, justitia comitante; istos vero liberas, justitia dominante, &c.* Hoc tam profundum arcanum Author nobis quodammodo aperire conatur, dicendo, quod dupliciter est in Deo justitia consideranda: sicut in quocunque homine legislatore considerari solet: immò & eminentiori modo in Deo, quàm in quolibet alio legislatore. Primò consideranda est ut operans juxta faciles, ordinarias, communes, & consentaneas rerum naturæ, aptitudini, proportioni, inclinationi, meritis, aut dignitati, regulas. Secundò veluti agens, aut potens agere super universas tales regulas. In primo sensu Deus justos salvat: quia ipsos justos comittatur justitia, id est, jus proportionis, condignitatis, vel gratiæ, vel simul gratiæ & meritorum. In secundo autem salvat peccatores, in primis à peccato gratiam ipsis infundendo, per quam justificentur: deinde à miseria, elargiendo iisdem vitam æternam, ad quam digni per gratiam facti sunt. In primo sensu operatur Deus per ordinarias & communes regulas; sicut justos, id est, Angelos qui nunquam fuere peccatores, per illas communes regulas salvos fecit, quia nunquam indigni, sed digni ex gratia & meritis fuerunt ut salvarentur: unde ex parte quoque ipsorum ratio fuit, si non ut eligerentur, & ad vitam æternam prædestinarentur, saltem ut ipsam vitam æternam adipiscerentur. Itaque non solùm non fuit ulla ex parte ipsorum, ut salvarentur à Deo, repugnantia, quin potius quoddam fuit juvamen, quatenus eorum condigna merita hoc exigebant. Quapropter Deus justa naturam gratiæ, & meritorum, atque proinde juxta ordinarias & communes distributivæ justitiæ regulas egit. In peccatoribus autem hominibus, præcipuè adultis propria jam crimina habentibus, Deus salutem non juxta communes & ordinarias justitiæ regulas operatur, sed super has justitiæ leges liberè egit tanquam supremus Dominus & supremè justus legislator: quia non modò nulla causa juvans, seu meritoria ex parte ipsorum est, aut saltem ad prima beneficia sive auxilia quædam aptitudo non repugnantiæ, sed potius magna oppositio, propter repugnantiam demeritorum, perditionem & æternam damnationem de se exigentium. Itaque & communes justitiæ leges hanc exigebant. Ergo Deus eos potius a peccatis absolvens per osculum & amplexum suæ gratiæ, quàm condemnans, super illas communes, sive ordinarias justitiæ leges, & regulas, ut supremus Dominus, & suprema lex et regula egit. Et hæc est quam vocat Author dominantem justitiam.

12 *Nam etsi difficile sit intelligere, quomodo misericordia tua non absit à tua justitia, &c.* Propter hanc intelligentiæ difficultatem, alii, ut Thomistæ, ad suam virtualem distinctionem, vel rationis, sic vel sic fundatæ, alii, ut Scotistæ, ad suam formalem ex natura rei, recurrunt, confugiunt. Anselmus vero noster nequaquam sibi egère videtur, nisi, ad summum, distinctione rationis ex parte nostri se habente duntaxat, in angustiisque capacitatis nostræ fundata. Etiamsi ad 18. cap. huj. lib. neque ad 17. Monolog. adtendere nolimus, sufficit nobis, ut hoc quod dicimus, probemus, ad hæc sola respicere verba quæ cum aliis nunc versamur. *Nempe si misericors non es, nisi quia es summè bonus; & summè bonus non es, nisi quia es summè justus: vere idcirco es misericors quia summè justus es.* Accipe illa, candidate, in forma dialectica, amplius expressa. Deus inde misericors est, unde summè bonus est; ut ex supra dictis constat, et ex summa Dei simplicitate. Ast et inde summe bonus est, unde summè est justus. Ergo inde est misericors, unde summè justus est. Secunda syllogismi propositio est pariter vera, non solum propter summam simplicitatem, sed etiam quia si justitia ex sua propria ratione specialiter, nedum communiter, bona est; summa justitia quid erit, nisi speciali bonitate, et non solùm communi, summe bona? Si autem summè bona; ergo et summa bonitas. Recta igitur est Anselmi argumentatio. Quæ et confirmatur ex confratre suo, non solùm per gratiam et caritatem, sed etiam Religionis Monasticæ professionem, Par. Bern. serm. 80. in cant. ajente de Deo: *Nec enim aliunde bonus, quàm unde magnus; nec aliunde justus aut sapiens, quàm unde magnus & bonus; nec aliunde denique simul hæc omnia est, quàm unde Deus, & hoc quoque nonnisi seipso.*

13 *Verè ergo ideo misericors es, quia justus &c.* Justitia de qua hîc verba facit Anselmus, non est sicut justitia particularis, quæ à D. Thoma secundum Philosophum designatur in 2a. 2æ. q. 58. art. 7. virtus quædam specialis, qua unus homo ut singularis persona ad alterum, veluti personam quoque singularem, debitè, ac

or-

ordinate se habet in reddendo illi quod suum est: sed vel est generalis supereminens justitia, quæ bonum commune tanquam proprium objectum attendit, ac de illo curat, de qua justitia agit quoque D. Thom. cit. p. et q. art. 5. in quantum concessio veniæ reis seriò pœnitentibus in bonum commune vergat, gloriam in primis Dei, posteaque Sanctorum, et in utilitatem aliorum huius mundi hominum: vel potius est justitia, non sicut virtus moralis, sed Theologica et propria Dei. Quippe Deus semper et vult et operatur propter semetipsum, nihil veri motivi extra se capiens. Illa denique justitia est, quam in dial. de Verit. cap. 12. definit Anselmus: *Rectitudo voluntatis propter se servata*: quamque solam attribuere formaliter Deo Div. Thom. in tota q. 21. p. 1. videtur. Quapropter cùm bonitas Dei præscindi præcisione perfecta metaphysica ab hac universalissima justitia vel rectitudine nequaquam possit: certissimè inde consequitur Deum esse summè bonum, quia summè est justus; et summè justum esse, quia summè bonus est. Unde et sequitur, quòd cum sit misericors, quia summè bonus, pariter sit misericors, quia summè est justus; vel non aliunde misericors, quàm unde justus; nec aliunde justus, quàm unde misericors. Propter hanc summam unitatem, sive identitatem ait ipse Anselm. in cit. dial. de Verit. cap. 10. *summam veritatem nihil aliud esse quam rectitudinem.*

15 *Ergo ne parcis malis ex justitia? &c.* Procedit ultra noster Author, colligendo ex dictis hanc propositionem esse veram: Deus ex justitia peccatoribus parcit. Non tamen hanc intelligas sic ab Authore dictam, ut docere velit, (quod absit) Deum ex justitia peccatorum parcere iisdem: sed solùm ex justitia ipsius Dei. Nimirum quia iustum est, et essentialiter debitum Deo, ut ita bonus sit, quòd nequeat intelligi melior: sicut etiam ita potenter operari, quòd nihil possit cogitari potentius. At non esset ita bonus nec ita potenter, si duntaxat foret bonus ad retribuendum sive pœnam, sive præmium, et non ad parcendum, sic ut de malis et peccatoribus valeret facere justos et bonos. Ergo ex justitia debita Deo, veniam et gratiam largitur peccatoribus ipse Deus. Quæ Authoris doctrina ex Apostolo confirmatur ajente: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Et ab Ecclesia in sua collecta: *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime, & miserando manifestas &c.* Ceterum moneo te lector, advertas, per hæc Authoris verba, *si faceres de non bonis tantum bonos, & non etiam de malis*, S. Doctorem aperte significare nullum, sive Angelum, sive hominem, esse vel naturaliter bonum bonitate justitiæ seu rectitudinis voluntatis, vel naturaliter malum: quod ultimum Manichæi de hominibus asserebant, et vi ex suis falsis principiis consequentiæ etiam hoc de dæmonibus intelligebant. Utrumque errorem jam à primis sæculis Ecclesiæ damnatum, iterum, licet indirectè, damnavit generale Concilium quartum Lateranense sub Innocentio III. in cap. *Firmiter, de Summa Trinitate* relatum. *Diabolus*, inquit, *& alii dæmones à Deo quidem naturâ creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali. Homo vero diaboli suggestione peccavit.* At Author noster non hic solùm, sed aliis in locis utrumque ex proposito errorem convellit: quatenus scilicet ea probando firmat quæ cum Manichæorum et Pelagianorum principiis pugnant.

16 *Denique quod non justè fit, non debet fieri &c.* Alia ratione probat Deum ex iustitia ipsius Dei, non autem hominum, parcere peccatoribus; à sensus nempe contrario desumpta probatione. In his quippe, ait, quæ rationabiliter, aut quæ à consilio fiunt, quicquid fit, vel debet fieri, vel non debet. Si debet; justè fit: si autem non debet; injustè fit. Deus autem ex deliberatione consilii miseretur. Ergo vel misereri debet, vel non debet. Si non debet; injustè miseretur: quod nefas est dicere. Si autem misereri debet; justè miseretur. Ergo Deus justè parcit peccatoribus, justè malorum miseretur. Quod autem justè fit, nonnisi ex justa voluntate procedit. Igitur Deus peccatoribus parcit et miseretur justa voluntate, et ex justa voluntate. Confer dialog. de Verit. in capp. 8. atque 12. Et Div. Thomam in 1. p. q. 21. art. 1. ad 3. cujus verba in commentario cap. seq. transcribemus.

17 Totam autem præsentis capitis litteram ex aliis Patribus confirmare debemus. Primus accedat S. Hilarius tract. in Psalm. 144. juxta edit. doctiss. Coutant. Congregat. S. Mauri. *Magnitudinis*, inquit in num. 12. *infinitæ est, in Deo quod terribile est, suave esse; & quod suave est, esse terribile. Magnitudo autem non habet modum: ne si moderata sit, jam magnitudo non sit per id quod modo non caret.* Et num. 13. *Infinita quidem est memoria & abundantia suavitatis; quia nequaquam Deus aut obliviscitur esse suavis aut desinit; sed infinitatem memoriæ atque abundan-*

tiæ

tiæ justitia interjecta moderatur. Et num. 14. *Justitia quidem* (ſupple, bonitatis, ut rectè advertit Editor) *recta atque utilis est: sed tamen eadem ipsa aliquando prædura est; ita ut ſibi uti bonitate non liceat, dum pro diversitate judicii decernendo quod justum est, ſit severa. Sed Dei justitia justitiæ non coæquatur humanæ. Neque enim naturæ legi subdita est, per quam est lex statuta naturæ: ut necessitatem non habeat, bona non eſſe, cùm justa ſit. Habet Dei justitia miserandi voluntatem; neque tamen per miſerandi voluntatem ita à sè erit demutata, ne justa ſit.* Quàm pulchre Hilarius hæc omnia!

18 Ceterum in num. 15. addit, hanc misericordiæ et justitiæ conjunctionem, ſive unitatem vel identitatem, præ omnibus Dei operibus in Deo eſſe admirandam atque laudandam. Sed præstat ipsum S. Doctorem magnificè, eleganterque loquentem audire. *Hoc in Deo*, ait, *præcipuum, hoc in potente laudandum; non Cœlum fecisse, quia potens est; non terram fundaſſe, quia virtus est; non annum astris temperaſſe, quia sapiens est; non hominem animaſſe, quia vita est; non mare in acceſſus ac deceſſus moviſſe, quia Spiritus est: sed misericordem eſſe, qui justus est; sed miserantem eſſe, qui Rex est; sed dissimulantem eſſe qui Deus est.*

19 Accedat quoque S. Antistes et Martyr Irenæus, Hilario antiquior. In lib. 3. contra hæreses cap. 25. num. 2. iuxta edit. doctiſs. Maſſuet. laudatiss. Congreg. S. Maur. ait: *Rursus ut increpativum* (id est, potestatem seu vim redarguendi, et judicandi, vel vim puniendi, ut Maſſuetus cum Fevardentio interpretatur.) *auferrent à Patre & judiciale, indignum id Deo putantes, & sine iracundia & bonum arbitrantes se adinveniſſe Deum, alterum quidem judicare & alterum quidem salvare* (Hæretici) *dixerunt; nescientes, utrorumque auferentes sensum & justitiam. Si enim judicialis, non & bonus sit, ad donandum quidem his, quibus debet, & ad exprobandum his, quibus oportet, neque justus, neque sapiens videbitur judex. Rursus bonus, ſi hoc tantùm ſit bonus, non & probator, in quos immitat bonitatem, extra justitiam erit, & bonitatem, & infirma bonitas ejus videbitur, non omnes salvans, ſi non cum judicio ſiat.*

20 Et num. 3. *Marcion igitur ipse dividens Deum in Deo, alterum quidem bonum, & alterum judicialem dicens, ex utrisque interimit Deum. Hic enim qui judicialis, si non & bonus ſit, non est Deus, quia Deus non est, cui bonitas desit: & ille rursus qui bonus, si non est judicialis, idem quod hic patietur, ut auferatur ei ne ſit Deus.*

21 Accedat denique Origines, cujus verba huc affero ex annotationibus super cap. cit. Irenæi, quas junctas exhibet editio Venetiana Maſſueti in 2. tom. *Quidam vero*, ait Origines, *alium Deum aſſerentes præter mundi Opificem, hunc quidem justum eſſe volunt, sed non bonum: stultè quidem & impiè, quum justitiam à bonitate separant, & à justitia bonitatem.* Ecce quàm ſapienter dixit Anselmus bonitatem nullam eſſe ſine justitia, nimirum bonitatem laude dignam, aut propter quam subjectum ſit laudabile: et Deum eſſe summè bonum, quia summè juſtus; atque summè eſſe misericordem, quia summè justus est. *Nempe* (repeto) *si misericors non est, nisi quia est summè bonus, & summè bonus non est, nisi quia est summè justus: vere idcirco est misericors, quia summè justus est.*

CAPUT X.

Quomodo juſtè puniat, & juſtè parcat malis.

SED & juſtum eſt ut malos puniat: quid namque juſtius, quàm ut boni bona, mali mala recipiant? Quomodo ergo & juſtum eſt ut malos punias; & juſtum eſt ut malis parcas? An alio modo juſtè punis malos, & alio modo juſtè parcis malis? Cùm enim punis malos, juſtum eſt; quia illorum meritis convenit: cùm vero parcis malis, juſtum eſt; non quia illorum meritis, sed quia bonitati tuæ condecens eſt. Nam parcendo malis ita juſtus es secundum te & non secundum nos; ſicut misericors es

secundum nos, & non secundum te: quoniam salvando nos quos justé perderes, sicut misericors es, non quia tu sentias affectum, sed quia nos sentimus effectum; ita justus es, non quia nobis reddas debitum, sed quia facis quod decet te summé bonum. Sic itaque sine repugnantia justé punis & juste parcis.

COMMENTARIUS.

CAPIT. X.

Sed & justum est, ut malos punias &c.

1 Persequitur Author in hoc cap. materiam antecedentis: cui finem impossuit deducendo tanquam ultimam consequentiam, Deum justé, quibus vult, misereri, peccata dimittere, & suam gratiam concedere: vel quod idem est, *justè misereri malis.* In hoc autem elevat, promovetque discursum meditationis & ait: At justum est quoque, Deus, ut crimina punias: cùm nihil secundum distributivam, & vindicativam justitiam magis justum quàm quod unusquisque juxta sua mala opera pœnam sustineat. Sicut nihil quoque justius, secundum distributivam justitiam, quàm quòd boni juxta sua bona opera præmium recipiant. Si autem nihil justius quàm quòd mali mala recipiant; quàm quòd meritas pœnas luant: quomodo ergo, inquit Anselmus, justum est, secundum dicta in antecedenti capite, ut malis parcat Deus? Quædam contradictio in hoc esse videtur, quod nimirum, & justum sit Deum misereri parcendo peccatoribus; & justùm quoque sit Deum peccatoribus non parcere, sed eos potius punire. Ecce replicam adversus dicta proximè in antec. cap.

2 *An alio modo, justè punis malos, & alio justè parcis malis?* En quoque solutionem. Nulla est, inquit, oppositio in eo quòd Deus & malos sive peccatores puniat; & justé misereatur & parcat iniquis: eò quod non sit utrumque in eodem sensu, vel secundum idem jus, sive rationem, quamvis non secundum distinctam in Deo justitiam. Et quare ita? Atende quod sequitur.

3 *Cùm enim punis*, inquit, *malos, justum est; quia illorum meritis convenit: cùm vero parcis malis, justum est; non quia illorum meritis, sed quia bonitati tuæ concedens est.* Nimirum parcit Deus secundum jus quòd ipse intrinsecùs habet, & secundum quod suæ maximè bonitati debetur: punit vero secundum jus legum creaturis impositarum, & secundum quod ipsarum criminibus ac peccatis correspondet, atque debetur. Appositè Div. Thom. in 1. p. q. 21. art. 1. ad 3. "Debitum, ait, attendi potest dupliciter in operatione divina. Aut secundum quod aliquid debetur Deo, aut secundum quod aliquid debetur rei creatæ. Et utroque modo Deus debitum reddit. Debitum enim est Deo ut impleatur in rebus id quod ejus sapientia, & voluntas habet, & quod suam bonitatem manifestat. Et secundum hoc justitia Dei requirit decentiam ipsius, secundum quam reddit sibi quod sibi debetur. Debitum etiam est alicui rei creatæ, quòd habeat id quòd ad ipsam ordinatur. Sicut homini quòd habeat manus, & quòd ei alia animalia serviant. Et sic etiam Deus operatur justitiam, quando dat unicuique quod ei debetur secundum rationem suæ naturæ, & conditionis. Sed hoc debitum dependet ex primo: quia hoc unicuique debetur, quod est ordinatum ad ipsum, secundum ordinem divinæ sapientiæ. Et licet Deus hoc modo debitum alicui det, non tamen ipse est debitor, quia ipse ad alia non ordinatur, sed potius alia in ipsum. Et ideo justitia quandoque dicitur in Deo condecentia suæ bonitatis: quandoque vero retributio pro meritis. Et utrumque modum tangit Anselmus dicens: *Cùm punis malos, justum est, quia illorum meritis convenit. Cùm vero parcis malis, justum est, quia bonitati tuæ condecens est.* Sed in hac verborum secunda parte hæc à Div. Thoma, vel Typographo, vel translatore codicis omissa sunt: *Non quia illorum meritis.* Unde sic corrigendum est & legendum: *Cum punis malos, justum est; quia illorum meritis convenit: cùm vero parcis malis, justum est; non quia illorum meritis, sed quia bonitati tuæ condecens est.*

Nam

4 *Nam parcendo malis, ita justus es secundum Te, & non secundum nos; sicut misericors es secundum nos, & non secundum Te, &c.* Redditum responsum explicat Anselmus exemplo misericordiæ divinæ, de qua actum est in cap. 8. Nempe sicut ibi dictum est, misericordem esse Deum, non quantum ad affectum compassionis quæ illam in nobis virtutem comitatur, sed quia Deus ex sua natura infinitè bona facit ut nos sentiamus vel experiamur effectum misericordiæ, ac si ipse sentiret in semetipso compassionis affectum: ita è converso Deus justum se exhibet, & ostendit reis parcendo; non quia nobis reddat debitum, quod est effectum justitiæ proprium, sed quoniam ex voluntate reddendi bonitati suæ quod jure condecentiæ sibi debetur, veniam & gratiam reis indulget. *Sic itaque*, ait Anselmus, *sine repugnantia justè punis & justè parcis.*

CAPUT XI.

Quomodo universæ viæ Domini misericordia & veritas & tamen justus Dominus in omnibus viis suis.

SED numquid etiam non est justum secundum te, Domine, ut malos punias? Justum quippe est, te sic esse justum, ut justior nequeas cogitari; quod nequaquam esses; si tantùm bonis bona & non malis mala redderes. Justior enim est qui & bonis & malis quàm qui bonis tantùm merita retribuit. Justum igitur est secundum te, justè & benigne Deus, & cùm punis & cùm parcis. Vere igitur *universæ viæ Domini misericordia & veritas*: & tamen *justus Dominus in omnibus viis suis.* Et utique sine repugnantia; quia quos vis punire, non est justum salvari; & quibus vis parcere, non est justum damnari. Nam id solùm justum est, quod vis; & non justum, quod non vis. Sic ergo nascitur de justitia tua, misericordia tua: quia justum est te sic esse bonum ut & parcendo sis bonus: & hoc forsitan est, cur summè justus potest velle bona malis. Sed si utcumque capi potest, cur malos potes velle salvare: illud certe nulla ratione comprehendi potest, cur de similibus malis hos magis salves quàm illos, per summam bonitatem; & illos magis damnes, quàm istos, per summam justitiam. Sic ergo verè es sensibilis, omnipotens, misericors & impassibilis: quemadmodum vivens, sapiens, bonus, beatus, æternus; & quicquid melius est esse, quàm non-esse.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XI.

Sed nunquid etiam non est justum secundum Te, Domine, ut malos punias?

1 Promovet adhuc ultra suam Author meditationem, simul & excitando alterum dubium, & quod sentiendum sit cunctis pandendo. Dixit, ut vidimus in proximo cap. Deum, cùm punit malos, justum esse, seu justum se ostendere, quia punitio, pœna ve meritis convenit iniquorum. Etiam Deum, quando veniam peccantibus indulget, justum esse secundum se, quia hoc suæ ipsius congruit summæ bonitati, non quia convenit meritis ipsorum. Ex quasi contrapositione dubitatio animum subit, vel in mentem venire potest, num pœnam, & supplicium iniquis infligere, ipsosque acerbè torquere, summam Dei deceat, an dedeceat bonitatem? Vel saltem iniquos cruciare

utrum

utrum sit contra ipsam immensam Dei bonitatem & benignitatem, ita ut quasi invitus hoc faciat, provocatus scilicet & quodammodo coactus á multitudine, & magnitudine iniquitatum?

2 Et certe jam in comment. sup. cap. 9. vidimus, vel didicimus à S. Martyre Irenæo, atque ab Origine, aliquos fuisse, inter quos Marcion, stultissimos hæreticos, qui duos sibi fingebant deos, unum supremum nihil facientem, nihil ea, quæ sunt Mundi, curantem; alterum sub illo existentem, orbis conditorem. Supremum naturâ bonum dicebant, ideoque ab eo judicium increpativum, aut punitivum malorum, si hoc contra bonitatis naturam esset, amovebant, rejiciebant: alterum vero tanquam malum authoremque malorum, judicem ad puniendum malitiam, constituebant. Hi nempe infelices non intelligebant, quòd quamvis pœna in nocumentum pravorum sit instituta, nihilominus Reipublicæ bona sit, atque proficua, tum ad aliorum coercenda peccata, tum ad ordinandum ipsum peccatum, tum ad discernendum inter bona, malaque opera, tum ad satisfaciendum offensam, injuriamque patientibus, atque sic glorificandum bonorum, justorumque rectitudinem & innocentiam. Neque advertebant stulti, tormentum inferri pravis propter has causas, sive rationes, ex bona procedere voluntate: neque opus esse aliqua perturbante iracundia, aut interna animi inquietudine, ad ferendum in criminosos sententiam; sed hoc à Deo fieri posse, sicuti revera sit, magna cum tranquilitate. Ex hoc enim præcipuè Marcionis suorumque sequacium errorem procesisse, colligitur ex his verbis Irenæi: *Indignum id Deo putantes, & sine iracundia, & bonum arbitrantes se adinvenisse Deum.* Ex illis Tertuliani Præscript. cap. 7. *Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate.* Stultè quidem & impiè, uti inquiebat quoque Origines; cùm justitiam á bonitate separarent, & à bonitate justitiam. Quid autem justius, atque adeo melius, quàm vindicare leges, simulque innocentiam? Rectè ergo dicit Anselmus: *Sed nunquid, Domine, etiam non est justum secundum Te, ut malos punias?*

3 *Justum quippe est, Te sic esse justum, ut justior nequeas cogitari, &c.* Non vult Anselmus improbatum manere quod asserit. Nam illud ex suo ad omnia, ut in principio diximus, parato principio sic statim demonstrat. Justum & debitum divinæ substantiæ est, ut Deus semel ac ipsi congruat justitia, veluti congruere nihil magis liquidum, & rationabile est, ita sit justus, ut justior nequeat cogitari. Deus enim is, sicut sæpissime dictum est, cogitari debet quo nihil melius valeas cogitari. At justior cogitatur Deus qui necdum bona merita remuneret, verum & mala castiget, et quæ non condonare, sed castigare conveniat; quàm si tantum bonis bona, & non malis mala quandoque retribueret; dum scilicet ita facere congruit. Ergo de natura Dei est & secundum eam, ut Deus cum multis iniquis agat, secundum quod merentur prava opera sua. Quód autem justior sit qui tum remunerator, tum vindex judex sit, quàm qui remunerare scit tantùm, nunquam vero vindictam de malis seu iniquitatibus facere, ex eo patet, quòd alii considerent vindicativam justitiam virtutem specialem præter remunerativam; alii vero saltem aliquid perfectionis intra eamdem speciem præseferre constanter asseruerint.

4 *Vere igitur universæ viæ Domini misericordia & veritas; & tamen justus Dominus in omnibus viis suis.* Prima verba desumpta sunt ab Authore ex Psalmo 24. ultima vero ex Psalmo 144. Dicit itaque Author, quòd introspectis quæ hucusque de misericordia & justitia Dei asserta atque expositа sunt, intelligetur etiam qualiter hi duo in speciem contrarij textus Prophetæ apprimè concordes adinvicem loquantur. Nam via misericordiæ via quoque justitiæ erit; & similiter Deus erit justus etiam dum miseretur, secundum modum quem in his tribus capp. sufficienti exposuit Anselmus claritate ac soliditate, nosque illustriorem reddere pro viribuus conati sumus.

5 D. Thom. qui non alium Patrem in conspectu magis habuisse videtur dum quæstionem 21. in 1. part. scripsit, quàm nostrum Anselmum, in art. 4. quærit: *Utrum in omnibus operibus Dei sit Misericordia & justitia.* Affirmativè, sicut Anselmus, resolvit; pariterque ex præjacto textu Psalm. 24. suam probat resolutionem. Unde dicit in corp. art. *quia necesse est, quòd in quolibet opere Dei misericordia & veritas inveniantur. Si tamen misericordia pro remotione cujuscumque defectus accipiatur; quamvis non omnis defectus propriè possit dici miseria, sed solum defectus rationalis naturæ, quam contingit esse felicem; nam miseria felicitati opponitur.* Rationem in consequentibus statim subdit conformiter ad ea quæ in Commentario super capp. 9. & 10. de ipso S. Doct. sumpsimus. Unde ad 1. idque præcipuum argumentum

res-

respondet, *quòd quædam opera attribuuntur justitiæ, & quædam misericordiæ: quia in quibusdam vehementius apparet justitia, in quibusdam misericordia. Et tamen in damnatione reproborum apparet misericordia: non quidem totaliter relaxans, sed aliqualiter allevians, dum punit citra condignum. Et in justificatione impij apparet justitia, dum culpas relaxat propter dilectionem, quam tamen ipse misericorditer infundit. Sicut de Magdalena legitur, Lucæ 7. cap. Dimissa sunt ei peccata multa quoniam dilexit multum.*

6 Quàm pulchrè omnia hæc coronabit Hilarius in Psalm. 144. num. 17. juxta editionem Congregationis S. Mauri. „ Mirabile, ait, quidem est, Sanctitatem „ nihil sibi proficientem in usum alienæ beatitudinis exuberare: sed mirabilius est Sanc„ titatem plenam esse terroris; ne si non indiscretam se utentibus aut abundantibus „ præstet, dum bonis ac malis promiscua est, & tamquam ex naturæ necessitate se præ„ bens, admirationem non habeat sanctitatis. Et idcirco mox subdit; *Et virtutem ter„ ribilium tuorum dicent*; ut sanctitatem loquentes, & mirabilia narrantes, dicant quo„ que terribilium virtutem, media admiratione inter sanctitatem atque terrorem, dum „ & terror suavis, & terribilis suavitas admirabilem facit & terrorem suavem, & ter„ ribilem suavitatem. Hilarius hucusque. O! si hanc tam suavem terribilemque doctrinam præ oculis Marcion cum suis habuisset similibus.

7 *Et utique sine repugnantia: quia quos vis punire, non est justum salvari; & quibus vis parcere non est justum damnari. Nam id solum justum est, quod vis: & non justum quod non vis.*) Probat iterum atque postremò noster Author, nullam implicari repugnantiam in eo quòd Deus etiam miserendo sit justus, aut justitiam faciat. Et ratio est. Quia id solum justum est quod Deus vult; & non justum, quod ipse non vult. Ergo quos voluerit Deus punire, non est justum ut salventur: sicut etiam quibus peccata remittere voluerit, non est justum ut damnentur. Antecedens tanquam certum Author relinquit improbatum. Et quare? Quia nempe certum penitus & manifestum est, voluntatem Dei per semetipsam esse rectam, primam esse rectitudinis regulam, cùm illa non habeat supra se legem, sed ipsa sibimetipsi est lex, omnibus rebus legem imponens, & per quam legum conditores justa decernunt. Ergo ipsa est prima justi & omnis justitiæ causa; sicut in reliquis omnibus prima causa indubitanter est. Ergo non est inquirendum aliquid aliud ab ipsa propter quod aut juxta quod dicenda sit justa: sed potius ipsa sola, tamquam prima, & essentialis rectitudo ac lex, consulenda est, ad dijudicandum quidnam justum & rectum sit, quid vero secùs. Rectè igitur colligit Author quodnam sit justum, & quodnam justum non sit, ex voluntate Dei illud volentis; nempe justum esse quidquid Deus vult; non autem justum, quidquid Deus non vult.

8 Hinc tamen lector, ne colligas, quòd si vera est doctrina Authoris, omne quidquid injustum & peccatum est, non ob aliam causam, originaliter saltem, injustum et malum erit, nisi propter voluntatem Dei, qui non vult illud bonum aut justum esse: atque adeo si vellet ipse; quidquid nunc injustum et pravum est, esset tunc casùs bonum, rectum atque justum. Ex quo deinde sequeretur, quòd si Deus vellet (quod absit) aliquando mentiri, seu vellet ut nos mentiremur, esset tunc temporis licitum, bonum, et justum mendacium.

9 Non, inquam, ex mente Authoris hoc colligas. Nam præterquam quòd satis verborum sensus per materiam, de qua agit, omnino de se indifferentem, & liberam, arcetur, limitatur; mentem ipse suam aperit lib. 1. cur Deus homo cap. 12. Cum enim ibi objiceret sibi ipse, agens personam discipuli, *cùm nihil fit rectum, aut decens, nisi quod ipse vult; mirum videtur, si dicimus, quia nullatenus vult, aut ei licet injuriam suam dimittere*, respondet: *quod autem dicitur quia quod vult justum est, & quod non vult, justum non est; non ita intelligendum est, ut si Deus velit quodlibet inconveniens, justum sit, quia ipse vult. Non enim sequitur, si Deus vult mentiri, justum esse mentiri; sed potius Deum illum non esse. Cùm ergo dicitur, Deus vult mentiri; non est aliud, quàm si Deus est talis natura, quæ velit mentiri; idcirco non sequitur, justum esse mendacium, nisi ita intelligatur, sicut cùm de duabus impossibilibus dicimus: si hoc est, illud est: quia nec hoc, nec illud est: ut si quis dicat: si aqua est sicca, & ignis est humidus: neutrum enim verum est. Itaque de illis tantum est verum dicere: si Deus hoc vult, justum est; quæ Deum velle non est inconveniens. Si enim vult Deus, ut pluat, justum est ut pluat: & si vult ne aliquis homo occidatur, justum est ut occidatur.*

10 Div. Thom. in 1. Sententiar. dist. 42. q. 2. art. 1. sibi objicit ex Philosopho in 4. Top. cap. 3. *Quòd Deus, & etiam studiosus potest prava agere.* Et propria mente (exhibet etiam aliorum) respondet, *quòd loquitur conditionaliter, ut intelligatur, si vellet; cujus conditionalis & antecedens est impossibile, & consequens: & hoc non est inconveniens, sicut hæc: Si centum sunt minus quàm quinque, sunt minus, quàm decem.* Quæ responsio satis cum Anselmi doctrina convenit.

11 Sciendum verumtamen est, Authorem nostrum adhuc in his, quæ inconveniens nullum, id est, nihil essentialiter inordinatum, et malum præseferunt, nequaquam sic divinam intelligere voluntatem, ut eam ab intellectus ratione ac sapientia separet in volendo quidquid vult; sed prælucente semper divina sapientia, voluntas divina vult. *Sufficere nobis debet*, ait in cap. 8. lib. 1. *Cur Deus Homo, ad rationem voluntas Dei, cum aliquid facit; licèt non videamus, cur ita velit: voluntas namque Dei nunquam est irrationabilis.* Unde illa quæ inseparabiliter operantur, ex lege conexionis, uno intellecto, aut expresso, aliud conexum, quamvis non exprimatur, satis intelligitur. Propter hoc etiam quæcumque in Scripturis uni personæ divinæ, tacitis eò loci aliis duabus, operatio *ad extra* tribuitur, aliæ quoque personæ divinæ in communionem indiscrepantem necessariò vocantur.

12 Propter eamdem divinæ voluntatis cum summa ratione atque sapientia conexionem, seu potius identitatem, Div. Thomas in 1. p. q. 19. art. 5. asserit, assignari non posse causam divinæ voluntatis; sed omnia non alia fieri causâ, nisi quia ipse Deus ita vult; quamvis aliæ mediæ queant designari effectorum causæ. Et tamen in q. 21. non semel jam à nobis laudata ej. p. art. 1. ad 2. quod intendebat probare non esse in Deo justitiam, eó quòd omnia faciat pro libito suæ voluntatis, respondet, *Quòd cùm bonum intellectum sit objectum voluntatis, impossibile est Deum velle, nisi quod ratio suæ sapientiæ habet. Quæ quidem est sicut lex justitiæ, secundum quam ejus voluntas justa & recta est. Unde quod secundum suam voluntatem facit, justè facit, sicut & nos quod secundum legem facimus, justè facimus. Sed nos quidem secundum legem alicujus superioris; Deus autem sibi ipsi est lex.* Et rursus in corp. art. 4. *Non potest*, ait, *facere aliquid Deus, quod non sit conveniens sapientiæ & bonitati ipsius.* Eleganter quoque ad rem N. Bernard. serm. 3. in vig. Nativ. Dom. juxta optimam edition. Mabill. *Omnis superbus*, ait, *extollitur supra Deum. Vult Deus fieri voluntatem suam, & superbus vult fieri suam... Deus in his quæ tantùm ratio probat, suam vult fieri voluntatem: superbus vero & cum ratione, & contra rationem.*

13 *Sic ergo nascitur de justitia tua misericordia tua: quia justum est Te sic esse bonum, ut parcendo sis bonus.* Ecce qualiter Anselmus non ad voluntatem ratione nudam, sicut primâ facie apparebat, divinam refert potestatem, tum parcendi, tum puniendi. In mentem ipse reducit superiùs expensam rationem originis (non realis, sed rationis vel summæ simplicitatis) misericordiæ à justitia: nempe quòd Deus est summe justus, quia summè bonus; et quoniam summè bonus, summe quoque misericors. Reduc ad memoriam cap. 9.

14 *Et hoc forsitan est, cur summè justus potest velle bona malis.* Concludit Anselmus concordes esse undecumque virtutes justitiæ et misericordiæ in Deo: quod in his tribus capitibus demonstrare ex suo fœcundissimo principio, quo cuncta in hoc libro de Deo probat, sibi in animum induxit Author. Sed cùm hucusque S. Doctor absque ulla mentis processerit trepidatione; cur nunc addit hoc *forsitan*, quod mentem parum firmam indicare videtur? Ut scilicet nos doceat, sicut assolet, modestiam; et ut memores semper simus, rationem nostram, circa res præcipue divinas, defectibilem esse. Cum itaque sciret, quòd in summa, infinitaque Dei sapientia innumerabiles ad agendum erga creaturas, vel non agendum, possint esse rationes (*sapientiæ quippe Dei*, secundum Prophetam, *non est numerus*) propterea dicit, quód forsitan hæc à se inventa ratio est, cur summè justus velle potest malis benefacere.

15 *Sed si utcumque capi potest cur malos potes salvare; illud certè nulla ratione comprehendi potest, cur de similibus malis hos magis salves, quàm illos, per summam bonitatem; & illos magis damnes, quàm istos, per summam justitiam?* Ascendit hic ad cor altum Anselmus: quippé tangit in his profundum prædestinationis et reprobationis secretum. Docet nos ergo primò, posse aliquam à nobis probabilem inveniri rationem prædestinationis hominum in genere sive indefinitè aut indeterminatè, sicut etiam reprobationis aliquorum indesignatè. Secundó, sciri absque re-

ve-

velatione á nobis non poſſe, cur magis hos nominatim vel ſigillatim homines, quàm illos, aut ſalvet, aut damnet in ſua prædeſtinatione vel reprobatione: cùm omnium hominum propter peccatum originale una èademque ſit causa damnationis. Tertiò Deum ſalvare nos ex bonitate atque misericordia, juxta illud Apoſtoli; *non ex operibus quæ fecimus nos, ſed ſecundum misericordiam ſuam ſalvos nos fecit.* Nimirum quia non ex meritis prævisis elegit nos ante mundi conſtitutionem, neque prædeſtinavit; ſed potius peccato originali prævisos. Quartò denique, Deum damnare quos damnat, propter peccata ipsorum, non autem quaſi ad hoc inclinatus ex semetipso, ideoque ipsos odio habendo gratis, (nihil enim odit Deus eorum quæ fecit) ſed à criminibus ipsorum hominum provocatus. *Nam perditio tua ex te, Israel.* Id quod pulchrè noſtet Bernardus illuſtrat sermone 5. de Nativitate juxta editionem Sapientiss. Mabill. *Quòd miseretur*, ait, *proprium illi est: ex se enim ſumit materiam, velut quoddam ſeminarium miserendi. Nam quòd judicat, & condemnat, nos eum quoddammodo cogimus, ut longe aliter de corde ipſius miseratio, quàm animadversio procedere videatur. Rectè igitur non Pater judiciorum vel ultionum dicitur, ſed Pater misericordiarum, non modó quòd Pater videatur misereri potius quàm indignari, & quemadmodum pater filiorum, misereatur timentium se: ſed eò magis quòd miserendi cauſam & originem ſumat ex proprio; judicandi, vel ulciscendi magis ex nostro.* Hucusque Bernardus.

16 Ad rationem vero prædeſtinandi, aut reprobandi indeſignatè quod attinet, legatur D. Thom. 1. p. q. 23. art. 5. ubi quantùm pertinet ad prædeſtinationem aut reprobationem horum præ illis, consentit cum Anselmo, et cum Aguſtino lib. de dono perſeverantiæ cap. 8. et aliis in locis; immò et cum reliquis Patribus, ac Theologis. Sed aliud eſt, non posse nos hujus impenetrabilis myſterii rationem reddere; aliud quod absque ulla ratione Deus hos præ illis elegerit aut reprobaverit. In primo, ſine discrepantia inter Sanctos atque Theologos convenit. Secundum vero nec dicit Anselmus, immò ex sua doctrina contrarium colligitur, neque D. Aug. qui potius in Enchiridio expressé supponit, licet occultam, rationem apud Deum eſſe. Cœterum de hoc jam in Comment. ſuper cap. 73. Monologii egimus: ubi et diximus secum consentire Authorem in hoc cap. quod versamur. Adi ergo illum, lector, si tibi placuerit.

17 *Sic ergo verè es senſibilis, omnipotens, misericors, & impassibilis: quemadmodum vivens, sapiens &c.* Depulſis jam ab Anselmo præfatis omnibus in ſpeciem contradictionibus, atque difficultatibus, pacificè colligit in cumulo fructum, & concludit Deum non minus eſſe sensibilem juxta explicationem cap. 6. omnipotentem juxta cap. 7. misericordem, & impassibilem juxta 8. quàm eſt vivens, sapiens, bonus, æternus, cum reliquis omnibus attributis, de quibus nullum prudens poteſt eſſe dubium, quin ſint ex suo conceptu ſive propria notione puræ, & ſimpliciter (ut ajunt) ſimplices perfectiones, meliusque absolutè subjectum, cui inſint, faciant, juſta dicta ab Authore in cap. 15. Monologii.

CAPUT XII.

Quòd Deus ſit ipsa vita, qua vivit; & ſic de similibus.

SED certe quicquid es, non per aliud es, quàm per te ipsum. Tu es igitur ipsa vita, qua vivis; & sapientia, qua sapis; & bonitas ipsa, qua bonis & malis bonus es: & ita de ſimilibus.

COMMENTARIUS.

CAP. XII.

Sed certe quicquid es, non per aliud es, quàm per te ipsum, &c.

1 Firmatis prædicationibus attributorum divinorum, ut ajunt, *in concre-*

to

20 : nunc progreditur Author Noſter subinterendo : at Deus quidquid eſt , non per aliud , quàm per ſemetipſum eſt. Ergo certiſsimè concluditur, ea omnia quæ in cap præcedenti de Deo ſunt dicta & aſſerta in *concreto* , prædicanda pariter in *abstracto* , & omnino formaliter de ipso eſſe. Itaque verissimè dicendum eſt cum Auctore : Deus eſt ipsa vita qua vivit ; & sapientia qua ſapit ; & bonitas ipsa , qua bonis & malis bonus eſt : & ſic de reliquis ſimilibus , id eſt de perfectionibus suâ notionê purissimis , quasque vocant Scholaſtici *ſimpliciter ſimplices.* Minorem propoſitionem quam S. Doctor, incipiendo hoc cap. subjungit , expressè non probat , quia sufficienter illam supponit, saltem virtualiter , probatam in cap. 5. & refricatam in fine cap. proximi , his scilicet in verbis: *& quidquid melius est eſſe , quàm non-eſſe.*

2 Sed ſi illam voluerîs aperta dialectica formâ probatam , accipe. Deus eſt id quo nihil melius cogitari poteſt. Sed melius eſt quidquid per semetipsum eſt id omne quòd eſt , quàm illud eſſe per aliud à se diſtinctum , scilicet , subjectum reale per formam realem & reipsa diſtinctam. Ergo Deus quidquid eſt , non per aliud eſt quam per semetipsum. Ecce prædictam propoſitionem apertissimè collectam ex illo universalissimo , fœcundissimoque principio , ab Authore á limine cap. 2. desumpto , quod nihil aliud eſt , quám ipsa notio ipſius Dei : *id* , nimirum , *quo nihil majus aut melius cogitari potest.* Conseq. vero deducta ex prædicta propoſitione , omnino legitima eſt. Nam ſi Deus non vivit niſi per semetipsum ; vivit autem per vitam ; ipsemet ergo eſt ſua vita qua vivit. Quid consequentius ? Eadem vis eſt consequentiæ in reliquis quæ de Deo dicuntur. Confer capp. prima Monolog. sed præsertim 15. cum duobus sequentibus. Consonat Bernard. Serm. 80. in Cant. ubi per has Anselmi rationes quosdam hæreticos refutat , atque confodit , qui cúm secuti fuerint errantem , non autem pertinacem , Illuſtrissimum Antiſtitem Pictavensem Gilbertum Porretanum , sequi eumdem noluere pœnitentem. Dicebant igitur : Deus non eſt sua magnitudo , qua magnus eſt ; non ſua ſapientia qua sapiens eſt , neque sua veritas qua verus eſt ; & ſic de reliquis attributis: poſtremó addebant , neque eſt sua divinitas qua Deus eſt. Gilbertus , ut conſtat ex Concilio Remenſi sub Eugenio III. præsente S. Bernardo , & ex hujus Concilii historia , non aliud videtur affirmaſſe , niſi quód deitas non ſit Deus in casu nominativo ; sed solùm in casu ablativo , id eſt , qua ſit Deus ; vel loquendo scholaſtice , quòd deitas non ſit Deus ut *quod* , sed ut *quo.*

3 Hos itaque omnes cùm errantes tùm hæreticos in hunc modum jugulat Bernardus. *Forſitan* , inquit in eo sermone , *non dignatur Deus eſſe , quæ tanta est ut faciat Deum. Sed ſi Deus non est , quid est ? Aut enim Deus est , aut aliquid quod non est Deus , aut nihil. Equidem non das Deum eſſe , sed ne nihilum quidem (ut opinior) dabis , quam usque adeo neceſſariam Deo eſſe fateris, ut non modo absque ea Deus eſſ non possit , sed eâ ſit. Sed ſi aliquid est , quod non est Deus : aut minor erit* Deo , *aut major , aut par. At quomodo minor qua* Deus *est ? Restat ut aut maiorem fatearis , aut parem. Sed si maior , ipsa est summum bonum , non* Deus: *ſi par , duo sunt summa bona , non unum. Quod utrumque catholicus refugit sensus.* Et in cap. 7. lib. 5. de conſiderat. *Scio* , ait , *quid ad hæc respondere solent: Non multa, inquiunt , sed unam tantum divinitatem , quæ omnia illa sunt ,* Deo *ut sit , conferre aſſerimus. Aſſeritis ergo , etsi non multiplicem , duplicem* Deum : *& non ad merum ſimplex pervenistis ; neque ad id , quo melius cogitari non potest.* Denique in eodem mox citato sermone non aliter discurrendum & sentiendum eſſe ait, de attributis , ac de divinitate. *Jam de magnitudine* (ſtatim prosequitur) *bonitate , justitia , sapientiaque, idem per omnia quod de divinitate sentimus : unum in* Deo *sunt , & cum* Deo. *Nec enim aliunde bonus, quàm unde magnus; nec aliunde justus, aut sapiens , quàm unde magnus, & bonus ; nec aliunde denique ſimul hæc omnia , quàm unde* Deus , *& hoc quoque nonniſi seipso.* Confer quoque Div. Auguſt. lib. 7. de Trinit. cap. 1. cujus verba in comment. noſtro sup. cap. 16. Monol. transcripta reperies.

CAPUT

CAPUT XIII.

Quomodo solus ſit incircunſcriptus & æternus ; cùm alii ſpiritus ſint incircunſcripti & æterni.

SED omne quod clauditur aliquatenus loco aut tempore, minus eſt, quám quod nulla lex loci aut temporis coercet. Quoniam ergo majus te nihil eſt; nullus locus aut tempus te cohibet, sed ubique & semper es: quod quia de te solo dici poteſt; tu solus incircunſcriptus es & æternus. Quomodo igitur dicuntur & alii ſpiritus incircunſcripti & æterni? Et quidem solus es æternus: quia solus omnium ſicut non deſinis, ſic non incipis eſſe. Sed quomodo solus es incircunſcriptus? An creatus ſpiritus ad te collocatus, eſt circunſcriptus; ad corpus vero, incircunſcriptus. Nempe omnino circunſcriptum eſt, quod cùm alicubi totum eſt, non poteſt ſimul eſſe alibi: quòd de solis corporeis cernitur. Incircunſcriptum vero, quòd ſimul eſt ubique totum: quod de te solo intelligitur. Circunſcriptum autem ſimul & incircunſcriptum eſt, quod cùm alicubi ſit totum, poteſt ſimul eſſe totum alibi; non tamen ubique: quod de creatis ſpiritibus cognoscitur. Si enim non eſſet anima tota in ſingulis membris ſui corporis, non sentiret tota in ſingulis. Tu ergo, Domine, ſingulariter es incircunſcriptus & æternus: & tamen & alii ſpiritus sunt incircunſcripti & æterni.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XIII.

Sed omne quod clauditur aliquatenus loco, aut tempore &c.

1 Notio æternitatis, atque immenſitatis non ſic manifeſta & expedita difficultatibus eſt, ut quamvis in toties repetita Dei notione, *Id quo uihil majus aut melius cogitari potest*, æternitas atque immenſitas certiſsimé cum reliquis divinis attributis includantur, ampliori non egeat doctrina & expoſitione. Quapropter ſicut apparentes oppoſitiones aut contrarietates, quæ adversus attributa omnipotentiæ, misericordiæ, impassibilitatis, atque juſtitiæ decertare videbantur, in capp. superioribus depulit: ita nunc quæ contra æternitatem, & immenſitatem Dei occurrere poſſunt, dissipare ſtudet, & dissipat, ſimul illuſtrando hæc duo attributa, & qualiter ipsa de Deo intelligi debeant, manifeſtando.

2 Manifeſtat itaque ſic. Deus eſt super quem nihil eſt aut poteſt cogitari majus. Ergo Deus ita intelligendus eſt æternus, & immensus, ut non modó ſit æternus, quia in perpetuum erit, numquamque deſinet eſſe Deus; & immensus, non solùm quia non eſt mensurabilis ſicut corpus, eò quòd ſine corpore, & purus spiritus ſit: sed etiam quia nulla omnino conſtringitur lege temporis aut loci, ut non valeat exiſtere ſimul in pluribus temporibus & locis, immò & in omnibus, & super omnia, & ante omnia & poſt omnia. Probat conseq. Quidquid temporis lege aut loci arcetur, quidquid aliquo tempore aut loco sub quacumque ratione clauditur, minus eſt in natura ſua, quám quod nulli tali subjicitur legi, à nullo tempore, vel loco comprehenditur seu quaſi ligatum tenetur: quandoquidem probatur illa natura penitus libera, nullo modoque subjecta, nullis terminis arcta, sed ubique ac ſemper, non successivè, sed

ſimul, & existens et operari potens. Si ergo Deus eſt, ut reverà eſt, id supra quod majus aut melius quidpiam cogitari non potest; restat ut Deus ubique & semper ſit, neque ullo tempore aut loco cohibeatur, vel comprehendatur, sed ſit ante tempus, in omni ſimul tempore & loco, super omne tempus, & super omnem locum; immò omne tempus & omnis locus ab ipso Deo cum infinita superioritate comprehendantur. Confer cap. 20. cum quinque seqq. Monol.

3 *Quod quia de te solo dici potest, tu solus es incircunscriptus, & æternus.* Hæc apertè contradicunt hæreticorum, qui vulgo appellantur ubiquistæ, errori, asserentium corpus Domini & ejus humanitatem non solùm in Cœlo, & in Eucharistia, sed etiam ubique esse. Contradicunt, inquam, horum hominum hæresi: nam cùm *ubique esse* proprietas naturæ sit, qua melior cogitari non possit, quandoquidem in hoc genere melior proprietas cogitari nequeat: humanitati Christi Domini communicari non potest, ita ut ipsa humanitas sit ubique.

4 *Quomodo igitur dicuntur & alii spiritus incircunscripti & æterni?* Hæc objectio supponit alios spiritus præter Deum incircunscriptos, & æternos etiam nuncupari. Et quidem secundum aliquem sensum infra ab Authore conceditur. His tamen expressis vocibus designatos aliquando me legisse non memini. Nisi illud quod dicitur in Psalmo 75. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis*, non sine causa de Angelis intelligatur, qui in Scriptura, ut tradit S. Hilarius, nomine montium significantur. Deinde in æquivalentia satis expresse dicitur, quod de æternitate asserit Author, quando Scriptura nos docet, quòd *Justus germinabit sicut lilium, & florebit in æternum ante Dominum.* Et in Evang. Christus Dominus: *Angeli eorum semper vident faciem Patris qui in Cœlis est.* Verumtamen incircunscriptos appellari, neque in æquivalentia me legisse recordor. Quinimò circunscriptos expressè vocatos Angelos invenio in Mag. Basil. lib. de Spiritu S. cap. 23. juxta edition. Congreg. S. Maur. in Magn. itidem Greg. lib. 2. Moral. cap. 3. juxta ejusd. Congreg. edition. in Damasc. lib. 2. de Fide orth. cap. 3. Credo tamen quòd Author alicubi sic nuncupatos legerit. Vel potius S. Doct. ex eo quod de existentia animæ rationalis in toto corpore legerat, rectissimè ad omnes spiritus completos, id est, Angelos hanc aliquo modo incircunscriptionem extendit: unde etiam tam animas rationales, quàm Spiritus Angelicos incircunscriptos sub hoc sensu dici, asserere potuit. Certè ipse in lib. de Fide Trinit. aut Ep. de Incarnat. Verbi cap. 4. nos monet, aliqua in Monolog. atque Proslog. se dixisse, quæ alibi, aut non legit, aut non meminerat se legisse, *non quasi docendo*, inquit, *quod Doctores nostri nescierunt, aut corrigendo quod non bene dixerunt; sed dicendo forsitan quod illi tacuerunt: quod tamen ab eorum dictis non discordet, sed illis cohæreat.*

5 *Et quidem solus es æternus: quia solus omnium sicut non desinis, sic non incipis esse.* Ad unam ex duabus partibus objectionis respondet Author, quòd quamvis alii Spiritus dicantur æterni, eorum æternitas non in rigore est accipienda, sed pro quadam duratione perpetua sive pro immortalitate. Sed tamen cùm solus Deus non modo finem nequaquam habiturus sit, verùm neque initium habuerit, sive secundum esse, sive secundum durationem; sicut utroque modo alii omnes Spiritus initium re ipsa habuere: hinc fit ut solus Deus in veritate æternus sit. Æternitas ut in Monolog. cap. 24. dicitur, *est interminabilis vita simul perfectè tota existens.* Unde quidquid habet initium; ex ea parte & terminum habet. Verumtamen Author non ingreditur in essentiam æternitatis nisi quantum sat est ad respondendum. In capp. 19. & 20. intimius de natura æternitatis, ejusque ab ævo spirituum discrimine agit. In hoc vero magis penetrat in immensitatem & differentias incircunscriptionis, & circunscriptionis, cùm spiritualis, tum corporalis.

6 *Sed quomodo solus es incircunscriptus?* Cum antea quasi tacitè fuerit datum alios esse, præter Deum, incircunscriptos spiritus: nunc quærit qualiter verum sit, quòd secundum sanctas Scripturas Patres dicunt solum Deum esse incircunscriptum; reliqua autem universa subjecta circunscriptioni.

7 *An creatus spiritus ad te collocatus, est circunscriptus; ad corpus vero, incircunscriptus?* Respondet & docet, quonam in sensu dixerint Patres, spiritus creatos omnes esse circunscriptos; Deum vero solum incircunscriptum. Nempe Deum esse solum absolutè & simpliciter incircunscriptum; spiritus autem creatos non absolutè & simpliciter, sed in sensu limitato, vel ut loquitur schola, *secundum quid* incircunscriptos; ad corporea nimirum si comparentur, & per quamdam exiguam incir-

cuns-

cunscriptionis participationem : quapropter dicendos absolutè & simpliciter circunscriptos, quia per collationem cum absolutè & simpliciter incircunscripto Deo incircunscripti non sunt, sed circunscripti. In hoc itaque postremo sensu de spiritibus creatis Patres locuti sunt.

8 *Nempe omnino circunscriptum est, quòd cùm alicubi totum est, non potest simul esse alibi : quod de solis corporeis cernitur.* Hoc duntaxat est intelligendum de corporeis, corporaliter, modo vè quantitativo & versus locum extensivo existentibus in loco ; non vero de corporibus modo quodam spirituali & substantiæ in loco subsistentibus. Itaque ex his verbis Anselmi inepte quis colligeret (ut de similibus jam in Comment. sup. cap. 22. Monolog. dictum est) Christum D. juxta sententiam ipsius Anselmi, non posse existere corpore vero & reali in Eucharistia. Ineptam hanc consequentiam damnavimus, & ineptam esse manifestavimus in eo Commentario. Legantur itaque Monologii capita à 21. usq. ad 24. cum nostris Commentariis. Ibi latè agit in utramque partem noster Author de materia immensitatis, et locationis in pluribus tum simul tum successivè locis.

9 *Incircunscriptum vero quòd simul est ubique totum : quod de Te solo intelligitur.* Sicut corpus, inquit, ex sua propria natura est absolutè, & undequaque circunscriptum, cùm nonnisi in uno loco sub eodem tempore sit, neque potest naturaliter simul existere in duobus locis, eò quòd arctissimæ sit naturæ : ita ab oppositò Deus, cùm naturæ penitus liberæ, amplissimæ, infinitæ perfectionis sit, neque altera similis esse natura queat, absolutè, simpliciter, & sine ullo adjecto temperamento, solus est incircunscriptus : quoniam solus potest sine ulla sui divisione, aut partium distinctione esse totus simul in omnibus locis, & ubique, immò et continere universa loca, nequaquam vero ab ipsis contineri. Confer capp. supra citata Monol. præsertim 23. Ceteri SS. Patres frustra in confirmationem advocarentur, cùm non solùm ipsi omnes, sed et Christiani cuncti uno loquantur ore.

10 *Circunscriptum autem simul, & incircunscriptum est, quod cùm alicubi sit totùm potest simul esse totum alibi ; non tamen ubique : quod de creatis spiritibus cognoscitur.* Contrarium videtur quod in cap. 23. lib. de Spiritu S. tradit Basilius. *Reliquæ quidem*, ait, *virtutes singulæ in loco circunscripto esse creduntur. Nam Angelus qui adstabat Cornelio, non eodem momento adstabat & Philippo : neque qui locutus est Zachariæ ab altari, per idem tempus etiam in Cœlo suam implebat stationem. At Spiritus creditur simul & in Abacuch, & in Daniele in Babilonia operari... Eum vero qui ubique est, ac unà cum Deo adest, cujus esse naturæ credere oportet ? Utrum omnia complectentis, an particularibus arctatæ locis, qualem esse naturam Angelorum patet ex dictis ?*

11 Contrarium quoque quod in cap. 3. lib. 2. de Fid. orth. ait Damascenus ex hac sine dubio doctrina Basilii. *Circunscripti sunt* (Angeli) *Nam cùm sunt in Cœlo, in terra non sunt : & in terram à Deo missi, non remanent in Cœlo.* Ex qua textùs authoritate probat Angel. Doctor 1. p. q. 52. art. 2. Angelos non posse simul existere in pluribus locis, vel nonnisi in uno loco.

12 Nihilominus Damascenus confestim semetipsum explicat : immò & Mag. Basilium, cujus mentem in se transfudit, pariter exponere, judicare nobis licet. *Non continentur* (ita prosequitur) *portis, muris, claustris, et signaculis : his enim indeterminabiles sunt.* Et paulo infra : *Cum mentes sint, in intellectualibus locis sunt, non corporali modo circunscripti.* Si ergo non portis, neque muris, neque clausura aliqua corporali Angeli continentur, neque sunt corporali modo circunscripti, sed sunt in locis intellectualibus : ergo non ita, sicut corpus, loco cinguntur, & prohibentur esse in pluribus locis corporalibus ; vel inter se distantibus corporibus. Alloquin, non amplioris, & liberioris essent naturæ ; sed sicut corpora non dissimiliter coercerentur. Itaque sensus Basilii & Damasceni hic esse videtur ; quòd nimirum creati spiritus habent juxta spiritualem naturam suam, cui Deus creator fines, limites ve posuit, spiritualem locum, sive intellectualem, ut loquitur Damascenus, vel diffinitivum, ut loquuntur Mag. Sentent. & D. Thom. quem suum correspondentem locum transgredi non possint, existendo scilicet simul in multis Angelicis locis. At cùm hic locus, utpote correspondens amplæ satis naturæ, amplior sit multis corporalibus, & inter se dissitis locis : colligitur quod dicit Anselmus, spiritus creatos simul existere totos posse in pluribus locis, si ad distantiam corporum, in quibus sunt per suam operationem, comparentur : non vero existere nisi in uno loco Angelico, spirituumque proprio, atque adeo non

in-

incircunscriptè absolutè, neque ubique ſicut Deus. Propterea supra dicebat Anselmus: *An creatus spiritus, ad to colocatus, est circunscriptus; ad corpus vero incircunscriptus?*

13 Unde D. Thom. loco præallegato dicit, *quòd diverſimodè eſſe in loco, convenit corpori & Angelo & Deo. Nam corpus est in loco circunscriptivè; quia commensuratur loco. Angelus autem non circunscriptivè, cùm non commensuretur loco, sed definitivè: quia ita est in uno loco, quòd non in alio. Deus autem neque circunscriptivè, neque definitivè, quia est ubique. Et per hoc patet de facili reſponſio ad objecta* (quorum unum erat de anima rationali exiſtenti tota ſimul in qualibet corporis parte) *quia totum illud cui immediate applicatur virtus Angeli, reputatur ut unus locus ejus, licet ſit continuum.* In 1. autem sentent. diſtinct. 37. quæſt. 3. art. 2. in corp. ponit exemplum: *ſicut anima non est ſimul in pluribus corporibus, ita nec Angelus in pluribus locis. Deo autem soli convenit in pluribus & in omnibus locis eſſe quia ipse virtutis infinitæ est.*

14 Quod autem initio corporis ejusdem artic. ait: *quidam dixerunt, quòd Angelus potest eſſe in pluribus locis ſimul, sed non ubique, ſicut Deus; corpus autem in uno loco tantum est. Sed reputatum est pro errore à Magistris; quia sequeretur quod Angelus nec definitivè, nec circunscriptivè in loco eſſet.* Hoc, inquam, doctrinam Anselmi in præsenti capite ferire videtur, ajentis per verba quæ nunc verſamur: *circunscriptum autem ſimul, & incircunscriptum est, quòd cùm alicubi ſit totum, poteſt ſimul eſſe totum alibi; non tamen ubique: quod de creatis spiritibus cognoscitur.* Sed præter-quam-quod ipse D. Thom. in 1. p. q. & art. ſupra citatis tacitè corrigere videtur hanc Magiſtrorum, Pariſienſium forsan, valde rigidam censuram; jam diximus Anselmum secundum rem non discrepare à sententia D. Thom. quod manifeſtum fit per exemplum quod ſtatim adjicit de anima rationali exiſtenti tota in ſingulis membris sui corporis. Neque à sententia Magiſtri sentent. recedere puto qui in lib. 1. diſtinct. 37. hæc ait: *duobus his modis dicitur in Scriptura aliquid locale ſive circunscriptibile, & è converso: scilicet vel quia dimensionem capiens longitudinis, altitudinis, & latitudinis, distantiam facit in loco ut corpus; vel quia definitur loco ac determinatur: quoniam cùm ſit alicubi, non ubique invenitur: qnód non solum corpori, sed etiam creato spiritui congruit. Omne ergo corpus omnimodò locale est; spiritus vero creatus quodam modo est localis, & quodam modo non est localis. Localis quidem dicitur quia definitione loci terminatur: quoniam cùm alibi præsens ſit totus, alibi non invenitur. Non autem ita localis est ut dimenſionem capiens, distantiam in loco faciat. Divina ergo sola eſſentia omnino illocalis & incircunscriptibilis est, quæ nec locis movetur, aliquo modo, vel determinatione finita, vel dimenſione ſuscepta.* Et denique poſt multa: *Sunt ergo*, inquit, *spiritus creati in loco, & transeunt de loco ad locum, & quodammodo locales & circunscriptibiles sunt; sed non omni eo modo quo creaturæ corporeæ. Spiritus autem increatus, qui Deus est, in loco quidem est, & omni loco, sed omnino illocalis est, & incircunstriptibilis.*

15 Itaque dum ait, *quoniam cùm alicubi præsens Angelus ſit totus, alibi non invenitur*, satis commodè exponi poteſt juxta præfatum sensum Div. Thom. de loco Angelico; non quòd dum Angelus eſt totus in uno corpore, vel corporali spatio, non ſit aut non possit eſſe alibi, id eſt, in alio corpore, seu spatio corporali per dilatationem suæ virtutis & operationis, eo scilicet modo quo Angelos eſſe in loco idem Div. Thom. docet.

16 Sic etiam interpretari licet Gregor. in lib. 2. Moral. cap. 3. juxta edition. Congreg. S. Maur. dicentem: *In hoc itaque est nunc natura Angelica à naturæ nostræ conditione diſtincta, quod nos & loco circunscribimur, & cœcitatis ignorantia coartamur: Angelorum vero spiritus loco quidem circunscripti sunt, sed tamen eorum scientiæ longe super nos incomparabiliter dilatantur.* Hæc Angelorum nobiscum in circunscriptione comparatio, vel intelligenda eſt cum anima noſtra in toto corpore & in ſingulis partibus ejus tota; vel potius proportionaliter. Antea enim ut quæſtionem solvat, quo modo scilicet Angeli ſemper vident faciem Patris qui in Cœlis eſt, cum ad nos mitantur quandoque & veniant, ad subtilitatem recurrit naturæ Angelicæ. *Quòd tantum*, inquit, *citius solvimus, ſi quantæ subtilitatis ſit Angelica natura, pensamus.* Non aliud ergo sentit Gregorius, quàm quod Baſilius, Damascenus, D. Thom. Magiſter sententiar. Nec Div. Anselmus aliud, quâm quód hi Patres & Theologi senſerunt.

Si

17 *Si enim non eſſet anima tota in ſingulis membris ſui corporis, non ſentiret tota in ſingulis.* Eadem omnino eſt ſententia Auguſtini et ratio, ſic arguentis contra Epiſtolam Manichæi cap. 16. *Animæ natura, etiamſi non illa ejus potentia conſideretur qua intelligit veritatem, ſed illa inferior qua continet corpus, & ſentit in corpore, nullo modo invenitur locorum ſpatii aliqua mole diſtendi. Nam ſingulis ſui corporis particulis tota præſtò eſt, cùm tota ſentit in ſingulis... Cum enim tangitur digitus, non per totum corpus ſentit, & tamen tota ſentit; totam enim tactus ille non latet; quod non fieret, niſi tota præſto eſſet... Sed cùm tota ſentit in digito manûs, ſi alius locus tangatur in pede, nec ibi deſinit tota ſentire, non unum deſerens ut in altero tota ſit, neque ita utrumque tenens, ut aliam partem hìc habeat, & alibi aliam; ſed ſufficiens exhibere ſe ſingulis locis ſimul totam, quoniam tota ſentit in ſingulis, ſatis oſtendit, ſe locorum ſpatiis non teneri.* Hactenus Auguſtinus: qui conſimilia, ſed compendioſius, in lib. de Trinit. cap. 6. tradit.

18 Eadem antea mens fuerat Hilario, qui in expoſit. Pſalm. 118. Litt 19. ad intelligentiam præſentiæ Dei ubique, non per partes, quas nullas habet, ſed ſecundum ſe totum, exemplo utitur rationalis animæ in corpore, *quæ in membris*, inquit, *omnibus diffuſa, ſingulis quibuſque partibus non abeſt.*

19 Eadem quoque noſtro Gregorio, monenti in lib. 2. in Ezech. hom. 5. juxta edit. Cong. S. Maur. *Talem ſe anima conſideret, qualis ſub Deo ſuper corpus creata eſt, ut à ſuperiore vivificata, viviſicet inferius quod adminiſtrat. Quæ & ſic infuſa eſt corpori, ut non per membrorum partes partibus ſit diverſa. Nam ſi in quolibet loco pars corporis percutitur, tota dolet.* Sed neque alia fuit noſtro itidem Bernardo serm. 1. in Pſalm. *Qui habitat.* Neque alia Angel. Magiſtro, qui in 1. p.q. 76. art. 8. de hoc unice quærit, affirmativè respondet, & explicat non levi manu. Itaque Cartheſium non moror, qui contrariam ſententiam tenuiſſe fertur. Noſter vero Author ſecurius antiquos Patres & Doctores ſecutus eſt. Confer quoque librum ipſius Authoris *de Conceptu Virg. & origin. pecc.* cap. 4. in fine.

20 Rectè ergo ab Anima noſtra, quæ inter creatos ſpiritus poſtremum gradum ſortita eſt, quandam de aliis completis ſpiritibus creatis, Angelis nempe, incircunſcriptionem probat. Rectè quoque ex omnibus antecedentibus, ſeu potius ex ſuo uberrimo probandi principio, ſæpiſſime jam repetito, colligit quòd etiamſi alii ſpiritus incircunſcripti, & æterni quadantenus ſint, nihilo tamen minus Deus ſemper manet ſingularissima prærogativâ, excellentia ve incircunſcriptus & æternus.

CAPUT XIV.

Quomodo & cur videtur & non videtur Deus à querentibus eum.

AN inveniſti, anima mea, quod quærebas? Quærebas Deum & inveniſti eum eſſe quiddam ſummum omnium, quo nihil melius cogitari poteſt; & hoc eſſe vitam ipſam, lucem, ſapientiam, bonitatem, æternam beatitudinem, & beatam æternitatem; & hoc eſſe ubique & ſemper. Nam ſi non inveniſti Deum tuum; quomodo eſt ille hoc, quod inveniſti, & quod illum tam certa veritate, & vera certitudine intellexiſti? Si vero inveniſti; quid eſt quod non ſentis quod inveniſti? Cur non te ſentit, Domine Deus, anima mea; ſi invenit te? An non invenit, quem invenit eſſe lucem & veritatem? Quomodo namque intellexit hoc; niſi videndo lucem & veritatem? Aut potuit omnino aliquid intelligere de te, niſi per lucem tuam & veritatem tuam? Si ergo vidit lucem, & veritatem, vidit te: ſi non vidit te; non vidit lucem nec veritatem. An & veritas, & lux eſt, quod vidit; & tamen nondum te vidit: quia vidit te aliquatenus; ſed non vidit te, ſicuti eſt? Domine Deus meus, & reformator

meus, dic desideranti animæ meæ, quid aliud es, quàm quod vidit, ut pure videat, quod desiderat. Intendit se, ut plus videat; & nihil vidit ultra hoc quod vidit, nisi tenebras. Immò non videt tenebras, quæ nullæ sunt in te; sed videt se non plus posse videre, propter tenebras suas. Cur hoc, Domine, cur hoc? Tenebratur oculus ejus infirmitate sua, aut reverberatur fulgore tuo? Sed certe & tenebratur in se & reverberatur á te. Utique & obscuratur sua brevitate; & obruitur tua immensitate. Verè & contrahitur angustiá sua & vincitur amplitudine tua. Quanta namque est lux illa de qua micat omne verum, quod rationali menti lucet? Quàm ampla est illa veritas, in qua est omne quod verum est; & extra quam non nisi nihil & falsum est? Quàm immensa est, quæ uno intuitu videt quæ facta sunt, & à quo & per quem & quomodo de nihilo facta sunt? Quid puritatis, quid simplicitatis, quid certitudinis, & splendoris ibi est? Certè plusquam à creatura valeat intelligi.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XIV.

An invenisti, anima mea, quod quærebas?

1 Cum tot, & tanta jam de Deo Anselmus quæsierit atque invenerit, quæ in hoc cap. resumit: nunc à sua propria anima quærit, utrum jam per hæc quæ de Deo invenit, invenerit Deum. Ratio dubitandi est, quia si hæc omnia tam magna, immó maxima, Deus reverà est, cùm hæc inventa fuerint, sequi videtur quòd inventus fuerit ipse Deus. Itaque quasi hac sub forma arguit Anselmus. Res quælibet tunc ab intellectu invenitur, quando cognoscitur quid res sit. At inventum est, inquit, per mentem meam quid sit Deus, si invenit ipsum esse quiddam summum omnium, quo nihil melius cogitari potest, cum reliquis attributis quæ de ipso demonstrata sunt. Ergo jam invenisti, ait Anselmus, anima mea Deum tuum. Aut si non invenisti, quî fieri potest, ut inveneris omne hoc quod certissimè Deus est? Alioquin, aliud erit Deus, & aliud quod est ipse Deus.

2 *Si vero invenisti; quid est quod non sentis, quod invenisti?* Arguit nunc Author pro parte contraria sic. Si res invenitur ab intellectu; etiam ab intellectu sentitur res ipsa quæ inventa est, atque quodam gustu veritatem ejus et delectabilitatem experitur. Anima autem mea non sic Deum suum agnoscit, ut ipsum intra se sentiat, experiendo, et gustando quàm suavis quámque delectabilis sit. Ergo videtur quòd anima mea adhuc non invenerit Deum meum.

3 *An non invenit, quem invenit esse lucem & veritatem? &c.* Rursus pro inventione Dei, seu quòd jam anima sua invenerit Deum, discurrit Anselmus. Anima mea invenit Deum esse lucem et veritatem; cùm invenerit esse quidquid absolutè melius est esse, quàm non-esse. Ergo invenit Deum. Probat consequentiam. Non potuit invenire Deum esse lucem et veritatem, nisi agnoscendo simul lucem et veritatem; quippe nullus asserit de aliquo subjecto attributum quod ignorat, nisi insipienter illud affirmet. Anima autem mea non potuit lucem agnoscere, et veritatem, et ignorare ipsum Deum. Probat hoc. Non potuit agnoscere lucem, et veritatem, nisi per Dei lucem, et veritatem. Tum quia Deus est lux spiritualis et vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ut dicit S. Joannes Evang. cap 1. Tum quia Christus Dom. dixit, quód ipse sit mundi lux; sine luce autem non potest videri lux: quemadmodum sine luce solis non potest cerni ipse sol lucens. Tum denique quia Deus est ipsa veritas: sine veritate autem sicut nihil est verùm, ita nullibi est aliqua veritas. Ergo neque in intellectu. Ast quodcumque cognoscitur, sine dubio, in quantum cognoscitur, in intellectu est. Igitur nequivit anima mea cognoscere Deum esse lucem et veritatem, et ignorare ipsum Deum. Itaque Deum ipsum jam invenit. Aut si

non

non invenit ; neque invenit lucem , et veritatem. Quippe idem videtur eſſe invenire lucem et veritatem et invenire ipsum Deum. En pro utraque parte argumenta.

4 Quorum occaſione occurrit animo argumentum quod Anomæi , quamvis diſsimillima intentione , apud Mag. Baſilium Ep. 234. ad Amphilochium juxta edit. noviſs. Congreg. S. Mauri, ad capiendos scilicet ſimplices , faciebant. Sic itaque ut probarent , se ceterosque Chriſtianos divinam eſſentiam comprehendere , aut secundum seipsam contueri , arguebant. *Quod nosti* (interrogabant) *colis* ; *an quod ignoras* ? Si ipſis respondebatur , vere cognosci quod colebatur. Statim callidè submittebant : *Quænam est eſſentia illius quod colitis* ? *Quòd si nos* , inquit Baſilius , *ignorare fateamur eſſentiam : retorquent denuò : Igitur quod ignoratis , hoc colitis.* En sophisma.

5 Ad quod respondet tam eleganter quam ſolidé Baſilius. *Nos vero dicimus illud Scire multiplicem habere sententiam. Nam dicimus à nobis cognosci Majestatem Dei , & potentiam , & ſapientiam , & bonitatem , & providentiam , quæ nostri curam gerit , & justitiam illius judicii ; non ipsam eſſentiam. Itaque captiosa interrogatio. Non enim qui ſe eſſentiam non noſſe dicit , confeſus est se Deum ignorare , cùm ex multis quæ recensuimus colligatur nobis Dei notio.*

6 „ Sed respondebant Anomæi. Deus ſimplex eſt , & quidquid in ipſo „ recenſueris , ceu notum , & cognitum , ad eſſentiam attinet. Hoc ipſum ſophisma „ eſt , iterum respondit Baſil. innumeris ineptijs refertum. Cùm tot & tanta ſint quæ „ enumeravimus ; utrum hæc omnia eſſentiæ unius ſint nomina , idemque inter ſe va- „ lent terror illius , & benignitas , juſtitia , & vis creatrix , prænotio , & remunera- „ di ratio , magnificentia , & providentia ; an quodcumque horum dixerimus , eſſen- „ tiam declaramus ? Nam ſi illud dicunt , non interrogent an eſſentiam noverimus „ Dei , sed percontentur an metuendum noverimus Deum , an juſtum an misericor- „ dem ? Hæc nobis nota eſſe confitemur. Quod ſi quid aliud dicunt eſſentiam ; ne „ nos ludificentur per illius ſimplicitatem. Ipſi ſiquidem confeſsi ſunt aliud atque aliud „ eſſe eſſentiam , & unumquodque eorum quæ enumeravimus. Sed variæ quidem ope- „ rationes , eſſentia vero ſimplex. Nos autem ex operationibus cognosci à nobis dici- „ mus Deum noſtrum , ſed ad ipſam eſſentiam acceſſuros non pollicemur. Ipſius ſi- „ quidem operationes ad nos descendunt , eſſentia autem illius manet inacceſſa. Sed „ replicabant Eunomiani ſeu Anomæi. Si eſſentiam ignoras , ipsum ignoras. Baſilius „ autem continuò respondebat , seu redarguebat. Tu verò converte : eſſentiam ſi di- „ cis te noſſe ; ipsum non cognoscis. Neque enim qui morsus á cane rabido videt „ canem in phiala , plus videt quàm qui ſani ſunt ; ſed idcirco dignus commiſeratio- „ ne eſt , quód putet ſe videre quæ non videt. Ita Baſilius. At Anselmus ſuis contra „ ſe factis quaſi objectionibus quid respondet ? En prosequitur.

7 *An & veritas , & lux est quod vidit ; & tamen nondum te vidit : quia vidit te aliquatenus ; sed non vidit te sicuti est* ? Respondet ergo quòd indubitanter lucem , & veritatem Dei anima ſúa viderit ; at non facie ad faciem , & per ſpeciem propriam sed per alienam : non per ſpeciem increatam , & infinitam ; sed per ſpeciem creatam , arctam , finitam , & accomodatam lumini naturali intellectús , per quod videmus. Hæc eſt Auctoris mens in Monol. cap. 64. clariſsimé explicata , ubi non parum ſimilem enodavit difficultatem. *Sæpe videmus* , inquit , *aliquid , non propriè quemadmodum res ipsa est ; sed per aliquam ſimilitudinem aut imaginem : ut cùm vultum alicujus consideramus in speculo. Sic quippe unam eandenque rem dicimus , & non dicimus ; videmus , & non videmus : dicimus , & videmus per aliud ; non dicimus , & non videmus per suam proprietatem.* Reliqua lege ibi.

8 *Cur hoc , Domine , cur hoc ? Tenebratur oculus ejus in infirmitate sua , aut reberberatur fulgore tuo ? &c.*

Poſtquam proximè dixit Auctor quòd in hac vita mortali Deus aliquatenus videatur ; non autem ſicuti eſt : nunc cauſas reddit cur plus de Deo videre non poſsimus , ſive cur lumen naturale intellectus Deum ſicuti in ſe ipſo eſt cernere nequeat. Cauſam itaque ait ex duplici cap. provenire ; ex infirmitate ac debilitate facultatis naturalis intellectus noſtri , & ſimul ex plenitudine , atque immenſitate lucis , & veritatis divinæ , cujus fulgorem , radiosque ſimpliciſsimè unitos atque directos , mentis creatæ acies ſuſtinere non poteſt. Quia ergo exigua eſt , inquit , & infirma lux mentis noſtræ in hac miſera vita ; quando directé intendere vult in eam immenſam, ſimpliciſsimamque lucem , quaſi amittit proprium lumen intelligentiæ , eòquod tamquam lucerna in præſentia ſolis non lucet , aut ſicut ſtella disparet. Quia vero bre-

ve ſatis eſt, & parùm capax naturæ vas, portare nequit tantam gloriam. Itaque obruitur, quaſi ſuffocatur, quaſi abſorvetur ab inmenſa luce Dei, quemadmodum in mari vini gutula quædam.

9 Hinc ſequitur ſententiam Anselmi fuiſſe, ad videndum Deum ſicuti eſt, opus eſſe conſulere infirmitati ac debilitati creati intellectus, ipsum confortando per altius potentiusque lumen, quod poſtea à Theologis vocatum eſt lumen gloriæ: insuperque opus eſſe ut idem intellectus per aliquam ampliſicetur ſpeciem quæ in ſua repreſentatione Deum ipsum capiat, mentique presentet id ipsum quod Deus in se eſt. At cùm causa quam hujusmodi neceſsitatis conſiderat Auctor ex parte Dei, tamquam ex parte objecti, ſit summa amplitudo, ſit immenſitas, ſit infinitudo lucis ſubstantivæ Dei; inde ſequitur ipsum Auctorem (ni fallor) nequaquam admiſſum ire poſsibilem speciem creatam, Deum ſicuti eſt manifeſtantem, repreſentantemve. Omnis quippe ſpecies creata, eo ipso quòd creata eſt, anguſtatur in seipsa, & in nullo sensu immensa aut infinita eſſe poteſt: quandoquidem in omni sensu ex parte ſui eſt participatio quædam immensæ, & infinitæ speciei, quæ sola eſſentia divina eſt. Nam representatio ejus, quæ dicitur eſſe formale speciei creatæ, non à se eſt. Ergo ab alio. Igitur etiam in hoc ſensu eſt per participationem. Non itaque secum portat adhuc in hoc formali sensu immenſitatem, infinitudinem Dei. Ergo neque Deum ipsum ſicuti eſt. Non ergo poſsibile eſt ut menti creatæ oſtendat, præsentet Deum ſicut eſt in se. Igitur per speciem creatam impoſsile eſt Deum videri ſicuti eſt.

10 Expressius tamen colligitur ex verbis supra relatis cap 64. Monolog. Ibi enim dicit quòd dum per aliquam ſimilitudinem, imaginemve, rem cernimus, veluti vultum alicujus in speculo, non contuemur propriè rem, quemadmodum res ipsa in se eſt. At quæcumque species creata, ex quo creata eſt, aut eſſet, speculum foret divinitatis; sed non ſine macula, quemadmodum Verbum divinum, quod eſt candor lucis æternæ. Non itaque viſio per talem speciem, secundum mentem Auctoris, eſſet Dei viſio ſicuti eſt. Deinde. Anselmus in eodem supra cita o textu Monolog. dicit, eſſentiam divinam, ſicuti eſt, nullatenus per verba intimari valere; per verba scilicet creata, de quibus sermo ibi eſt: Lege illud cap. Ergo neque per quamlibet speciem creatam, quæ quatenus oſtenſiva aut representativa objecti, quædam lingua, & verbum creatum eſt. Hæc tamen omnia dicta sunto, non pro expreſſa, & certa Auctoris sententia, qui forsan de possibilitate absoluta, aut impossibilitate talis speciei, atque viſionis non cogitavit; sed tamquam argumenta, & consecutiones à commentatore ex doctrina Auctoris deducta habeantur, & extimentur. Mens Ang. Præceptoris satis in promptu eſt parte 1. quæſt. 12. art. 2. ubi scisciatur: *Utrum eſſentia Dei ab intellectu creato per aliquam similitudinem videatur*. Ibi, ſi placet, consulatur.

11 *Quàm ampla est illa veritas, in qua est omne quod verum est; & extra quam non nisi nihil, & falsum est?* Accipitur hic ab Auctore *verum* pro veritate, aut pro vero formaliter, non subjectivè, ut dicitur, & materialiter. Nam Dialogi de veritate cap. ultimo ait, *quòd una veritas sit in omnibus rebus*. Hoc capituli summarium. Ceterum in fine concludit, quòd *sicut tempus per se consideratum, non dicitur tempus alicujus; sed cum res, quæ in illo sunt, consideramus, dicitur tempus hujus vel illius rei: ita summa veritas per se subsistens nullius rei est; sed cùm aliquid secundum illam est; tunc ejus dicitur veritas, vel rectitudo.* Et in cap. 10. ait, quòd *ista rectitudo causa ſit omnium aliarum veritatum, & rectitudinum, & nihil sit causa illius.* Itaque in summa Veritate eſt formaliter omnis veritas: quia ſic nullam præsefert impuritatem insegregabilem; ſicut nec præsefert omnis perfectio quæ absolutè, & in omni melior eſt ipsa quám non-ipsa; vel quæ ab Schola dicitur *simpliciter simplex*. Aliter exponi poſſunt hæc verba. In summa Veritate eſt omne verum, in quantum verum, secundum rationem veri, secundum ideam, secundum exemplar, juxta quod omnia quæ fiunt, & aliquid sunt, verè sunt. Quapropter hæc exemplaris divini veritas eſt causa omnium creatarum veritatum. Omne tamen verum in ſubjecto, id eſt, omne id quod dicitur verum, aut omnis res vera non eſt proprié & formaliter in Deo (non enim eſt proprié & formaliter Leo, aut Lapis in Deo) ſed tantùm ſicut efectus in causa: quatenus ſcilicet verum & formalem in ſe Leonem, Lapidem, & ceteras creaturas Deus efficere poteſt, & facit. Confer Caput 15. Monol. Certiſsimum eſt tamen, quód quidquid

per-

perfectionis (non autem aliquid imperfectionis) in Creaturis eſt , veré , proprie , ac formaliter in Deo eſt.

12 Hinc ſequitur quod itidem dicit Auctor , extra veritatem ſummam nonnisi nihil eſſe & falsum. Quippe ſi intra ipsam eſt omne verum : extra omne autem verum aliquid veri non eſt : quid consequentius quám quód ſolum falsum & falsitas eſſe poteſt extra Deum , cúm intra puram veritatem falsitas eſſe non possit? Quod autem verum non eſt , absoluté non eſt. Tum quia verum & ens , ut D. Thom. in 1. part. quæſt. 16. art. 3. probat ex Ariſtotele , adinvicem consequuntur : Unde propterea veritas dicitur à Metaphyſicis proprietas entis. Tum etiam quia quod aliquo modo eſt , in quantum eſt , à ſummo Eſſe eſt. Ergo eſt ad imitationem & conformitatem cum illo ſummo Eſſe & ſumma veritate. Igitur in quantum eſt , verum absdubio eſt. Quod itaque verum non eſt , nihil & falsum eſt. Unde Auctor in cap. 7. Dialogi de veritate. *Video , inquit , ita ibi eſſe veritatem , ut nulla ibi possit eſſe falsitas : quoniam quod falsó eſt , non est.* Hoc tamen est intelligendum vel de falso negative ſolúm , non privativé , quatenus ſcilicet quod omnino nihil est, nequaquam verum est ; & è converso , quod omnino nihil veri est , consequenter etiam nihil penitús est : vel si de falso privativé accipiendum ; ſensus est , quod ea ratione quá aliquid falsum est , non est ; eó quod non impleat quod ſecundum Veritatem ſummam , quæ exemplar est omnium , eſſe debebat. Cæterum de hac materia, si Deo placuerit , non levi calamo agemus ſuper Dialogum præfatum de veritate.

13 *Quàm immensa est , quæ uno intuitu videt quæcumque facta ſunt, & à quo , & per quem , & quomodo de nihilo facta sunt.* Veritas hic accipitur pro intellectu , & ſcientia Dei , non pro veritate obiecti. Nam cùm in Deo idem omnino ſit intellectus , veritas intellectús , & veritas intellecta ; ſicut etiam *in Deo intellectus* (quæ verba sunt D. Thom. 1. part. quæſt. 14. art. 4.) *& id quod intelligitur, & species intelligibilis , & ipsum intelligere , sunt omnino unum , & idem* : neceſſe eſt ut veritas divina poſsit accipi pro ipso intellectu divino , & pro ſapientia Dei qua cuncta cognoscit. Quód autem uno intuitu videat , patet ex eo quód jam Auctor in superioribus probavit , Deum ſcilicet eſſe æternum , & æternitatem ipsam , verum , & veritatem ipsam : æternitas autem , ut conſtat ex Monologii cap. 24. & conſtabit ex cap. 19. Proslog. tota ſimul , & perfecta ſemper eſt : & veritas ipsa , ſicut omnino ſimplex eſt , ita & semper exiſtit ſimul tota. Ergo ea , quæ veritas summa videt , ſimul ac ſimpliciter videat opus eſt. Quòd vero cuncta , etiam à quo & per quem , & quomodo de nihilo facta sunt , æterna veritas ſive Deus intueatur , ex eadem ratione liquet. Æternitas namque comprehendit omnia , tam causas quàm effecta , actiones, motusque omnes : Summa veritas summaque sapientia Dei omnia in se præhabet , ut dictum eſt , quæ veritatem quodammodo habent , & qualitercumque habeant veritatem, unde scibilia sunt. Ergo cúm illa omnia ad veritatem pertineant , & scibilia ſint causæ cujuscumque generis , effecta , actiones , motus , modi , relationes ; atque insuper in aliqua neceſſe eſt exiſtant duratione : consequitur , ut ſimul , & ſimpliciter universa scibilia ſint in scientia divina , in summa veritate. Videt igitur Deus ſimul , & uno intuitu quidquid eſt , & à quo eſt , & per quem eſt , & unde ſit , & quomodo , & in quo seu tempore seu loco.

14 *Quid puritatis , quid ſimplicitatis , quid certitudinis , & ſplendoris ibi est? Certe plusquam à creatura valeat intelligi.* Concludit igitur illam scientiam summam , et æternam veritatem, ejus eſſe puritatis, ejus ſimplicitatis , ejus certitudinis atque ſplendoris, quòd ſupra omnem ſit creatam intelligentiam , atque adeo incomprehenſibilis ſit. Omnis quippe creatura alicui saltem compoſitioni, passivæ potentiæ, contingentiæ, variabilitati, mutabilitati obnoxia ſit neceſſe eſt. Quare ejus intelligentia non poterit unquam cum Deo ſimplicitate contendere. Non ergo possibile eſt ut creaturæ intelligentia adæquetur cum ſimplicitate et puritate intelligibilitatis Dei : atque proinde nec poterit unquam totum et totaliter capere Deum. Concors eſt Angelicus Præcep. 1. part. quæſt. 12. art. 7. non modo in Sententia , quæ omnium certè eſt , sed etiam in ratione hujus incomprehenſibilitatis.

CAPUT XV.

Quòd major sit, quàm cogitari possit.

ERGO, Domine, non solum es quo majus cogitari nequit; sed es quiddam majus, quàm cogitari possit. Quoniam namque valet cogitari esse aliquid hujusmodi; si tu non es hoc ipsum, potest cogitari aliquid majus te: quod fieri nequit.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XV.

Ergo Domine non solùm es quo majus cogitari nequit; sed es quiddam majus quam cogitari possit, &c.

1 Jam in Commentariis sup. Monolog. novimus atque monuimus, sic Anselmum capp. annectere capitib. ut semper quod antecedit, portam ad sequens proximum aperiat & ipsi fiat contiguum. Idem observat et in hoc libro, præsertim in cap. quod præ manibus habemus. Non enim aliud est quàm consecutio necessaria præcedentis, nimis elevata per considerationem. Colligit ergo quòd illa idea sive Dei notio in principio posita, & in qua superstructa est tota hæc, mole parva, virtute autem, & pondere maxima, Proslogii machina, quamvis vera sit, sublimis, dignissimaque Deo, adhuc ad cacumen, quó contemplatio, considerationve Theologica ascendere potest, non pervénit. Itaque dicit Dei notionem sic exprimendam adhuc & quasi perficiendam esse: *Deus est quo majus aut melius cogitari nequit, immó & quiddam majus quàm quod creatura cogitare, capere potest.*

2 Hoc licet consequens sit ex ultimis verbis cap. antecedentis, in quibus dicitur in Deo esse plus simplicitatis, puritatis, certitudinis & splendoris quàm à creatura valeat intelligi: nihilominus hoc ipsum probat ex eodem suo fœcundissimo & universalissimo principio per quod ab initio cogitavit probare omnia quæ de divina substantia prædicantur, vel sicut ipse dicit, quæ de divina substantia credimus. Probat igitur sic. Potest cogitari aliquid esse, omnem captum vel intelligentiam superans creaturæ: Nam potest cogitari captus vel intelligentia creaturæ (utpote finita) superabilis & aliquo intelligibili inferior. Ergo Deus est hoc quod sine dubio captum superat & intelligentiam creaturæ; sive Deus est aliquid majus quàm quod à creatura cogitari possit. Probat conseq. Deus est quo nihil majus cogitari potest. At si non esset etiam id quod cogitari potest esse supra ipsum cogitatum, captum, intelligentiamque omnis creaturæ, vel supra omne quod ab ipsa cogitari potest; non esset id quo majus cogitari nequit. Probat hanc min. Id quod supra omne est quod à creatura cogitari potest, majus est, quàm id quod solum est id supra quod majus cogitari nequit, non tamen supra omne quod á creatura valet cogitari: illud enim supra ipsum captum est creaturæ; istud vero, etsi non infra, non tamen supra creaturæ capacitatem. Ergo si Deus hoc ultimum tantummodo esset, non vero utrumque; id quo majus cogitari nequit, quodque est ipse Deus, non esset id quo majus nequit cogitari. Potest enim cogitari, ut dictum est, aliquid esse majus quàm quod á creatura cogitari valet. Ne autem sequatur talis contradictio, necesse penitus est ut asseramus Deum non solùm esse id quo nihil majus cogitari valet, sed etiam plusquám á creatura cogitari valet.

3 Dicet tamen quis, pariter contradictionem esse aliquid cogitari á creatura quod non potest ab ipsa cogitari, sive quod ipsius captum & intelligentiam superat. Respondeo contradictionem esse cogitari aliquid à creatura, quòd absolutè nullo-

que

que modo ab ipsa cogitari valet ; vel quod sic superat captum & intelligendi facultatem creaturæ, ut sit extra omnem cogitandi rationem, & objecti cogitabilis vel intelligibilis : nullam tamen esse contradictionem cogitari aliquid uno sensu, & non posse illud idem cogitari in altero sensu ; cogitari aliquid partim vel imperfectè, & non posse cogitari vel intelligi secundum totum quod in eo est intelligibile, vel omnino perfectè. Quemadmodum oculis corporalibus lucem aspicimus solis ; sed totam lucis ejus plenitudinem capere pupillâ nequaquam possumus ; unde plenitudo solis capacitatem superat oculorum ; lux autem ejus partita & lumini oculorum accommodata, vel proportionata, virtutem oculorum non superat. Sic Deus cogitari quidem valet aliquid esse, quo nihil melius queat cogitari ; insuper & cogitari valet à creatura esse quiddam majus omni quod possit cogitari & intelligi à creatura, ita ut melius in se sit quod creatura cogitat de Deo, quàm ipsa creatura illud cogitat aut cogitare potest. Itaque simul potest absque contradictione cogitari & non cogitari à creatura : cogitari quodammodo, imperfectè, impariliter ; non cogitari, perfectè, comprehensive.

4 Denique, sicut potest cogitari & cogitatur à creatura, Deum esse incomprehensibilem, unde & ipsa incomprensibilitas Dei cogitatur ; quin ex hoc sequatur Deum non esse capacitati creaturæ incomprehensibilem : ita nihil vetat quominus Deus cogitetur á creatura major omni creaturæ cognitione, & tamen revera sic à creatura cogitetur, id esse quod superat omnem capacitatem creaturæ. " Sicut enim (verba sunt „ ipsius Authoris in cap. 9. lib. Apolog.) nihil prohibet dici, *ineffabile* ; licet illud „ dici non possit, quod ineffabile dicitur ; & quemadmodum cogitari potest *non-cogi-* „ *tabile* ; quamvis illud cogitari non possit, cui convenit non-cogitabile dici : ita cùm „ dicitur, *quo nihil majus valet cogitari* ; proculdubio quod auditur, cogitari & in- „ telligi potest, etiamsi res illa cogitari non valeat aut intelligi, quâ majus cogitari „ nequit. Quæ tamen Authoris verba explicationis ergo, & pro nostræ responsionis, immò & doctrinæ ipsius Authoris in hoc capite meliori intelligentia, allata sunt : non vero ut credatur, vel judicetur, Authorem aut nos concedere, hanc Dei notionem, *Id quo nihil majus valet cogitari*, eo solùm sensu à nobis cogitari, quo cogitutur *non-cogitabile.*

5 Non minus excelsa mente de Deo eloquentissimus Hilarius lib. 1. de Trinit. num. 6. juxta edit. Cong. S. Maur. locutus est. *Neque aliud*, scribit, *quid dignum esse Deo arbitrabatur* (animus) *quàm ita eum ultra intelligentias rerum esse, ut in quantum se ad aliquem præsumptæ licet opinionis modum mens infinita protenderet, in tantum omnem persequentis se naturæ infinitatem infinitas immoderatæ æternitatis excederet.* Et num. 8. *His itaque piæ opinionis atque doctrinæ studiis animus imbutus, in secessu quodam ac specula pulcherrimæ hujus sententiæ requiescebat, non sibi relictum quidquam aliud à natura sua intelligens, in quo majus officium præstari conditori suo minùs ve posset, quàm ut TANTUM EUM esse intelligeret, quantus & intelligi non potest, & potest credi.*

6 Melifluus N. Bernardus cùm, sicut jam in Comment. super cap. 5. diximus, notione Dei Anselmiana tanquam firmissimo principio ad confutandum Illmi. Gilberti Porretani errorem, uteretur ; pariter cum Anselmo ascendit ad cor altius, ut exaltaretur Deus. *Numquid verendum*, ait lib. 5. de Considerat. cap. 7. *ne cogitatio transvolet illum ? Quantumcumque in altum proficiat ; ultra est. Infra quod homo cogitare possit, Altissimum quærere, ridiculum est, statuere, impium. Ultra, non citra quærendus est. Ascende, si potes adhuc ad cor altius ; & exaltabitur Deus.*

CAPUT XVI.

Quòd hæc sit lux innacessibilis, quam inhabitat.

VERE, Domine, hæc est lux inaccessibilis, in qua habitas ; verè enim non est aliud, quod hanc lucem penetret, ut ibi te pervideat. Verè ideo hanc non video, quia nimia mihi est ; & tamen quicquid videoo

deo, per illam video: ſicut infirmus oculus, quod videt, per lucem ſolis videt, quam in ipſo ſole nequit aſpicere. Non poteſt intellectus meus ad illam, nimis fulget, non capit illam, nec ſufficit oculus animæ meæ diu intendere in illam. Reverberatur fulgore, vincitur amplitudine, obruitur immenſitate, confunditur capacitate. O ſumma & inacceſsibilis lux! O tota & beata veritas, quàm longe es à me, qui tam propè tibi ſum! Quàm remota eſt à conſpectu meo, qui ſic præſens ſum conſpectui tuo! Ubique es tota præſens; & non te video. In te moveor & in te ſum, & ad te non poſſum accedere. Intra me & circa me es; & non te ſentio.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XVI.

Verè, Domine, hæc eſt lux inacceſsibilis, in qua habitas.

1 Recolit Author illud Apoſt. ad Timoth. 1. cap. 6. *Qui lucem habitat inacceſsibilem.* Dicit ergo quòd veré in præfato ſenſu cap. proximi, lux divina, veritasque Dei ſumma eſt inacceſsibilis, ſicut dicit Apoſt. Nimirum in ea immenſa plenitudine lucis inhabitat Deus, ut ad comprehenſionem ipſius nulla valeat pertingere creatura. Unde cùm ad æqualitatem accedere non poſſit mens creata, ſed neceſſe penitus ſit ut valde infra Deum ſe contineat; propterea abſolutè verum eſt quòd illa lux eſt inacceſsibilis; quamvis in alio vero ſenſu poſſit ad ſui creatoris intelligentiam creatura mente accedere, juxta illud Pſalmi *Accedite ad Deum & illuminamini.*

2 *Verè enim non eſt aliud, quod hanc lucem penetret, ut ibi te pervideat.* Tria in his verbis docet nos Author. Primum, quòd lux vel intellectus divinus verè Deum, qui hæc ipſa immenſa lux eſt, penetrat atque pervidet, id eſt, perfectè videt, ita ut nihil ſui ipſius ipſummet Deum lateat. Hoc involutè probatum ab Authore jam fuit in Monolog. à cap. 32. usque ad 46. Sed ſat expreſſe in eodem 46. & 52. Videatur D. Thom. 1. part. quæſt. 14. art. 3. ubi quærit: *Utrum Deus comprehendat ſeipſum.* Et ad 1. reſpondet, quia ſi nomen comprehenſionis propriè accipitur, id eſt, pro inclusione, nequaquam in hoc ſenſu Deus comprendit ſeipſum; *ſed dicitur comprehendi à ſeipſo, quia nihil eſt ſui quod lateat ipſum.* Propter hanc ſermonis improprietatem, diſcurro, quòd Author numquam dicere voluerit Deum comprehendere ſeipſum.

3 Secundum quod docet Author eſt, ſe creaturæ ſolùm denegare penetrationem luminis ſui creatoris usque ad perfectam ejus & adæquantem intelligentiam; non verò Dei veram viſionem facie ad faciem, & ſicuti eſt. Siquidem poſtea in cap. 25. ubi de beatitudine agit creaturæ, dicit quoniam *ipſa Dei ſapientia oſtendet eis ſeipſam.* Tertium denique, quòd comprehenſio explicanda, aut ſignificanda ſit per nomen penetrationis, aut perviſionis: atque insuper quòd aliud ſit mente attingere Deum, aliud penetrare ipſum Deum; aliud Deum videre, atque aliud pervidere Deum.

4 *Verè ideo hanc non video quia nimia mihi eſt &c.* De hac nimietate & exceſſu lucis immenſæ Dei, ſicut & de anguſtia, brevitate, imbecillitate animæ noſtræ, immó & omnis ſpiritualis creaturæ ad portandam, ad ſuſtinendam tantam lucem, tantum ſplendorem, tantam gloriam, quod ſatis eſt, ut credo, dixi in Comment. ſup. cap. 14.

5 *Et tamen quidquid video per illam video, ſicut infirmus oculus quod videt, per lucem ſolis videt, quam in ipſo ſole nequit aſpicere &c.* Ex exemplo ſolis, oculorumque corporalium infirmorum, videntium per lucem derivatam ab ipſo ſole, non directè in ipſis receptam, ſed per reflexionem docet, ut credo, nos Author quòd intellectus humanus ea quæ cognoſcit ſeu verè intelligit, in æternis rationibus ideis ve divinis videt. Intelligendus eſt tamen Anſelmus de neceſſariis ac certiſſimis veritatibus quæ tamquam quidam radii ab æterna Dei luce, & veritate ad nos deſcendunt, & ex ipſis infixis memoriæ noſtræ atque retentis, oculi mentis noſtræ tanquam per reflexionem illuminantur, ut agnoſcat tum quæ Dei ſunt, tum ut judicet de corporalibus, & ſenſibilibus.

Non

6 Non aliud visum est Ang. Præceptori in 1. part. quæst. 84. art. 5. sensisse D. Augustinum, dum non semel asseruit animam nostram universa rectè probare aut improbare per rationes, & veritatem incommutabiliter manentes sive æternas. *Neque oculis corporeis*, inquit lib. 9. de Trinit. cap. 6. *multas mentes videndo, per similitudinem colligimus generalem vel specialem mentis humanæ notitiam, sed intuemur inviolabilem veritatem, ex qua perfectè, quantum possumus, definiamus, non qualis sit uniuscujusque hominis mens sed qualis esse sempiternis rationibus debeat. Unde etiam phantasias rerum corporalium :: Aliis omnino regulis supra mentem nostram incommutabiliter manentibus, vel approbare apud nos metipsos, vel improbare convincimur, cùm rectè aliquid approbamus, aut improbamus.* Et cap. 7. *In illa*, inquit, *æterna veritate, ex qua temporalia facta sunt omnia, formam secundum quam sumus, & secundum quam vel in nobis, vel in corporibus, vera & rectæ ratione aliquid operamur, visu mentis aspicimus : atque inde conceptam rerum veracem notitiam, tamquam verbum apud nos habemus, & dicendo intus gignimus : nec à nobis nascendo discreditur.*

7 Expressa tamen, ni fallor, apparet mens Aug. lib. 14. de Trinit. cap. 15. inquientis : *Ubinam sunt istæ regulæ scriptæ, ubi quod sit justum, & injustus agnoscit, ubi cernit habendum esse, quod ipse non habet ? Ubi ergo scriptæ sunt, nisi in libro lucis illius quæ veritas dicitnr ? Unde omnis lex justa describitur, & in cor hominis qui operatur justitiam, non migrando, sed tamquam imprimendo transfertur, sicut imago ex annulo, & in ceram transit, & annulum non relinquit.* Ex quibus certa satis videtur, & vera interpretatio D. Thomæ ajentis D. Augustinum non sensisse mentem nostram in hac vita æternas, & incommutabiles existentes in Deo rationes, & ideas videre, aut per illas sic consideratas de rebus judicare, sed duntaxat in nobis esse quasdam veritates quasi impressas per applicationem æternarum idearum, vel juxta has æternas, & invariabiles in Deo divinas veritates, quæ sint exemplar illarum, in mente nostra signatarum. Unde ait Propheta: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Non alia ergo mens fuerit nostri Anselmi, qui tantopere doctrinam Augustini exprimere in suis scriptis curavit.

8 Quodammodo similia sunt, & ad intelligentiam utriusque S. Doctoris deserviunt ea quæ tradit S. Bernardus Serm. 31. in Cant. ajens : *Interim*, (quamdiù scilicet per fidem ambulamus) *tanta hæc formarum varietas, atque numerositas specierum in rebus conditis, quid nisi quidam sunt radii Deitatis, monstrantes quidem quia verè sit à quo sunt, non tamen quid sit prorsus diffinientes ? Itaque de ipso vides, sed non ipsum. Cùm autem de eo quem non vides, cætera vides ; scis indubitanter existere quem oportet inquirere, ut inquirentem non fraudet gratia, negligentem ignorantia non excusset. Verum hoc genus videndi commune. In promptu enim est juxta Ap. omni utenti ratione, invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspicere.*

9 Solis exemplo aciem oculorum plenitudine sua exuperantis, usi sunt S. Theophilus Antiochenus lib. 1. ad Autolicum, & Minucius Felix, & Theodoretus Serm. 10. de Providentia pag. 439. usi sunt, inquam, ad eumdem finem ad quem eo utitur Anselmus. Legatur Eruditus Monachus Congreg. S. Mauri, Editor operum S. Justini, & S. Theophili in nota marginali super locum citatum lib. 1. ad Autolicum.

10 *Ubique es tota præsens, & non te video, &c.* Cùm Auctor dicit, *& non te video*, satis indicat se facere sermonem non solùm de intellectuali præsentia, qua omnia nuda, & aperta sunt, ut inquit Ap. oculis ejus, nempe Dei, sed etiam de præsentia per potentiam, cuncta Deo subjicientem, & de præsentia per essentiam qua universis dat esse ; & quia virtus Dei operativa in eo non est accidens sed substantia, neque virtutis omnipotentis actio distincta ab ipsa virtute est, quamvis diversa opera faciat, & creet. Cæterum de his duabus postremis præsentiis agit in capp. 13. & 14. Monolog. & nos ibi cum ipso. Eas quoque in præsenti cap. satis designat his verbis continuò succedentibus, caputque claudentibus : *In te moveor, & in te sum ; & ad te non possum accedere. Intra me, & circa me es ; & non te sentio.* Accessus hic quem pro hac vita denegat Auctor, est accessus ad videndum Dominum sicuti est. Sensus vero, quem plorat sibi deesse, est quædam experimentalis perceptio, quæ re fruitur præsenti, & ex ipsa rei præsentia delectamentum percipit suave. Hoc est quod singillatim, & per omnes sentiendi modos numerat Auctor in cap. sequenti.

CAPUT XVII.

Quòd in Deo ſit harmonia, odor, ſapor, lævitas, pulchritudo, ſuo ineffabili modo.

ADHUC lates, Domine, animam meàm in luce & beatitudine tua: & idcirco verſatur illa adhuc in tenebris, & miſeria ſua. Circunſpicit enim; & non videt pulchritudinem tuam. Auſcultat; & non audit harmoniam tuam. Olfacit; & non percipit odorem tuum. Guſtat; & non cognoscit ſaporem tuum. Palpat; & nou ſentit lævitatem tuam. Habes enim hæc; Domine Deus, in te, tuo ineffabili modo; qui ea dediſti rebus à te creatis, ſuo ſenſibili modo: ſed obriguerunt, ſed obſtupuerunt, ſed obſtructi ſunt ſenſus animæ meæ vetuſto languore peccati.

COMMENTARIUS.

CAP. XVII.

Adhuc lates, Domine, animam meam in luce, & beatitudine tua: & idcirco versatur illa adhuc in tenebris, & miſeria ſua.

1 Per hæc verba denotat Anſelmus Deum in hac vita nos latere ſecundum illum modum præſentiæ, & manifeſtationis qua beamur, & qua liberamur à miseria, & tenebris ignorantiæ noſtræ. Hanc proinde manifeſtationem, & præſentiam appetebat Sponsa, dum ad Sponsum divinum dicebat: *Indica mihi, ubi pascas, ubi cubes in meridie.* In meridie lucis ſolis plenitudine illuminamur: nullæ in meridie sunt umbræ. Unde Bernardus Serm. 31. in Cant. *Eſſe clarissimum*, ait, *perveniſſe est. Porro jam præsentibus non aliud est videre ſicuti est, quàm eſſe, ſicuti est, & aliqua ſimilitudine non confundi. Deus* autem, inquit Joannes in sua Canon. *Lux est, & in eo tenebræ non sunt ullæ.* Ergo neque in videntibus Deum, ſicuti eſt; ſi inter eos, & ipsum Deum nulla, quantum ad hanc proportionem, interponitur dissimilitudo. Nam aliás, valde aliter nullæ sunt tenebræ in Deo, quia scilicet ſubſtantiva, ſimplicissima, & purissima immensaque lux eſt. Creatura autem propter ſui compoſitionem, anguſtias suæ naturæ, finitudinem, limitationem, comparata cum Deo, etiam dum videt Deum ſicuti eſt, valde tenebrosa eſt. At non propterea eſt in ea ulla proprié ignorantia quæ privatio ſit debitæ scientiæ. Itaque Creatura videns Deum facie ad faciem veré felix eſt, vitaque vivit æternâ. Quapropter rectè colligit Auctor ex defectu talis viſionis miseram, & tenebrosam animam suam eſſe.

2 *Circunspicit enim; & non videt pulchritudinem tuam, &c.* ¶ Rectè diſtribuit Auctor unicuique sensuum corporalium quod cuique proprium eſt, propriamque cuique deſignat formalem rationem objecti. Sub metaphora corporalium sensuum, objectorumque suorum, debitè menti circunspicere tribuit, auscultare, olfacere, guſtare, palpare. Tribuitur etiam Deo pulchritudo, quæ ad visum pertinet; harmonia quæ ad aures; odor qui ad adoratum; ſapor ad guſtum; lævitas ad tactum. Parens Aug. lib. 10. Confession. cap. 8. admirans memoriæ vim, ait, quód quando volebat, intra se de memoria proferebat colores, ſonos aut cantilenas, odores, *& ita cætera, quæ per sensus cæteros ingesta sunt atque congesta, recordor*, inquit, *prout libet.* Hoc tamen totum non supergreditur modum animæ speculativum. At Auctor noſter, plus velle, & de modo quodam practico, & experimentali verba facere, satis indicat. Ita-

que

que ſentit, in anima, & mente noſtra varias eſſe poſſe delectationes, atque voluptates juxta varietatem etiam illam quam in variis corporalibus ſenſibus experimur. *An vero habent*, inquit Aug. tract. 26. ſup. Joann. *corporis sensus voluptates suas, & animus deseritur à voluptatibus ſuis? Si animus non habet voluptates; unde dicitur: Filii autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt: Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabit eos?*

3 *Habes enim hæc, Domine Deus, in te, tuo ineffabili modo; qui ea debisti rebus à te creatis, suo sensibili modo.* Nempe pulchritudo, harmonia, odor, ſapor, lævitas, quibus varié delectantur in Deo animæ ſanctæ, Deum vehementer amantes, & maximè quæ ſicuti eſt vident Deum, dicit Auctor quód in Deo ſint, non materiali, & ſenſibili modo quo in rebus creatis ſunt; ſed alio quodam nobis inexplicabili, quemque noſtri Scholaſtici eminentem vocant. Nam quid aliud eſt dicere illa attributa aut perfectiones in Deo eminenter, non formaliter inveniri; niſi diſſimulanter fateri in Deo reverá eſſe, ſed modo ſupra noſtrum captum, ſupra famina noſtra? Quid amplius in animos noſtros ingerit, quid plus notitiæ de illo modo nobis communicatur per illam Scholaſticam vocem *eminenter*, quàm per has, *ineffabili modo*? Ego certe nihil aliud capio, niſi quod non eo modo in Deo ſint quo in rebus creatis, ſed altero infinitè meliori. Hoc non eſt aperire neque deſignare quis ille modus ſit, qualeve ſibi nomen correspondeat, ſed ocultum relinquere in ſublimi quodam ineffabilique myſterio.

4 Ratio itaque Auctoris, involuta licèt, unoque exhibita verbo, hæc eſt. Omnis causa præhabeat neceſſe eſt, quidquid suis effectibus dat, dum causat: nemo quippe, ut eſt notio satis vulgaris, id dat, quod nullo modo habet. Deus autem rebus creatis omnia supra enumerata dedit, dum illas creavit, causavit. Igitur Deus illa omnia in se præhabebat, & adhuc habet: Nam inceſſanter illa rebus dat. At in Deo nequeunt eo senſibili, materiali, corruptibilique modo eſſe, quo in rebus creatis sunt: nam in Deo juxta dicta in cap. 15. Monolog. & in toto fere Proslog. non eſt niſi quod absolutè, & in omni melius eſt eſſe, quam non-eſſe: melius autem non eſt eſſe illa omnia modo materiali, corruptibili, proprié senſibili, quam non eſſe. Ergo Deus non hoc infimo modo ea omnia in se habet; sed alium excelſiſſimum, & inexplicabilem modum illa habendi ſibi absdubio reservavit: reservavit, inquam, naturâ, & eſſentiâ suâ, non exercitio libero voluntatis.

5 *Sed obriguerunt, sed obstupuerunt, sed obstructi sunt sensus animæ meæ vetusto languore peccati.* Exhibet causam, cur pulchritudinem, harmoniam, odorem, saporem, lævitatem, aut lenitatem Dei non percipit anima noſtra. Nempe in causa eſt hebetudo, ſtupiditas, & quaſi rigiditas mentis noſtræ propter peccatum Primi Parentis, & alia quæ nos ipſi adjunximus, agglomeramusque quotidie. Porro *animalis homo* ut inquit Ap. *non percipit ea quæ sunt spiritus: Spiritualis autem judicat omnia.* Guſtus languidus dulcedinem cibi non percipit: ſicut & quicunque alius corporis ſensus impeditus non sentit ea quæ ſibi proprie senſibilia sunt, amittitque sensationes ſibi à natura competentes. Simile quiddam, dicit Anselmus, in anima noſtra, in mente noſtra ob ſimilem in suo genere causam evenit.

CAPUT XVIII.

Quòd Deus ſit vita, sapientia, æternitas, & omne verum bonum.

ET iterum ecce turbatio; ecce iterum obviat mœror, & luctus quærenti gaudium & lætitiam. Sperabat jam anima mea satietatem; & ecce iterum obruitur egestate. Affectabam jam comedere; & ecce magis esurio. Conabar aſſurgere ad lucem Dei; & recidi in tenebras meas. Immò non modò cecidi in eas; sed sentio me involutum in eis. Ante cecidi, quàm conciperet me mater mea. Certe in illis conceptus sum, & cum earum obvolutione natus sum. Certe in illo omnes cecidimus, in quo omnes

nes peccabimus. In illo omnes perdidimus, qui facile tenebat; & male ſibi & nobis perdidit, quod cùm volumus quærere, nescimus; cùm quærimus, non invenimus; cùm invenimus, non eſt quod quærimus. Adjuva me tu, propter bonitatem tuam, Domine. *Quæsivi vultum tuum, vultum tuum, Domine, requiram, ne avertas faciem tuam à me.* Revela me de me ad te. Munda, sana, acue, illumina oculum mentis meæ; ut intueatur te. Recolligat vires suas anima mea; & toto intellectu iterum intendat in te, Domine. Quid es, Domine, quid es, quid te intelliget cor meum? Certè vita es, sapientia es, veritas es, bonitas es, beatitudo es, æternitas es, & omne verum bonum es. Multa sunt hæc: non poteſt anguſtus intellectus meus tot uno ſimul intuitu videre; ut omnibus ſimul delectetur. Quomodo ergo, Domine, es omnia hæc? An sunt partes tui, an potius unumquodque horum totum eſt quod es? Nam quicquid eſt partibus junctum, non eſt omnino unum; sed quodammodo plura & diversum à se ipso; & vel actu, vel intellectu disolvi poteſt: quæ aliena sunt à te, quo nihil melius cogitari poteſt. Nullæ igitur partes in te sunt, Domine, nec es plura; sed ſic es unum quoddam, & idem tibi ipſi, ut in nullo tibi ipſi ſis dissimilis: immò tu es ipſa unitas, nullo intellectu diviſibilis. Ergo vita, & sapienti-, & reliqua non sunt partes tui, sed omnia sunt unum: & unumquodque horum eſt totum quod es, & quod sunt reliqua omnia. Quomodo ergo nec tu habes partes; nec tua æternitas, quæ tu es, nusquam & nunquam eſt pars tua, aut æternitatis tuæ: sed ubique totus es; & æternitas tua tota eſt semper.

COMMENTARIUS.

CAP. XVIII.

Et iterum ecce turbatio, &c.

1 Occaſione terminationis capitis antecedentis in mentem Auctoris venit iterum lugere, ac renovare dolorem, quem jam in cap. 1. juſtè peperit, & de toto corde expreſſerat. De natura, & transfuſione seu propagatione originalis causæ tanti doloris, tot tantorumque malorum agit Author in lib. *de Conceptu Virginali & originali peccato.* Originale quippe peccatum eſt prima causa miseriæ humanæ.

2 *Quid es, Domine, quid es, quid te intelliget cor meum?* Nihil impedit, nihil cohibet Anselmum humana miseria, quominùs animam suam, animasque omnium hortetur mortalium, ad quærendum semper Deum, juxta monitum Prophetæ: *Quærite faciem ejus semper.* Et alibi: *Quæsivi vultum tuum; vultum tuum, Domine, requiram.* Nam *solus est Deus*, ait noſter Bern. lib. 5. de Conſider. cap. 11. *qui frustrà nunquam quæri potest, nec cum inveniri non potest.* Itaque sua propria exhortatione animatus Anselmus denuò quærit, quid ſit Deus. Id primo aspectu extraneum videbitur, attento quòd quæſtio, Quid ſit res? De eſſentia quærat, non de exiſtentia, attributis, qualitatibus ve. Mag. autem Baſilius, ceu in Comment. sup. cap. 14. vidimus, *Ex operationibus*, inquit, *cognosci à nobis Deum nostrum, sed ad ipsam essentiam acceſſuros non pollicemur.* Id quod secutus eſt S. Joann. Damasc. lib. 1. de Fide orth. cap. 4. inquiens: *de Deo quid est secundum substantiam dicere, impossibile... Quæcumque autem per Theologiam affirmativam de Deo dicimus, non naturam ejus, sed ea quæ sunt circa, insinuant. Nam etſi bonum, ſi justum, ſi sapiens, ſi quidvis aliud dixeris; non naturam dicis Dei, sed ea quæ circa naturam.* Quod in cap. 12. repetit. Deinde Ang. Præcept. 1. p. q. 2. art. 1. in corp. ait, *Quòd quia nos non scimus de Deo quid est, non est per se nota existentia Dei.* Quomodo igitur Anselmus quærit quod nobis scire impossibile eſt?

3 Cæterum hæc omnia ipse D. Thom. dilucidat 1. p. q. 13. art. 2. ubi

per-

percontatur: *Utrum aliquod nomen dicatur de Deo substantialiter?* Et responsio est affirmativa. Itaque in responsione ad 1. argumentum ex verbis formatum Damasceni, non ex cap. 4., ut citatio in margine fallit, sed ex 12. desumptis, ait *quod Damascenus ideo dicit, quòd hæc nomina non significant quid est Deus, quia à nullo istorum nominum exprimitur quid est Deus perfectè, sed unumquodque imperfectè eum significat, sicut & creaturæ imperfectè eum representant.* Id quod satis expressè insinuarat noster Bernardus serm. 31. in Cantica in verbis supra relatis, in Comment. scilicet ad cap. 16. ibi: *Tanta hæc formarum varietas atque numerositas specierum in rebus conditis, quid nisi quidam sunt radii Deitatis, monstrantes quidem quia vere sit à quo sint, non tamen quid sit prorsus diffinientes?* Dum ait S. *non tamen quid sit prorsus diffinientes*, non obscurè indicat, se non denegare creaturas quoquo modo exprimere, aut designare quid Deus sit; sed duntaxat prohibere ne dicatur quod perfectè vel sine maxima distantia & inæqualitate Deum nobis insinuent aut diffiniant.

4 Quamvis expositio D. Thom. rectè colligatur ex his quæ continuo subjicit Damascenus videlicet: *Nam nihil eorum quæ sunt, est: non ut non ens, sed ut omnia entia supereminens, & super ipsum esse ens. Si enim eorum, quæ sunt, cognitio est; quod omnem superat cognitionem, & ipsum quoque super substantiam erit: & quod super substantiam est, & id quoque super cognitionem erit.* Licet, inquam, hæc satis confirment D. Thom. expositionem: nihilominus, quia illa possitiva nomina non naturam significant Dei, sed ea quæ circa naturam, ut inquit idem Damascenus; & quia in cap. 12. ait, quod bonum, justum, & sanctum, & id genus talia, naturam consequuntur, non autem substantiam ostendunt: ideo aliam mihi placet solutionem vel explicationem adhibere. Dico ergo quòd quando & Basilius, & Damascenus ajunt nos essentiam Dei non cognoscere, essentiam Dei nobis manere inaccessam, nomina bonitatis, justitiæ, & alia similia, nonnisi quæ sunt circa substantiam Dei, quæ substantiam Dei consequuntur, ostendere; essentiam accipiunt secundum quod essentiæ juxta regulas Metaphysicæ diffiniri debent, non per comparationem scilicet & habitudinem ad aliud, ceu ad operationem, ad effecta; sed penitus absolutè & ad se. Illud quippe essentiam in re quacumque intelligimus, quod prius in ipsa verè intelligitur esse. Unumquodque autem prius intelligitur ad se esse, quàm ad aliud: & propterea prior est conceptus essentiæ, quám naturæ. Restat igitur quòd cùm Deum, etiam secundum D. Thom. & non solum juxta Damascenum & Basilium, ab operationibus in creaturas, & ex ipsis creaturis agnoscamus, atque proinde nominemus; non est in nobis species essentiam divinam representans ut ipsa ad se est; sed cum aliqua habitudine & relatione ad varias ejus operationes in creaturis & ad ipsasmet creaturas.

5 Hinc sua sponte consequitur quod Damascenus ajebat, ea nomina circa divinam esse substantiam, & sequi substantiam divinam. Nam conceptus, ratioque naturæ seu principii operativi, consequitur essentiam secundum hanc rationem, & posterior est ipsa ratione essentiæ, quamvis re inter se natura & essentia non distinguantur. Neque propterea prædicta nomina dicta de Deo, non substantiam, sed accidens significant. Substantiam certè designant; sed non secundum modum substantiæ, vel essentiæ: quia non modo penitús absoluto, & ad se significant, sed quadam cum habitudine & relatione ad operationas in creaturas. Fere omnes, et forsan omnes, creatas essentias non omnino absolutè, sed cum aliqua relatione, aut comparatione ad suas proprias et principales operationes, diffinimus. Diffinimus animal: *principium sentiendi.* Rationale: *principium ratiocinandi*, vel discurrendi. Et sic de aliis. Essentias tamen diffinimus, non modo debito essentiæ, quia non penitus absolutè vel ad se; sed magis modo proprio naturæ. Itaque præfata nomina secundum rem substantiam Dei significant: secundum modum autem & comparativè ad usitatum nostrum intelligendi modum, significant ea quæ sunt circa substantiam & quæ substantiam consequuntur. Vel non significant essentiam aut substantiam divinam per se, sed per aliud; non per propriam speciem, sed per alienam, per speculum, per ænigma. *Videmus enim*, inquit Apost. *per speculum in ænigmate.* Confer capp. 16. et 65. Monolog. Nihil itaque extraneum, & contra mentem SS. Patrum facit Anselmus, dum quærit: *Quid es, Domine, quid es, quid te intelliget cor meum?*

6 Simili modo & noster Bern. 5, de Consid. cap. 7. interrogat: *Quid est Deus?* Et respondet: *Quo nihil melius cogitari potest.* Et in cap. 6. *Quid item Deus? Sine quo nihil est.* Et statim *Quid est Deus? Principium.* Et postea: *Quid est Deus? Cui sæcula nec acceſſerunt, nec deceſſerunt, nec coæterna tamen.* Et in cap. 11.

Quid ergo est Deus? Quod ad universum spectat, finis; quod ad electionem, salus: quod ad se, ipse novit. Quid est Deus? Voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo: Et multa, quæ ibidem Sanctus Doctor enumerat.

7 Anselmus vero quid respondet? *Certè*, inquit, *vita es, sapientia es, veritas es, bonitas es, beatitudo es, æternitas es, & omne verum bonum es.* Nimirum, hæc omnia nonnisi essentialiter & in quid prædicantur de Deo, ut in cap. 17. Monolog. nos docuit. Conferatur etiam hoc caput cum illo, & cum 5. ac 12. præsentis opusculi.

8 *Quomodo ergo, Domine, es omnia hæc? An sunt partes tui, an potius unumquodque horum totum est quod es?* Hic quærit Author de simplicitate Dei, utrum scilicet Deus simplex omnino sit, cùm tot tantaque bona in eo sint? At simul in eisdem verbis respondet. Ibi: *An potius &c.* Simili modo quæsivit, atque respondit in mox cit cap. 17. Monol. Dicit ergo, quod etsi illa tot bona enumerata, tum speciatim, tum generatim, multa propterea videantur, quoniam intellectus noster ea simplici modo & unico intuitu capere nequit; nihilominus unum in Deo, & cùm Deo sunt. *Multa*, inquit quoque Bern. 5. de Consid. cap. 7. *dicuntur esse in Deo, & quidem sanè, catholicèque: sed multa unum.*

9 *Nam quidquid est partibus junctum, non est omnino unum &c.* In citato cap. 17. Monolog. Dei probaverat summam simplicitatem tanquam ab inconvenienti ex dependentia cujuscumque compositi à suis partibus ut sit; & quia proinde omne compositum suis partibus posterius est: quod omnino contrarium est his quæ in prim. capp Monolog. jam inventa & stabilita fuerant. Nunc autem probat ex suo unico generali principio: *Deus est quo nihil melius cogitari potest.* Demonstratio itaque procedit sic. Deus est id quo nihil majus aut melius cogitari potest. Quod autem est partibus junctum, sive ex partibus compositum, non est id quo nihil majus aut melius potest cogitari. Non itaque Deus partibus junctus est aut ullo modo compositus. Probat min. Quod verè partibus constat, non est omnino unum, sed unitum; non idem, sed plura & diversum á seipso. At quod hujusmodi est, non est id quo nihil melius valet cogitari. Tum propter dependentiam & indigentiam quam præsefert: tum quia non cum omni proprietate & vera identitate est, quod dicitur esse; quandoquidem non est quod dicitur, nisi propter unionem & partium conjunctionem: tum denique quia non à se est id quod dicitur esse; sed ab alijs, nempe á partibus suis, quarum unaquæque distincta realiter, etsi non omnino, à composito est. Sed melius absolutè est esse sine dependentia ulla, sine ulla indigentia; esse cum omnimoda proprietate & identitate quod esse dicitur, quàm non ita esse; esse per se vel á se, quàm per alia, ab aliis, aut ex aliis. Ergo Deus cùm sit quo nihil melius cogitari valet, non compositè, & per conjunctionem est quidquid est; sed per simplicissimam identitatem & unitatem.

10 Deinde. Id quo nihil melius cogitari potest, necesse est ut penitús sit incorruptibile, neque ab ullo destrui possit, neque ullo modo queat perire aut desinere esse: quia melius sine dubio est, aut cogitatur sic, quám non ita. Quod vero ex partibus constat, & ullo modo est compositum, non est prorsus incorruptibile, neque omnino indestructile, sed perire, & desinere esse potest, saltem per alicujus agentis operationem. Probat min. Quæcumque reipsa conjuncta sunt, separabilia sunt saltem per intellectum. At facta partium cujuscumque conjuncti separatione, corrumpitur compositum, destruitur compositum, perit, desinit esse compositum. De majori nullus dubitare potest, qui advertat intellectum non aliter quæ conjuncta sunt separare, nisi intelligendo unum, intacto alio; aut negando unum esse aliud. Quod utrumque facere inter ea, quæ ut pote partes ac extrema componentia, realiter distincta sunt, facile est cuique intellectui. Sed neque de propositione minori poterit ambigere quisque rationis compos. Restat ergo ut cùm Deus sit penitus incorruptibilis, neque ullo modo destrui aut perire queat per quodcumque quamtumlibet potens ac subtile agens, nequaquam sit compositum ex ullis partibus, sive substantialibus, sive accidentalibus, sive physicis seu metaphysicis. Confer quoque cap. 3. lib. de Fide Trin. aut Epist. de Incarn. Verb.

11 Audi nunc Mellif. Bern. Anselmum in lib. de Consid. cap. 7. iterum contra Gilbertinos imitantem, Anselmianoque principio utentem. *Dicimus*, inquit, *magnum, bonum, & justum, & innumera talia: Sed nisi omnia unum in Deo, & cum Deo consideres, habebis multiplicem Deum. Mihi vero non deest*

quod

quod cogitem melius ejusmodi Deo tuo. Quæris, quid? Mera ſimplicitas. Vero judicio natura ſimplex multiplici antefertur.

12 *Nullæ igitur partes in te ſunt, Domine, nec es plura, &c.* Ex mox facta argumentatione nunc omnino legitimè colligit Anſelmus, nullas eſſe partes in Deo, ſive quantitativas, vel integrantes, ſive phyſicas, materiam ſcilicet, & formam, ſive metaphyſicas, genus videlicet ac differentiam, ſeu denique accidentales, qualitates, affectiones, actiones, modos, quibus quædam in creaturis fieri ſolet compoſitio cum ſubjecto. Colligit præterea non eſſe plura in Deo, diſtincta ſcilicet reipsa vel ex parte Dei, ſive phyſicé, ut ita loquar, Deus conſideretur, ſeu metaphyſicé.

13 Colligit insuper nullam in Deo eſſe diſſimilitudinem ſuiipſius, aut quòd in aliquo ſibi ipſi ſit diſſimilis. Unde apertè, ut quidem ego puto, colligitur, Auctorem Scoticam ſententiam repuliſſe, quæ diſtinctionem formalem ex natura rei cùm inter eſſentiam divinam, & relationes, tum & inter ipſa divina attributa intromittere conatur. Sub hac enim diſtinctionis ſuppoſitione, quis diffiteri poterit, Deum ſecundum unam, ut ipſi loqui amant, formalitatem, ſibi diſſimilem eſſe ſecundum aliam? Una quippe formalitas alteri diſſimilis eſt. Alioquin, nullum ipſi ſupererit formali ex natura rei diſtinctioni fundamentum. Præterea Anſelmus negat Deum eſſe plura. At in ſententia Scotiſtarum Deus eſt plures formalitates, cùm plures formalitates una res ſint, quæ Deitas, & Deus eſt. Ad hæc. In eadem periodo ſtatim ſubdit: *Immò tu es ipsa unitas nullo intellectu divisibilis.* Si ergo neque intellectu diviſibilis eſt unitas Dei; quî fieri poteſt ut Auctor non abominaretur actualem ſeu realem formalem ex natura rei diſtinctionem? Intellectus non aliter dividit, niſi diſtinguendo rem à re, vel formalitatem à formalitate. Et quomodo non diſtinguet eas quas in re ipsa diſtinctas inter se jam invenit? Denique. Quia nititur Auctor ſuo ad omnia principio, quòd ſcilicet Deus eſt quo nihil melius cogitari poteſt. Melius autem cogitatur quod idem omnino ſibi eſt, & meliùs eſt id quod eſt, quàm quod non omnino idem ſibiipſi, neque cum tanta perfectione, & proprietate id eſſe, quod eſt, cogitatur. Melius itaque cogitatur eſſe divinum ſine formali diſtinctione ex natura rei, quàm cum ea diſtinctione. Certus ſum ego ex his, Auctorem noſtrum diſtinctioni formali ex natura rei penitus contrarium fuiſſe.

14 Simillimo modo S. Martyr, & Episcop. Lugdunens. Irenæus lib. 2. cont. hæres. cap. 13 n. 3. juxta noviſſ. noſtri Maſſueti edit. locutus eſt. *Multum distat*, inquit, *omnium Pater ab his, quæ proveniunt hominibus, affectionibus, seu passionibus: & ſimplex, & non compoſitus, & ſimillimembrius, & totus ipse ſibimetipſi ſimilis, & æqualis.*

15 Ubi laudatus Maſſuetus explicationis gratiâ hanc notam in margine „ apponit. Simillimembrius dicitur Deus ab Irenæo, quia partes ejus, ſi quas dici fas „ eſſet, nihil à toto ipso differunt, ſeu ut mox addit Irenæus, quia totus ipse ſi„ bimetipſi ſimilis, & æqualis eſt. Idipsum eſt, quod Cyrillus Catech. 6. hunc Ire„ næi locum imitatus dixit: *ſui semper ſimilem, eſſentiâ uniformem, & uniusmodi,* „ *qui non plus habeat ex aliqua parte, ex aliqua minus, sed in omnibus ipſi suæ* „ *similis sit.*

16 *Immó tu es ipsa unitas, nullo intellectu divisibilis.* Non solùm Deus eſt, addit Anſelmus, idem ſibi ipſi, & in nullo ſibimetipſi diſſimilis: Sed cùm Deus, juxta dicta in cap. 12. huj. lib. & in 16. Monol. ſit per semetipsum omnino, non per aliud tanquam per aliquam formam à se ullo modo diſtinctam, quidquid eſt; quia ut etiam inquit noſter Bern. 5. de Conſid. cap. 7. *Non est formatus Deus, forma est*: Sequitur quòd non modò unum ſit, verum etiam ipsa unitas ſit. Quippe unum eſt, & dicitur unum per unitatem. At ſicut diximus eſſe cætera omnia quæ de ipso prædicantur, etiam eſt unum non per aliud, sed penitùs per semetipsum. Quid ergo consequentius quàm quòd Deus eſt non modó unum, sed unitas ipsa. Deinde, omnia quæ unum dicuntur, præter Deum, ſicut per participationem sunt, ita & unum sunt per participationem à Deo. Sunt vero unum per participationem unitatis. Ergo Deus eſt ipsa unitas. Unde P. Bern. eleganter, ut aſſolet, ac vividè sæpe cit. lib. de Conſid. cap. 7. *Est unus*, inquit, *quomodo aliud nihil: Si dici possit, unissimus est... Compara uni huic omne quod unum dici potest: & unum non erit.* Hinc etiam D. Thom. 1. p. q. 11. art. 4. ait quia *Deus est maxime unus.* Quod authoritate probat D. Bernardi (male in editis, *Boetii*) in eod. lib. de Conſid. cap. 8.

8. inquientis : *Inter omnia quæ unum dicuntur , arcem tenet unitas Trinitatis.*

17 Itaque rectè colligit noster Auctor , quòd nullo intellectu ipsa unitas sit divisibilis. Divisio quippe aut distinctio , si per intellectum fieret , esset concipiendo plura , aut pluralitatem in unitate ipsa. Hoc autem est penitus impossibile. Unitas namque essentialis , & metaphysica , qualis sine dubio est unitas ipsa , pugnat itidem essentialiter , & metaphysicè cum pluralitate , non minus quàm ipsa bonitas essentialis cum omni malitia ; ipsum esse , vel essentia ipsa cum non esse , vel nihilo ; Lux cum tenebris ; albedo cum nigredine ; singularitas cum universalitate. Cum ergo nullus intellectus concipere queat ea , quæ sic opponuntur , conjuncta , vel facere ut unum sit aliud sibi oppositum , vel ex uno aliud : inevitabiliter sequitur , nullum intellectum dividere aut distinguere posse unitatem ipsam , vel facere eam esse plura, aut pluralitatem ; vel ex ipsa unitate per divisionem aut distinctionem plura , seu pluralitatem facere. Unde & apertissimè colligitur , Auctorem repulisse perfectam metaphysicam , vel intellectualem præcisionem , quam que vocant Scholastici objectivam , tum inter divinam essentiam , & relationes , cùm inter essentiam , & attributa , vel inter unum , & aliud attributum. Ex quà collectione non minori evidentia sequitur, à Deo repulisse omnem compositionem methaphysicam. Hoc autem jam in cit. cap. 17. sui Monolog. fecerat. Nunc autem omnia de Deo colligit ex sæpissime dicta notione Dei : *Id quo nihil majus, aut melius cogitari valet.*

18 *Quomodo ergo nec tu habes partes ; nec tua æternitas , quæ tu es &c.* Concludit Author hoc caput ajendo, sicut Deum nullas in se partes habere , sic consequenter neque æternitatem ullas habere partes ; quandoquidem non aliud est Deus, aliud æternitas ; sed idem ipsum. Si ergo Deus simplex penitùs est ; pariter simplex est & æternitas. Tota igitur , sicut ipse Deus , ubique & semper.

CAPUT XIX.

Quòd non sit in loco aut tempore ; sed omnia sint in illo.

SED si per æternitatem tuam fuisti & es & eris ; & fuisse non est futurum esse ; & esse, non est fuisse vel futurum esse ; quomodo æternitas tua tota est semper ? An de æternitate tua nihil præterit, ut jam non sit ; nec aliquid futurum est , quasi nondum sit ? Non ergo fuisti heri, aut eris cras ; sed heri & hodie & cras es : immo nec heri , nec hodie, nec cras, es ; sed simpliciter es extra omne tempus. Nam nihil aliud est heri & hodie & cras, quàm in tempore : tu autem licèt nihil sit sine te, non es tamen in loco aut tempore ; sed omnia sunt in te : nihil enim te continet ; sed tu contines omnia.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XIX.

Sed si per æternitatem tuam fuisti, & es & eris &c.

1 Dubitationem suscitat Author adversus æternitatis simplicitatem in fine cap. proximi assertam. Arguit siquidem. Deus fuisse dicitur & esse & futurus esse. At fuisse , & esse ac futurum esse , diversa tempora sunt , sibique necessario succedentia, ita ut neque præsens sit futurum aut præteritum ; neque præteritum præsens , aut futurum ; neque futurum præteritum aut præsens. Ergo videtur æternitas non tota semper esse , sed successivè ac per partes. Quòd autem Deus dicatur fuisse , & esse , & futurus esse , constat ex cap. 4. Apocalip. ubi proclamatur & laudatur *Sanctus , Sanctus, Sanc-*

Sanctus, Dominus Deus Omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est. Vel ſicut in verſione Italica, edita novissimè à doctiss. Monach. Cong. S. Maur. Sabatier habetur: *Qui fuit, & est, & venturus est.* Verum est tamen quòd græcus textus meliùs vertitur á Vulgata, saltem juxta frequentiorem sensum & usum.

2 *An de æternitate tua nihil præterit, ut jam non ſit; nec aliquid futurum est, quaſi nondum ſit?* Respondet quæstioni dicendo, quamvis humano more ita de Deo loquamur ſicut de rebus nostris temporalibus, nihil reipsa de Dei præterit æternitate. Præterire Deum non dicimus quaſi revera aliquid ejus fuerit & jam non ſit; sed per comparationem ad nostrum tempus, ætatemque nostram. Neque futurum, vel venturum eſſe dicimus, quia aliquid vitæ, vel ætatis, vel existentiæ vel perfectionis Dei adhuc non ſit, & aliquando erit; sed quia nos adhuc non sumus in illis temporibus, in quibus ipse jam eſt; vel quia futura tempora cum quibus illum contulimus, non sunt adhùc. Eum scilicet ad modum quo navigantibus moveri ſimul cum ipſis in navigio, undas percurrente, litora ipsa videntur.

3 *Ad sapientiam pertinet*, inquit S. Auguſt. lib. 12. de Trinit. cap. 13. *ea quæ nec fuerunt, nec futura sunt, sed sunt... Et fuiſſe & eſſe & futura eſſe dicuntur ſine ulla mutabilitate temporum. Non enim ſic fuerunt ut eſſe deſinerent, aut ſic futura ſunt, quaſi nunc non ſint; sed idipsum eſſe semper habuerunt, semperque habitura sunt.* Quod satis insinuat ipse supra positus sacer textus, dum ſimul ait, quod Deus erat, & eſt, & venturus eſt. Utitur autem Scriptura temporibus, præterito, præsenti & futuro, quia, ut in cap. 1. lib. 1. de Trin. inquit S. Aug. *Rebus quæ in creatura inveniuntur, solet Scriptura divina velut infuntilia quædam oblectamenta formare, quibus infirmorum ad quærenda superiora, & inferiora deserenda, pro suo modulo tanquam passibus moveretur affectus.*

4 *Non ergo fuisti aut eris cras; sed heri & hodie & cras es.* Proximo responso conficit Author, Deum nequaquam in seipso fuiſſe heri, aut futurum eſſe cras, juxta proprietatem sermonis; sed tam heri quàm cras, id eſt, tam omni præterito, quàm futuro tempore aut ævo, nonniſi de præsenti eſſe. Itaque in rigore sermonis, nec attento more loquendi humano, Deus non debet dici quòd fuit heri, aut quòd erit cras, sed quod eſt cras & heri non minus quàm hodie, non minùs quàm nunc. Unde Chriſtus D. in Evang. Joan. cap. 8. ℣. 58. dixit Judæis: *Amen, Amen dico vobis; antequam Abraham fieret, Ego sum. ANTE enim*, exponit N. Greg. Hom. 18. in edit. S. Maur. *præteriti temporis est; SUM, præsentis. Et quia præteritum & futurum tompus divinitas non habet; sed semper eſſe habet, non ait: Ante Abraham ego fui, sed: Ante Abraham ego sum.*

5 Ergo ex his verbis Authoris, quæ nunc versamur, satis colligitur quòd jam in Comment. sup. 22. cap. Monol. collegimus, apud Deum nimirum cuncta futura atque præterita exiſtere phyſicè ab æterno in æternitate. Quippe dicit quòd Deus eſt heri & eſt cras. At ſi nullo modo phyſicè jam exiſtunt cras & heri, nequaquam de præsenti eſt heri & cras. Nam ſi jam non exiſtunt phyſicè, neque in se neque in æternitate; in nulla conſideratione aliquid reale sunt, sed nihil sunt. In nihilo autem quî fieri poteſt ut Deus ſit? Præsertim cùm Deus nullibi niſi aliquid faciendo vel dando eſſe vel conservando, intelligatur exiſtere, sed in seipso. Ergo verè secundum mentem Authoris exiſtunt phyſicé heri & cras. Non in propria duratione. Ergo in æternitate ac vi æternitatis, ut alibi dicit Anselmus. Conferatur citatum Monolog. cap. 22, & ibi noster Comment. Conferatur etiam cap. 4. & 5. lib. de Concordia, q. 1.

6 *Immò nec heri nec hodie, nec cras es; sed ſimpliciter extra omne tempus.* Non inficiatur hîc Author quod proximè tam conſtanter aſſeruit. Negat duntaxat sermonis proprietatem ac modum præselatum in verbis. Indicant enim verba continentiam, et comprehenſionem, vel incluſionem illius quod dicitur eſſe heri aut cras. Propterea continuó subjungit: *nam nihil aliud est heri, & hodie & cras, quàm in tempore: Tu autem, licèt nihil ſit ſine te, non es tamen in loco ac tempore; sed omnia sunt in te: Nihil enim te continet; sed tu contines omnia. Unde, ſi usus loquendi admitteret* (verba sunt ex cap. 22. Monol. desumpta) *convenientius dici videretur eſſe cum loco aut tempore, quàm in loco vel tempore. Verius enim ſignificatur contineri aliquid, cùm dicitur eſſe in alio; quàm cum dicitur eſſe cum alio. In nullo itaque loco vel tempore proprié dicitur eſſe, quia omnino à nullo alio continetur: & tamen in omni loco vel tempore suo quodam modo dici potest eſſe; quoniam quidquid aliud est, ne in nihilum cadat, ab ea* (summa Dei eſſentia) *præsente ſustinetur.* De æternitate tam parcè hic loquitur Auctor,

quia abundanter à cap. 18. usque ad 24. inclusive Monólog. hanc materiam disputando tractavit. Illic ergo ab Anselmo edoceri lector cupidus non gravetur. Si autem adhuc amplius desideraverit : legat supra citata capp. in lib. de Concordia.

CAPUT XX.

Quòd sit ante , & ultra omnia etiam æterna.

TU ergo imples , & complecteris omnia ; tu es ante, & ultra omnia. Et quidem ante omnia es ; quia antequam fierent , tu es. Ultra omnia vero quomodo es ? Qualiter enim es ultra ea quæ finem non habebunt ? An quia ſine te nullatenus eſſe poſſunt : tu autem nullo modo minùs es ; etiamſi illa redeant in nihilum ? Sic enim quodammodo es ultra illa. An etiam quia illa cogitari poſſunt habere finem ; tu vero nequaquam ? Nam ſic illa quidem habent finem quodammodo ; tu vero nullo modo. Et certe quod nullo modo habet finem , ultra illud eſt , quod aliquo modo finitur. An hoc quoque modo tranſis omnia etiam æterna, quia tua , & illorum æternitas tota tibi præſens eſt ; cùm illa nondum habeant de ſua æternitate quod venturum eſt , ſicut jam non habent quod præteritum eſt ? Sic quippe ſemper es ultra illa ; cùm ſemper ibi ſis præſens , ſeu cùm illud ſemper ſit tibi præſens : ad quod illa nondum pervenerunt.

COMMENTARIUS.

CAP. XX.

Tu ergo imples , & complecteris omnia ; tu es ante , & ultra omnia.

1 Ex cap. anteriori rectè colligit Auctor Deum implere , complectique omnia ; eſſe ante & ultra omnia. Nam ſi Deus continetur à nullo , ipse verò virtute „ sua subjicit omnia , & omnia conservat , atque adeo cuncta manu sua continet, „ quia in manu ejus sunt omnes fines terræ ; quia apprehendit tribus digitis molem „ terræ ; quia mensus eſt pugillo aquas , & cœlos palmo ponderavit ; quia sedet su„ per gyrum terræ , & habitatores ejus sunt quaſi locuſtæ ; quia extendit quaſi nihi„ lum cœlos , & expandit eos ſicut tabernaculum ad inhabitandum ; ut in Isaiæ cap. „ 40. legitur : Absdubio universa virtute sua replet , & nihil ſive in cœlo ſive in terra eſt quod non complectatur. Itaque *Spiritus Domini replevit orbem terrarum. Et cœlum ac terram ego impleo* , dicit Dominus. Deinde ſi Deus eſt extra ac supra omne tempus , utpote qui fecerit sæcula , conditorque ſit omnium temporum : neceſſe eſt ut cuncta sæcula ac tempora cum omnibus quæ in eis sunt , poſt Deum fuerint , aut futura ſint ; & ipse ſit ante omnia tempora , & ante res omnes. Quòd Deus impleat omnia , & complectatur , etiam ratione probatum eſt ab Auctore in capp. 13. & 14. *Monolog.* ubi in fine 14. diximus quòd quamvis hoc dogma catholicum ſit , ſicut & multa alia de quibus in his libris agit Anselmus , digniſsimi tamen eſſent qui cum jucunditate legerentur D. Hilarius lib. 1. de Trinit. num. 6. in Edit. S. Mau. S. Aug. Ep. 137. ad Voluſian. S. Greg. lib. 2. Moral. cap. 11. & 8. D. Thom. 1. part. in tota quæſt. 8.

2 *Ultra omnia vero quomodo es ? Qualiter enim es ultra ea quæ finem non habebunt ?* Dixit Anselmus Deum non modo ante omnia sed etiam eſſe ultra omnia. Utrumque apperté nos docet Scriptura : Primum ſtatim in Geneſi dicens : *In prin-*

ci-

cipio creavit Deus cælum, & terram. Deinde in Psal. *Ante quam formarentur terra aut orbis à sæculo, & usque in sæculum tu es Deus.* Et ratio ipsa persuadet argumento factionis, & creationis. Secundum docet Exodi liber cap. 15. versu 18. dicens: *Dominus regnabit in æternum, & ultra.* Vel ſicut verſio Italica tradit: *Domine qui regnas in æternum, & in sæculum, & adhuc.* Et apud Aug. Serm. 363. Col. 1441. ut super eàdem verſione Italica notat Eruditissimus noſter Sabatier: *Domine qui regnas semper, & in sempiternum, & adhuc.* Græcus textus habet: *Dominus qui regnat sæculum* (ad litteram verto) *& in sæculum, & adhuc.* In Editione tamen Complutenſi habet: *Regnans in sæculum, & adhuc.* Itaque quamvis nulla ſit difficultas in eo quòd Deus ſit ante omnia, ut certiſsimè inſinuat Auctor: non exigua tamen apparet in hoc quòd ultra omnia æterna, ſive quæ finem non habebunt (quo sensu exponere Anselmus videtur textum præfatum) etiam ſit Deus. Nam ut in citato proxime loco addit Aug. *Est ne quid ultra quàm in sempiternum? Quis hæc dixerit? Cur ergo addidit: & adhuc?*

3 *An quia illa ſine te nullatenus eſſe poſſunt, &c.* Respondere incipit ad objectionem: cui plures solutiones, seu plures ſacro textui explicationes adhibet. 1. eſt quæ præjactis in verbis continetur. Nimirum quòd Deus dicatur, & verè ſit quodammodo, id eſt, quadam conſideratione ultra omnia, quia *eſſe* Dei ſicut à se eſt, ita à se durat, neque ab ullo, ut ſit quidquid eſt, vel ut conservetur, nequaquam dependet; Angeli vero, rationalesque animæ ſic à Deo pendent, ut nullo modo, ſi manu omnipotentiæ non ſuſtinerentur, poſſent ſubſiſtere, sed illicò in nihilum redigerentur. Nam ſicut lib. 5. de Conſiderat. cap. 6. inquit Bernardus. *Tam nihil eſſe ſine ipso, quàm nec ipse ſine se, potest. Ipse ſibi, ipse omnibus est.* Hæc 1. Auctoris commentatio non ſine causa judicari ſimilis poterit interpretationi, quam textui ſupra poſito libri Exodi ſubjungit Aug. Ait ſiquidem: *An quia regnat Deus semper in cœlestibus, quæ statuit in ſæculum sæculi?* Quaſi dicat (nam ut ipse in lib. de Doctrina Chriſt. docet, interrogatio, quamvis non percontatio, vim non ſemel responſionis habet) Deus eſt adhuc ultra æternum, & ſæculum, quia non solum per creationem regnavit, aut exercuit super Angelos dominium ſuum, sed etiam semper ipſis dominatur, servando per eamdem potentiam ſubſtantiam ipsorum, ne aliquando in nihilum abeant, neque ſuam umquam amittant felicitatem, quæ in perfecta mentis, & cordis ipsorum ſubjectione voluntati Dei, & ipſi ſubſtantiæ Dei, conſiſtit.

4 *An etiam quia illa cogitari poſſunt habere finem; tu vero nequaquam? &c.* Continetur in his ſecunda ratio, & expoſitio, quare dicatur Deus eſſe ultra æternum aut ultra ea quæ finem non habebunt. Ratio formatur ſic. Quod nequit cogitari finem habere, ultra illud eſt, quod habere finem poteſt cogitari. Deus autem nequit cogitari finem habere; reliqua vero omnia cum fine aut termino sui *eſſe* cogitari queunt. Ergo Deus etiam propter hanc rationem eſt ultra omnia. Ratio majoris eſt, quia quod aliquo modo finem habet, citra illud eſt quod nullo modo habet finem, & hoc proinde ultra illud est: quod enim omni modo infinitum est, ultra id est, quod finitum est aliquo modo: ſicut quod æternum est cum carentia principii, & finis, magis æternum est, immò incomparabiliter quàm id quod duntaxat eſt æternum propter carentiam finis, seu termini durationis in futurum. Min. vero probatur. Deus non poteſt cogitari non eſſe, ut probatum manet in primis capp. creatura vero semper poteſt cogitari non eſſe, propter rationes, quas in ſequenti Apologet. capp. 1. & 4. ipse Author producit. Sed quod non poteſt cogitari non eſſe; neque finem proinde habere, poteſt cogitari: quod autem cogitari poteſt non eſſe, eàdem de causa & cogitari poteſt cum fine, aut finem habere, quamvis numquam finem habiturum ſit. Ergo creatura omnis, saltem in hoc sensu, finem habet; Deus autem in nullo sensu. Igitur Deus eſt etiam ultra ea quæ numquam finem habebunt. Hoc eſt dicere uno verbo: eſſentia metaphyſica Dei (quæ èadem eſt cum phyſica eſſentia) ſicut non permittit non exiſtere aliquando, ita neque finem habere permittit: eſſentia vero metaphyſica cujuscumque creaturæ, ſicut admittit carentiam exiſtentiæ, ita eàdem ratione finem admittit in exiſtendo. Eſſentia itaque Dei eſt ultra eſſentiam cujuslibet creaturæ in repellendo finem quemcumque, illumque non habendo.

5 *An hoc quoque modo tranſis omnia etiam æterna, quia tua & illorum æternitas tota tibi præsens est; cùm illa nondum habeant de sua æternitate quod venturum est, ſicut jam non habent quod præteritum est? &c.* Hæc tertia, & ultima ra-

tio

tio Authoris est, quare Deus sit ultra ea etiam quæ dicuntur æterna. Cujus hæc vis. Quod actu suam totam simul præsentem durationem sine fine habet, totamque simul præsentem aliorum durationem, ultra illud est quod quamvis finem non sit habiturum, non tamen actu præsentem jam tenet totam simul extensionem suæ perpetuæ durationis. At Deum totam suam & aliorum, etiam in perpetuum duratorum, præsentem & possesam actu habet durationem; creaturæ autem, etiam quæ sunt immortales, neque suam propriam totam longævitatem simul, neque actu totam possident, tenent ve præsentem. Ergo Deus etiam ultra has creaturas protenditur, & est, sine sui extensione, sed simplicissima infinitaque duratione. Major patet, tum ex eo quòd continens & includens, majus sit incluso atque contento: illud autem quod tota simul & actu præsentem, atque possessam ætatem seu durationem habet alterius, illam sic non possidentis, nec præsentem habentis, continet & includit istud postremum. Tum quia illud Primum actu, &, sicut Schola loquitur, cathegorematicè est æternum etiam à parte post; istud vero secundum non nisi in potentia & syncathegorematice, æternitate suæ substantiæ potitur: unde hoc est in expectatione, quamquam omnino secura, æternum; illud autem non expectatione, sed jam in re. Min. præterquamquod reliquorum est Patrum, probata in Monologio relinquitur capp. 21. & 22. adhucque magis explicatur ab Authore tractat. de concordia q. 1. cap. 5. Immò & comitanter vel virtualiter probatur in sequenti Apologetico libro.

6 Itaque ex hoc cap. verbis ultimo relatis palám consequitur Anselmum pro sententia stetisse asserentium futura ab æterno in æternitate, seu vi æternitatis, physicè existere. Quinimò nullus Pater (quem ego légerim) reperietur qui tam apertè & ex proposito pro hujusmodi futurorum existentia scripserit. Ergo ex hoc cap., inquam, confirmatur etiam Anselmum hujus sententiæ fuisse. Hic namque sermo nequaquam est de præsentia intellectuali, qua objectum intellectui intelligenti est præsens; sed de præsentia propria æternitatis, de præsentia existentiæ, de illa denique præsentia, ad quam creaturæ immortales nondum pervenerunt. Ad præsentiam purè mentalem jam absdubio per visionem in verbo claram & intituivam, etiam rerum quæ ad beatos pertinent cunctarum, jam pervenerunt ipsi beati. Alioquin, erit semper imperfecta & inconsummata, & mutabilis illa visio, quæ est vita æterna. Nam semper erit in potentia & expectatione amplius & amplius sine fine videndi, semper atque semper innovabitur, ac proinde immutabitur: quod contra naturam est talis visionis.

7 Quòd verò creaturæ spirituales nondum pervenerint ad suam totam quam habituræ sint diuturnitatem, atque adeo eam totam actu simul præsentem non habeant, patet ex ea ratione, quòd ævo mensuratæ dicantur, non æternitate; cujus essentialis differentia ab alia quacumque duratione secundum D. Thom. 1. p. q. 1. art. 1. & 3. cum duobus seqq. est quod tota simul existat. Unde cùm Author noster vocat alia præter Deum æterna, accipit æternitatem pro ævo; quæ aliquando dicuntur æviterna. Sed præstat audire D. Thom. in citato art. 5. eó quòd totam confirmat Anselmi doctrinam in hoc cap. *Dicendum*, inquit, *quód ævum differt à tempore & ab æternitate sicut medium existens inter illa.* Et infra. *Dicendum quòd cùm æternitas sit mensura esse permanentis, secundum quod aliquid recedit à permanentia essendi, secundum hoc recedit ab æternitate. Quædam autem sic recedunt à permanentia essendi, quód essentia eorum est subjectum transmutationis, vel in transmutatione consistit; & hujusmodi mensurantur tempore: sicut omnis motus & etiam esse omnium corruptibilium. Quædam vero recedunt minùs à permanentia essendi, quia esse eorum nec in transmutatione consistit, nec est subjectum transmutationis: tamen habent transmutationem adjunctam vel in actu vel in potentia... Sicut patet de Angelis... Et ideo hujusmodi mensurantur ævo, quod est medium inter æternitatem & tempus. Esse autem quod mensurat æternitas, neque est mutabile, nec mutabilitati adjunctum.*

8 In art. 2. ejusdem quæst. signanter respondet ad argumentum ex textu desumptum Exodi. Respondet, inquam, secundum ultimam expositionem Anselmianam. *Vel dicitur* (nam aliam priorem adaptaverat responsionem) *etiam ultra æternum regnare: quia etiamsi aliquid aliud semper esset (ut motus cœli secundum quosdam Philosophos) tamen Deus ultra regnat: in quantum ejus regnum est totum simul.* In disput. vero q. 3. de Creatione art. 17. ad 23. expresso nomine Anselmi, totis his tribus ejus expositionibus utitur

9 Nihilominus P. N. Greg. 16. Moral. cap. 43. juxta editionem Congreg. S. Mau. ait, Quia etsi per prophetiæ spiritum dictum est: *Domine qui regnas*

„ *nas in æternum & in sæculum, & adhuc*; more Sacri eloquij, humano modo spiri-
„ tus hominibus est locutus, ut ibi adhùc diceret, ubi expectatio non in-esset. *Adhùc*
„ enim æternitas non habet, quæ semper esse habet, in qua nulla pars suæ longitudi-
„ nis præterit, ut pars alia succedat, sed totum simul esse est.

10 Cæterum nihil vetat ut per phrasim hominum, per modos loquendi humanos, spiritus prophetiæ multa protulerit mysteria, sensusque varios reconditos, non tamen contrarios. Et D. Anselmus, ut jam alibi monuimus, dicit in cap. 4. lib. de Fide Trinit. se aliqua in Monologio & Proslogio scripsisse quæ alibi non legerat, aut non meminerat se legisse, *non quasi docendo, quod Doctores nostri nescierunt, aut corrigendo quod non bene dixerunt; sed dicendo forsitan quod illi tacuerunt: quod tamen ab eorum dictis non discordet, sed illis cohæreat.* Et jam in principio expositionis hujus cap. vidimus, D. Aug. aliquid non dissimile, sed cohærens insinuasse.

11 Noster Venerabilis Laicus vel frater conversus Josephus à S. Benedicto, Monserratensis, alios fodit puteos in sacro textu, & invenit aquam sapidam, immò sapientiæ aquam. Nam in 1. part. suorum Operum illum versans textum Micheæ in cap. 4. sic ait: *Omnes Populi ambulabunt, unusquisque in nomine Dei sui: nos autem ambulabimus in nomine Dei nostri in æternum & ultra.* Ubi in decursu expositionis suæ affert, & conjungit textum Exodi, & sic admiratus, seu plenus admiratione prosequitur: *O admirabile, & valde delectabile Sacramentum! Hoc mysterium magnum est, ambulare in æternum & ultra. Quid est ultra? Et quare ultra? Et quomodo ultra? Quid enim potest intelligi post æternitatem ultra?* Cui mysterio, & quæstioni post aliquas interpositas periodos respondet 1. *Quia locus possessionis ejus magnus est & non habet finem, excelsus, & immensus.* Secundo: *Quia numquam poterunt investigare profunda Dei in æternum; nec invenire longitudinem, latitudinem, nec altitudinem ejus, nec magnalia ejus, nec pervenire ad summitatem Dei: Quoniam magnitudinis ejus non est finis: & lucem habitat inaccessibilem: & excelsum est nomen ejus, in quo ambulabunt.* 3. denique: *Quia una est lux illuminans mirabiliter á montibus æternis. Montes isti æterni tres sunt, & hi tres unum sunt: quia tres sunt qui testimonium dant in cœlo, & hi tres unum sunt... Ad verticem montium istorum nemo potest ascendere in æternum, quia montes sunt excelsi, qui in lumine uno inaccessibili illuminant mirabiliter; ideo ambulabimus in illo in æternum, & ultra, quia per æternitatem totam non poterimus investigare illud lumen, nec ascendere in verticem horum montium: quia non est invenire magnalia Dei.*

12 Hæc tam magnificè dicta, digna erant quæ pro nata occasione in medium à nobis adducerentur, si non pro defensione, saltem pro exornatione nostri Anselmi: præsertim cum hic Venerabilis religiosus fuerit idiota & quæ scripsit, piè creditur illustratione divina scripsisse.

CAPUT XXI.

An hoc sit sæculum sæculi, sive sæcula sæculorum.

AN ergo hoc est sæculum sæculi, sive sæcula sæculorum? Sicut enim sæculum temporum continet omnia temporalia; sic tua æternitas continet etiam ipsa sæcula temporum. Quæ sæculum quidem est, propter indivisibilem unitatem: sæcula vero, propter interminabilem immensitatem. Et quamvis ita sis magnus, Domine, ut omnia sint te plena, & sint in te: sic tamen es sine omni spatio; ut nec medium, nec dimidium, nec ulla pars sit in te.

COMMENTARIUS.

CAP. XXI.

An ergo hoc eſt ſæculum ſæculi, ſive ſæcula ſæculorum? &c.

1 Proſequitur noſter Author colligendo æternitatem eſſe ſæculum ſæculi, vel ſæcula ſæculorum, ſicut ſæpe loquitur Sacra Scriptura, eò quòd æternitas univerſa temporum ſæcula complectatur; ſicut tempus etiam vel ſæculum temporum omnia continet temporalia. Accipit verò tempus non mòdo in ſtricta ſignificatione, verum etiam pro omni diuturnitate variabili & ſucceſſiva ſic vel ſic, juxta dicta in cap. præcedenti, quaruncumque creaturarum. Unde D. Aug. 8. lib. ſup. Gen. ad litter. dicit quòd Deus movet per tempus ſpiritualem creaturam. Et Div. Thom. 1. p. q. 11. art. 5. ad 1. ait ſpirituales creaturas, quantum ad motus intelligendi, & affectionis, in quibus eſt ſucceſſio, tempore menſurari. Hoc tamen tempus angelicum, ſicut in eádem parte q. 53. art. 3. in corp. ait, *Non eſt idem cum tempore quod menſurat motum cæli, & quo menſurantur omnia corporalia, quæ habent mutabilitatem ex motu Cœli.*

2 Sæculum autem plura ſignificat, inquit S. Joann. Damasc. lib. 2. de Fide orthoda cap. 1. " Nam ſæculum dicitur uniuſcujuſque hominum vita. Dicitur rur-„ ſus ſæculum tempus mille annorum. Dicitur rursus ſæculum univerſa vita præſens: & „ ſæculum, futura vita poſt reſurrectionem, nullo fine claudenda. Dicitur rursus ſæ-„ culum, non tempus neque temporis pars motione ſolis & cursu menſurata, per dies „ videlicet & Menses conſtituta: Sed quod coextenditur ſempiternis, inſtar cujusdam „ temporalis motus & ſpatii... Dicuntur etiam ſeptem ſæcula mundi hujus, à Cœli & „ terræ videlicet creatione usque ad communem hominum conſumationem, & reſurrec-„ tionem... Octavum autem ſæculum eſt quod futurum eſt.... Unum etiam ſæculum eſt, „ ſecundum id quod dicitur Deus æternus, quinimò, & prææternus: ipse enim & ſæ-„ culum fecit::. Dicuntur autem ſæcula ſæculorum ſecundum id quod hujus mundi ſep-„ tem ſæcula ſunt, multa ſæcula videlicet hominum vitam continentia: & ſæculum „ unum, omnium ſæculorum conſtitutivum eſt, & ſæculum ſæculi dicitur„. Hæc Da-„ mascenus; Interprete, ſimulque commentatore Jacobo Fabro ſtapulenſi, qui ſuper ul-„ tima verba ait: " Demum pro æternitate quoque principij & finis experte ſæpe nu-„ mero ſumitur ſæculum. Ut pſalmo 89. Priusquam montes fierent aut formaretur ter-„ ra & orbis à ſæculo, & usque in ſeculùm tu es Deus. Et in hoc ſignificatu ſump-„ tum ſæculum, ſæculorum omnium contentivum eſt, quòd æternitas omnia præambiat & ſuperambiat ſæcula„. Cum autem S. Damascenus dicat, ſeptem hujus mundi ſæcula, eò quod multa hominum ſæcula in ſe comprehendant, vocari quoque ſæcula ſæculorum: multo magis æternitas appellari poterit ſæculorum ſæcula, quæ omnium tam hominum quam Angelorum ambit ſæcula. Angelorum autem ævum cùm ſit unum tantum, ſicut aſſerit Ang. Præcep. 1. p. q. 10. art. 6. neque inter ipsos, ſicut accidit inter homines, ſint ætates diversæ, neque ulla Era neque Menses, neque Anni: conſequenter neque ipsorum erit niſi unum ſæculum. Itaque ſæculum Dei, id eſt, æternitas ambiens ſine dubio Angelorum quoque ſæculum, jure proinde ab Authore noſtro nominari potuit ſæculum ſæculi; aut in hoc sensu intelligi ſæculum ſæculi, quod ſæpe numero in aures noſtras insonat Scriptura.

3 Noster Eruditiſsimus Aug. Calmet in suo Dictionario Biblico, verbo *ſæculum*, quadrupliciter accipit ſæculum. 1. *ſæculum*, inquit, *quod vulgo pro ſpatio centum annorum usurpatur, quamquam in eo ſensu numquam in Scriptura legi arbitror. Secundo ſæculum pro ſpatio longi temporis usurpatur. Ita Gen. 6. 4. Gigantes erant potentes à ſæculo viri famosi.* 3. *Sæculum perpetuò, tota æternitate.... Fœdus perpetuó initum in Scriptura fœdus ſæculi appellatur.* 4. *Sæculum eſt mundus, & vita. Solicitudo ſæculi, Mathei* 13. 22. *Filij ſæculi, &c. Quæ phrases*, inquit, *frequentiſsimæ ſunt in libb. novi Testamenti.*

4 *Quæ ſæculum quidem eſt propter indivisibilem unitatem: ſæcula vero propter interminabilem immensitatem, &c.* Reddit rationem Anselmus cur æternitas ſæculum in ſingulari, & ſæcula in plurali numero dicatur: nempe quia in se

eſt

est una, & simplex, immò unitas prorsus indivisibilis, sæculum in numero singulari profertur. Nam sicut ex cap. 12. & palàm ex 18. hujus opusc. præter 16. Monolog. constat, æternitas est ipse Deus, & Deus est sua æternitas: Deus est ipsa unitas nullo intellectu divisibilis. Dicitur verò in plurali *sæcula*, quia cùm sit interminabilis immensitas, vel interminabilis vita, ut dictum est in cap. 24. Monolog. æquivalet plurimis, immò omnibus creatis sæculis, ut potè quæ fecerit sæcula: quod de æterno Filio Dei, qui & ipse æternitas est, asserit D. Paulus. Vel dicitur in plurali *sæcula* æternitas, quia sæcula creata ad quæ omnia sine spatio, & extensione æternitas extenditur, immò & illa supergreditur, plurima distincta sæcula sunt. Unde in æternitate plures inveniunt Scholastici respectivas virtualitates comparativè ad tempora multa, ad multas variasque rerum durationes. Ex his itaque Comment. distincto nullo indigent pauca verba hujus cap. quæ supersunt.

CAPUT XXII.

Quòd solus sit quod est & qui est.

TU solus ergo, Domine, es quod es; & tu es qui es. Nam quod aliud est in toto & aliud in partibus; & in quo aliquid est mutabile; non omnino est quod est. Et quod incœpit à non esse, & potest cogitari non esse; & nisi per aliud subsistat, redit in non esse: & quod habet fuisse, quod jam non est; & futurum esse, quod nondum est; id non est propriè, & absolutè. Tu verò es quod es: quia quicquid aliquando, aut aliquo modo es; hoc totus & semper es. Et tu es qui propriè, & simpliciter es: quia nec habes fuisse, aut futurum esse; sed tantum præsens esse, nec potes cogitari aliquando non esse. Sed & vita es, & lux, & sapientia & beatitudo & æternitas & multa hujusmodi bona; & tamen non es nisi unum & summum bonum, tu tibi omnino sufficiens & nullo indigens; quo omnia indigent ut sint & ut bene sint.

COMMENTARIUS.

CAPIT. XXII.

Tu solus ergo, Domine, es quod es; & tu es qui es, &c.

1 Hæc est consequentia legitima ex omnibus præcedentibus. Sicut itaque in Monolog. cap. 24. ex omnibus antea de summa essentia, summaque substantia demonstratis collegit Auctor summum spiritum sive Deum esse solum qui absolutè, perfectè ac simpliciter est; reliqua verò fere non esse; & vix esse, atque proinde neque perfectè, neque simpliciter esse: ita in præsenti ex dictis & assertis cunctis hucusque de Deo, idem omnino colligit. Itaque hoc cap. tametsi compendiosius, illi præfato Monolog. adamussim correspondet. Quapropter quæcumque tam de Scriptura quàm ex SS. Patribus in nostrum refundimus commentarium, pro coronatione vel illustratione hujus cap. dicta sunto.

2 Nihilominus adjicere volo alium Textum Aug. in principio librorum de Trinitate, qui tum principium cap. quod versamus, cùm etiam illud adverbium *propriè* quod postea inserit Anselmus, mirè vel fulcit, vel explicat. *Quæ proprie*, inquit *de Deo dicuntur, quæque in nulla inveniuntur creatura; rarò ponit Scriptura divina: sicut illud quod dictum est ad Moysen: Ego sum qui sum*

Et

Et : Qui est , misit me ad vos. Cum enim esse aliquo modo dicatur , & corpus, & animus : nisi proprio quodam modo vellet intelligi , non id utique diceret.

3 Adjungam etiam , & nostrum Bernard. in lib. 5. de Consid. cap. 7. Quod huic Anselmi capiti (aliis prætermissis) apprime respondet , maxime initio atque fini. *Quid est Deus ? Quo nihil melius cogitari potest. Si approbas , non oportet assentiaris esse aliquid , quo Deus sit & quod Deus non sit. Hoc enim sine dubio melius. Quomodo non melius Deo , si Deus non est , quod dat Deo , ut sit ? At melius illam divinitatem qua dicunt Deum esse , non aliud quàm Deum esse fatemur. Non ergo est in Deo nisi Deus. Quid ? inquit ; Negas Deum habere divinitatem? Non. Sed quod habet , hoc est. Negas , divinitate Deum esse ? Non. Sed non aliâ, quàm quæ ipse est.* Et post multa : *Deus* , inquit , *ipse catholicè est. Tam non habet hoc & illud , quàm non hæc & illa. Est qui est , non quæ est. Purus , simplex , integer , perfectus , constans sibi , nihil de temporibus , nihil de locis , nihil de rebus trahens in se , nihil ex se deponens in eis , non habens quod ad numerum dividat , non quæ colligat ad unum. Unum quippe est , sed non unitum.* Hæc eleganter Bernardus.

4 Sed ad ipsum Anselmum convertat se oratio. Ergo consequentia sua duas continet partes : unam , qua affirmat Deum esse id quod est , & esse absolute qui est : alteram exclusivam , qua negat aliud, præter Deum , esse id quod est , omnino scilicet , & perfectè ; aut esse absolute qui est. 1. probat secundam partem : quia cùm ex dictis constet jam , de Deo esse dicendum quod absolute melius est ; statim colligitur assertio ex opposita ratione. Probat itaque sic. Quod aliud est in toto , & aliud in partibus , id est , quidquid compositum est , aliud est totum , aliud sunt partes, quælibet seorsim , sive per se sumpta. Unde totum est majus sua parte. At quod hujusmodi est , non omnino est quod est. Ergo omne compositum non penitus est id quod est. Probat min. *Esse* totius fit & intrinsecus constituitur ex partibus suis. Ergo idem quodam modo est *esse* partium & est ipsum *esse* totius. Ergo cùm aliunde totum distinguatur à parte , propter excessum alterius compartis ; consequens fit ut simul sit , & non sit id ipsum quod est. Ergo non omnino est. Uno verbo. *Esse* compositi est *esse* suarum partium conjunctarum , unitarum. Ergo *esse* partium non est unum *esse* per identitatem sed per unionem. Ergo non omnino , sed in aliquo sensu duntaxat compositum & totum est suum *esse* aut id quod est.

5 Hac Anselmiana ratione utitur Ang. Præcep. in 1. p. q. 3. art. 6 & est ejus quinta ratio ad probandum Deum omnino simplicem esse " Quinto , inquit , quia „ omne compositum est aliquid quod non convenit alicui suarum partium. Et quidem „ in totis dissimilium partium manifestum est : nulla enim partium hominis est homo: „ neque aliqua partium pedis est pes. In totis verò similium partium , licèt aliquid quod „ dicitur de toto , dicatur de parte , sicut pars aeris est aer , & aquæ aqua : aliquid „ tamen dicitur de toto , quod non convenit alicui partium : non enim si tota aqua est „ bicubita , & pars ejus. Sic igitur in omni composito est aliquid , quod non est ipsum. Rursus in librum 1. Sentent. distinct. 8. q. 4. art. 1. ubi quærit , *Utrum Deus sit omnino simplex* , ultima ratio probativa omnimodæ simplicitatis Dei est hæc. " Illud quod „ est primum principium essendi , nobilissimo modo habet esse , cùm semper sit aliquid „ nobilius in causa quàm in causato. Sed nobilissimus modus habendi esse , est quo totum aliquid est suum esse. Ergo Deus est suum esse. Sed nullum compositum totum „ est suum esse , quia esse ipsius sequitur componentia quæ non sunt ipsum esse. Ergo „ Deus non est compositus.

6 Accedit Mag. Sentent. citata distinct. §. 4. ita loquens : " Eadem quo„ que (Divinitatis essentia) sola propriè ac verè simplex est , ubi nec partium , nec „ accidentium , seu quarumlibet formarum ulla est diversitas , sive variatio vel multitu„ do. Ut autem scias quomodo simplex sit illa substantia , ut te docet Aug. in lib. 6. „ de Trinit. animadverte 1. quare omnis creatura sit multiplex , & nullo modo ve„ rè simplex. Et primùm de corporali , postea vero de spirituali creatura. Corporalis „ utique creatura ex partibus constat , ita ut sit ibi alia pars major , alia minor , & „ majus sit totum quàm pars quælibet : & in uno corpore aliud est magnitudo , aliud „ color , aliud figura : potest enim , imminuta magnitudine , manere idem color , & ea„ dem figura ; & colore mutato , manere eadem figura , & eadem magnitudo : ac per hoc „ multiplex esse convincitur natura corporis, simplex autem nullo modo,,. Hæc Mag. Quæ nobiliter explicant qualiter omne totum ex partibus compositum aliud sit à partibus suis.

Un-

Unde & conficitur non esse id quod est: non esse, inquam, omnino, ut loquitur noster Author, sed cum limitatione mox à nobis explicata.

7 Secunda causa hic exhibita à nostro Authore, quare aliquid non est id quod est, ea videlicet est qua aliquid est in seipso mutabile, vel in quo aliquid saltem sit mutabilitatis. Consultò addit *in quo*: ut nimirum indicet, veram mutabilitatem non esse, nisi internam, non autem externam & quæ alterius est: de qua ipse in Monolog. cap. 25. Ratio autem in promptu est: & propterea forsan eam non palàm ministravit Author. Omne quod in seipso mutari potest, est capax, vel aliquid in se habendi quod antea non haberet, vel aliquid ex suis priùs in se habitis deperdendi. Ergo id quod potest habere in se ulterius perfectionis & entitatis, si nondum habet, illud adhuc actu non est: si autem jam actu habuerit; illud non nisi per unionem, vel adhæsionem, non verò per identificationem habet & est. Si autem deperdit, ipso subjecto permanente; sine dubio non idem quod deperditur est cum subjecto quod deperdit. Igitur omne quod in se mutabile est, non est omnino id ipsum quod est.

8 Hoc est quod dicit Aug. in 6. lib. de Trinit. cap. 11. "Aliæ, inquit, „ essentiæ vel substantiæ capiunt accidentia, quibus in eis fiat vel magna vel quanta„ cumque mutatio. Deo autem aliquid hujusmodi accidere non potest: & ideo sola „ substantia vel essentia quæ est Deus, incommutabilis est. Cui profecto maximè ac ve„ rissimè competit esse. Quod enim mutatur, non servat ipsum verum esse; & quod „ mutari potest, etiam si non mutetur, potest quod fuerat non esse„. Unde & Mag. Sentent. distinct. supra citata §. Sequenti "Nihil enim, inquit, simplex mutabile est; „ omnis autem creatura mutabilis est: nulla ergo creatura verè simplex est. Deus vero „ etsi multipliciter dicatur, id est, multis nominibus significetur, veré tamen & sum„ mè simplex est.

9 *Et quod incæpit à non esse & potest cogitari non esse &c.* Causas nunc Author designat, unde aliquid non potest dici quod propriè & absolutè sit. Sed cavendum ne adverbium *propriè* hìc acceptum intelligatur ac si negaret Anselmus omne id, quod ita se habet, non esse verè, sed tantum vel apperenter vel improprié, ea improprietate qua omne figmentum rationis vel imaginationis. Accipiendum est igitur vel simul conjunctum cum adverbio *absolutè*; vel saltem quòd non est *propriè* proprietate á se, sed per participationem ab alio, & per Dei beneficium. Qua de causa dixit in lib. 5. de Considerat. cap. 6. Bernard. Quia Deus quodammodo *ipse solus est, qui suum ipsius est, & omnium esse.* Memento etiam verborum Aug. supra transcriptorum.

10 Prima igitur causa in verbis quæ nunc versamur contenta, ut aliquid propriè & absolutè non sit, hæc designatur; quòd scilicet incæperit à non esse: id est, quód non fuisset, antequam esset. Ratio hujus est: quia quod de non esse venit ad esse, cùm per totam æternitatem antea non fuerit, nulla est comparatio (si fuerit ex corruptibilibus) inter tempus in quo est & durat, & totam æternitatem, in qua non fuit. Unde suum *non esse* est, ut ita dicamus, infinitum; suum vero *esse* est valde finitum & arctum. Si autem fuerit ex incorruptibilibus, & perpetuó duraturis; etiam non potest dici quód simpliciter & absolutè sit, sed cum hoc temperamento: est & sine fine erit, non tamen semper fuit; sed antea quám esset, nihil fuit per totam æternitatem. Deinde, quod ex nihilo est, non est *ipsum esse*; nam *ipsum esse* non potest esse ex nihilo, quia ante *ipsum esse* nihil est; & per nihil omnino impossibile absolutè est ut perveniatur ad esse. Sed de hoc lege cap. 6. & 18. Monolog.

11 Unde sponte jam occurrit 2. causa, cur aliquid non absolutè, & simpliciter dicatur quód *est*. Nimirum, si intelligi aut cogitari queat non esse, etiamsi in re ipsa nunquam fuerit sine *esse*, neque in posterum defuturum umquam sit, sed sine fine futurum. Quippe quod potest cogitari non esse, non est *ipsum esse*. Ergo quod potest cogitari non esse, neque absolutè, & simpliciter est. Probat antec. *Ipsum esse* nequit cogitari non esse. Tum quia pugnat metaphysicé, tamquam cum suo proximè contradictorio, contra *non esse*. Tum quia si potest cogitari non esse, potest cogitari aliquid per quod, à quo, vel ex quo fieret *ipsum esse*. At sine *ipso esse* non potest aliquid cogitari: quia aliquid cogitari non potest sine omni *esse*: alioquin posset cogitari aliquid idem quod nihil. Igitur non est *ipsum esse* quod cogitari potest non esse, etiam si numquam re ipsa non fuerit, aut numquam in futurum non esset. Ergo neque absolutè, & simpliciter dici valet, *est*, id quod cogitari potest non esse.

12 3. Causa est, si non subsistat per se, sed per aliud, & nisi sustineatur ab alio, abeat in nihil. Nam quod hujusmodi est, non modò potest

cogitari non eſſe, ſed reipsa poteſt non eſſe. Ergo adhuc minùs est *ipsum eſſe*. Minus itaque poterit dici de illo : absolutè & ſimplicitet *est quod est*.

13 4. Denique causa est, ſi reverà aliquid habet fuiſſe, quod jam non est ; & futurum eſſe, quod nondum est. Nam quomodo erit *ipsum eſſe* vel id quod absolutè, & ſimpliciter est, ſi actu vix est, ſi actu non existit niſi in unico labili momento ? Quomodo erit *ipsum eſſe*, cujus *non eſſe* ſine termino est ; cujusque *eſſe* ad nimias angustias redactum est ?

14 *Tu vero es quod es : quia quidquid aliquando aut aliquo modo es; hoc totus, & semper es.* Ab oppoſito infert Auctor quòd Deus est id quod est. Quippe cùm omnis creatura propterea non ſit suum eſſe, ſive id quod est, quia vel compoſita ex aliquo genere partium realiter est, vel saltem reverà in se mutabilis est, aut secundum voluntatem, aut ſecundum intellectum, aut secundum locum, aut ſecundum operationem, aut ſecundum aliam, & aliam affectionem, qualitatem, modum (ſuper quod potest legi D. Thom 1. part. qnæst. 9. art 2. Et Mag. Sentent. distict. 8. §. 5.) Deus vero non ſic, sed quidquid quacumque ratione est, illud non ſecundum partem, ſed ſimplicissimè ſecundum ſe totum, & immutabiliter, et semel, et ſimul, et semper est ; ſicut jam á principio usque in finem Proslog. probatum manet, sed maxime ex capp. 12. et 18. cum duobus seqq. liquidissimum ſit, Deum eſſe perfectissimè suum *eſſe*, vel id omne quod quacumque consideratione est.

15 *Et tu es qui propriè, & simpliciter es : quia nec habes fuiſſe, aut futurum eſſe ; sed tantum præsens eſſe, nec potes cogitari aliquando non eſſe.* Similiter verissimè colligit, Deum propriè, et simpliciter, sine ulla restrictione, sine limite ullo eſſe, ac proinde quod sit *ipsum eſſe*, sicut ipse de se ad Moysem dixit : *Qui est, missit me ad vos.* Nam si omnis creatura propter dictas jam causas ſeu rationes, dici nequit, quod propriè ac ſimpliciter ſit, sed tantummodó quòd ſit hoc vel illud, ſic vel ſic, in hoc tempore aut loco determinatè, vel in illo : Deus ob oppoſitas rationes in prælegatis capp. alibique sæpe numero exhibitas, & expoſitas, dicendus eſt *ipsum eſſe*, & quod ipse solus propriè, & ſimpliciter ac ſine ulla meta, vel mensura, *est*, ſicut ipse solus verè, & omnino eſt quod eſt. Conferatur præter cap. 28. Monolog. etiam 17. ejusdem libri.

16 *Sed & vita es & lux, &c.* Concludit, & quaſi recapitulando colligit, utpote jam demonſtratum, id quod ſibi à principio hujus libri demonſtrare proſuerat, ex suo scilicet unico principio, *Deus est id quo nihil majus aut melius cogitari possit.* Demonſtrare, inquam, in animum induxerat, Deum eſſe optimum in quacumque ratione, summè per semetipsum beatum atque felicem, ſibi à semetipso omnino ſufficientem, nullo indigentem ; sed potius universa ipſius indigere, ab eo dependere, & ex ipso mendicare *eſſe*, & benè eſſe, & beatè ac feliciter eſſe.

CAPUT XXIII.

Quòd hoc bonum ſit pariter Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ; & hoc ſit unum neceſſarium, quod eſt omne, & totum, & ſolum bonum.

HOC bonum es, tu Deus Pater ; hoc eſt Verbum tuum, id eſt, Filius tuus. Etenim non poteſt aliud, quàm quod es, aut aliquid majus vel minus te, eſſe in Verbo, quo te ipſum dicis : quoniam Verbum tuum ſic eſt verum, quomodo tu es verax. Et idcirco eſt ipsa veritas, ſicut tu ; non alia quàm tu ; & ſic es tu ſimplex, ut de te non poſsit naſci aliud, quam quod tu es. Hoc ipſum eſt amor unus & communis tibi & Filio tuo, id eſt, Sanctus Spiritus ab utroque procedens. Nam idem amor non eſt impar tibi aut Filio tuo ; quia tantum

tum amas te & illum & ille te & seipsum ; quantus es tu & ille : nec est aliud à te & ab illo ; quòd dispar non sit tibi & illi : nec de summa simplicitate potest procedere aliud, quàm quòd est hoc, de quo procedit. Quod autem est singulus quisque, hoc est, tota Trinitas simul, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus : quoniam singulus quisque non est aliud, quám summé simplex unitas, & summè una simplicitas ; quæ nec multiplicari, nec aliud & esse potest. Porro unum est necessarium. Porro hoc est illud unum necessarium in quo est omne bonum ; immò quod est omne & unum totum & solum bonum.

COMMENTARIUS.

CAP. XXIII.

Hoc bonum es, tu Deus Pater; hoc est Verbum tuum, id est Filius tuus.

1 Ab hoc cap. usque in finem operis ex abundanti ac liberali pectore dictum alicui forsan videbitur. Quandoquidem in anteriori, quasi in summam recollegit universa quæ in sua præfatione Anselmus solúm gerere in animo suo videbatur, ad probandum ex suo unico & felici argumento. Ajebat enim se ex illo unico cogitavisse astruere : *Quia Deus vere est, & quia est summum bonum nullo alio indigens & quo omnia indigent ut sint, & bene sint ; & quæcumque credimus de divina substantia.* Trinitas vero divinarum personarum quam in hoc cap. ratione astruit, non videtur pertinere ad ea quæ de divina substantia credimus, cùm personæ ad relativa spectent, non ad absoluta, & essentialia. Deinde quia postmodum in eàdem ait præfatione, suam intentionem suaque consilia in eo posita esse, ut *de hoc & de quibusdam alijs* hoc opusculum scriberet. Hæc autem *quædam alia* poterunt esse non quæ ad Trinitatem spectant sed quæ ad nostram beatitudinem.

2 Verumtamen nihil hæc vetant, ne Trinitas, & beatitudo in prima Auctoris intentione comprehendantur. Nam de divina substantia credimus, non solùm quòd una, sed etiam quòd Trina sit. Neque opus nobis est tam metaphysicè ea intelligere verba. Illæ autem quædam res aliæ, de quibus in præfatis verbis loquitur Auctor, probabilius intelligi poterunt omnes illæ dubitationes & objectiones, quæ adversus suam argumentationem de existentia Dei, & contra aliqua attributa ejus opponuntur ab Authore ac dissolvuntur. Cæterum nihil magis arguit, Authorem in hoc opere ad divinam Trinitatem & nostram felicitatem, etiam principaliter intendisse, quàm quæ sibi fuit causa, ratiove quærendi illud unicum argumentum. Nempe *postquam*, ut ipse initio ejusdem Procemii ait, *opusculum quoddam*, scilicet Monolog. *edidit : Considerans illud esse multorum concatenatione contextum argumentorum, cæpit secum quærere, si forte posset inveniri unum argumentum, quod nullo alio ad se probandum, quam se solo indigeret.* At in Monolog. Trinitatem probat à cap. 29. usque ad 4. supra sexagesimum, sicut de beatitudine disputat seu meditatur á 69. usque ad 76. Ergo cùm per illud unicum argumentum persuadere intenderit quod in Monolog. per multa concatenata; dicendum est, etiam de Trinitate ac beatitudine simul cum aliis primariò cogitasse. Deinde, hæc verba, *ut bene sint*, beatitudinem creaturarum absolutè significant : quippe non nisi beati, benè absolutè se habent. Denique, si præter primam intentionem, de Trinitate & beatitudine egisset ; in Procemio nos de hoc ipso monitos fecisset : sicut in Prologo ad Dialogum *de veritate* lectores monuit, ut quamvis in Dialogo *de Casu Diaboli* tractavisset *de Confirmatione Angelorum, illud contingens fuit; quod autem scripsit*, ait, *de malis, ex proposito fuit quæstionis.*

3 Sed quid discurrendo immoramur? Ipsius testimonium in lib. *de Fide Trinit.* sive Ep. de Incarn. Verbi expressum audiamus. *Monologion*, inquit in cap. 4. *& Proslogion ad hoc maximè facta sunt, ut quod fide tenemus de divina natura & ejus personis præter Incarnationem, necessariis rationibus sine Scripturæ authoritate probari possit.* Quæ verba licet ex aliis pendentia ab Authore exarata fuerint ; nihil

hil tamen eorum sensum immutavimus. Et quamquam nihil hic de beatitudine dicat, ideo, ni fallor, fuit, quia beatitudo ad materiam non attinebat, quæ versabatur in eo libro *De Fide Trinitat.* Ad difficultatem quod spectat, quo pacto necessariis rationibus, remota Sacra Scriptura, Trinitas probari possit, ut in his verbis supponit Author, jam in nostro Comment. sup. cap. 64. Monolog. quæ sufficere possunt, locuti fuimus: locuturique amplius sumus sup. Prologum in libb. *Cur Deus homo*, ubi nova de hac difficultate tractandi se offeret occasio.

4 Itaque ad cap. præsentis directam commentationem nos convertendo, dicimus quód Author recta methodo prius omnia quæ ad unitatem Dei, sive quæ ad Deum ut unum pertinent, demonstravit, quæque in fine proximi cap. concludendo in summam reduxit; ut inde jam gressum facere possit ad probandum in præsenti Sanctissimam Trinitatem. Ab unitate enim naturaliter quælibet procedit consideratio intellectús ad multitudinem vel pluralitatem: sicut ab uno incipimus numerare duo, tria, quatuor, aut quinque &c. Et quælibet natura prius est in uno, quám propagetur, vel multiplicetur. Eamdem methodum in Monologio observavit. Dicit ergo, illud unum, simplicissimum, summumque bonum esse non modò Deum, sed etiam esse absque ulla reali distinctione essentiæ à relatione Patrem, & omninó similiter esse Verbum seu Filium hujus Patris. Quód Deus Pater verè sit, verumque sit Verbum ejus; quòd naturalis ac consubstantialis sit ejus Filius, probatum supponit Author in Monolog. cap. 10. cum duobus seqq. & postea à cap. 29. usque ad 48. in quibus pariter probat indistinctionem personarum á substantia. Nihilominus hic denuò probat Patrem & ejus Filium unam & eamdem esse substantiam vel naturam, unum ve & idem summum bonum quo nihil melius cogitari potest. Nam ita prosequitur.

5 *Etenim non potest aliud, quàm quod es, aut aliquid majus vel minus te, esse in Verbo quo te ipsum dicis &c.* Duplex in his verbis probandi ratio est. 1. Verbum Dei nequit in se habere aliud, vel majus vel minus, quàm quod habet Deus Pater cujus est Verbum. Ergo Pater & Filius unum sunt, una ve éademque substantia, natura, essentia, unum denique summum bonum. Probatur antecedens. Verbum Dei est quo Deus Pater se ipsum omninò perfectè dicit: ut in Monolog. capp. 32. & 33. probatum manet. Ergo idem omnino in utroque est; non aliud, neque minus. Probat. conseq. 1. quia Verbum quo Deus Pater seipsum dicit, manet in ipso Patre Deo: sicut omne Verbum mentis cujusque manet in mente; & extra mentem est penitùs inconceptibile. At ut demonstratum est proximè in cap. præcedenti & 18. (prætermisso Monolog.) nihil est in Deo nisi Deus; cùm ibi demonstratum sit, quòd Deus omnino est id quod quocumque modo, qualibet consideratione est. Ergo Verbum quo Pater Deus dicit seipsum, est ipse Deus. Ergo non aliquid majus: quia majus Deo, ut jam constat, nihil cogitari potest. neque minus: quia tunc esset Verbo aliquid majus, ac proinde Verbum non esset Deus, cùm majus Deo, ut dictum est, nihil sit. Sed neque aliud: quia, ut mox diximus, in Deo non existit aliquid aliud à Deo: & quia quod aliud est á Deo non est id quo nihil majus cogitari potest. Ergo nimis infra Deum & subditum Deo. Ergo non esset simul ab æterno cum Deo & in Deo: quod est contra ipsam verbi notionem.

6 Secundò: quia sicut etiam in cap. proximo probatum est & in 17. Monologii, & constat ex ipsa Dei sæpe laudata notione, Deus nullius, magni vel parvi, indigus est. At indigus alicujus esset, si verbo seipsum diceret quod non idem esset quod ipse Deus sed aliud, vel majus, vel minus. Hoc probatur. Deus sine verbo dicere seipsum non potest: nam impossibile absolutè est dicere sine dictione, loqui sine locutione, atque adeo & loqui sine verbo. Ergo indigeret Deus Pater verbo ad se dicendum. Igitur si non idem quod Deus, sed aliud esset verbum, vel majus vel minus; Deus verè indigens esset. Non itaque aliud est Pater, atque aliud ejus Verbum, & Filius; sed uterque sunt idem summum bonum, sibi omnino sufficiens. Et quamvis Verbum sit distinctum à Patre, at non secundum essentiam, naturam, substantiam, vel aliquid aliud absolutum, sed duntaxat secundum relationem qua refertur ad Patrem. Unde quidquid habet Pater, habet Filius, & quidquid habet Filius, habet Pater. Quapropter unus indigere non potest alio.

7 3. Verbum Dei sic est verum quomodo Deus Pater, cujus est Verbum, verax est. Non itaque in Verbo Dei potest aliud inveniri quám quod Deus est, vel aliquid majus vel aliquid minus. Ratio antecedentis est, quia si Verbum dictum à Deo non esset ita verum sicut Deus Pater qui dicit illud, verax est; hic

de-

defectus veritatis in Verbo imputaretur Deo Patri ; qui vel non esset veracissimus in loquendo , si aliquid falsi diceret in Verbo ; vel non totum quod in se haberet , & esset , diceret : unde neque semetipsum perfectissimè nosceret. Hoc autem est impossibile. Conseq. vero sic probatur. Si aliquid aliud esset in Verbo , vel aliquid majus vel aliquid minus ; illud vel esset aliquid veritatis vel non. Si hoc postremum: falsitas esset in verbo , vel saltem defectus veritatis ; quod utrumque , ut dictum est, adscriberetur Patri dicenti Verbum. Si autem primum ; æque impossibile est : quia quidquid est in Verbo , quod non sit in dicente , falsum est , mendacium est , prolatum ab ipso dicente. Cùm ergo Deus , quo nihil verius cogitari potest , falsum aut mendacium proferre nequeat ; sicut neque non perfectissimè agnoscere semetipsum : evidenter colligitur quòd in Verbo suo neque aliud , neque majus , neque minus, quàm in seipso reperiri potest ; atque proinde neque alia veritas sed una , & èadem in utroque. Veritas autem Dei est ipsa divina essentia , ipsa divina substantia atque natura. Ergo una eademque est essentia , substantia , & natura in Patre , & Filio. Unus ergo & idem Deus sunt Pater , & Filius.

8 Hæc est ipsa doctrina ratioque Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 14. ajentis : *Tamquam seipsum dicens Pater , genuit Verbum sibi æquale per omnia. Non enim seipsum integrè perfectèque dixisset , si aliquid minus aut amplius esset in ejus Verbo , quàm in seipso. Ibi summè illud agnoscitur , est est , non non : & ideo Verbum hoc verè veritas est , quoniam quidquid in ea est scientia , de quâ genitum est , & in ipso est : quod autem in ea non est , neque in ipso est. Et falsum habere aliquid hoc Verbum numquam potest , quia immutabilitèr sic se habet ut se habet , de quo est.* Et libro 8. cap. 1. *Ubi magnitudo ipsa veritas est, quidquid plus habet magnitudinis , necesse est ut plus habeat veritatis. Quidquid ergo plus veritatis non habet , non habet plus magnitudinis. Porrò quidquid plus habet veritatis , profectò verius est , sicut majus est quidquid plus habet magnitudinis. Hic ergo ibi est majus quod verius. Non autem verius est Pater , & Filius simul , quàm singulus Pater , aut singulus Filius. Non igitur majus aliquid utrumque simul , quàm singulus Pater aut singulus Filius.*

9 4 Deus est juxta dicta in capp. 18. & 22. summè simplex , immò ipsa simplicitas , & unitas nullo intellectu divisibilis. At ex summè simplici , ex ipsa simplicitate , & unitate nullo intellectu divisibili nasci non potest aliud , quàm id quod Deus est. Ergo Verbum Dei , Filius Patris non potest aliud esse , sed idem omnino , sola distinctione personali , quod Pater est. Probatur min. Summè simplex, ipsa simplicitas , & unitas nullo intellectu divisibilis , non potest habere genus , neque differentiam neque speciem , sed est , etiam metaphysicè , singularis , & individua : alioquin non esset ipsa simplicitas , quippe quæ non pugnaret cum omni compositione: neque ipsa unitas nullo intellectu divisibilis, ut pote quæ distinctionem per intellectum ac divisionem generis à differentia, speciei ab individuo, vere intra se non repugnaret. At ea natura quæ nec est genus , neque differentia neque species , sed essentialiter metaphysice singularis , & individua, propagari non potest cum sui multiplicatione , sed solùm cum sua identitate , summa simplicitate , unitate , individuitate, singularitate. Ergo ex summè simplici , ex ipsa simplicitate , & unitate nullo intellectu divisibili , nasci non potest aliud quàm quod est ipsa. Ergo neque ex Deo Patre, qui ipsa simplicitas , & unitas est , nasci potest Filius qui aliud sit à Patre sed qui tantum alius sit.

10 Compendio. Individuum metaphysicé non potest prædicari nisi de uno , quia sub ea ratione non est multiplicabile : unde neque potest concipi universale neque de multis prædicabile. Ergo si Deus est , ut verè est , metaphysicè individuus , immo ipsa individuitas , ipsa summa simplicitas , summa unitas , nullo intellectu divisibilis , nequit cum suæ naturæ multiplicatione , aut qualibet divisione propagari , communicari. Non ergo alia potest esse natura in Filio , alia in Patre , sed eadem numero , & sine ulla differentia in utroque. Ergo idem omnino summum bonum , quo nihil melius cogitari possit , in Verbo est & in Patre. Hac ratione , fundata in summa Dei simplicitate , usum est 4. Lateranense Generale Concil. quod habetur in Decretal. tit. 1. de Summ. Trin. & Fide Cath. cap. Damnamus. *Pater* , inquit Sacra Synodus , *ab æterno Filium generando , suam substantiam ei dedit , juxta quod ipse testatur.* Pater quod dedit mihi , majus omnibus est. *Ac dici non po-*

potest, quòd partem substantiæ suæ illi dederit, & partem ipse sibi retinuerit: cùm substantia Patris indivisibilis sit, ut pote simplex omnino.

11 Usus est post illud Concilium, sicut Concilium post Anselmum, D. Thom. 1. part. quæst. 11. art. 3. ut probaret Deum non nisi unum verè concipi aut esse posse. *Ex tribus*, inquit, *demonstratur. 1. quidem ex ejus simplicitate. Manifestum est enim, quòd illud unde aliquid singulare est hoc aliquid, nullo modo est multis communicabile. Illud enim unde Sortes est homo, multis communicari potest: Sed id unde est hic homo, non potest communicari nisi uni tantum. Si ergo Sortes per id esset homo per quod est hic homo, sicut non possunt esse plures Sortes, ita non possent esse plures homines. Hoc autem convenit Deo: Nam ipse Deus est sua natura ut supra ostensum est. Secundum igitur idem est Deus & hic Deus. Impossibile est igitur esse plures Deos.* Conferantur capp. 26. & 27. Monolog. cum quibus, ut ibi exposuimus, consonat hæc D. Thom. argumentatio, & ratio hic brevissimè insinuata ab Anselmo. In illis enim capp. ex simplicitate antea demonstrata summæ naturæ probatur non posse existere nisi unicum individuum summum spiritum, id est, unicum Deum.

12 *Hoc ipsum est amor unus & communes tibi & Filio tuo, id est S. Spiritus ab utroque procedens &c.* Recto ordine probat nunc Author de Spiritu Sancto idem quod probavit de Filio: est enim Spiritus Sanctus origine posterior Filio, sicut amor sequitur intelligentiam & Verbum. De hoc Amore qui est Spiritus Sanctus agit á cap. 49. Monolog. usque ad 61. Inpræsentiarum duplici ratione utitur ad probandum Spiritum Sanctum non aliud esse, sed omnino idem quod sunt Pater & Filius. 2. jam de Filio exposita, nimirum quæ in summa simplicitate innititur, ulteriori non eget Comment. sed pari & penitus eodem modo Spiritui Sancto est applicandus.

13 Neque in 1. multum nobis immorandum: quandoquidem éadem est cum his quas in Monolog. cap. 51. & duobus seqq. ad eumdem finem aptavit & debito ordine digessit. Omnium quæ ibi sunt dicta vim & efficaciam partim supponit, partim continet. Supponit amorem in Deo, qui in 49. cap. ibi probatus et demonstratus est. Supponit etiam hunc Amorem esse reciprocum & procedentem á Patre simul, & Filio; quod in 50. Supponit pariter æquali seipsos Amore diligere tum ad se, tum adinvicem; quod in 51. Denique supponit, tanto Amore semetipsos & adinvicem diligere quantus est & quàm amabilis est uterque, Pater scilicet & Filius; quod in 52. demonstratum est.

14 Continet vero argumenti vim & efficaciam, quo usus est Author in cap. 53. & redintegrat illud quod in 52. tradit seu potius ex conseq. ab illo deducta nunc formatargumentum. Itaque sic discurrit. Spiritus S. est ille Amor quo adinvicem se amant Pater ac Filius, qui que ab utroque procedit, ut in cap. 57. Monolog. dictum fuit. At hic Amor non aliud, sed idem in essentia penitus est quod Pater & Filius. Ergo etiam non aliud sed idem omnino Spiritus Sanctus est. Probat min. Amor hic non est impar Patri & Filio, sed ipsis verè æqualis est. Quod autem Patri & Filio par est, non potest aliud esse, quàm sunt Pater, & Filius, sed omnino idem. Nam sicut Author argumentatur in cap. 53. Monolog. *quid potest esse par summo Spiritui, nisi summus Spiritus?* Quid par Deo nisi Deus? Deus est quo nihil majus cogitari potest: immó & major, quám cogitari valeat, Deus est juxta cap. 15. Proslog. Non ita esset, si aliquid aliud, quàm ipse Deus, Deo comparabile esset, immò & æquipararetur et coæquaretur. Quod ergo æquale est cum ipso, nequit non esse idem, quod Deus, ac proinde quod Pater & Filius qui sunt ipse Deus. Neque dicatur quòd possit esse paralitas in una aut altera ratione vel perfectione, in reliquis autem imparilitas. Hæc enim responsio certissimâ doctrinâ, cùm Parentis Aug. tum N. Authotis in suo Monol. cap. 53. à nobis manet impugnata ac propulsata.

15 Probatur itaque major illa, quòd scilicet Amor, de quo nobis sermo, non impar sit Patri & Filio, sed verè æqualis. Amor hic tantus est, tam magnus, quantus & quàm bonus est Pater & Filius. Ergo non dispar, sed æqualis est Patri & Filio. Probatur antec. Amor quo Pater tantum se amat, amatque suum Filium, quantus est ipse Pater & ipse Filius; quám bonus uterque, quámque uterque amabilis est; non potest non esse tantus & tam magnus, quantus & quám bonus est Pater & Filius. At hoc Amore, de quo loquimur, (nam in Deo non sunt multi amores sed quidquid est, simplicissimum est) tantum amat seipsum Pater, amatque Filium suum; tantumque Filius amat seipsum & suum Patrem, quantus & quàm bonus uterque existit, juxta de-

mons-

monstrata quoque in capp. 51. & 52. Monol. Igitur Amor hic, qui est Spiritus Sanctus, tantus est atque tam magnus, quantus est & quám bonus, & amabilis est Pater & Filius. At nihil esse potest tantum, & tam magnum quantus est & quám bonus & amabilis est Pater & Filius, quin omnino idem sit quod Pater & Filius. Ergo Spiritus Sanctus non aliud est sed omnino idem quod Pater & Filius, cum sola distinctione relativa.

16 Denique melius est absdubio summè amare summum bonum, quám non summé, aut infra summum, diligere illud. Deum autem non decet nisi quod absolutè melius est; siquidem Deus est id quo nihil majus vel melius cogitari potest. Ergo Pater & Filius, qui unus & idem Deus sunt, proculdubio summè diligunt seipsos & adinvicem, qui et summum bonum sunt. Igitur summus est hîc Amor Patris & Filii, sicut bonum summum Pater & Filius sunt, & summi amantes sunt. Tantus itaque est hic Amor seu Spiritus Sanctus, quantus est Pater & Filius. Ergo non aliud sed idem summum bonum, idem Deus est Spiritus Sanctus cum Patre & cum Filio. Conferantur præcitata Monol. capp. & noster ibidem Comment.

17. *Quod autem est singulus: quisque hoc est tota Trinitas simul, &c.* Concludit ergo Author, totam Trinitatem, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum simul non aliud sed idem esse, quod singulus quisque ex tribus. Et ratio est. Singulus quisque, juxta dicta, non est aliud quàm summè simplex unitas et summè una simplicitas, quæ nec multiplicari, neque aliud et aliud esse potest. Ergo in tribus divinis personis natura, essentia divina sive summum bonum neque multiplicatur, neque est aliud et aliud. Ergo in tribus simul non est nisi una essentia, unum summum bonum; neque distinguitur hæc summa essentia, hoc summum bonum vel à singula persona, vel á tribus simul: nam tunc casús in ea esset aliud, et aliud: aliud esset essentia, aliud persona singula, et aliud simul sumptæ personæ. Itaque vera esset compositio in summè simplici unitate, et summé una simplicitate. Quod repugnat. Nam sicut statim ex Evang. addit Author, *Unum est necessarium. Sed hoc verè unum*, inquit ex Boetio D. Bernard. 5. de Considerat. cap. 7., *in quo nullus est numerus, nullum in eo aliud præter id quod est. Neque enim subjectum fieri potest, forma enim est. Trinitas est tamen Deus*, subdit ibidem Bern. *Quid ergo? Destruimus quod dictum est de unitate quia inducimus Trinitatem? Non: sed statuimus unitatem. Dicimus Patrem, dicimus Filium, dicimus Spiritum Sanctum: non tamen tres Deos, sed unum. Quid sibi vult iste (ut sic loquar) absque numero numerus? Si tria, quomodo non numerus? Si unum, ubi numerus? Sed habeo, inquis, quid numerem; & quid non numerem. Substantia una est: personæ tres sunt. Quid mirum; quid vel obscurum in hoc? Nihil, si personæ seorsum à substantia cogitentur. Nunc vero cùm tres illæ personæ illa substantia sint: & illa una substantia tres illæ personæ; quis numerum neget? Nam verè tres sunt. Quis numeret tamen? Nam verè unum sunt.*

18 *In Deo*, inquit supra allegatum in hoc cap. Lateranense Concilium, *solummodo Trinitas est, non quaternitas: quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura divina... Ut distinctiones sint in personis, & unitas in natura. Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud: Sed id quod est Pater, est Filius, & Spiritus Sanctus, idem omnino: ut secundum orthodoxam, & catholicam Fidem consubstantiales esse credantur.* Confert D. Aug. & D. Fulgentium apud Mag. Sentent. in lib. 1. distinct. 19.

CAPUT XXIV.

Conjectatio quale & quantum sit hoc bonum.

EXcita nunc, anima mea, & erige totum intellectum tuum, & cogita, quantum potest, quale & quantum sit illud bonum. Si enim singula bona delectabilia sunt, cogita intenté quám delectabile sit illud bonum, quod continet jocunditatem omnium bonorum, &

& non qualem in rebus creatis ſumus experti, ſed tanto differentem, quanto differt creator à creatura. Si enim bona eſt vita creata; quàm bona eſt vita creatrix? Si jocunda eſt ſalus facta; quàm jocunda eſt ſalus, quæ fecit omnem ſalutem? Si amabilis eſt ſapientia in cognitione rerum conditarum; quàm amabilis eſt ſapientia, quæ omnia condidit ex nihilo? Denique ſi multæ & magnæ delectationes ſunt in rebus delectabilibus; qualis & quanta delectatio eſt in illo, qui fecit ipſa delectabilia?

COMMENTARIUS.

CAPIT. XXIV.

Excita nunc, anima mea, & erige totum intellectum tuum, & cogita, quantum potes, quale & quantum ſit illud bonum.

1 Poſtquam Auctor discurſum, quantum potuit, tetendit, extulit, & complevit circa ea quæ ad Theologiam merè ſpeculativam, & contemplatricem attinent: nunc recta methodo procedit ad ea quæ Theologiæ practicæ, ſive activæ proprie ſunt. Neque tamen ad multa hujus Theologiæ ſe dilatat; ſed ad præcipuum duntaxat: neque divagando extra viam puræ contemplationis. Conſideratio ergo ejus ab hoc cap. eſt tota de ultimo fine, de beatitudine noſtra, proprietatibusque ipſius, de amore noſtro, & gaudio tum de bonis Dei, & in bonis Dei, tum de beatorum aliorum societate. Uno verbo Scholaſtico: agit de beatitudine noſtra objectiva, & formali. Utraque juncta conſiſtit, ſecundum diffinitionem Florentini Concilij, in videndo Deum trinum, & unum, ſicuti eſt. Cùm igitur ſuo discurſu ſeu mediatione altiſſima pervenerit ad ſummitatem hujus montis, ad cacumen Sacræ Theologiæ: propterea meditatio quaſi ſponte ſua facilè noſtrum Auctorem induxit ad tractandum de noſtra beatitudine. Hanc deſignatam invenit in illis verbis Chriſti Domini, Lucæ cap. 10. ad Martham: *Porro unum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea.* Propterea Anſelmus his verbis cap. præcedens concluſit: *Porro hoc eſt illud unum neceſſarium, in quo eſt omne bonum; immo quod eſt omne, & unum totum, & ſolum bonum.* Nempe ſicut 5. de Conſideratione cap. 7. dicit Melifluus Beru. *Compara uni huic omne quod unum dici potest; & unum non erit;* ita pariter dici potest: compara huic bono omne quod bonum dici potest; & bonum non erit. Unde Aug. 8. de Trinit. cap. 3. *Bonum hoc, & bonum illud. Tolle hoc, & tolle illud, & vide ipsum bonum, si potes; ita Deum videbis, non alio bono bonum, ſed bonum omnis boni.* Rectè ergo dicit Auctor, *quod eſt omne, & unum totum, & ſolum bonum.* Quia nihil aliud eſt bonum niſi participatione hujus boni. Quemadmodum 5. de Conſideratione cap. 6. placuit, & licuit Bernardo dicere: *quodammodo ipse* (Deus) *ſolus eſt, qui ſuum ipsius eſt, & omnium eſſe.*

2 Merito ergo exhortatur nos Author in præſenti cap. ut totum intellectum erigamus, et cogitemus, quantum poſſumus, quale ac quantum ſit illud bonum, quod non eſt determinatè hoc bonum vel illud, ſed omne, ſed totum & undecumque eſt bonum.

3 *Si enim ſingula bona delectabila ſunt, cogita intentè quàm delectabile ſit illud bonum, &c.* Suppoſita illa ſuperiori veritate de ſummo bono, docet nos Auctor maximam eſſe diſtantiam inter delectabilitatem omnium bonorum Creaturarum, ſive conſiderentur quaſi in cumulo, ſive ſegregatim, & illam ſummam delectabilitatem ſummi boni, à quo ſicut omnis bonitas, ita omnis deſcendit pura, & vera delectabilitas. Argumentum hoc fit non à minori ad majus, ſed à minimo ad maximum. Et tam perſpicuum eſt, ut nulla opus habeat commentatione.

CAPUT

CAPUT XXV.

Quæ & quanta bona ſint fruentibus eo.

O QUI hoc bono fruetur! Et quid illi erit; & quid illi non erit? Certè, quicquid volet, erit: & quod nollet, non erit. Ibi quippe erunt bona corporis & animæ, qualia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis cogitavit. Cur ergo per multa vagaris, homuncio, quærendo bona animæ tuæ & corporis tui? Ama unum bonum in quo ſunt omnia bona; & ſufficit. Deſidera ſimplex bonum, quod eſt omne bonum; & satis eſt. Quid enim amas, caro mea, quid deſideras, anima mea? Ibi eſt, ibi eſt, quicquid amatis, quicquid deſideratis. Si delectat pulchritudo, *fulgebunt juſti ſicut sol.* Si velocitas aut fortitudo, aut libertas corporis, cui nihil obſiſtere possit; *erunt ſimiles Angelis Dei*, quia *seminatur corpus animale, & surget corpus ſpirituale*, poteſtate utique, non naturâ. Si longa & salubris vita; ibi sana eſt æternitas, & æterna sanitas: quia *juſti in perpetuum vivent*: & *salus juſtorum à Domino.* Si satietas: satiabuntur, *cum apparuerit gloria Dei.* Si ebrietas: *inebriabuntur ab ubertate domus Dei.* Si melodia; ibi Angelorum Chori concinunt ſine fine Deo. Si quælibet non immunda, sed munda voluptas: *torrente uoluptatis suæ potabit eos Deus.* Si sapientia; ipsa Dei sapientia oſtendet eis seipsam. Si amicitia; Diligent Deum plusquam seipsos; & invicem, tanquam seipsos; & Deus illos, plusquam illi seipsos: quia illi illum & se & invicem per illum; & ille se, & illos per seipsum. Si concordia; omnibus illis erit una voluntas: quia nulla illis erit, niſi sola Dei voluntas. Si poteſtas; omnipotentes erunt ſuæ voluntatis, ut Deus suæ. Nam ſicut poterit Deus, quod volet, per seipsum; ita poterunt illi, quod volent, per illum: quia ſicut illi non aliud volent, quàm quod ille; ita ille volet; quicquid illi volent; & quod ille volet, non poterit non eſſe. Si honor & divitiæ, Deus servos suos bonos, & fideles supra multa conſtituet; imò Filii Dei, & Dei vocabuntur; & ubi erit Filius ejus, ibi erunt & illi, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Si vera securitas; certè ita certi erunt nunquam & nullatenus iſta, vel potius iſtud bonum ſibi defuturum: ſicut certi erunt se non sua sponte illud amiſſuros; nec dilectorem Deum illud dilectoribus suis invitis ablaturum: nec aliquid Deo potentius invitos Deum & illos separaturum. Gaudium vero quale, aut quantum eſt, ubi tale ac tantum bonum eſt? Cor humanum, cor indigens, cor expertum ærumnas, immo obrutum ærumnis, quantum gauderes, ſi his omnibus abundares? Interroga intima tua, ſi capere possint gaudium suum de tanta beatitudine ſua. Sed certè ſi quis alius, quem omnino ſicut teipſum diligeres, eamdem beatitudinem haberet; duplicaretur gaudium tuum: quia non minus gauderes pro eo, quàm pro teipso. Si vero duo, vel tres, vel multo plures idipsum haberent; tantumdem pro ſingulis, quantum pro te ipſo gauderes; ſi ſingulos, ſicut teipsum amares. Ergo in illa perfecta charitate innumerabilium Angelorum beatorum, & hominum, ubi nullus minus dileget alium, quàm seipsum; non aliter gaudebit quiſque pro ſingulis aliis quàm pro seipso. Si ergo cor hominis de tanto suo bo-

Iſaiæ 64. 1. Cor. 2.

Matth. 13. 1. Cor. 15.

Sap. 5. Pſal. 36.

Pſal. 16. Pſal. 35. Ibidem.

no vix capiet gaudium ſuum, quomodo capax erit tot, & tantorum gaudiorum? Et utique, quoniam quantum quisque diligit aliquem, tantum de bono ejus gaudet: ſicut in illa perfecta felicitate unusquisque plus amabit ſine comparatione Deum, quàm se & omnes alios secum; ita plus gaudebit absque æſtimatione de felicitate Dei, quàm de sua & omnium aliorum secum. Sed ſi Deum ſic diligent toto corde, tota mente, tota anima; ut tamen totum cor, tota mens, tota anima non ſufficiat dignitati dilectionis; profectò ſic gaudebunt *toto corde*, *tota mente*, *tota anima*; ut totum cor, tota mens, tota anima non ſufficiat plenitudini gaudii.

COMMENTARIUS.

CAP. XXV.

O qui hoc bono fruetur!

1 Nempe summo bono quod eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: ſicut in duobus capp. antecedentibus dictum eſt. Et rectè dicit, *Fruetur.* Nam *Res quibus fruendum est*, inquit Aug. lib. 1. de Doctrina Chriſtiana cap. 5. *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus est, eademque Trinitas, una quædam summa Res, communisque fruentibus ea.*

2 *Et quid illi erit; & quid illi non erit? Certe quidquid volet erit: & quod nollet, non erit.* Rectè. Nam ſicut in præfato libro de Doctrina Chriſtiana cap. 3. inquit idem Aug. *Res quibus fruendum est, beatos nos faciunt. Beati*, ut etiam idem S. dicit lib. 3. de Trinit. cap. 5. *habent, quod volunt, quamvis non omnes qui habent quod volunt, continuò ſint beati. Continuò autem miseri, qui vel non habent quod volunt, vel id habent quod non rectè volunt. Beatus igitur non est, niſi qui habet omnia quæ vult, & nihil vult malè. Cum autem ex hac vita*, velut in cap. 7. ibi prosequitur, *ab eo qui in miserijs fidelis, & bonus est, ventum fuerit ad beatam; tunc erit verè quod nunc eſſe nullo modo potest, ut ſic homo vivat, quemodo vult. Non enim volet malè vivere in illa felicitate, aut volet aliquid, quod deerit, aut deerit aliquid quod voluerit, quidquid amabitur aderit, nec deſiderabitur quod non aderit. Omne quod ibi erit, bonum erit, & summus Deus summum bonum erit atque ad fruendum amantibus præstò erit.* Unde dicit Scriptura. *Replebitur in bonis deſiderium tuum.* Et: *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Et: *Dilata os tuum, & implebo illud.*

3 *Ibi quippe erunt bona corporis, & animæ, qualia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis cogitavit.* Nam *fides*, ait D. Aug. eodem libro cap. 9. *totum hominem immortalem futurum, qui utique constat ex corpore, & anima, & ob hoc verè beatum, non argumentatione humana, ſed divina auctoritate promittit.* Attamen corporis bona, quæ senſibilia sunt, ſive ea in quibus sensus nostri delectantur, non sunt corporaliter in Deo, sed suo inefabili modo; ſicut supra in cap. 17. dictum eſt. Unde illæ sensuum delectationes non quales experti sumus, ut in anteriori cap. proximo ajebat, erunt; sed valdè differentes. Propterea de his quoque dicit: *qualia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis cogitavit.* Quippe *omnis qui corporalia cogitat* (verba sunt P. Aug. 11. de Trinit. cap. 8.) *ſive ipse aliquid confingat, ſive audiat aut legat, vel præterita narrantem, vel futura prænunciantem* (opus eſt) *ad memoriam suam recurrat, & ibi reperiat modum atque mensuram omnium formarum, quas cogitans intuetur. Nam neque colorem, quem numquam vidit, neque figuram corporis, neque sonum quem numquam audivit, nec saporem quem numquam gustavit, nec odorem quem numquam olfecit, nec contrectationem ullam corporis quam numquam senſit, potest quisquam omnino cogitare.*

4 *Cur ergo per multa vagaris, homuncio, quærendo bona animæ tuæ, & corporis tui? Ama unum bonum, in quo sunt omnia bona, & ſufficit, &c.*

Mar-

Martha Martha, inquit Chriſtus Dominus, *ſolicita eſt, & turbaris erga plurima. Porro unum eſt neceſſarium.* Unde, & Ang. Præcept. 1. part. quæſt. 26. art. 4. ait: *Quod quidquid eſt deſiderabile in quacumque beatitudine vel vera vel falſa, totum eminentiùs in divina beatitudine præexiſtit.* Et ad 2. *Quòd bona quæ ſunt in corporalibus corporaliter, in Deo ſunt ſpiritualiter ſecundum modum ſuum.*

5 *Si delectat pulchritudo, fulgebunt juſti ſicut ſol.* Idem tradit, ſed magis expreſſum, & probatum in Serm. de Beatitudine cap. 1. quem in Capitulo (ut loquimur Benedictini) ad Conventum ſeu Religioſiſſimam, & toto orbe celeberrimam Congregationem Cluniacenſem, ut tradit individuus Anſelmi comes Eadmerus in ep. Sermoni præfixa pag. 146. inter opera ipſius Eadmeri edita cum operibus ejusdem S. Anſelmi in editione Gerberonii, ore ſuo benedicto dixit, prædicavit. Legatur. Sed antea monitum Lectorem volo de eo quod in fine laudati ſermonis advertit ipſe Eadmerus qui ſtylo ſuo ſermonem litteris mandavit. *Noverit*, inquit, *quicumque hoc in ſui notitiam tranſire dignabitur, ipſum Patrem* (Anſelmum) *hoc ſæpe legiſſe, & audiſſe, ſuaque ſancta manu, & auctoritate examinatum, poſteris ad transcribendum ac legendum commendaſſe.*

6 *Si velocitas aut fortitudo, aut libertas corporis, &c.* De velocitate, majori quoque amplitudine in cap. 2. præfati ſermonis tractat, & idem sentiendo, idem oſtendit. Similiter de fortitudine in cap. 3. & de libertate corporis ſive dote subtilitatis in cap. 4. Ratio verò fundamentalis tam hic quàm ibi tradita, eſt ſimilitudo Angelorum, & æqualitas quam nobis prædixit, & promiſſit Chriſtus Dominus in Evang. Mathei cap. 22. vers. 30. inquiens quia *in Reſurrectione homines erunt ſicut Angeli Dei in Cœlo.* Et in Evang. Lucæ cap. 20. verſu 36. *Æquales enim Angelis ſunt, & Filij ſunt Dei, cum ſint Filij Reſurrectionis.* Hæc autem ratio ſimilitudinis, & æqualitatis, ſicut & commutatio noſtræ mortalitatis in immortalitatem, & corruptionis in incorruptibilitatem atque quandam juxta Apoſt. Corporis ſpiritualitatem præsens quoque fuit in animo Aug. cùm lib. 12. ſup. Gen. ad litt. cap. 35. dixit: Quòd anima glorificata *tunc perfectum habebit naturæ ſnæ modum, obediens, & imperans, vivificata, & vivificans, tam inneffabili facilitate, ut ſit ei gloriæ quod ſarcinæ fuit.*

7 Illud quoque exemplum quo in eo ſermone utitur Anſelmus, nimirum momentanea celeritas qua, ut dicitur Danielis 14. vers. 32. Habacuc Propheta ex Judæa in Caldæam pervenit, ſeque repentè iterum in Judæa corporaliter eſſe invenit; hoc, inquam, exemplum ad memoriam etiam reduxit N. Greg. lib. 2. Dialog. cap. 22. ut multo majorem ſpiritus noſtri mobilitatem probaret; & credibile omnibus faceret Parentem Benedictum Caſino Tarracinam ire in ſpiritu potuiſſe ad inſtruendos discipulos de idea fabricandi Monaſterij. *Si igitur*, inquit, *tam longè Habacuc potuit ſub momento corporaliter ire, & prandium deferre, quid mirum ſi Benedictus Pater obtinuit, quatenus iret per ſpiritum, & fratrum quiescentium ſpiritibus neceſſaria narraret?*

8 Hanc corporum gloriosorum valde admirabilem velocitatem confirmat quoque N. Bern. Serm. 4. omnium Sanctorum: *Tanta*, inquiens, *futura credenda eſt corporum levitas, & agilitas beatorum, ut poſſint, ſi velint, abſque omni mora, ſeu difficultate ipſam quoque cogitationum noſtrarum ſequi ad omnia velocitatem.* Illud verò Noſtri Auctoris in præsenti cap. *ſurget corpus ſpiritale, poteſtate utique non natura*, his correſpondet verbis Mag. Greg. Hom. de Reſurrect. *& ejusdem naturæ, & alterius gloriæ.*

9 *Si longa eſt ſalubris vita; ibi ſana eſt æternitas, & æterna ſanitas, &c.* De ſanitate idem ſed uberius docet, & exponit in illius ſermonis cap. 4 De longævitate vitæ, vel æternitatæ perfectæ ſanitatis corporum beatorum in cap. 6. De ſatietate, de ebrietate (de qua in Pſalmo 35.) & de melodia, his nominibus expreſſis, non agit eo in ſermone. Ceterum agit in cap. 6. de voluptate omnium ſensuum ineffabili; de ſapientia in 8. de gaudio in 4. in quibus, immò & reliquis illa satis continentur. Denique agit in 9. de amicitia, in 10. de concordia, in 11. de poteſtate, in 12. de honore, in 13. de ſecuritate: de quibus nunc magis cinctum ſermonem facit.

10 *Si amicitia; diligent Deum plusquam ſeipſos, &c.* Dicit Anſelmus futuram in Cœlo perfectam cum reliquis bonis amicitiam quæ & valde amabilis eſt, inter Deum omnesque beatos, & inter hos adinvicem omnes: ſiquidem ibi erit

con-

consumata atque ordinata caritas de qua in Canticis Canticorum : *Ordinavit in me charitatem.* Quæ vera & optima amicitia est. Nam sicut *nemo ad se propriè habere charitatem dicitur*, ut inquit Greg. *sed dilectio in alterum tendit ut charitas esse possit* : ita propriè ad se habere amicitiam dicitur nemo ; sed dilectio in alterum tendit ut esse valeat amicitia. Hæc est doctrina frequens in Scholis cum D.Thom. 2a. 2æ. q.23. art. 1. Unde in quæst. 25. art. 4. negat, nos caritate diligere nos metipsos secundum communem rationem amicitiæ : at diligere nos metipsos ex caritate secundum quod absoluta, non correlativa, vel reciproca dilectio est, libenter annuit. Nam omnis caritas est dilectio ; non omnis dilectio, caritas. Itaque caritas in ratione amicitiæ distinguitur à seipsa in ratione simplicis dilectionis ; in eo scilicet quòd ut amicitia includit amores duorum saltem, se adinvicem diligentium : ut simplex autem dilectio, non est nisi unus & unius amor. Nihilominus dicit S. Doctor, quia si consideretur secundum altiorem caritatis rationem, id est, secundum quod primò & principaliter tendit in Deum, propter quem universa ad Deum pertinentia diligit ; sicut Deum ex amicitia diligit unusquisque, ita & seipsum, non tanquam seipsum, sed tanquam aliquid Dei externum, sicut tanquam Dei filium & amicum, diligit.

11 In hoc itaque sensu intelligendus est Anselmus, dum in verbis supra relatis vel indicatis comprehendit sub amicitia amorem beatorum ad seipsos Quod autem illa sit charitatis ordo, constat ex Evang. ubi dicitur à Christo Domino, 1. & maximum mandatum in lege esse diligere Deum ex toto corde, tota anima, tota mente : 2. vero simile huic, diligere proximum tamquam seipsum. Ubi Dominus patenter diligendi ordinem declaravit. Quæ enim à Deo sunt, ut dicit Apost. ordinata sunt. Ergo quod primum præcepit, est præcipuum, & perfectius ; quod autem secundum, locum itidem secundum habet ; quod verò 3. locum quoque 3. Ergo major & perfectior debet esse dilectio Dei in unoquoque, quàm sui ipsius aut proximi sui ; & vehementior erga seipsum & prior, quàm erga proximum : quia Deus proponit unicuique dilectionem ad semetipsum tamquam regulam diligendi proximum. Quod autem ordine naturæ absolutè est prior, debet & esse perfectior : sicut etiam omnis causa secundam quod activè causat (ut verè est activus influxus in ordine charitatis) potior ac nobilior est suo effectu. Hæc est etiam doctrina D. Thom. 2. 2. quæst. 26. totis quatuor art. primis.

12 P. Bernar. Serm. 50. in Cant. duplicem ordinem distinguit charitatis, nempe illius quam ipse vocat actualem ; & alterius, quam affectualem appellat. Primam, cùm necessitates respiciat, dicit non habere legem : atque adeo sæpe posthabere quæ meliora ac perfectiora sunt, quæque magis habentur in affectu. Sed hæc charitas actualis non in sensu Scholastico à S. Doct. accipitur, verùm in alio planè diverso. Non pro actu interno charitatis ; sed pro actu externo, pro opere, pro effectu quodam ipsius charitatis : qui actus inter amicum & non amicum seu etiam inimicum in magna indigentia constitutum, non discernit : neque curat in opere misericordiæ in hoc sensu de amico, sed attendit ad inopem, ad indigentem, etiam inimicum. *Ordo præposterus*, inquit, *sed necessitas non habet legem. At ordo charitatis affectualis ordine inverso procedit. Nam actualis inferiora præfert, affectualis superiora. Etenim in benè affecta mente non dubium (verbi causa) quin dilectioni hominis, Dei dilectio præponatur, & in hominibus ipsis, perfectiores infirmioribus. Attamen in benè ordinata actione sæpe, aut etiam semper ordo oppositus invenitur. Nam & circa proximi curam & plus urgemur, & pluries occupamur...* Sed cum Auctor noster de omnino felicibus sermonem instituat, inter quos nulla est necessitas aut miseria ; charitas actualis vel actuosa non habet locum, sed duntaxat affectualis. Hac etiam secundum eumdem P. Bern. Serm. 69. in Cant. & nos magis amamus & ante. *Temerè in tali*, inquit, *negotio, vel prius aliquid tribuis tibi, vel plus : & magis amat & ante.*

13 Ennucleanda tamen est ratio Anselmi. *Quia illi*, ait, *illum & se & invicem per illum ; & ille se & illos per seipsum.* Non intelligit Auctor sub hac præpositione *per* causam formalem, vel quod Deus sit forma per quam diligant beati ; sed quòd Deus sit & finis propter quem, & à quo tamquam à principio charitatem suam habent, unde tam ipsum Deum, quam semetipsos & ad invicem amant. Præpositio *per* juxta grammaticæ regulas, aut magis aut saltèm non minus significat efficientem causam, principalem vel instrumentalem, quàm formalem. Et Auctori à principio Monol. placuit pro causa effectrice, & loco præpositionis *à* vel

ab,

ab, eam usurpare. At loquendo de ipso Deo vel intelligente vel amante vel agente, non significat causam efficientem neque propriè causam formalem; sed Deum per semetipsum, nequaquam per aliud, perfectissimè omnia esse, quæ est, & habet. Itaque vult dicere, Deum per suam propriam simplicissimam substantiam & essentiam diligere seipsum & omnes beatos: hos vero Deum suum diligere & seipsos & adinvicem, non per suam substantiam, naturam vel virtutem, sed per donum Dei. Itaque rectè hinc colligit, Deum magis diligere beatos, quám ipsi seipsos: quia Deus eos diligit ut charitas; illi vero ut donati ut affecti charitate: Deus ut plenitudo; illi, sicut participes dilectionis, & charitatis

14 Deinde rectè quoque infert beatos tam amore appreciativo, quàm intensivo vel graduali, plus diligere Deum quám semetipsos. Tunc quia charitas utpote ex Deo solùm, & comparata ad Deum veluti ad proprium atque primarium objectum necesse est ut & primò magis inclinet, feratque in Deum, quàm in subjectum cui inest; ad quod non nisi postea, secundariò, & alterius gratiá, á naturâ sua est comparata. Tum etiam quia in subjecto radices non habet; sed totum succum & humorem ex Deo sugit ac percipit: & res naturaliter ad suum principium & originem convertuntur, & recurrunt, velut omnia flumina ad mare unde exeunt ut iterum fluant. Tum denique, quia Deus incomparabiliter magis amabilis est, & plus habendus, quàm cætera omnia. Ipse enim, præter quàmquod est summum bonum, est quoque ipsis sua felicitas; & ipsi sine ipso nihil, aut nuda miseria.

15 *Si concordia; omnibus illis erit una voluntas: quia nulla illis erit, nisi sola Dei voluntas.* Quia discordia semper ex eo nascitur, quód non sit una voluntas omnium, id est, quòd unus id vult quod repugnat alius: hinc merito ponit Auctor pro causa concordiæ inter beatos unitatem voluntatis, seu quòd non aliud hic, & oppositum alius, sed idem omnes quod Deus, & Deus idem quod omnes, velint Nam licèt quandoque cum voluntate communi circa finem, sit voluntatum de mediis, aut viis discrepantia; hoc non nisi propter ignorantiam contingit; quæ cum perfecta felicitate non sociatur. Lege 10. cap. prælaudati serm. de beatitud.

16 Neque obloquitur textus Daniel. cap. 10. ℣. 13. ubi dicitur quòd Princeps Regni Persarum restiterit Archangelo Gabrieli *viginti & uno diebus.* Nam ut Doctissim. inquit Calmet in suo Biblico Diction. verbo Angeli, *Viris doctissimis Princeps iste Persarum est Cyrus Rex Persidis, qui intus & in corde monenti Gabrieli tandiu restitit.*

17 *Si potestas; omnipotentes erunt suæ voluntatis, ut Deus suæ.* Ratio Auctoris est satis manifesta atque ab ipso bene exposita. Auctoritas Confirmativa si desideretur, in promptu habemus Aug. 13. de Trinit. cap. 7. inquientem: *Beato quales se esse omnes volunt, non rectè nec verè dicitur, non potest fieri quod vis. Si enim beatus est, quidquid vult, fieri potest, quia non vult quod fieri non potest.* Et P. Bern. Serm. 16. de diversis ait: *Ubi summa abundantia, summa sapientia, summæ potentia est; puto quòd nihil desit plenitudini beatitudinis, quantum spectat ad summam felitatis humanæ.*

18 *Si vera securitas; certè ita certi erunt numquam & nullatenus ista, vel potius istud bonum defuturum: sicut certi erunt se non sua sponte illud amissuros &c* Honorem ac divitias beatorum, de quibus ante hæc verba loquitur Author, consultó transilimus, tum quia nulla in hoc apparet obscuritas; tum quia, sicut supra monuimus, in toties laudato sermone cap. 11. ramos ipse Author expandit. Sed neque circa securitatem beatorum quispiam poterit hæsitare, si attendat infæderabilem penitus esse veram & absolutam beatitudinem cum timore, solicitudine, angore, aut fallentia (si falsa securitas esset) quæ ex periculo quocumque amittendi felicitatem necessarió gignerentur. Nam ut inquit Aug. ubi supra: *Quod est omnino beatissimum, ita semper fore certum erit.* Ergo non esse certum ita semper fore, est quod magis diminuit beatitudinem.

19 Sed ad rationes Anselmi veniamus. Nam etsi beatitudinem omnes verè aut verúm judicantes inamissibilem concedant; sed non omnibus una hujus inamissibilitatis probatur ratio. Alii quippe, ut Scotistæ, ex ratione externa, non autem ex beatitudinis ratione intima, judicant felicitatem inamissibilem. Alii, ut Thomistæ cum D. Thom. 1. 2. quæst. 5. art. 4. pro inamissibilitate proveniente ex intima ratione visionis Dei uti est in se, & natura talis amoris, sive etiam ex necessaria naturali adhæsione voluntatis suo ultimo fini, suæ consumatæ felicitati, viriliter pugnant. P.

Anselmus cum D. Thom. & Thomistis consentit. Nam cùm triplicem rationem certitudinis beatorum de inamissione suæ beatitudinis tradat, duasque postremas, á foris, sive forinsecus se habentes, alteram nempe á dilectione Dei summè boni, alteram á remotione omnis agentis Deo potentioris: nihil restat unde primam ab ipsis beatis dessumptam, eam esse externam, vel extrinsecùs se habentem interpretemur. Si enim illa certitudo non esset ex aliqua viscerali ratione beatorum in eo felici statu; non invenitur undenam ad ipsos venire posset tanta certitudo, nisi ex summa confidentia in dilectione tanti amici, quantus & qualis est Deus, adversus quem nihil prævalere potest (*nam si Deus prò nobis, quis contra nos?*) aut ex fidelitate ipsius Dei promittentis, & sua infinita veracitate. At tunc non esset prima ratio ab aliis duabus distincta, frustraque ab Anselmo adhiberetur. Sed non is Anselmus est, qui aerem verberet, verbaque inutiliter dispendat.

20 Cæterum quod hìc involutè dicit Anselmus, palám detegit in cap. 6. de casu Diaboli. *Quapropter àdeo sunt provecti* (Angeli Sancti) *ut sint adepti quidquid poterunt velle; nec jam videant quid plus velle possint: Et propter hoc peccare nequeunt.* Ecce duas rationes internas sive ab intimis beatitudinis, alteram ex repletione capacitatis voluntatis, alteram ex perspicuitate visionis, quæ aspicere nequit aliquid aliud, pro quo bonum summum, quod possident, & quo fruuntur, commutent deserantque. Quippe neque peccare possent beati, neque Deum possessum derelinre, nisi appetendo aliquod bonum quo carerent, & extra Deum quærendo, quia in ipso illud non invenirent, non possiderent. At hoc est impossibile. Deus etenim est summum bonum in quo sine ulla imperfectione est omne bonum tam corporis quam animæ, sicut in præsenti cap. & in duobus præcedentibus jam dixit Author. Ergo ex his, quæ anteposuerat, cùm facile quisque intelligere valeret primam ex tribus hìc datis rationem: propterea á majori explicatione judicavit supersedendum. Deinde. Deus est id quo nihil melius cogitari potest. Non esset, si non foret tale quod captivam propter suam bonitatem ac undequaque pulchritudinem, penitus & in sempiternum mentem beatorum de se haberet. Ergo hæc certitudo beatitudini est ab intima conjunctione beatorum cum Deo summo bono.

21 P. Aug. 13. de Trinit. cap. 4. pro inamisibilitate beatitudinis ex ejus intima ratione indubitanter stare mihi videtur, cum ita interrogat: *An forte falsum est, quod pro verissimo, certissimoque posuimus, beatè vivere omnes homines velle?* Ergo in omnibus sine exceptione amor suæ beatitudinis indesinenter certissimus est. Igitur hic amor habet in omnibus rationalibus principium sui certissimum & indefectibile. A principio quippe defectibili nequit originem ducere certissimus amor, sed defectibilis tantum: poterit enim tale principium deficere ab amando beatitudinem. Non itaque semel habitam veram beatitudinem, poterit quispiam illam non amare. Ergo cùm ad falsam aut apparentem beatitudinem nequeat simul habere, immo neque non simul, necessariam habitudinem & inclinationem; non relinquitur spatium aliquod ut aliquando deserat beatus pro fatua sive fallaci veram semel sibi perspicuam atque possessam beatitudinem.

22 Sed iterum S. Doctorem audiamus sic cap. 8. arguentem: *Cùm deserit* (nempe beata vita beatum) *aut nolentem deserit proculdubio aut volentem, aut neutrum. Si nolentem; quomodo beata vita est, quæ ita est in voluntate, ut non sit in potestate? Si autem volentem deserit; etiam sic, quomodo beata erat, quam perire voluit qui habebat? Restat ut dicat neutrum esse in animo beati, idest, eum deseri á beata vita.... Nec nolle, nec velle, ad utrumque parato & æquo animo consistere. Sed nec ista beata est vita: quia talis est, ut quem beatum facit, amore ejus indigna sit. Quomodo enim est beata vita quam non amat beatus? Aut quomodo amatur, quod utrum vigeat an pereat, indifferenter accipitur? Deinde quomodo erit vera illa tam perfecta, tam examinata, tam eliquata, tam certa sententia, beatos esse omnes homines velle, si ipsi qui jam beati sunt, beati esse nec nolunt, nec volunt? Aut si volunt, ut veritas clamat, ut natura compellit, qui summè bonus, & immutabiliter beatus creator indidit hoc, si volunt, inquam, beati esse qui beati sunt, beati utique non esse nolunt... Nullo modo igitur esse poterit vita veraciter beata, nisi fuerit sempiterna.* In quibus verbis non modó aperta sententia pro incorruptibilitate intima beatitudinis continetur, verùm etiam confirmatur & exponitur prior Anselmi ratio.

Aliæ

23 Aliæ vero duæ rationes repetuntur & etiam exponuntur á D. Thom. loco superius designato in 1. 2. Sufficiet tamen transcribere secundam ; quandoquidem ultima per se patet. *Similiter etiam non potest* , inquit , *eam perdere , Deo subtrahente , quia cùm substractio beatitudinis sit quædam pœna , non potest talis substractio á Deo justo judice provenire , nisi pro aliqua culpa , in quam cadere non potest , qui Dei essentiam videt.* Cætera hujus præsentis cap. á N. Authore sufficienter, solidè , piè atque clarissimè demonstrantur. Nihil ergo est cur immoremur , nisi fortassis ad gaudendum de tanto nobis promisso gaudio.

CAPUT XXVI.

An hoc sit gaudium plenum , quod promittit Dominus.

DEUS meus , & Dominus meus , spes mea , & gaudium cordis mei, dic animæ meæ , si hoc est gaudium , de quo nobis dicis per Filium tuum , *Petite , & accipietis ; ut gaudium vestrum sit plenum.* Inveni namque gaudium quoddam plenum , & plusquam plenum. Pleno quippe corde , plena mente , plena anima , pleno toto homine gaudio illo , adhuc supra modum supererit gaudium. Non ergo totum illud gaudium intrabit in gaudentes ; sed toti gaudentes intrabunt in gaudium. Dic , Domine, dic servo tuo intus in corde suo , si hoc est gaudium , in quod intrabunt servi tui , qui intrabunt in gaudium Domini sui. Sed gaudium illud certè , quo gaudebunt electi tui , *nec oculus vidit , nec auris audivit , nec in cor hominis ascendit.* Nondum ergo dixi aut cogitavi , Domine , quantum gaudebunt illi beati tui. Utique tantum gaudebunt , quantum amabunt : tantum amabunt , quantum cognoscent. Quantum te cognoscent, Domine , tunc ; & quantum te amabunt ? Certè *nec oculus vidit , nec auris audivit , nec in cor hominis ascendit* , in hac vita , quantum te cognoscent , & amabunt in illa vita. Oro , Deus , cognoscam te, amem te ; ut gaudeam de te. Et si non possum in hac vita ad plenum , vel proficiam in dies , usque dum veniat illud ad plenum ; proficiat hic in me notitia tui , & ibi fiat plena ; crescat amor tuus , & ibi sit plenus : ut hic gaudium meum sit in spe magnum , & ibi sit in re plenum. Domine , per Filium tuum jubes , immò consulis petere ; & promittis accipere , ut gaudium nostrum sit plenum. Peto Domine , quod consulis per admirabilem Consiliarium nostrum ; accipiam quod promittis per veritatem tuam , ut gaudium meum plenum sit. Deux verax , peto ; accipiam , ut gaudium meum plenum sit. Meditetur interim inde mens mea ; loquatur inde lingua mea. Amet illud cor meum ; fermocinetur os meum. Esuriat illud anima mea , sitiat caro mea , desideret tota substantia mea : donec intrem in gaudium Domini , qui es trinus , & unus Deus , benedictus in sæcula. Amen.

Joan. 16.

Isaiæ 64. 1. Cor. 2.

COMMENTARIUS.
CAPIT. XXVI.

Deus meus & Dominus meus , spes mea & gaudium cordis mei &c.

1 Neque in hoc cap. quod reputari potest , quasi præcedentis quædam sectio , aliquid est quod nos detinere jure debeat , præter ea tantummodo verba : *Utique tantum gaudebunt , quantum amabunt : tantum amabunt , quantum cognoscent.* Duo

in

in his verbis colligit Author, magnitudinem scilicet gaudij in beatis ex magnitudine amoris; amorisque magnitudinem ex majori vel minori cognitione summi boni. Utrumque rectè colligitur in beatorum felici statu; quamvis in hac misera vita multoties voluntas intellectum non sequatur; amor & gaudium non sint juxta majorem aut minorem de bono cognitionem. Multi namque perspicacissimi in cognoscendo quod bonum est, quod melius, heu! Quàm tardi ac tepidi bonum diligunt. Unde & quidam profanus dixit: *Video meliora proboque; deteriora sequor. Et multa*, inquit Auct. in Monol. cap. 50. *tenentur memoria & intelliguntur, quæ non amantur.* Cæterum hoc vel ideo contingit, quia in illud cognitum bonum non est affecta voluntas, & propterea practicè sive hic & nunc conveniens aut delectabile esse tale bonum non judicatur, juxta illud Aristotelis appobatum à D. Thom. *Qualis unusquisque est, talis finis ei videtur.* Vel ideo hoc accidit, quia illud bonum non est perfectum, ubi sita sit beatitudo, neque cum beatitudine necessariam simpliciter habet connexionem. Vel denique quia licèt re ipsa perfectum & terminus sit veræ beatitudinis, á longe aspicitur, vel quadam cum confusione, & exigua cognitionis certitudine: quamvis alioquin certissimè aliquibus constet ex fide.

2 At in beatis totum felicissimè contrarium accidit. Siquidem ad mensuram gratiæ, & charitatis, quæ est voluntatis potentissima in summum bonum affectio, confertur cognitio, lumen gloriosum infunditur, summum bonum est in meridie, nedum est propè, sed proximum, sed presentissimum, sed valdè intimum: voluntas non modò per charitarem maximè ad Deum affecta est; sed & per naturam, juxta dicta ex P. Aug. in proximo cap. necessario in suam beatitudinem fertur, afficiturque ad ipsam vehementissimè, constantissimè. Quapropter nihil est quod affectum in Deum vel amorem in summum bonum ibi retardet: sed potius cuncta ad amandum ipsum, ad gaudendum de ipso, miré confœderata concurrunt, & quadam suavissima felicissimaque violentia, aut non amate Deum, aut tepidè amare, aut ab ejus amore cessare, nequaquam permittunt. De quibus si alia præter Augustini quæritur Auctoritas, legatur Doct. Ang. 1, part. quæst. 82. art. 2.

3 Itaque suppositò amore nil contingente in beatis, si quæratur cur unus magis gaudeat de summo bono quàm alter. Rectissimè juxta Auctorem & veritatem respondebitur: quia magis aut vehementius diligit summum bonum. Nam sicut ex amore absentis cujusque boni naturaliter excitatur, oriturque desiderium: ita & ex amore propinquissimi ac præsentissimi boni gaudium naturaliter nasci debet. Ergo si verum est quod *sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis*; ad majorem seu vehementiorem amorem majus atque copiosius gaudium sequatur necesse est. Si verò iterum quæratur, cur unus beatus plus vel ardentius diligat Deum quam alter? Rectè pariter respondebitur: quia majori luce unus præditus est, quia perspicatiori de Deo viget cognitione, quàm pollet alter. Siquidem si ex cognitione non indifferenti summi boni sed practicè, & determinatè proponenti summum bonum necessario diligendum esse, certissimus oritur amor: ex illustriori, perspicatorive de Deo agnitione, juxta regulam prædictam, ferventior amor sequetur.

4 Neque hoc est contra id quod D. Thom. 1. 2. quæst. 5. art. 2. in Corp. ait, *Quia contingit aliquem perfectius frui Deo quàm alium, ex eo quod est melius dispositus vel ordinatus ad ejus fruitionem.* Non, inquam, hoc est diversum, sed in idem venit. Siquidem, ut dixi, secundum mensuram gratiæ & dispositionem charitatis unicuique datur lumen videndi Deum, per quod etiam intellectus disponitur beati; & juxta hanc dispositionem per lumen, videtur Deus, possidetur Deus, amatur Deus, & beatus fruitur Deo, gaudet denique de Deo. Hoc est, gaudium, inquit Auctor, de quo propter suam exuberantiam ex præsentia summi boni, & cæterorum omnium amicorum beatorum dilectorum adinvicem & diligentium, dicit Dominus noster Jesus Christus in Evang. omnibus & unicuique beatorum: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Quippe non gaudium illud intrat in cordibus beatorum; sed potius ipsi beati intrant in gaudium Domini sui. Non satis capaces sunt beati ad capiendum intra seipsos tantum gaudium; sed potius gaudium beatos capit & absorbet. Hoc ergo gaudium, tam plenum, tam superplenum, oremus iam in fine hujus libri cum ipso Anselmo, ut nobis adveniat, ut quandoque ab eo capiamur, ut quandoque denique cum bonis omnibus, & fidelibus servis in illud intremus in sæculum sæculi. Amen.

LI-

CENSURA DOM. GERBERONII.

DE LIBRO SEQUENTI.

1 CUM Proslogium in manus cujusdam veniſſet, qui hanc Anselmi argumentationem, *id quod majus cogitari nequit, est saltem in intellectu; ergo & necessariò reipsa existit*, non ratam esse putans, eam reffellere gestiens, scriptum illud edidit, ut narrat Edmerus lib. 1. de Vita S. Anselmi p. 6. 2. E. Hoc opus varias habet intitulationes, quas videre licet in variis hujusce libelli lectionibus ad calcem hujus tomi positis. In hujus responsionis fine plurimum commendatur liber Proslogii.

2 Hujusce vero Responsionis quis auctor esset, Anselmus adeo tacere voluit, ut eum non esse insipientem, sed catholicum, dixisse satis esse duxerit in prologo sui Apologetici, pag. 37. Unde hactenus hujus Respondentis nomen auditum non fuerat, quod nos declaravimus ex Mss. fide quæ Gaunilonem Majoris Monasterii Monachum, hujus responsionis auctorem proclamant. Vide varias hujusce, & sequentis opusculi lectiones. Abeat jam ergo procul Francisci Pici sententia hoc opus tribuentis Roberto OlKot, quem constat ducentis annis esse Anselmo juniorem. Is quidem & cum eo alii hanc S. Anselmi ratiocinationem, veluti quæ in Logicam peccaret, exploserunt: sed ausim dicere quód nec eam intellexerunt. Alius forte dabitur de ea differendi locus.

LIBER PRO INSIPIENTE

ADVERSUS S. ANSELMI

IN PROSLOGIO RATIOCINATIONEM.

AUTHORE GAUNILONE MAJORIS-MONASTERII Monacho.

1 DUbitanti utrum sit, vel neganti quód sit aliqua talis natura, qua nihil majus cogitari possit; tamen esse illam, hinc dicitur primo probari: quód ipse negans, vel ambigens de illa, jam habeat eam in intellectu; cùm audiens illam dici, id quod dicitur intelligit: deinde quia quod intelligit, necesse est ut non in solo intellectu, sed etiam in re sit. Et hoc ita probatur: quia majus est esse in intellectu & in re quàm in solo intellectu. Et si illud in solo est intellectu; majus illo erit quicquid etiam fuerit in re: ac sic majus omnibus, minus erit aliquo; & non erit majus omnibus: quod utique repugnat. Et ideo necesse est ut majus omnibus, quod iam probatum est esse in intellectu, non in solo intellectu, sed & in re sit: quoniam aliter majus omnibus esse non poterit.

2 Responderi forsitam potest, quód hoc jam esse dicitur in intellectu meo, non ob aliud, nisi quia id quod dicitur, intelligo. Nonne, & quæcumque falsa, ac nullo prorsus modo in seipsis existentia, in intellectu habere similiter dici possem; cum ea dicente aliquo, quæcumque ille diceret, ego intelligerem? Nisi forte tale illud constat esse, ut non eo modo, quo etiam falsa quæque vel dubia haberi possit in cogitatione: & ideo non dicor illud etiam auditum cogitare, vel in cogitatione habere; Sed intelligere & in intellectu habere: quia scilicet, non possum hoc aliter cogitare, nisi intelligendo,

id est, scientia comprehendendo reipsa illud existere. Sed si hoc est : Primo quidem non hic erit aliud, idemque tempore præcedens, habere rem in intellectu; & aliud idemque tempore sequens, intelligere rem esse : ut fit de pictura, quæ prius est in animo pictoris; deinde in opere. Deinde vix unquam poterit esse credibile, cùm dictum, & auditum fuerit istud non eo modo posse cogitari non esse, quo etiam potest cogitari non esse Deus. Nam si non potest; cur, contra negantem aut dubitantem, quód sit aliqua talis natura, tota ista disputatio assumpta est ? Postremó quód tale sit illud, ut non possit, nisi mox cogitatum, indutabilis existentiæ suæ certo percipi intellectu ; indubio aliquo probandum mihi est argumento : non autem isto; quód jám sit hoc in intellectu meo, cùm auditum intelligo : in quo similiter esse posse quæcumque alia incerta vel etiam falsa ab aliquo, cujus verba intelligerem dicta adhuc puto; & insuper magis, si illa deceptus, ut sæpe fit, crederem qui istud nondum credo.

3 Unde nec illud exemplum de pictore, picturam, quam facturus est, jam in intellectu habente, satis potest huic argumento congruere. Illa enim pictura, antequam fiat, in ipsa pictoris arte habetur; & tale quippiam in arte artificis alicujus nihil est aliud, quàm pars quædam intelligentiæ ipsius : quia & (sicut S. Augustin. ait) cùm faber arcam facturus in opere, prius habet illam in arte; arca, quæ fit in opere, non est vita; arca quæ est in arte, vita est; quia vivit anima artificis in qua sunt ista omnia, antequam proferantur. Ut quid enim in vivente artificis anima vita sunt ista; nisi quia nihil sunt aliud quám scientia vel intelligentia animæ ipsius? At vero quicquid extra illa, quæ ad ipsam mentis noscuntur pertinere naturam, aut auditum aut excogitatum intellectu percipitur verum; aliud sine dubio est verum illud, aliud intellectus ipse, quo capitur : quo circa etiamsi verum sit esse aliquid, quo majus quicquam nequeat cogitari; non tamen hoc auditum & intellectum, tale est, qualis nondum facta pictura in intellectu pictoris.

4 Huc accedit illud, quód prætaxatum est superius; quia scilicet, illud omnibus, quæ cogitari possint, majus, quod nihil aliud posse esse dicitur quàm ipse Deus; tam ego secundum rem, vel ex specie mihi vel ex genere notam, cogitare auditum vel in intellectu habere non possum; quám nec ipsum Deum, quem utique ob hoc ipsum etiam non esse cogitare possum. Neque enim aut rem ipsam, quæ Deus est, novi; aut ipsam possum conjicere ex alia simili : quandoquidem & tu talem asseris illam, ut esse non possit simile quicquam. Nam si de homine aliquo mihi prorsus ignoto, quem etiam esse nescirem, dici tamen aliquid audirem; per illam specialem, generalem ve notitiam, qua quid sit homo vel homines novi, de illo quoque secundum rem ipsam, quæ est homo, cogitare possem : & tamen fieri posset, ut mentiente illo qui diceret, ipse, quem cogitarem, homo non esset; cùm tamen ego de illo, secundum veram nihilominus rem, non quæ esset ille homo, sed quæ est homo quilibet, cogitarem. Nec sic igitur, ut haberem falsum istud in cognitione vel in intellectu habere possum illud, cùm audio dici, Deus, aut, *aliquid omnibus majus.* Cùm, quando illud secundum rem veram mihique notam cogitare possem, istud omnino nequeam, nisi tantum secundum vocem, secundum quam solám aut vix aut nunquam potest ullum cogitari verum. Siquidem cùm ita cogitatur; non tam ipsa vox, quæ res est utique vera, hoc est, litterarum sonus vel syllabarum; quàm vocis auditæ significatio cogitetur : sed non ita ut ab illo, qui novit quid ea soleat voce significari; á quo, scilicet, cogitatur secundum rem vel in sola cogitatione vera : verum ut ab eo, qui illum non novit; & solummodo cogitat secundum animi motum illius auditu vocis effectum, significationemque perceptæ vocis conantem effingere sibi : quod mirum est, si unquam rei veritate potuerit. Ita ergo, nec prorsus aliter, adhuc in intellectu meo constat illud haberi, cùm audio intelligoque dicentem esse aliquid majus omnibus quæ valeant cogitari : hæc de eo, quod summa illa natura jam esse dicitur in intellectu meo.

5 Quód autem non solùm in intellectu sed & in re necessario esse, inde mihi probatur : quia nisi fuerit, quicquid est in re, majus illa erit : ac per hoc, non erit illud majus omnibus : quod utique jam esse in intellectu, probatum est. Adhuc respondeo : si esse dicendum est in intellectu, quod secundum veritatem cujusquam rei nequit saltem cogitari : & hoc in meo sic esse non denego. Sed quia per hoc esse quoque in re non potest ullatenus obtinere : illud esse ei adhuc penitus non concedo, quousque mihi argumento probetur indubio; quód qui esse dicit hoc, quod majus omnibus

ali-

aliter non erit omnibus majus; non satis attendit cui loquatur. Ego enim nondum dico, imó etiam nego vel dubito ullatenus vera esse majus illud: nec aliud ei esse concedo, quàm illud, si dicendum est esse, cùm secundum vocem tantùm auditam rem prorsus ignotam sibi conatur animus effingere. Quomodo igitur inde mihi probatur majus illud rei veritate subsistere, quia constet illud majus omnibus esse: cùm id ego eousque negem adhuc, dubitem ve constare; ut ne in intellectu quidem vel cogitatione mea, eo saltem modo majus ipsum esse dicam, quo dubia etiam multa sunt & incerta? Prius enim certum mihi necesse est fiat, revera esse alicubi majus ipsum; & tum demum ex eo, quod majus est omnibus, in seipso quoque subsistere non erit ambiguum.

6 Exempli gratia: Ajunt quidam alicubi Occeani esse Insulam, quam ex difficultate vel potius impossibilitate inveniendi quod non est, cognominant aliqui perditam: quamque fabulantur multo amplius, quàm de fortunatis insulis fertur, divitiarum, deliciarumque inæstimabili ubertate pollere, nulloque possessore aut habitatore, universis aliis, quas incolunt homines, terris, posidendorum redundantia usquequaque præstare. Hoc ita esse dicat mihi quispiam; Et ego facile dictum, in quo nihil est difficultatis, intelligam. At si tunc velut consequenter adjungat, ac dicat: non potes ultra dubitare insulam illam omnibus terris præstantiorem vere esse alicubi in re, quam & in intellectu tuo non ambigis esse: & quia præstantius est non in intellectu solo, sed etiam esse in re; ideo sic eam necesse est esse; quia nisi fuerit, quæcumque alia in re est terra, præstantior illa erit; ac sic ipsa jam à te præstantior intellecta, præstantior non erit. Si, inquam, per hæc ille mihi velit astruere de insula illa, quód vere sit, ambigendum ultra non esse: aut jocari ipsum credam; aut nescio quem stultiorem debeam reputare; utrum me, si ei concedam; an illum, si se putet aliqua certitudine insulæ illius essentiam astruixisse: nisi prius ipsam præstantiam ejus solummodo sicut rem vere atque indubie existentem, nec ullatenus sicut falsum aut incertum aliquid in intellectu meo esse docuerit.

7 Hæc interim ad objecta insipiens ille responderit; cui cùm deinceps asseritur tale esse majus illud, ut nec sola cogitatione valeat non esse; & hoc rursus non aliunde probatur, quam eo ipso, quod aliter non erit omnibus majus, idem ipsum possit referre responsum & dicere: Quandonam ego rei veritate esse tale aliquid, hoc est, majus omnibus, dixi: ut ex hoc mihi debeat probari in tantum etiam reipsa id esse; ut nec possit cogitari non esse? Quapropter certissimo primitus aliquo probandum est argumento aliquam superiorem, hoc est, majorem ac meliorem omnium, quæ sunt, esse naturam: ut ex hoc, alia jam possimus omnia probare, quibus necesse est illud quod majus ac melius est omnibus, non carere. Cùm autem dicitur, quód summa res ista non esse nequeat cogitari; melius fortasse diceretur quòd non esse, aut etiam posse non esse, non possit intelligi: nam secundum proprietatem verbi istius, falsa nequeunt intelligi; quæ possunt utique eo modo cogitari, quo Deum non esse, insipiens cogitavit; & me quoque esse certissime scio, sed & posse non esse nihilominus scio; summum verò illud quod est Deus, & esse & non ese non posse, indubitanter intelligo. Cogitare autem me non esse, quandiu esse certissime scio, nescio utrum possim; sed si possum; cur non & quicquid aliud eadem certitudine scio? Si autem non possum, non erit jam istud proprium Deo.

8 Cætera libelli illius tam veraciter & tam præclarè sunt magnificeque disserta, tam denique referta utilitate, & pii ac sancti affectús intimo quodam odore fragrantia, ut nullo modo propter illa, quæ in initiis rectè quidem sensa, sed minus firmiter argumentata sunt, ista sint contemnenda; sed illa potius argumentanda robustius: ac omnia cum ingenti veneratione & laude suscipienda.

CENSURA GERBERONII.

DE LIBRO SEQUENTI.

1 QUIDAM S. Anselmi amicus ad eum miſit Gaunilonis responſionem, quam ut S. Doctor conſideravit, gavisus eſt, & eam adjuncta confutatione eidem amico remiſit: ut teſtatur Edmerus lib. 1. de vita S. Anselmi pag. 7. 1. A. Hæc confutatio legitur in omnibus S. Anselmi tam excuſis quam Mſſ. codicibus. In Ms. 142. bibliotecæ Domus S. Petri tract. 3. extat ſub hoc titulo: *Contra Insipientes.* In Mſſ. Biblioth. Aulæ Pembroch. tract. 8. hunc præfert titulum: *Contra respondentem insipientem.* In ea ſpectabilis eſt Anselmi modeſtia, qui, ut refert Edmerus loco cit. gratias agit ſuo reprehensori, quem non insipientem ſed Catholicum ipse pronunciat in ſuæ responſionis prologo, & quem non malevolentia ſed benevolentia, quæ ipſi infirma visa ſunt, confutanda ſuscepiſſe censuit. ut ait in hujusce apologetici clausula p. 40. 2. B. hæc S. Anselmum, dum Becci Prior eſſet, (circa an. 1070.) ſcripſiſſe discimus ab Edmero citato loco.

SANCTI ANSELMI

LIBER APOLOGETICUS CONTRA GAUnilonem, respondentem pro insipiente.

QUONIAM non me reprehendit in his dictis ille insipiens, contra quem ſum locutus in meo opusculo; ſed quidam non inſipiens, & Catholicus, pro inſipiente: ſufficere mihi poteſt respondere Catholico.

(QUASI PROLOGUS.)

Quoniam non me reprehendit, &c.

1 HOC opusculum cujus meminit hîc S. Anselmus, eſt ſine dubio Proslogium. Dicit ergo his paucis numero verbis, se in hoc Apologetico libro non ſic disputaturum quaſi contra insipientem, ſive eo animo ut convincat & revincat insipientem; sed acturum duntaxat ut ſuam contra insipientem argumentationem ratam eſſe oſtendat, & replicis à Gaunilone factis adversus eam ut ipsam quaſi infirmaret, acommodatum det, aptumque, ſufficientissimumque responsum. Unde cum hanc responſionem *Anselmus*, teſte Eadmero in vita S. Doctoris lib. 1. *libello ſibi directo ſubscriptam*, (hoc eſt, ſubjunctam Gaunilonis libello) *ſub uno ei qui miserat amico remiſiſſet: hoc ab eo & ab alijs, qui libellum illum habere dignantur, petitum iri desideravit, quatenus in fine ipsius operis ſuæ argumentationis reprehenſio, & reprehenſioni ſua responsio ſubscriberetur.* Nimirum ea fuit *Anselmi* intentio, ut à lectoribus debita poſſet fieri cùm objectionum tùm responſionum collatio, neque temerè judicium interponerent, ſed ſuum meritum unicuique tribuerent.

CA-

CAPUT I.

Generatim refellitur adversarii ratiocinatio; & ostenditur id, quo majus cogitari non potest, esse reipsa.

DICIS quidem (quicumque es, qui dicis hæc posse dicere insipientem) quia non est in intellectu aliquid, quo majus cogitari non possit, aliter quàm, quòd secundum veritatem cujusque rei nequit saltem cogitari: & quia non magis consequitur hoc, quod dico, quo majus cogitari non possit, ex eò quia est in intellectu, esse & in re, quàm perditam insulam certissime existere ex eo, quia cùm describitur verbis, audiens eam non ambigit in intellectu suo esse. Ego vero dico: Si, quo majus cogitari non potest, non intelligitur vel cogitatur, nec est in intellectu vel cogitatione; profectò Deus, aut non est, quo majus cogitari non possit, aut non intelligitur vel cogitatur & non est in intellectu vel cogitatione. Quod quàm falsum sit, fide & conscientia tua pro firmissimo utor argumento. Ergo quo majus cogitari non potest, verè intelligitur & cogitatur & est in intellectu & cogitatione. Quare, aut vera non sunt, quibus contra conaris probare, aut ex eis non consequitur quod te consequenter opinaris concludere. Quòd autem putas, ex eo, quia intelligitur aliquid quo majus cogitari nequit, non consequi illud esse in intellectu; nec si est in intellectu, ideo esse in re: certè ego dico: si vel cogitari potest esse; necesse est illud esse. Nam quo majus cogitari nequit, non potest cogitari esse, nisi sine initio. Quicquid autem potest cogitari esse & non est: per initium potest cogitari esse. Non ergo quo majus cogitari nequit, cogitari potest esse, & non est. Si ergo potest cogitari esse; ex necessitate est. Amplius. Si utique vel cogitari potest; necesse est illud esse. Nullus enim negans aut dubitans esse aliquid, quo majus cogitari non possit, negat vel dubitat quia, si esset, nec actu nec intellectu posset non esse: aliter namque non esset quo majus cogitari non posset. Sed quicquid cogitari potest, & non est; si esset, posset vel actu vel intellectu non esse. Quare si vel cogitari potest; non potest non esse quo majus cogitari nequit. Sed ponamus non esse, si vel cogitari valet: at quicquid cogitari potest, & non est; si esset, non esset quo majus cogitari non possit. Si ergo esset quo majus cogitari non possit, non esset quo majus cogitari non possit: quod nimis est absurdum. Falsum est igitur non esse aliquid, quo majus cogitari non possit, si vel cogitari potest: multo itaque magis, si intelligi aut in intellectu esse potest. Plus aliquid dicam: proculdubio quicquid alicubi, aut aliquando non est, etiamsi est alicubi aut aliquando; potest tamen cogitari nunquam & nusquam esse, sicut non est alicubi aut aliquando. Nam quod heri non fuit & hodie est: sicut heri non fuisse intelligitur; ita nunquam esse subintelligi potest: & quod hìc non est & alibi est; sicut non est hìc; ita potest cogitari nusquam esse. Similiter cujus partes singulæ non sunt ubi aut quando sunt aliæ partes ejus; omnes partes, & ideo ipsum totum, possunt cogitari nunquam aut nusquam esse. Nam etsi dicatur tempus semper esse, & mundus ubique; non tamen illud totum semper, aut iste totus est ubique: & sicut singulæ partes temporis non sunt quando aliæ; ita possunt nunquam esse cogitari; &

singulæ mundi partes, sicut non sunt, ubi aliæ sunt; ita subintelligi possunt nusquam esse: sed & quod partibus conjunctum est, cogitatione dissolvi, & non esse potest. Quare quicquid alicubi aut aliquando totum non est, etiamsi est, potest cogitari non esse: at quo majus cogitari nequit, si est, non potest cogitari non esse; alioquin si est, non est quo majus cogitari non potest: quod non convenit. Nullatenus ergo alicubi aut aliquando totum non est: sed semper & ubique totum est. Putas ne aliquatenus posse cogitari vel intelligi, aut esse in cogitatione vel intellectu, de quo hæc intelliguntur? Si enim non potest; non possunt hæc intelligi de eo. Quod si dicis non intelligi & non esse in intellectu, quod non penitùs intelligitur; dic quia qui non potest intueri purissimam lucem solis, non videt lucem diei, quæ non est, nisi lux solis. Certè vel hactenus intelligitur & est in intellectu, quo majus cogitari nequit; ut hæc de eo intelligantur.

COMMENTARIUS.

CAP. I.

Dicis quidem, &c.

1 Cùm in manuscriptis inveniretur, teste Gerberonio, expressum nomen Gaunilonis, verosimile non videtur, in codice ab amico misso ad Anselmum nullum apparuisse vocabulum, quo saltem distingueretur professio monachatùs Gaunilonis. Quapropter ea verba *quicumque es* non aliud forsan volebant significare, nisi Monachum illum nomine sibi ignotum esse. Quamvis, ut ingenue loquar, S. Doct. non videtur silentio suppressutus professionem monachi, sicut non tacuit ipsius catholicitatem. Fortasis monachus, dum codicem suarum objectionum, ut ad Anselmum perferretur, concessit, noluit nomen suum codice inscriptum, quousque sciret an æquo animo impugnatio ejus ab Anselmo legeretur, necne. Postea vero scito, quanta cum tranquillitate & gratiarum actione lecta fuisset ab Anselmo, nullum jam sibi timens periculum, ipse vel per se codici suum nomen adjecit, vel ut reliqui hoc facerent, permisit.

2 Objectio autem ejus quæ in his quæ nunc versamur verbis continetur, cùm per se satis obscura sit, obscurior fit per virgulam relativo *quod* superpositam, quam habere non debet; in his scilicet verbis: *aliter quàm quod secundum veritatem cujusque rei nequit saltem cogitari.* Verba ergo Gaunilonis in quibus hæc prima pars objectionis habetur, sic leguntur in sua impugnatione ad numerum 5. quæ talia sunt: *Adhuc respondeo: Si esse dicendum est in intellectu quod secundum veritatem cujuscumque rei nequit saltem cogitari; & hoc in meo sic esse, non denego.* Id est, (interpretor ego) si dicendum est vel si potest dici esse, quod tantum est in intellectu, sed non in rei veritate; ita esse in intellectu meo id quo nihil majus cogitari non potest, certè non denego.

3 Deinde tota hæc Anselmi periodus obscura quoque videtur, non de se, sed propter Scholasticorum loquendi morem; qui cùm tam in Scriptura sancta, quam in SS. Patribus vocem *quia* aut *quoniam* adjunctam verbis loquendi vel intelligendi, iuxta grammaticæ Canones, satis frequenter in indicativo occurrat, hunc modum utendi his particulis *quia* & *quoniam* obsoletum fecere, substituendo semper aut ferè semper *quod* pro *quia* vel *quoniam*. Anselmus autem & semper grammaticè loquitur, & frequentissimè vocibus *quia* & *quoniam* in sensu assertivo, non causali utitur; quamvis in oportunitatibus easdem in sensu causali accipiat. Duas itaque partes continet hæc objectio Gaunilonis: prima terminatur in his verbis: *nequit saltem cogitari.* Secunda incipit ab illis proximè sequentibus: *Et quia non magis consequitur*, & in illis terminatur: *in intellectu suo esse*, quæ è vestigio sequitur S. Anselmi responsio, ibi scilicet: *Ego vero dico.* Primam attentius mihi considerànti visum est aliter esse interpretandam, eò quod alius sit ejus sensus. Hoc modo nempe. *Adhuc respondeo: Si dici potest esse in intellectu, quod quamvis cogitetur secundum*

voces, non autem ſecundum rei veritatem, id eſt, adhuc non cogitatur vel intelligitur an ſit vel non ſit ſecundum rei veritatem, vel an possit cogitari & intelligi ſecundum veram, non falsam, vel fictam ideam; certe ita cogitari & eſſe in intellectu meo id quo nihil majus cogitari potest, non denego. Hunc eſſe Gaunilonis ſenſum, ex his ipſius in eodem numero verbis ſequentibus bene colligitur: *Nec aliud ei eſſe concedo, quàm illud, ſi dicendum est eſſe, cùm ſecundum vocem tantum auditam rem prorsus ignotam ſibi conatur animus effingere. Quomodo igitur inde mihi probatur majus illud rei veritate ſubsistere, quia constet illud majus omnibus eſſe: Cùm id ego eousque negem adhuc, dubitemve constare; ut ne in intellectu quidem vel cogitatione mea, eo ſaltem modo majus ipsum eſſe dicam, quo dubia etiam multa ſunt & incerta?* Quæ mea interpretatio confirmatur ex initio responsionis S. Doctoris. Ait quippe: *Si, quo majus cogitari non potest, non intelligitur, vel cogitatur, nec est in intellectu vel cogitatione; profectò Deus, &c.*

4 Secunda autem objectionis pars quæ num. 6. libelli Gaunilonis continetur, ait quód etiam admiſſo cogitari & intelligi, & certó eſſe in cogitatione & in intellectu id quo majus cogitari nequit, non magis ſequatur ex hoc exiſtere quoque in re, quàm perditam insulam in num. 6. à se magnificé descriptam, ex eo certissimé existere reipsa, quia cum ab aliquo invenitur vel auditur verbis descripta, non ambigit se talem insulam mente ſua cogitare, & in ſuo eſſe intellectu, ſicut descripta legitur vel auditur. Ad hoc insulæ perditæ exemplum ſignanter respondet Anselmus in cap. 3. Nunc verò absolutè ac generatim respondet, & quód Deus, vel id quo majus non valet cogitari, vere cogitari possit et intelligi, & eſſe in intellectu, & cogitatione, & quód optima ſit sua consecutio vel illatio. Hoc eſt quod persuadere incipit in verbis proxime ſequentibus.

5 *Ego vero dico: Si quo majus cogitari non potest, &c.* Dicit ergo: ſi id quo majus cogitari non poteſt, non intelligitur vel cogitatur, ſi non est in intellectu vel cogitatione, ſicut vel certó vel dubitanter aſſerit pro Inſipiente Gaunilon; unum sequitur è duobus: nimirum, aut Deum non eſſe id quo majus cogitari non possit; aut non intelligi vel cogitari, & non eſſe in intellectu vel cogitatione. At utrumque falsum eſſe ipsa Gaunilonis conscientia, (præter ipsam fidem) certissime atque firmissime clamat. Ergo id quo majus aut melius cogitari non poteſt, vere cogitatur & intelligitur & eſt in intellectu & cogitatione. Quod autem notio ipsius Dei ſit apud omnes homines, & consequenter apud ipsum Gaunilonem, hæc, *id quo nihil majus aut melius cogitari potest*, apertissimè probavimus, ut puto, in commentario Proslogii ad capp. 2. 3. & 4. Si autem hæc eſt notio propria Dei omnibus hominibus naturaliter inſita; negari non poteſt vere cogitari atque intelligi & eſſe in intellectu & cogitatione *id quo majus cogitari non possit*, niſi Deus non intelligatur, non cogitetur, non sit in intellectu vel cogitatione. At penitus ſtultum fatuumque eſt vel negare vel dubitare, Deum poſſe vere intelligi & cogitari a quoquam, eſſe que in ejus intellectu & cogitatione. Unde concludit Auctor: ergo *quo majus cogitari non potest, vere intelligitur, & cogitatur & est in intellectu & cogitatione.* Unde & consequenter infert, quod aut vera non sunt ea quibus tamquam medijs vel propositionibus antecedentibus utitur Gaunilon ad probandum contrarium; aut saltem ex illis non consequitur quod ipse opinabatur, per ipsa se recte concludere.

6 *Quod autem putas, ex eo, quia intelligitur aliquid quo majus cogitari nequit, non consequi illud eſſe in intellectu; nec ſi est in intellectu, ideo est in re: certe ego dico: si vel cogitari potest eſſe, neceſſe est illud eſſe.* Duas consequentias negabat Gaunilon, etiam duabus factis ſuppositionibus. 1. quód etiam conceſſo intelligi aliquid quo majus cogitari nequit, ex eo consequi illud eſſe in intellectu. 2. quód etiam admiſſo, illud & intelligi & eſſe in intellectu; nec tamen ex hoc sequi illud etiam eſſe in re. Primam conseq. negatam vidimus apud Gaunilonem in verbis supra jam positis ex numeris libelli sui 5. & 6.: aperteque etiam colligitur talis negatio ex num. 4. 2. autem consequentiam negatam apud ipsum invenimus, tum in numero 2. tum in 5. tum in 6. tum in 7. Utramque vero consecutionem ratam eſſe fidenter aſſerit Anselmus. Utramque & probat, solam ultimam directé in hoc cap. probando.

7 *Nam quo majus cogitari nequit, non potest cogitari eſſe, nisi sine initio, &c.* Hæc eſt prima ratio. Illud, inquit, quo nihil majus aut melius cogi-

ta-

tari nequit, semel ac eſſe possit cogitari, non poteſt cogitari eſſe nisi absque initio. At quidquid poteſt cogitari eſſe, & re ipsa actu non eſt; cogitari poteſt eſſe per initium, id eſt, quod aliquando incipiat eſſe per aliquam ſui causam. Ergo illud quo majus nequit cogitari, non poteſt cogitari quòd possit exiſtere, & quòd re ipsa non ſit. Ergo ſemel atque possit cogitari eſſe, de necessitate eſt, ut cogitetur revera exiſtere. Prima propositio tam certa eſt & tam manifeſta, ut absque contradictione negari non possit. Contradictionem certissimè implicat, quòd aliquid initium habeat, vel quòd aliquando inceperit eſſe, & tamen ſit id quo nihil majus aut melius cogitari valet. Nunquid cuique evidentissimum non eſt, melius eſſe nunquam incepisse, sed semper fuisse, quàm non semper fuisse, sed per totam retro æternitatem non fuisse? Nunquid æque manifeſtissimum cuique non eſt, melius eſſe habere á se suum eſſe & quod eſt, quàm ab alio, seu creante, seu efficiente? Nunquid pariter non eſt clarissimum, quod ſi aliquid non semper fuerit, sed aliquando inceperit eſſe, impossibile penitùs est, ut per seipsum fiat? Itaque prima Auctoris propoſitio per se notissima est. Secunda vero non minùs est per se manifesta. Quod enim potest esse, & actu non est, non est æternum, non semper est. Quod autem non semper est, & potest esse, non potest eſſe niſi incipiendo aliquando esse; & quidem non per seipsum, ut dictum est; Ergo per aliquam sui causam. Consequentia denique Auctoris legitima & aperta omnino est. Unde non est mirum, quòd Auctor in explicando amplius hanc suam primam rationem nihil laboraverit, ſed tanquam apertissimam reliquerit.

8 *Amplius. Si utique vel cogitari potest; neceſſe est illud eſſe &c.* Hæc eſt Authoris secunda ratio. Eſt vero hypothetica ſicut prima. Nam cùm Gaunilon negaret Anselmi conseq. ex eo quòd argumentum ſit ab exiſtentia in intellectu & cogitatione ad exiſtentiam extra mentem & in re; velletque ut fieret argumentatio ab aliquo eſſe reali, non autem secundum modum quo res sunt in intellectu & cogitatione: propterea Anselmus, suæ causæ satis fidens, morem ipſi gerit. Arguit itaque ſic. Nullus, qui negat aut dubitat aliquid re vera exiſtere, quo majus seu melius cogitari non poſſit, negat aut dubitat, quòd ſi reipsa exiſteret; neque poſſet realiter non exiſtere, neque cogitari quòd poſſet non exiſtere: aliter namque non eſſet reipsa, etiam ſi exiſteret, id quo majus cogitari non possit; cùm melius eſſet id quod nulla ratione poſſet non exiſtere, nec cogitari non exiſtere poſſe, quia hoc magis intimam, neceſſariam, & eſſentialiter secum connexam haberet exiſtentiam. At quidquid cogitari poteſt, & re ipsa non exiſtit; ſi realiter exiſteret, poſſet reipsa aliquando non existere, vel saltem ſine repugnantia cogitari ſine exiſtentia, & judicari quòd absolutè poſſet realiter aliquando non exiſtere. Ergo id quod cogitari poteſt, & non exiſtit in re, non eſſet, etiam ſi reipsa exiſteret, id quo nihil melius cogitari poteſt. Ergo ſi saltem cogitari poteſt id quo nihil melius valet cogitari; neceſſario sequitur ut exiſtat in rerum natura neque possit non existere id, quo nihil majus aut melius queat cogitari. Nempe in prima ratione probavit Author, necesse esse ut existat in rerum natura id quod nihil majus aut melius poteſt cogitari, semel ac cogitari possit quod reipsa ſit, vel suppoſito quòd possibile saltem cogitetur. In hac secunda vero probat necesse pariter esse illud existere in re, modò saltem possit cogitari. Quod quamvis diversum á primo videatur, perinde est, aut coincidit in idem. Sicut enim pene in fine Comment. 4 cap. Proslog. cum ipso Anselmo atque etiam D. Thom. videre fecimus; quod in se repugnat, quod absolute non est possibile, á nullo intellectu potest cogitari. Ergo perinde est aliquid esse mente cogitabile, cogitatione scilicet non destructiva, sed positiva, & retentiva, ac illud esse reipsa possibile.

9 Confirmatur autem hæc ratio secunda N. Authoris ex communi sententia omnium Philosophorum Antiquorum, Patrumque Græcorum, qui ſine discrimine in hoc principium vel in hanc universalem propoſitionem convenèrunt: *omne generabile, est etiam corruptibile.* Non accipiebant generationem & corruptionem in sola stricta ſignificatione sed in amplissima: nimirum generationem accipiebant pro quocumque genere factionis; corruptionem vero pro quolibet genere destructionis & transmutationis de esse ad non esse. Et ratio eſt manifeſta. Nam quæ major ratio eſt, attenta ipsa essentiali rei possibilitate, vel metaphyſica eſſentia, ut res, quæ quandoque non fuit, vel quod ex non eſſe facta fuit, potuerit antea non eſſe; & poſtquam jam facta eſt, non possit absolute non eſſe? Aut quæ repugnantia, ut res, cui non eſt eſſentialis exiſtentia, sed contingens, utpote res quæ ex se poteſt eſſe vel non eſſe, corrumpatur, deſinat eſſe, vel saltem cogitetur eſſe poſſe reipsa ſine exiſtentia?

Sed

10 *Sed ponamus non esse, si vel cogitari valet &c.* Quamvis Author in sensu hypothetico reali probaverit non posse non existere in re id quo majus cogitari non potest; vult adhuc magis urgére rationem, gratis facta suppositione, quód in rei natura non existat id ipsum supra quod non potest aliquid melius cogitari. Ponamus, inquit, reipsa non existere id quo maius cogitari nequit, si saltem cogitari valet. Hoc tamen ultimum non sic intelligas, quasi Author det posse cogitari, cogitatione exclusiva, non existere in re id quo majus cogitari non potest: sed sensus est; si saltem hæc notio Dei mente capi, cogitarive potest eo modo quo quælibet res intrinsecùs non repugnans, non chimerica. Ponit autem non existere in re, non aliter ac hypothetice ponitur esse quodlibet impossibile, ut hominem non esse rationalem, ut sic manifestum fiat quid inde sequatur. Ergo ponamus, inquit, non existere, cogitari tamen posse id quo majus cogitari non potest. Nunc sic. At quidquid potest cogitari, & reipsa non existit; etiam si existeret, non esset id quo majus vel melius cogitari non potest. Ergo si id quo majus cogitari non potest, revera existeret; non esset in re id quod majus non potest cogitari. At hoc cúm sit aperta contradictio etiam in sensu reali, est chimera, est absolute impossibile. Falsum est igitur non esse in re aliquid quo maius cogitari non possit; si vel cogitari potest. Multo itaque magis falsum est, si Intelligi intellectu (quatenus scilicet intelligere non est nisi de rebus quæ vere sunt.) esse potest. Quód autem facta prædicta suppositione, si esset in re id quod supponitur non existere, cogitari tamen, in sensu prædicto, non esset id quo maius cogitari non potest, ex superioribus patet. Quippe id quod aliquando non existit, etiamsi aliquando existat, non potest esse id quo majus aut melius cogitari non potest.

11 *Falsum est igitur non esse aliquid, quo majus cogitari non possit, &c.* Quamvis jam hæc cum Authore ex antecedentibus collegerimus, quatenus ratiocinatio sine ulla discontinuitate esset & omnino perficeretur, quantum ad præfatam suppositionem spectabat: nihilominus adhuc aliquid commentari volumus super hæc verba. Sciendum est ergo Gaunilonem, ut patet ex num. 7. distinxisse inter cogitare & intelligere. Quare ait quód secundum proprietatem verbi *intelligere*, falsa intelligi nequeunt. Unde secundum hanc distinctionem magis est si intelligi, aut in intellectu esse potest id quo majus cogitari nequit, quàm si solùm cogitetur. Quapropter si semel cogitatum, necessariò sequitur quód etiam in re existit; magis hoc sequeretur si intelligitur & est in intellectu. Sed circa hoc directe & ex proposito loquitur S. Doctor in cap. 4. ut satisfaciat Gauniloni.

12 *Plus aliquid dicam &c.* Elevat adhuc magis S. Doct. mentem suam & intimiùs rem introspicit de qua cum Gaunilone disputat; & ait: Plus aliquid dicam. Quid Plus? Nempe id quo nihil melius cogitari potest, non solùm existere necessario, neque posse non existere, sed etiam existere ubique & semper, & simplicissimum in se existere: & ex eo quód semper & ubique ac simplicissimé existit, sequitur ipsum & cogitari vel intelligi aut esse in cogitatione vel intellectu; insuperque & sequitur non posse non esse in re, neque posse cogitari non esse. Itaque sic ratiocinatur. Quidquid alicubi aut aliquando non est, etiamsi est alicubi aut aliquando; proculdubio potest cogitari nusquam & nunquam esse. At id quo majus cogitari nequit, si est, non potest cogitari non esse: alioquin juxta supra dicta est reipsa & non est simul id quo majus cogitari nequit. Ergo id quo majus cogitari non valet, non alicubi, aut aliquando non est, sed semper est & ubique. Probat majorem. Quod hic non est, & alibi est; sicut in hoc loco non est, ita & potest cogitari nusquam, seu nullo existere loco: & quod heri non fuit & est hodie; sicut heri non fuisse intelligitur, ita nunquam esse pariter intelligi potest. Ergo quod alicubi aut aliquando non est, etiam si existat alicubi aut aliquando, potest tamen cogitari nusquam & nunquam esse.

13 Ratio hujus est: quia quod alicubi aut aliquando non est; aut intelligetur habere de sua essentiali ratione connexionem cum existentia in aliquo determinato loco aut tempore, seu duratione; vel non: Si cum nullo tempore aut loco habet ipsius existentia essentialem connexionem: clarum est intelligi posse nusquam, & numquam esse. Si autem cum aliquo determinato loco vel tempore essentialem conexionem habet: sicut locus, & tempus contingenter sunt, possuntque absolute intelligi non esse, ita illud quod cum ipsis connexionem essentialem in existendo habuerit, potest pariter intelligi absolutè, & simpliciter non existere.

14 Hoc fiet magis intelligibile tribus exemplis. Primum erit de specie, & humana natura, quod cuilibet alteri acommodari poterit. Species naturæ humanæ,

quia neque cum aliquo individuo designato, neque cum indesignato, neque cum omnibus in cumulo consideratis, ullam habet ex sua ratione essentiali, seu diffinitione conexionem, potest sine omni penitus individuo cogitari atque diffiniri.. Secundum est de genere, v. g. de animali, quod quia neque cum rationalitate neque cum altera differentia metaphysice conectitur, potest cogitatione præscindi ab omni penitus differentia & per se solum considerari. Tertium erit de prima rerum corporalium materia, quæ cum de se non magis cum hac quám cum illa forma conexionem habeat, sed æque ad omnes indifferenter se habeat, sicut potest non esse sub quacumque designata, sic & intelligi potest sub nulla esse, atque proinde & absolute non esse: & hoc sive dependeat solùm naturaliter, sive etiam essentialiter in existendo ab aliqua forma indesignata, non ab hac determinatè vel illa. Pariter ergo quod non est alicubi aut aliquando, etiamsi alicubi & aliquando sit; cùm majorem non præseferat conexionem cum hoc *nbi*, quám cum illo, neque cum hoc *aliquando*, quám cum illo, cogitari potest nusquam esse atque numquam, & consequenter absolute non esse nusquam & numquam, & consequenter absolute non esse. Consultò dicimus nunc *Cum hoc ubi quàm cum illo; cum hoc aliquando, quàm cum illo*: ut intelligatur, nostrum Auctorem non loqui duntaxat de loco coextensionis aut circunscriptionis, corporum proprio; neque de tempore, quod appellatur à Metaphysicis quantitas discreta, congruitque rebus sensibilibus, generabilibus proprie, & corruptibilibus: sed loqui de omni genere loci, tam coextensi, quám definiti, vel diffinitivi, atque de qualibet durationis mensura, quæ æternitas non fuerit, sive tempus nominetur, ævum, sive alio quocumque vocabulo. Quapropter S. Doctor non dicit, quod non est in aliquo loco, aut in aliquo tempore vel ævo, sed *quod non est alicubi aut aliquando.*

15 Neque contra Anselmum quis objiciat, quód juxta ipsum in cap. 22. Monol. Deus nusquam & numquam est: unde si ex hoc inferretur, ut in præsenti infert Auctor, absolutè carentia omnis existentiæ, hoc magis sequeretur ex illa doctrina de Deo.

16 Sed nihil difficilis est solutio, & utriusque loci concordia. Quippe Anselmus in designato Monol. cap. non inficiatur, Deum in omni sensu nusquam & numquam esse, sed in aliquo sensu, coartationis nimirum, coextensionis, circunscriptionis, alligationis, limitationis. Itaque legatur eó loci Anselmus, qui expresse utrumque sensum discernit, & apparentem contrarietatem ad consonantiám reducit. Hìc autem loci arguit ex negatione existentiæ sub omni sensu alicubi aut aliquando, negationem existentiæ absolutè, & in omni sensu nusquam, & numquam. Unde & rectè colligit rem talem absolutè cogitari posse non esse, etiam dum est.

17 Sed neque replices, Deum cum nullo loco aut tempore aut ævo conexionem habere; unde & consequens esse ut potuerit absolutè nusquam & numquam esse, si nihil facere voluisset: quin ex hoc inferre liceat, Deum absolute potuisse non esse aut posse absolutè intelligi non esse. Ergo videtur non rectè Auctorem colligere, quód quidquid possit nusquam & numquam esse, eóquod sicut non est hìc, ita potest nullibi esse, & sicut hodiè non est aut heri non fuit, ita & numquam esse potest intelligi; non rectè, inquam colligere Auctor videtur quód absolutè possit cogitari non esse.

18 Sed neque ista replica urget. Nam Auctor á posteriori & consequenti arguit; non à priori & antecedenti: Hoc est, ab eo quód aliquid non sit alicubi, aut aliquando, legitimè arguitur illud non esse talis naturæ, quæ æterna sit, quæ sit infinita, quæ sit immensa. Natura autem quæ non est æterna neque infinita neque immensa, non est ipsum *esse*, non est ipsum essentialiter existens. Ergo potest talis natura absolute cogitari non esse. Natura itaque æterna, infinita & immensa, quæ est Deus, quamvis non habeat conexionem absolutam cum re ulla creata, quia liber est omnino in creando vel non creando, in faciendo vel non faciendo, habet nihilominus conexionem conditionalem & logicam. Quippe essentialiter exigit esse ubicumque aliquid sit, & quandocumque, sive tempore sive ævo sit, suppositá scilicet rei, loci, temporis, aut ævi libera productione. Certe potentia Dei neque dependens, neque conexa est cum ulla creatura ut eam creet vel faciat: & tamen si esset aliqua res facta ab alia potestate, sequeretur absdubio à negatione effectus sive à posteriori, potentiam Dei non esse cuncti potentem, neque omnium supremam dominatricem. Ad hunc etiam modum intelligi debet connexio vel inconnexio Dei æterni & immensi, cum loco, ævo vel tempore.

Si-

19 *Similiter cujus partes ſingulæ non ſunt ubi aut quando aliæ partes ejus, &c.* Adhuc magis protendit ſuum Auctor ratiocinium, vel ſi mavis, explicationem ſui in Proslog. ratiocinii, redargutionisve contra insipientem, & dicit plus. Quid Plus? Oſtendit nempe id quo nihil majus aut melius cogitari non poteſt, non modó ſemper & ubique esse, verùm & totum ubique & ſemper: ita ut ſi totum ſimul non esset ubique & ſemper, quamvis aliquo modo ubique esset & ſemper, posset cogitari absolute non esse. Unde cum id quo majus vel melius cogitari nequit, non possit cogitari non esse, consequens ſit, ut neqne possit cogitari alicubi esse & alicubi non esse, aliquando esse, aliquando non esse, non totum ſimul ubique esse, neque totum ſimul existere ſemper. Quod ſic probat. Id cujus partes ſingulæ non ſunt ubi aut quando aliæ ejus partes ſunt, cogitari potest absolute, id est, ſub quacumque conſideratione nusquam & numquam esse. Id autem quo majus vel melius cogitari non valet, cogitari non potest quód totum numquam & nusquam ſub omni conſideratione existendi ſit, eo quód partes habeat quæ ibi non ſint ubi aliæ ejus partes ſint; vel non sint, quando aliæ ſunt: nullæ enim partes queunt cogitari in ipso esse. Ergo necesse est ut non modó ſit, verum etiam sit totum simul ubique & ſemper, ita ut si alicubi aut aliquando totum simul non esset, tunc neque esset, neque vere cogitaretur id quo majus aut melius cogitari nequit. Ratio majoris est, inquit, quia totum intelligitur non esse, si partes ex quibus constat, intelliguntur non esse. At omnes partes cogitari possunt non esse nusquam & numquam, si partes singulæ non ſunt ubi et quando aliæ ſunt: quia sicut singulæ non ſunt ubi sunt aliæ, ita & propter rationem ſupra dictam de re, quæ non est alicubi & aliquando, cogitari queunt non esse etiam ubi ſunt; & sicut non sunt quando ſunt aliæ, ita etiam cogitari valent non esse quando ſunt, licet non quandiu sunt, vel in sensu compositio, ut dicunt. Ergo & totum ex ipsis partibus compositum cogitari potest absolute non esse. Si enim ipsius partes omnes cogitari possunt nullibi & numquam esse: nihil totius reliquum est quod alicubi vel aliquando esse cogitari possit.

20 *Nam & ſi dicatur tempus semper eſſe, & mundus ubique &c.* Confirmat Author ſive per exempla explicat suam metaphyſicam conſiderationem de toto & partibus. Ponamus, inquit (quod falsum est) tempus ſemper fuiſſe & mundum ubique. At etiam in hac hypothesi, non totum tempus semper fuit neque mundus ubique est Quantum ad tempus probatur, tum ex ipsa experientia horarum, dierum, Mensium, & annorum: tum ex ipsa temporis diffinitione, quæ huiusmodi est: *numerus vel mensura motûs, secundum prius & posterius.* Et quæcumque alia ſit ejus diffinitio, ſi hæc non est, non potest non includere eſſentialiter partium ſucceſſionem, secundum eſſe & non eſſe. Ergo juxta dicta, sicut omnes partes temporis antequam fuerint vel sint, potuerunt aut poſſunt eſſe vel non eſſe; omnes partes temporis cogitari possunt absolute non eſſe. Ergo & ipsum tempus totum. Tempus semper fuiſſe, licet non secundum totum, sed successive secundum alias, & alias ejus partes, ponebant neceſſarió, qui, sicut Aristoteles, Mundum fingebant eſſe ab æterno.

21 Nunc vero quantum ad Mundum, eodem modo probatur. Mundus, etiam si per accidens dicatur eſſe ubique, quatenus nullus alius locus est extra mundum; tamen etiam in hoc sensu propriè non est ubique, quia non secundum totum est in omni loco mundi: sed in uno loco secundum unam partem sui, & in altero secundum aliam, & sic de omnibus ejus locis & partibus. Ergo singulæ partes ejus non ſunt ubi aliæ sunt. Ergo propter eamdem rationem superiorem de toto & partibus in genere, & de tempore in ſpecie, omnes partes mundi poſſunt cogitari absolute nusquam vel nullibi eſſe. Ergo & ipse mundus sic absolutè potest cogitari. Confer cap. 4. præsentis libri, & D. Thom. in 1. Sentent. distinct. 37. q. 2. art. 2. S. Doct. Bonav. ut jam vidimus in comment. super hanc demonſtrationem vel redargutionem contra inſipientem in Proslog. non solum Anselmi noſtri sententiam penitus approbat, verum etiam ſua doctrina vel suis explicationibus traditis in hoc cap. incunctanter utitur, inquiens: *Alio modo potest cogitari aliquid non eſſe propter defectum à parte intelligibilis. Et hujusmodi defectus potest eſſe duplicitèr: aut defectus præsentiæ aut defectus evidentiæ. Defectus præsentiæ: utpote quia non semper, quia non ubique. Aut quia semper & ubique, non ubique totaliter. Quia non semper, aliquando est, aliquando non est; & ideo aliquando vere potest cogitari non eſſe. Similiter de eo quod non est ubique: quia eadem ratione, qua potest cogitari non eſſe hic, potest cogitari non eſſe alibi. Simi-*

li-

liter de eo quod secundum partem adest, secundum partem abest. Deus autem est semper & ubique & totus semper & ubique: & ideo non potest cogitari non esse. Hanc rationem assignat Anselmus contra insipientem. Hæc omnia S. Bonaventura.

22 Neque solus D. Bonaventura sed etiam ejus Magister Alexander de Hales usus est doctrina Anselmiana hujus cap. Ait namque apud Dionisium Cartusianum in 1. lib. Sentent. distinct. 3. q. 2.: *Omnia & sola possunt cogitari non esse, quæ initium habent aut finem aut partium conjunctionem, & quidquid alicubi aut aliquando totum non est. Illudque solum non potest cogitari non esse, in quo neque initium nec finem, nec partium est ponere conjunctionem, & quod non nisi ubique & semper totum ulla invenit cogitatio.*

23 Et quamvis D. Thom. ut in comment. sup. pr. capp. Proslog. diximus, nullibi indicet quód hunc librum Apologeticum quem præ manibus habemus, legerit; aliquid tamen dicit in 1. part. q. 10. art. 4. quod in confirmationem illius quod Anselmus hic de tempore dicit, jure adduci potest. Sic enim ait: *Potest tamen & aliam rationem habere ex parte istarum mensurarum, si accipiatur finis & principium in potentia: quia etiam dato quòd tempus semper duret, tamen possibile est assignare in tempore & principium & finem, accipiendo aliquas partes ipsius sicut dicimus principium & finem diei vel anni, quod non contingit in æternitate.* & in 1. distinct. 8. q. 2. art. 1. in corp. ait, explicando partes definitionis æternitatis, quód *ad excludendum secundam terminationem, scilicet partium durationis, additur, totaſimul: per hoc enim excluditur successio partium, pro qua unaquæque pars finita est & transit: & per hoc dividitur æternum à motu & tempore, etiam si semper fuissent, & futura essent, sicut quidam posuerunt.*

24 *Sed & quod partibus conjunctum est, cogitatione dissolvi, & non esse potest.* In confirmationem rationis præcedentis de toto & partibus, addit nunc Author quod quidquid partibus constat, cogitatione potest dissolvi, & non esse potest. Et ratio est quia intellectus sine repugnantia potest accipere unam partem sine alia, & penitus separando ab alia: unde consequens est ut totum non esse possit cogitari. Totum quippe non est dum destruitur. Destruitur autem dum partes disjunguntur, separantur. Partes autem ex eó quód partes sunt, non esse possunt. Quia unaquæque non est id quod est altera, atque proinde neque est ipsum esse, sed aliquid valde finitum, & limitatum. Omne autem quod non est *ipsum esse*, quod est quidpiam duntaxat finitum & limitatum, est contingens, atque adeo potest esse vel non esse. Si autem & partes conjuncti possunt non esse: ipsum totum omnino potest non esse. Poterit ergo & cogitari penitus non esse. Confer cap. 18. Proslog. ubi feré éadem verba Anselmus tradit. Confer quoque cap. 3. lib. de Fide Trinit. inclinando ad finem.

25 *Quare quidquid alicubi aut aliquando totum non est, etiam si est, potest cogitari non esse.* Hoc jam explicatum est, præter illa verba *etiamsi est*, quæ que ampliori indigent explicatione. Illam tamen opportunius reservamus in 4. cap. ubi de hoc Author directe agit.

26 *At quo majus cogitari nequit, si est, non potest cogitari non esse; alioquin, si est, non est quo majus cogitari non potest: quod non convenit.* Et hæc quoque verba expositа sunt, illis exceptis: *quod non convenit.* Quibus etiam in cap. sequenti & aliis in locis utitur. Nimirum per hæc verba hic designat & designare solet repugnantiam, contradictionem, maximumque absurdum. Nam in his verbis & in cap. sequenti, ubi in ipso fine hæc eadem verba repetuntur, aperta contradictio est. Unde in præsenti cap. scilicet in medio ipsius, ubi hæc ipsa concluditur ab Authore manifesta contradictio, vicé horum verborum, *quod non convenit*, hæc ponuntur: *quod nimis est absurdum.*

27 *Putas ne aliquatenus posse cogitari vel intelligi aut esse in cogitatione vel intellectu, de quo hæc intelliguntur? Si enim non potest; non possunt hæc intelligi de eo.* Convertit se nunc Author ad Gaunilonem, atque ipsum interrogat, non quidem dubitando, sed ut illum convncat. Putas ne, inquit, posse vere cogitari, & intelligi, atque esse in cogitatione & intellectu (quód ipse negabat esse posse secundum rem significatam. Lege num. 4. & 5. libelli Gaunilonis) id de quo tam vera, tam magna, tam excelsa per superiorem ratiocinationem & explicationem non nisi mente & intellectu demonstrari potuerunt? Nam si id quo majus vel melius cogitari nequit, non potest veré cogitari & intelligi, atque esse in cogitatione & intellectu secundum rem significatam; certé nec mens & intellectus potest prædicta de illo cogitare, intelligere ac

de-

demonſtrare. Cùm itaque negari non possit, mentem & intellectum illa de eo, quo majus cogitari nequit, vere ſecundum rem ſignificatam cogitare, intelligere, demonstrare; quandoquidem ſunt profundissimæ, & ſubtilissimæ, insuperque ſolidissimæ considerationes metaphysicæ: pariter innegabile eſt, id quo majus non valet cogitari, verè ſecundum rem significatam cogitari, intelligi, atque eſſe in intellectu, & cogitatione.

28 *Quòd si dicis, non intelligi, & non eſſe in intellectu, quod non penitùs intelligitur, &c.* Objicit ſibi Auctor quod fortassis respondere poſſet Gaunilon, non quod reipsa objecerit: quippe hoc in ſuo libello non reperitur. Quapropter Anselmus non dicit absolutè, ſed conditionaliter: *Quód ſi dicis.* Id eſt, ſi forsan dixeris. Sub hac conditionali reponit Anselmus, quód ſi quia non penitús, vel non perfectè, aut cum omni claritate intelligitur, propterea dicendum eſt non intelligi neque eſſe in intellectu id quo majus vel melius cogitari nequit; propter eamdem causam vel rationem dicendum erit quód qui directe oculis intendere non valet in plenissimam lucem ſolis; vel ipsam in sua puritate intueri non poteſt (ſive quia ipsa ad nos purissima non descendit ob aliquos terræ vapores, aeremque ſimul interpoſitos, ſive ob nubium interpositionem) non videt lucem diei, quæ non eſt niſi lux Solis; ſed quód veré in tenebris eſt. Quod quám falsum immó quàm absurdum hoc aſſerere fuerit, nemo non intelligit. Ergo negari non poteſt veré intelligi & eſſe in intellectu id quo majus cogitari nequit; ut prædicta deipso intelligantur. Alioquin, ut dictum eſt, neque hæc de eo intelligi ac demonſtrari poſſent. Intelliguntur, & demonſtrantur. Intelligitur ergo & ipsum, atque verè secundum rem ſignificatam eſt in intellectu.

CAPUT II.

Magis urgetur ratiocinatio propoſita; & ostenditur id quo majus cogitari nequit, cogitari poſſe, atque adeo etiam eſſe.

DIXI itaque in argumentatione, quam reprehendis, quia cùm inſipiens audit proferri, quo majus cogitari non poteſt; intelligit quod audit. Utique qui non intelligit, ſi nota lingua dicitur, aut nullum, aut nimis obtusum habet intellectum. Deinde dixi, quia ſi intelligitur, eſt in intellectu. An eſt in nullo intellectu, quod neceſſariò in rei veritate eſſe monſtratum eſt? Sed dices quia etsi eſt in intellectu; non tamen consequenter quia intelligitur. Vide quia consequitur eſſe in intellectu ex eo quia intelligitur. Sicut enim quod cogitatur, cogitatione cogitatur: & quod cogitatione cogitatur, ſicut cogitatur, ſic eſt in cogitatione: ita quod intelligitur, intellectu intelligitur: & quod intellectu intelligitur, ſicut intelligitur, ſic eſt in intellectu. Quid hoc planius? Poſtea dixi, quia ſi eſt vel in solo intellectu; poteſt cogitari eſſe & in re; quod majus eſt. Si ergo in intellectu ſolo eſt; idipsum, scilicet, quo majus non poteſt cogitari, eſt quo majus cogitari poteſt: rogo, quid consequentius? An enim, ſi eſt vel in solo intellectu, non poteſt cogitari eſſe & in re? Aut ſi poteſt, nonne qui hoc cogitat, aliquid cogitat majus eo; ſi eſt in solo intellectu? Quid ergo consequentius, quàm ſi quo majus cogitari nequit, eſt in solo intellectu; idem eſſe quo majus cogitari poſsit? Sed utique, quo majus cogitari potest, in nullo intellectu eſt quo majus cogitari non possit. An ergo non consequitur, quo majus cogitari nequit, si eſt in ullo intellectu, non eſſe in solo intellectu? Si enim eſt in solo intellectu; eſt quo majus cogitari poteſt: quod non convenit.

COMMENTARIUS.

CAP. II.

Dixi itaque in argumentatione, quam reprehendis, &c.

1 Pressiùs Anselmus in hoc cap. contra Gaunilonem arguit, & proximiùs ſuam in Proslogio contra Inſipientem argumentationem, redargutionem, atque conſequentium cum antecedentibus examinat connexionem. Sed tali ac tanta cum claritate, ut niſi aliqui tardi ingenii eſſent, vel alii ſtylo Scholaſtico aſſuefacti, fruſtrà tempus in explanatione prodigeremus. Verumtamen non multum veſtigia prememus.

2 Argumentatio ergo Anselmiana, à Gaunilone reprehenſa, jam ex ſuperioribus & ex ipso Gaunilonis libello ſat nota eſt. Habetur in capp. 2. & 3. Proslog. Hoc autem quod hic dicit Auctor, quia cum inſipiens audit proferri, *quo majus cogitari nequit*, id eſt, cùm proferri audit hanc orationem, ſeu vocum complexionem, intelligit quod audit, hoc eſt, quid per has voces ſignificetur; hoc, inquam, habes in cap. 2. cit. pro principio, & prima propoſitione ipsius adversus Inſipientem argumentationis.

3 *Utique qui non intelligit, ſi nota lingua dicitur, aut nullum aut nimis obtusum habet intellectum.* Qui non capit intellectu, inquit Anselmus, id quod dicitur, dum audit hanc orationem, vel hæc verba pronunciari *Id quo majus cogitari nequit*, ſi vel lingua in qua natus eſt, ſcilicet, quam à puero didicit, vel alià quam poſtmodum didicerit, probeque caluerit; aut nullum, tanquam brutum, aut nimis obtusum, eum ad modum quo furioſus, vel fatuus, intellectum habet. Nempe talis homo incapax eſt actu intelligendi: atque adeo non ille inſipiens eſt, de quo aſſerit Scriptura, quód dixerit in corde ſuo: non eſt Deus. Contra hunc autem eſt, non contra illum, argumentum, redargutio vè Anſelmiana. Redargutionem illam vocamus propter rationem quam circa finem Commentarii capp. 2. & 3. ac 4. ſimul junctorum Proslogii, ex Ariſtotele desumptam, dedimus.

4 *Deinde dixi, quia si intelligitur, est in intellectu.* In cod. 2. cap. Proslog. hoc quoque dixit. Vox autem *quia* hic, ſicut & frequentissime ipsâ utitur Auctor, quod & jam alibi monuimus, non accipitur in sensu causandi, ſed aſſerendi, ut etiam ipsæ regulæ grammaticæ præscribunt.

5 *An est in nullo intellectu quod neceſſario in rei veritate eſſe monstratum eſt?* Quî fieri potest, ait Anselmus, ut in nullo sit intellectu, ſecundum rem significatam, sicut Gaunilon contendebat, *id quo majus cogitari nequit*, si re ipsa existere demonstrari potuit, immó & necessarió esse demonstratum est? Nam, ut in cap. antecedenti dictum est, demonstrari quidpiam non potest, quod non intelligitur secundum ipsius veritatem. Quod autem ſecundum veritatem intelligitur, non potest non esse in intellectu, ipsum sic intelligente. Unde Ang. Præcept. 1. part. quæst. 16. art. 3. ad 1. ait *quòd ens est in rebus, & in intellectu sicut & verum, licet verum principaliter in intellectu, ens vero principaliter in rebus.* Et N. Auctor in Dialogo de veritate, cap. 11. veritatem definit quód *est rectitudo ſola mente perceptibilis.*

6 *Sed dices quòd etsi est in intellectu; non tamen consequenter quia intelligitur.* Hoc responsum colligit Auctor ex dictis ipsius Gaunilonis, præsertim ex his verbis in fine num. 3.: *quócirca etiam si verum sit eſſe aliquid quo majus quidquam nequeat cogitari; non tamen hoc auditum, & intellectum tale est, qualis nondum facta pictura in intellectu Pictoris.*

7 *Vide quia consequitur eſſe in intellectu ex eo quia intelligitur, &c.* Sed respondet Anselmus rectam esse consequentiam: intelligitur id quo majus cogitari non potest; ergo est veré in intellectu, & ea ratione quia intelligitur. Objectum namque intellectûs, nisi præsens intellectui fiat, & cum ipso conjungatur, sive per se, sive per aliquam sui similitudinem, intelligi non potest. Immó eo ipso quód intellectus actione sua vel cogitatione rem sibi intrinsecús unit facitque præsentem, sive in sua natura, sive in ejus similitudine, ipsam intelligit. Unde à

Phi-

Philosophis dicitur quód intellectus intelligendo fit omnia: & quód intellectus res trahit ad se; voluntas vero ad ipsas fertur. *Sive tempore præcedentia*, inquit Aug. 14. de Trinit. cap. 10. *Sive simul esse incipientia cognoscibilia cognitionem gignunt, non cognitione gignuntur.* Hoc autem præsentiam probat objecti, & conjunctionem, quam diximus, cum intellectu. Nihil enim agit in distans, scilicet tam à se quám à virtute sua. Cæterum in cap. 6. ejusdem libri ait ipse Aug. *tanta est cogitationis vis, ut nec ipsa mens quodammodo se in conspectu suo ponat nisi quando se cogitat: ac per hoc ita nihil in conspectu mentis est, nisi unde cogitatur, ut nec ipsa mens qua cogitatur, quidquid cogitatur, aliter possit esse in conspectu suo, nisi seipsam cogitando.* Hoc & non aliud est quod asserit in relatis verbis Auctor, quòd nimirum quidquid cogitatur vel intelligitur, ita sit in cogitatione vel intellectu, sicut intelligitur aut cogitatur: id est vel per seipsam res est in cogitatione vel intellectu, si ipsa per se proxime sit intelligibilis aut cogitabilis; vel est in intellectu aut cogitatione per aliquam similitudinem, sui propriam, vel alienam, magis minusve perspicuam, magis minusve perfectam vel imperfectam.

8 *Postea dixi quia si est vel in solo intellectu; potest cogitari esse & in re; quod majus est, &c.* Hæc omnia quæ sequuntur dixit quantum ad sensum, & vim Auctor in citato cap. 2. Proslog. In primis dixit, quod si id quo majus cogitari non potest, saltem est in ipso intellectu, quatenus scilicet, ut dictum est, intelligitur; sequitur necessariò quòd etiam sit in re, & quod necessarió concedi debet ab intelligente illud, esse non tantum in intellectu sed etiam in re: quia hoc reipsa melius est, & melius intelligitur. Nam vis rationis hujus est hæc. Concedis posse intelligi immó & te intelligere & esse in tuo intellectu id quo majus vel melius cogitari non potest. At majus vel melius est, etiam in ipso intellectu, vel majus & melius intelligitur id quod non tantum existit in intellectu sed etiam in re. Ergo id quo majus aut melius cogitari nequit, non potest esse in solo intellectu, sed etiam reipsa existit. Quippe intellectus, ut jam dictum est in Commentario sup. pr. capp. Proslog. nequit sibi ipsi contradicere, seu non potest de eadem re habere simul cogitationem, rem cogitantem & non cogitantem. Haberet autem; si cogitaret id quo nihil majus aut melius cogitari potest, esse in solo intellectu, non autem in re. Ergo id quo nihil majus aut melius potest cogitari, nequit ab intellectu cogitari esse in solo intellectu & non in re. Min. est manifesta: quia ex una parte supponitur cogitari id quo melius cogitari possibile non est; & simul ex alia asseritur cogitari hoc idem sine reali existentia, vel existentia vera in natura rei, sine qua existentia proculdubió non intelligitur id quo nihil possit cogitari melius: quippe melius intelligitur & cogitatur cum existentia reali, quám sine illa. Major vero est veritas per se nota, & conseq. est omnino legitima. Hanc contradictionem significant etiam illa ultima hujus cap. verba: *Quod non convenit*. Sed non est quòd amplius super vim hujus argumentationis, & legitimitatem, aut bonitatem consequentiæ ipsius, immoremur, quando non levi calamo in Comment. super capp. sæpe citata 2. 3. & 4. Proslog. jam ostendimus.

CAPUT III.

Ad instantiam Adversarii: quòd sequeretur insulam fictitiam esse reipsa, quia cogitatur.

SED tale est, inquis. ac si aliquis insulam Occeani, omnes terras sua fertilitate vincentem, quæ difficultate, immò impossibilitate inveniendi quod non est, perdita nominatur, dicat idcirco non posse dubitari vere esse in re; quia verbis descriptam facile quis intelligit. Fidens loquor: quia si quis invenerit mihi aliquid aut reipsa aut sola cogitatione existens præter quo majus cogitari non possit, cui aptare valeat connexionem hujus meæ argumentationis; inveniam & dabo illi perditam insulam amplius

plius non perdendam. Palàm autem jam videtur, quo non valet cogitari majus, non posse cogitari non esse, quod tam certa ratione veritatis existit; aliter enim nullatenus existeret. Denique si aliquis dicit se cogitare illud non esse: dico quòd tum cùm hoc cogitat; aut cogitat aliquid, quo majus cogitari non possit; aut non cogitat. Si non cogitat; non cogitat non esse quod non cogitat: Si vero cogitat; utique aliquid, quod nec cogitari posit non esse. Si enim posset cogitari non esse; cogitari posset habere principium & finem: sed hoc non potest. Qui ergo illud cogitat, aliquid cogitat, quod nec cogitari possit non esse; hoc vero qui cogitat, non cogitat idipsum non esse: alio uin cogitat quod cogitari non potest. Non igitur potest cogitari non esse, quo majus nequit cogitari.

COMMENTARIUS.

CAP. III.

Sed tale est, inquit, ac si aliquis insulam Occeani, &c.

1 Hoc exemplo utitur Gaunilon in num. 6. sui libelli, ut impugnet quasi sensibiliter bonitatem argumentationis Anselmi.

2 *Fidens loquor: quia si quis invenerit mihi aliquid, &c.* Fidenter & absque ulla formidine dicit Auctor, quòd objectio Gaunilonis desumpta ab insula Occeani pulcherrima & fertilissima, *perdita* appellata ob difficultatem ipsam inveniendi, ortum ducat ex defectu intelligentiæ circa argumentationem Anselmianam. Nam si Gaunilon intellexisset; advertisset, neque perditæ insulæ, nec cuivis alii rei, præter id quo nihil melius cogitari possit, adaptabilem esse Anselmi argumentationem. Et quare? eò quod idea vel notio vel diffinitio insulæ perditæ, neque alterius cujuslibet rei, præter Deum, nequaquam est nec potest esse ista notio: *id quo majus aut melius cogitari non potest.* Unde non est mirum quòd neque in insula perdita neque in alia quacumque re, excepto Deo, vim ullam habeat forma arguendi Anselmiana in præfata argumentatione. Verumtamen, hypotheticé concedit Auctor, quòd si Gaunilon accomodare posset notionem Dei Anselmianam perditæ insulæ aut cuivis alteri rei, præter Deum, tunc casûs eâdem confidentia, eademque securitate concedendum esset in vi argumentationis suæ insulam perditam, inventam jam esse, neque amplius perdendam: & pariter aliam quamcumque rem cui posset talis notio accomodari. Sed veritas certissima est, nulli rei, præter Deum, convenire posse.

3 Eàdem æquivocatione ac vitio laborat (quod mireris) aliud simile Eminentiss. Cajetani in Commentario, sup. 1. p. Div. Thom. q. 2. art. 1. Nam sicut Gaunilon exemplum ponit in Insula *perdita*, omnes alias sua fertilitate, pulchritudineque vincentem, sic Eminent. Cajet. illud collocat in animali meliori quod cogitari possit. Non intelligentes maximam, summam que differentiam atque distantiam inter Insulam omnibus aliis vel insulis vel terris præstantiorem; animal cunctis animalibus, quæ cogitari possunt, nobilius, excellentius; & *id quo majus aut melius cogitari nequit.* Non intelligentes, inquam, quòd ut vel insula in ratione insulæ & animal in ratione animalis in cogitatione salventur, opus non est ut in ipsorum ratione vel idea, existentia vel esse extra mentem, & reipsa, comprehendatur. Non intelligentes denique quòd ut insula omnibus aliis insulis vel terris præstantior cogitetur; ut animal universis alijs animalibus melius animal intelligatur vel concipiatur, nequaquam est necesse ut simul cum esse in re vel cum existentia extra mentem, vel insula cogitetur, vel animal concipiatur. Alioquin qui formicam cogitaret existentem, & reipsa esse, melius animal cogitaret quàm si cogitaret omnia possibilia animalia absque reali existentia; immo & melius aliquid illam cogitaret quàm omnes spiritus & creaturas possibiles non existentes: omnia quippe hæc in se nihil sunt; formica autem quæ existit, aliquid certé in rei natura est. Falsum est autem eum qui sic existentem formicam

co-

cogitaret, melius cogitaret animal omnibus possibilibus tantùm animalibus, vel melius aliquid omnibus spiritibus vel creaturis duntaxat possibilibus. Et cur hoc falsum? Non nisi quia existentia non pertinet ad essentialem rationem vel idæam cujuscumque creaturæ, sed extra ipsam est. Quapropter integra omnino salvari potest cujuscumque creaturæ notio vel idæa absque existentia, esse ve extra mentem. At esse in re vel existentia metaphysice comprehenditur in eo quo nihil melius cogitari potest. Si enim absque existentia cogitetur, non id in sua ratione cogitatur quo majus aut melius cogitari nequeat.

4 Melior absdubio est illa idæa quæ in se etiam ipsam existentiam vel esse in re continet, quám illa quæ existentiam relinquit extra se. Insula autem vel animal vel quæcumque alia creatura quæ in sua idæa vel ratione comprehenderet existentiam, vel esse in rei natura, neque esset insula, neque esset animal, neque esset creatura; sed esset Deus, esset id quo majus aut melius cogitari non potest. Solum quippe *ipsum esse* essentialiter metaphysicè existit, neque potest non existere. De ratione autem alterius quod non sit *ipsum esse*, nequaquam est determinatè existere, sed duntaxat posse existere. Hac de causa dixit Dominus ad Moysen: *Ego sum qui sum: Et sic dices ad eos: Qui est, misit me ad vos.* Unde patet vera ratio cur hic tam fidenter dicit Author, *quia si quis invenerit aliquid aut re ipsa aut sola cogitatione existens, præter quo majus cogitari non possit, cui aptare valeat connexionem hujus meæ argumentationis; inveniam & dabo illi perditam insulam amplius non perdendam.*

5 Mirabile diximus, & nunc iterum dicimus Eminentissimum Cajetanum, virum alioquin ingenii valde metaphysici, prædictam differentiam atque distantiam non agnovisse. Sed adhuc mirabilius est quòd argumentationi Anselmianæ distinctionem adhibere potuerit de existentia exercita vel signata. Statim namque occurrit quòd existentia exercita melior sit quàm existentia signata, quæcumque sit illa: vel quod melius cogitatur id, quo majus cogitari non possit, cum existentia exercita, quàm cum existentia signata. Unde talis distinctio nihil debilitat vim argumentationis Anselmianæ, sed potius insuperabilem esse apertissimé declarat.

6 Si autem ipse Eminentiss. Cardinalis Anselmum legisset, cujus nec meminit, nec apparet vestigium unde colligamus, non dico attente, sed vel legisse; potuisset profectó intelligere jam ab Anselmo responsionem talem præoccupatam in hac Apologia fuisse. Nam quid sibi vult hæc distinctio de existentia signata, & existentia exercita? Quid est, id, quo melius cogitari non potest, in sensu existere signato, vel concipi ab intellectu cum existentia signata; nisi cogitari non existere extra mentem, reverá non existere, sed tantummodó esse cum possibilitate ad existendum? Quod autem sic solúm cogitatur, nunquid cogitatur, in sua ratione, notione, vel idæa, tanquam id quo majus, vel melius cogitari non potest? Nonne si cogitaretur aliquid, ut reverá cogitari potest, in cujus idæa metaphysica, ratione vel notione includeretur necessarió non modó existentia signata, sed etiam existentia exercita, non modó possibilitas ad existendum, verúm & *existere ipsum*, verúm & esse in natura rei, eo modo quo nos pro nostro tempore sumus, & quo omnes res extractæ à nihilo per Deum sunt; nonne, inquam, aliquid melius cogitaretur, quám id quo nihil melius cogitari potest, cogitatum sine hujusmodi existentia exercita, & cum sola ea Cajetani existentia signata?

7 Sine dubio. Nam alioquin, non esset de ratione & notione metaphysica Dei exercita existentia, sed sufficeret signata. Unde absolute non repugnaret quód Deus existentiâ exercita non existeret, si absque ipsa non minus bonus in sua ratione aut notione Dei, cogitaretur. Nihil autem magis impossibile & intrinsecus repugnans quàm Deum non existere exercitâ existentia, sed signata, vel cum sola possibilitate ad existendum. Incogitabilis est enim causa, per quam Deus habere possit exercitam existentiam; cùm de sua ratione & notione sit, ut à nulla causa sit, sed potius ipse omnium omnino sit causa. Per seipsum fieri existentem non minus est impossibile. Melior ergo in sua notione vel ratione metaphysica Dei cogitatur Deus cum existentia exercita, quàm cum signata sola, vel sine exercita existentia. Melius itaque cogitatur aliquid cum hac existentia inclusa in ipsius metaphysica ratione, quám sine hac existentiæ inclusione in ejus ratione metaphysica. Si ergo cogitaretur id, quo majus aut melius cogitari non potest, sine inclusione essentiali vel metaphysica exercitæ existentiæ; id quod in cogitatione est quo nihil melius cogitari potest, esset & non esset simul in cogitatione id quo melius nihil cogitari valet. Ecce qualiter distinctio Cajetani nequaquam vitat contradictionem, ad quam ineluctabiliter mentem cogit vis Anselmianæ argumentationis.

8 Advèrto tamen me in loquendo morem geſiſſe Eminentiſſ. Cajetano. Quippe bené scio improprissimam eſſe exiſtentiam ſignatam. Vocabulum hoc *existentia* de sua inſtitutione habet, illud *eſſe* ſignificare quod rebus competit extra idæam, extra mentem, extra nihil, & prout sunt in propria natura. Sed de impugnatione Eminentiss. Cajetani occaſione ſimilitudinis exempli sui cum exemplo Insulæ perditæ objecto à Gaunilone, satis.

9 *Denique, ſi quis dicit, se cogitare illud non eſſe: &c.* Cum Antelmus ſemper inſtiterit, non poſſe cogitari non eſſe id quo majus cogitari nequit; atque ipsum non præteriret, quemdam eſſe poſſe qui hoc inficiari vellet ajendo ſe ipsum cogitare poſſe non eſſe, immò & non eſſe in re, id quo majus nequit cogitari: & hunc etiam voluntarie suam propoſitionem negantem, redargutione apertissima convincere vult, se nequaquam mente sed tantum voluntate & ore hoc poſſe negare. Ait ergo Anselmus. Vel ille qui hoc dixerit, cogitat id quo majus cogitari non possit; aut non cogitat. Si non cogitat; quomodo poterit cogitare non eſſe quod non cogitat? Erit enim negatio ſuppoſiti. Negatio quippe cadere non poteſt in id quod non apprehenditur, quod non tenetur; ſed aliud erit quod non eſſe cogitabitur. Si autem cogitet id quo majus nequit cogitari; impossibile eſt ut illud non eſſe cogitet. Nemo enim, quantumvis nitatur, poteſt facere ut mens ſibi contradicat circa idem omnino cogitatum. Hoc autem & per ſe notum eſt & ſufficienter manet in Proslog. & in præsenti opusculo expoſitum. Sed adhuc placet renovare memoriam verborum D. Thom. 1. part. quæſt. 25. art. 3. in corp. ajentis: *Id quod contradictionem implicat, verbum eſſe non potest: quia nullus intellectus potest illud concipere.* Et Ariſtotelis in 4. Metaph. lect. 6. inquientis: *Patet impossibile eſſe, ſimul idem eſſe atque non eſſe eundem existimare. Habebit enim contrarias opiniones ſimul profectò.* Super quem textum idem D. Thom. *Si igitur quis*, inquit, *opinetur simul duo contradictoria eſſe vera, opinando simul idem eſſe & non eſſe, habebit ſimul contrarias opiniones. Et ita contraria ſimul inerunt eidem, quod est impossibile.*

10 Contradictionem autem implicari in cogitando id quo majus cogitari non poteſt in re non eſſe, fecimus manifeſtum cum N. Auctore tam in Proslog. quàm in lib. præsenti. Rationem autem datam poſt medium primi capitis nunc ſolùm indicando accommodat ad præsens Auctor. Nempe cogitari non poſſe non eſſe in re id quo majus cogitari nequit, nisi cogitando habere poſſe principium & finem. Hoc autem eſt penitùs impoſsibile, cùm implicet contradictionem habere principium & finem id quo majus vel melius cogitari non poteſt. Ergo ſi quis cogitat id quo nihil majus cogitari poteſt; impossibile eſt ut illud non eſſe in re, aut non exiſtere cogitet. Confer citatum 1. cap.

CAPUT IV.

Differentia inter poſſe cogitari, & intelligi non eſſe.

QUod autem dicis: quia cùm dicitur quòd ſumma res iſta non eſſe nequeat cogitari, melius fortaſſe diceretur quòd non eſſe, aut etiam poſſe non eſſe, non possit intelligi: potius dicendum fuit, non possit cogitari. Si enim dixiſſem rem ipsam non poſſe intelligi non eſſe: fortaſſe tu ipse, qui dicis quia ſecundum proprietatem verbi iſtius falsa nequeunt intelligi, objiceres nihil, quod eſt, poſſe intelligi non eſſe: falsum eſt enim non eſſe quod eſt: quare non eſſet proprium Deo, non poſſe intelligi non eſſe. Quòd ſi aliquid eorum, quæ certiſsimè ſunt, poteſt intelligi non eſſe; ſimiliter & alia certa poſſe intelligi non eſſe. Sed hoc utique non poteſt objici de cogitatione, ſi bene conſideretur. Nam etſi nulla quæ ſunt, poſſunt intelligi non eſſe; omnia tamen poſſunt cogitari non eſſe, præter id quod ſummè eſt. Illa quippe omnia & ſola pos-

poſſunt cogitari non eſſe, quæ initium aut finem, aut partium habent conjunctionem, &, ſicut jam dixi, quidquid alicubi aut aliquando totum non eſt: illud vero ſolum non poteſt cogitari non eſſe, in quo nec initium, nec finem nec partium conjunctionem, & quod nonniſi ſemper et ubique totum ulla invenit cogitatio. Scito igitur quia potes cogitare te non eſſe, quandiu eſſe certissime ſcis: quod te miror dixiſſe nescire. Multa namque cogitamus non eſſe, quæ ſcimus eſſe: & multa eſſe, quæ non eſſe ſcimus: non exiſtimando, ſed fingendo ita eſſe ut cogitamus. Et quidem poſſumus cogitare aliquid non eſſe quandiu ſcimus eſſe, quia ſimul & illud poſſumus et iſtud ſcimus: & non poſſumus cogitare non eſſe, quandiu ſcimus eſſe; quia non poſſumus cogitare eſſe ſimul & non eſſe. Si quis igitur ſic diſtinguat hujus prolationis has duas ſententias: intelliget nihil, quandiu eſſe ſcitur, posset cogitari non eſſe; & quicquid eſt, præter id quo majus cogitari nequit, etiam cùm ſcitur eſſe, poſſe cogitari non eſſe. Sic igitur, & proprium eſt Deo, non poſſe cogitari non eſſe; & tamen multa non poſſunt cogitari, quandiu ſunt, non eſſe. Quomodo autem dicatur cogitari Deus non eſſe, in ipso libello puto ſufficienter eſſe dictum.

COMMENTARIUS.

CAP. IV.

Quod autem dicis: quia cum dicitur quòd ſumma res iſta non eſſe nequeat cogitari, melius fortaſſe diceretur, quòd non eſſe aut etiam poſſe non eſſe, non possit intelligi.

1 Ipsa verba ſunt Gaunilonis in num. 1. Fundamentum ipsius eſt, quia *ſecundum proprietatem verbi istius falsa nequeunt intelligi.* Occaſionem judico Gaunilonem accepisse ex verbis Aug. 15. de Trin. cap. 10. ajentis: *Nemo falsa novit, nisi cùm falsa eſſe novit. Quod ſi novit, verum novit. Verum enim est, quòd illa falsa ſint.* Aut ex illis forsan ſup. Genes. ad litter. cap. 25. *At vero in illis intellectualibus visis non fallitur* (anima): *aut enim intelligit, & vernm est; aut ſi verum non est, non intelligit.* Aut denique ex lib. 83. quæſt. 32. ibi: *Omnis qui fallitur, id in quo fallitur, non intelligit.*

2 *Potius dicendum fuit, non possit cogitari, &c.* Sed respondet S. Dr. non debuiſſe, ut volebat Gaunilon, dici quód non possit intelligi non eſſe in re id quo majus nequit cogitari, vel hæc ſumma res; ſed potius quód non possit cogitari non eſſe in re. Ratio Anselmi, & quidem manifeſta, hæc eſt. Si modo, quo volebat Gaunilon, fuiſſet Anselmus locutus; tunc casús ipse Gaunilon, qui ſentiebat, quód ſecundum proprietatem verbi, *intelligere*, falsa intelligi nequeant, fortaſsis responderet, nihil mirum, non poſſe intelligi non eſſe id quo majus cogitari non possit, quandoquidem hoc commune ſit omni rei verè exiſtenti. Falsum eſt enim non eſſe in re quod in re eſt. Unde & objiceret hoc non eſſe proprium Deo. Vel etiam à contrario objicere poſſet, quód ſi aliquid eorum, quæ certissimé ſunt, dicererur ab Anselmo poſſe intelligi non eſſe; ſimiliter, & alia quantumvis cettissimé exiſtant, poſſe intelligi non eſſe. Unde & consequens fieret, Deum etiam poſſe intelligi non eſſe, aut id quo majus cogitari nequit. Itaque hoc modo poſſet eludi argumentatio, vel cum quæſtione de proprietate hujus verbi, *intelligo*, implicari, irretiri.

3 *Sed hoc utique non potest objici de cogitatione, ſi bene consideretur, &c.* Prædicta objectio, inquit Auctor, fieri non potest contra cogitationem, nempe contra id quod dixit ipse Anselmus non poſſe cogitari non eſſe id quo majus cogitari non potest. Cogitare namque ſecundum August. lib. 10. Confeſsion. cap. 11. à colligendo ea quæ veluti dispersa ſunt, dictum est. *Cogo, & cogito*, ibidem ſubdit,

dit, *ſic est, ut ago & actito, facio & factito. Verumtamen ſibi animus hoc verbum proprie vendicavit, ut non quod alibi, ſed quod in animo colligitur, id est, cogitur, cogitari proprie jam dicatur.* Itaque *cogito* ſignificat quendam animi motum, quo in medium, & in usum intellectus extrahuntur de memoria ſpecies, aut rerum notitiæ colliguntur, disponuntur, vel in formam diffinitionis, vel descriptionis, vel diviſionis, vel propositionis vel discursus aut argumentationis. Unde hic motus animi collectivus, ſeu cogitatio, de ſe aptitudinem habet ut vel erret, ſeu fingat, non recta conjugendo cum ſpeciebus ſpecies, cum notitiis notitias rerum; aut etiam ipsas male disjungendo, discerpendo, augendo quoque, minuendo, alterando: vel ut opinetur, verisimilia & magis ſibi affinia atque vicina conjungendo: vel denique ut veritatem ipsam attingat, trahendo unamquamque ſpeciem, notitiam, ad ſuam junctúram, tum rectè diffiniendo, tum dividendo, tum judicando, tum demonſtrando. Verbum autem *intelligo* ſic videtur inſtitutum ut non aliud principaliter ſignificet quàm tactum, ſeu attingentiam & perceptionem ipſius veritatis.

4 Quapropter cum D. Thom. 1. part. quæſt. 17. artic. 3. ſibi objeciſſet illa ſupraposita verba D. Aug. *Omnis qui fallitur, id in quo fallitur, non intelligit*: Respondet, *quòd quia quidditas rei est proprium objectum intellectûs, propter hoc, tunc proprie dicimur aliquid intelligere, quando reducentes illud in quod quid est, sic de eo judicamus: ſicut accidit in demonstrationibus, in quibus non est falsitas. Et hoc modo intelligitur Verbum Aug.* Id quod confirmatur ex P. Bern. 5. de Consid. cap. 3. dicente: *Opinio potest putari intellectus: intellectus autem opinio non potest. Unde hoc accidit? Profectò quia hæc falli & fallere potest: ille non potest. Aut ſi falli potuit, intellectus non fuit, ſed opinio. Verus nempe intellectus certam habet, non modò veritatem, ſed & notitiam veritatis.... Intellectus est rei cujuscumque inviſibilis certa & manifesta notitia.* Propter hoc etiam lumen illud habituale quo facultas noſtra intelligendi primis inter creatas veritatibus, ſeu primis ſcientiarum princiis per se manifeſtis indeclinabiliter aſſentitur, vocatur ab Scholaſticis quaſi antonomaſticé intellectus. Cæterum in magis ampla ſignificatione quicumque actus intellectûs, ſive certus, ſeu incertus, appellatur promiscue cognitio, cogitatio, intellectio, vel etiam cognoscere, intelligere, cogitare. In hoc ultimo ſenſu accipit Anselmus in cap. 2. Proslog. Verbum *intelligo*, cùm ait: *Sed certè idem ipse insipiens, cùm audit hoc ipsum quod dico, aliquid quo majus nihil cogitari potest; intelligit quod audit, & quod intelligit, in intellectu ejus est.* In primo autem ſenſu accipitur in hoc præsenti cap. Itaque cùm intelligere aut intelligentia in hac ſtricta ſignificatione nihil habeat admixtum erroris, fictionis, falſitatis, ſed ſolum ſit quaſi contactus veritatis; propterea dicit Auctor: *nam etsi nulla quæ ſunt, poſſunt intelligi non eſſe.* Quia vero cogitare aut cogitatio cùm veritatem, tum falſitatem, volvere, versare habeat; hinc eſt ut addat: *omnia tamen poſſunt cogitari non eſſe, præter id quod ſummè est.* Et ratio hujus discriminis eſt quam ſtatim ſubjicit in verbis ſequentibus: *Illa quippe omnia & ſola poſſunt cogitari non eſſe, &c.* Secundum jam dicta ab Auctore in cap. 1. atque á nobis ibidem, quantum potuimus, exenterata & amplificata. Ratio itaque eſt. Omnia præter Deum qui ſummé & omni metaphyſica neceſsitate exiſtit, qui que id eſt quo nihil melius cogitari poteſt, ſunt præscindibilia, ſeparabilia per intellectum ab eſſe in re ſive ab exiſtentia, etiam quando exiſtunt. Ergo omnia præter Deum, etiam dum exiſtunt, poſſunt cogitari ſine exiſtentia. Ergo & poſſunt cogitari non eſſe ſive non exiſtere, adhuc quando exiſtunt, & ſunt in re. Quippe ſemel præciſſa aut ſeparata per intellectum exiſtentia; nihil repugnat quominus conjungantur per intellectum cum carentia exiſtentiæ positiva, & ita cogitentur ac ſi reipsa non eſſent. Antecedens probatum ſupponitur ab Auctore, ut jam diximus in cap. 1. hujus Apologiæ: quam nihilominus probationem nunc breviter refricat. At cùm jam eó loci à nobis fuerit explanata, nihil eſt cur nos detineat, niſi tantisper, ut exemplo inter Logicos vel Metaphyſicos vulgari aperiamus, qualiter creata omnia, quæ exiſtunt, poſſunt, etiam dum exiſtunt, ſine exiſtentia, & non exiſtere cogitari.

5 Exemplum itaque habemus in gradibus quos vocitant metaphyſicos, ſignanter tamen in homine, & individuo, & in animali, ejusque differentia rationali. Intellectus, dicunt Metaphyſici, poteſt adhuc in homine exiſtenti præscindere, ſeparare hominem ab hoc homine, ſpeciem ſive naturam humanam ab individuo, ab Iſidoro v. g. poteſtque animal á rationali, quantumvis re idem ſint: quia neque in-

di-

dividualitas Iſidori eſt de conceptu vel eſſentia metaphyſica ſpeciei naturæ humanæ, neque rationalitas eſt comprehensa in conceptu ſive metaphyſica eſſentia animalis. Poteſt namque eſſe homo qui non ſit Iſidorus; poteſque eſſe animal quod rationale non ſit. Itaque dicunt consequenter: Poteſt intellectus hominem ſic præcisum conferre poſitivè cum individuo Iſidoro, & animal cum rationali & rationalitate, tamquam cum his in quibus actu non ſunt, ſed poſſunt eſſe; nimirum ſpeciem cum individuo, genus cum ſpecie aut differentia. Ergo in eo ſtatu intellectus conſiderat, aut cogitat ſpeciem hominis, naturam humanam actu non eſſe Iſidorum; & animal actu non eſſe rationale, etiam quando & homo eſt Iſidorus in re, vel Iſidorus homo; & animal reipsa eſt rationale; vel rationale eſt animal.

6 Sic ergo cùm exiſtentia rerum omnium præter Deum, vel id quo majus cogitari non poteſt, diſtinguatur ſecundum multorum opinionem realiter ab eſſentiis rerum exiſtentium, vel ſaltem ſecundum alios diſtinguatur metaphyſicé (cuncta quippe, excepto Deo, eſſe potuerunt vel non eſſe) consequens fit omnino, ut queant universa, præter Deum, cogitari, etiam quando existunt, absque existentia, & cum ea duntaxat poſsibilitate quam, priusquam eſſent, habebant ad existendum vel non existendum. Omitto quód etiam poſſunt metaphyſice cogitari non eſſe, ſeparando ſcilicet partes metaphyſicas, quibus constant; quo fiet ut metaphyhcé destruantur, ac proinde neque tunc ſunt in nostra cogitatione. At Deus est non modó metaphyſicé existens, verum etiam est metaphyſicé & phyſicé *ipsum eſſe*, ipsum existere, per ſummam ſimplicitatem, absque ulla penitùs compositione: quod in Monolog. capp. 16. 17. 28. & in Proslog. feré toto, præsertim in capp. 18. 22. & 23. probatum manet. Non ergo ulla cogitatio est quæ in Dei *eſſe* dentem infigere queat, diſſecando naturam divinam ab existentia, aut partem à parte (nullæ enim ibi ſunt ſive phyſicæ ſeu metaphysicæ) atque proinde nulla est, quæ Deum non eſſe in re vel non existere, valeat cogitare. Non potest quippe ulla cogitatio cogitare quód *ipsum eſſe* ſimpliciſsimum, ipsum exiſtere non exiſtat: quoniam *ipsum eſſe* repugnat, tamquam ſuum contradictorium, non eſſe; & *ipsum existere* repugnat carentiam exiſtentiæ, non minus, immo magis, quàm lux tenebras.

7 *Scito igitur quia potes cogitare te non eſſe, quandiu eſſe certiſsimè ſcis: quod te miror dixiſſe nescire.* Hoc dixit Gaunilon in fine libelli ſui. De quo non immeritó, propter dicta, admiratio cæpit Anselmum.

8 *Multa namque cogitamus non eſſe quæ ſcimus eſſe: & multa eſſe, quæ non eſſe ſcimus: non existimando, ſed fingendo ita esse, ut cogitamus.* Probat ergo Auctor Gaunilonem potuiſſe cogitare ſe non exiſtere, quandiu certissimé ſibi conscius erat de exiſtentia ſua; probat, inquam, etiam ab experientia. Nam quanta ſomniantes cogitamus ita eſſe ut cogitamus, quæ alioquin in vigilia certiſsimé ſcimus non ita eſſe, ut in ſomniis eſſe cogitamus? Sed prætermittamus ſomnia. Quanta Poetæ finxere, finguntque quotidie tam Poetæ quám ingenioſi Noveliſtæ vel fabulatores, ſcientes certiſsimè ea non ita eſſe ſicut fingentes ipſi cogitant? Quanta & omnes fingimus cogitando ac ſi reverá eſſent; vel etiam multa quæ ſunt & indubitanter ſcimus eſſe, cogitamus ac ſi reipsa non eſſent; & juxta naturam cogitationis, vel delectamur, vel metu afficimur, vel triſtitia? Si ergo in rebus aliis hoc poſſumus fingendo, non autem exiſtimando aut reflexé judicando ſic eſſe vel non eſſe: pariter & circa nos metipsos idem facere poterimus. Nam quis eſt qui certissimus de actuali vita ſua non poſsit cogitare ſe mortuum, & conſiderare ſemetipsum in ſtatu mortui, in ſepulcro ipso; & ex hac cogitatione atque consideratione non modicum fructum capere?

9 *Et quidem possumus cogitare aliquid non esse, quandiu ſcimus eſſe, quia simul & illud possumus & istud ſcimus: & non poſſumus cogitare non eſſe, quandiu ſcimus eſſe: quia non poſſumus cogitare eſſe ſimul & non eſſe.* Explicat Auctor ſensum in quo poſſumus ea quæ ſcimus eſſe, cogitare non eſſe etiam quandiu ſcimus ea esse. Dicit ergo, qnód poſſumus conjungere cogitationem qua cogitamus res non eſſe, simul cum ſcientia, qua ſcimus easdem res eſſe: non vero quód possimus conjungere in noſtra cogitatione ſimul *eſſe* rerum & non *eſſe*; vel quód possimus cogitare simul & res exiſtere & non exiſtere. Quippe nulla est in primo contradictio, cùm faciat ſensum divisum: est autem in ultimo contradictio, quia facit ſensum conjunctivum sive compositum. Ad cujus doctrinæ intelligentiam operæ pretium est in memoriam ea quæ in cap. 29. Monol. de distinctione ſcientiæ á cogitatione ſecundum

P. Aug. & ipsum Anselmum diximus, revocare. Diximus quippe quód ab his SS. Doctoribus accipitur *scire*, & *noscere* non pro actu intellectûs, sed pro habitu, seu pro habituali notitia in memoria reservata: *cogitare* autem non nisi pro ipso actu, & mentis exercitio. Quapropter Aug. præter alia loca in suis quos ibi citabimus libris de Trinit. inquit in 11. cap. 5. idem omnino quod supra de fictione Anselmus. *Sed quia prævalet, ait, animus, non solum oblita, verum etiam non sensa, neque experta confingere... sæpe imaginatur, quasi ita aliquid sit, quod aut scit non ita esse, aut nescit ita esse.*

10 Itaque his præconsideratis, jam per sese detegitur mens Auctoris. Conjungit ergo cogitationem de non *esse* rei cum scientia, aut notitia habituali de *esse* aut existentia ipsius rei: quia non pugnat cognitio actualis aut cogitatio circa unum extremum, circa non *esse*, cum habitu quo extremum oppositum, videlicet *esse* ejusdem rei aliás cogitavimus, aut cogitare possumus; vel cum specie atque notitia habituali in memoria retenta de ipsa existentia rei. Cum enim res creata capax sit alternative & existendi, & non existendi: propterea quoque capax intellectus est alternative cogitandi *esse* & non *esse* rei. At vero quia *esse* & *non esse* rei conjungi non possunt inter se, cùm inter se maxime pugnent: hinc fit ut á nulla cogitatione copulari queant, neque ab intellectu simul cogitari. Non enim potest intra se dicere intellectus: *res eadem est simul & non est.* Compendió. Potest quidem intellectus simul simultate, (ut in hoc etiam morem geramus Scholæ, vel potius aliquibus Scholasticis.) simultate, inquam, potentiæ cogitare rem non esse, quam scit esse, etiam quandiu scit esse: non autem potest simul simultate actûs; id est, non potest cogitare rem esse & simul cogitare rem eamdem non esse. Vel alio breviori modo etiam Scholastico: potest in sensu diviso; non in sensu composito.

11 Hac eádem doctrina, immò & ipsis verbis Anselmi in præsenti cap. usus est qui audit irrefragabilis doctor Alexander de Hales. Ait enim apud Dionisium Carthusianum in 1. Sentent. distinct. 3. q. 2.: *Quamvis nulla quæ sunt, in quantum sunt, possint cogitari non esse, quia non possumus cogitare aliquid simul esse & non esse; tamen omnia possunt cogitari non esse, præter id quod summè est. Etenim omnia & sola possunt cogitari non esse, quæ initium habent aut finem aut partium conjunctionem, & quidquid alicubi aut aliquando totum non est. Illudque solum non potest cogitari non esse, in quo neque initium, nec finem nec partium est ponere conjunctionem, & quod non nisi ubique & semper totum ulla invenit cogitatio.* Quæ feré totidem & cum eodem contextu nostri Anselmi verba sunt. Hac ipsa etiam Anselmiana doctrina usus est Ang. Mag. in Disp. q. 10. de mente art. 12. ad 7. argum. *Dicendum*, inquit, *quód cogitari aliquid non esse potest intelligi dupliciter: uno modo, ut simul in apprehensione cadant: & sic nihil prohibet, quód quis cogitet se non esse, sicut cogitat se aliquando non fuisse... Alio modo, ita quód huic apprehensioni assensus adhibeatur; & sic nullus potest cogitare se non esse cum assensu: in hoc enim quod cogitat aliquid, percipit se esse.* Sed quod hîc ait S. Doct. simul in apprehensione cadere posse esse & non esse rei, intelligendum est in sensu Anselmiano, nempe simul quantum ad potestatem & habitualem notitiam, non autem simul quantum ad actum cogitandi.

12 *Si quis igitur sic distinguat hujus prolationis has duas sententias &c.* Dicit ergo Anselmus quód media in verbis antecedentibus posita distinctione duarum sententiarum, id est, duorum sensuum aut duarum intelligentiarum ejusdem prolationis vel propositionis, utrumque verificabitur, immò certé verificatur, & posse & non posse intellectum cogitare non esse aut non existere rem quæ ab ipso scitur, & quandiu scitur, illam esse vel existere. At simul quisque intelliget, hoc non posse verificari de eo quo majus vel melius nequit cogitari. Non enim in eo locus est sensui diviso, cùm existat summé necessarió, neque ullam possibilitatem in se habeat, neque permittat, non existendi, sed summé illam repugnet.

13 *Sic igitur & proprium est Deo non posse cogitari non esse, & tamen multa non possunt cogitari, quandiu sunt, non esse.* Attenta præfata distinctione, quilibet agnoscet maximam semper intervenire distantiam inter Deum ac reliqua existentia, etiam dum existunt, quamvis hæc in aliquo sensu cogitari nequeant non esse. Quippe *esse* & *existere* sic est proprium Deo, & ita ipsi convenit necessarió & essentialiter, ut absolutè & nulla facta suppositione, neque distinctione sensûs compositi & diviſi, vel alia quacumque, nequeat ab ullo intellectu, eum in sua vera Dei no-

tio-

tione cogitante, cogitari non esse. *Non enim*, ut lib. 1. de Trinit. num. 5. (in edit. Cong. S. Maur.) inquit S. Hilarius, *aliud proprium magis Deo, quàm esse intelligitur; quia idipsum quod est, neque desinentis est aliquando, neque cœpti &c.* Cætera vero omnia cùm vix sint, ut rectè in cap. 28. Monol. dicit Anselm. vix nequeunt cogitari non esse, sed in omni feré sensu ac semper cogitari non esse queunt.

14 *Quomodo autem dicatur cogitari Deus non esse, in ipso libello puto sufficienter esse dictum.* Nimirum in cap. 4. Proslogii, ubi exposuit, & nos cum ipso, qualiter Insipiens dicere potuerit, &, secundum testimonium Scripturæ, dixerit in corde suo: *Non est Deus*, cùm hoc in corde dicere nequiverit, nisi eogitando. Ibi lege.

CAPUT V.

Specialis discussio variorum adversarii dictorum: ac primum quod initio infideliter retulerit ratiocinationem, quam refellendam suscepit.

QUALIA verò sint, & alia quæ mihi objicis pro insipiente, facile est deprehendere vel parum sapienti; & ideo id ostendere supersedendum existimaveram. Sed quoniam audio quibusdam ea legentibus aliquid contra me valere videri; paucis de illis commemorabo. Primum, quòd sæpe repetis me dicere, quia quòd est majus omnibus, est in intellectu; & si est in intellectu, est & in re: aliter enim omnibus majus, non esset omnibus majus. Nusquam in omnibus dictis meis invenitur talis probatio. Non enim idem valet, quod dicitur; majus omnibus, et, quo majus cogitari nequit, ad probandum quia est in re quod dicitur. Si quis enim dicat quo majus cogitari non possit, non esse aliquid in re; aut posse non esse; aut vel non esse posse cogitari: facilè refelli potest. Nam quod non est, potest non esse; & quod non esse potest, cogitari potest non esse. Quicquid autem cogitari potest non esse; si est, non est quo majus cogitari non possit: quod si non est, utique, si esset, non esset quo majus non possit cogitari. Sed dici non potest, quia quo majus non possit cogitari, si est, non est quo majus cogitari non possit; aut si esset, non esset quo non possit cogitari majus. Patet ergo quia nec non est, nec potest non esse, aut cogitari non esse. Aliter enim, si est, non est quod dicitur; & si esset, non esset. Hoc autem non tam facilè probari posse videtur de eo quod majus omnibus dicitur. Non enim ita patet quia quod non esse cogitari potest, non est majus omnibus quæ sunt; sicut quia non est quo majus cogitari non possit: nec sic est indubitabile, quia si est aliquid majus omnibus, non est aliud quàm quo majus non possit cogitari, aut si esset, non esset similiter aliud: quomodo certum est de eo quod dicitur, quo majus cogitari nequit. Quid enim; si quis dicat esse aliquid majus omnibus quæ sunt; & idipsum tamen posse cogitari non esse; & aliquid majus eo, etiamsi non sit, posse tamen cogitari: an hìc sic apertè inferri potest, non est ergo majus omnibus quæ sunt; sicut ibi apertissimè diceretur, ergo non est quo majus cogitari nequit? Illud namque alio indiget argumento, quàm hoc quod dicitur, *omnibus majus.* In isto vero non est opus alio, quàm hoc ipso quod sonat, *quo majus cogitari non possit.* Ergo si non similiter potest probari de eo quod majus omnibus dicitur, quod de se per seipsum probat quo majus nequit cogitari: injustè me reprehendisti dixisse quod non dixi; cùm tantum differat ab eo quod dixi. Si ve-

rò vel per aliud argumentum poteſt : nec ſic me debuiſti reprehendere dixiſſe quod probari poteſt. Utrum autem poſsit, facilè perpendit, qui hoc poſſe, quo majus cogitari nequit, cognoſcit: nullatenus enim poteſt intelligi quo majus cogitari non poſsit, niſi id quod ſolum omnibus eſt majus. Sicut ergo quo majus cogitari nequit, intelligitur, & eſt in intellectu, & ideo eſſe in rei veritate aſſeritur : ſic quod majus dicitur omnibus, intelligi & eſſe in intellectu, & idcirco reipſa eſſe ex neceſsitate concluditur. Vides ergo quàm rectè me comparaſti ſtulto illi, qui hoc ſolo quòd deſcripta intelligeretur, perditam inſulam eſſe vellet aſſerere.

COMMENTARIUS.

CAP. V.

Qualia vero sunt & alia, quæ mihi objicis pro insipiente, &c.

1 Dicit S. Doct. de reliquis objectis à Gaunilone pro insipiente, non magni facienda, vel difficilia non eſſe ad diſſolvendum, etiam parum sapienti : qua propter ſupersedendum se prius exiſtimaſſe: sed quia poſtmodum audiviſſe, quibusdam videri aliquid contra ipsum valere talia objecta, propterea melius judicavit ea intacta non relinquere.

2 *Primum, quod sæpe repetis me dicere quia quod est majus omnibus, est in intellectu; & si est in intellectu, est & in re &c.* In primis notat S. Doct. Gaunilonem falsum fuiſſe circa intelligentiam argumentationis suæ (quod non eſt mirum, cùm multi alii poſtea decepti fuerint,) ideoque infideliter ipsam sæpe, in numeris ſcilicet 1. 4. 5. & 7. sui libelli retuliſſe. Et unde deceptio? Quia videlicet non distinxit Gaunilon inter id quod majus eſt omnibus, & id quo majus cogitari nequit. Non diſtinxit, inquam, in sensu formali & quantum ad vim probandi : nam quantum ad ſubjectum, ut infra dicetur, non eſt distinctio. Nunquam P. Anselmus, ut ipse inquit, accepit pro principio suæ argumentationis hanc Dei explicationem, *id quod majus*, sed hanc notionem : *id quo majus cogitari nequit.*

3 *Non enim idem valet quod dicitur; majus omnibus, & quo majus cogitari nequit, ad probandum quia est in re, quod dicitur.* Quamvis re vel subjecto idem ſint id quod majus eſt omnibus, & id quo nihil majus cogitari poteſt : nihilominus dicit Author quòd quantum ad vim probandi, ſive loquendo ſcholaſticé, formaliter logicé acceptum & in ratione principii argumentationis, diversum est unum ab altero Veluti ſi dicamus : definitio & definitum idem sunt, ſi attendatur res ſignificata, ſive ex parte rei ſignificatæ quantum ad se; ſi vero conſideretur modus ſignificandi & ipsa res secundum rationem logicam, ſive prout se habet relatè ad nostram cognitionem, idem non sunt definitum & definitio. Aliquid enim verificatur de definitione, quod non verificatur de diffinito. Diffinitio est clarior diffinito, & explicat eſſentiam rei, quam non explicat diffinitum. In ipso quoque Deo cuncta idem sunt ; verumtamen, ut alia ſileam, ex intellectu probatur voluntas; non ſecùs, ex voluntate intellectus, niſi quaſi á posteriori. In Proslog. dum capp. 2. & 3. exposuimus, hoc præsens Apologetici citavimus caput, verbaque supra posita transcripſimus, ut ex ipso Anselmo probaremus non accepiſſe ab Aug. argumentationem ſuam : quia licet in libris de doctrina Christ. S. Aug. reperiatur verbis æquivalentibus Anselmiana Dei notio, sed nequaquam ibi detegitur vis & efficacia huius notionis ad probandum ex ipsa sola omnia, quæ Dei ſunt, neque ad convincendum inſipientem via redargutionis, vel alio quolibet modo.

4 *Si quis enim dicat, quo majus cogitari non possit, non esse aliquid in re &c.* Incipit Author reddere rationem præfatæ diversitatis, & ait, quod ſi quis dixerit quodlibet ex his tribus enunciatis: Id quo majus cogitari nequit, non exiſtit in rerum natura; aut potest non existere; aut saltem potest cogitari non existere : facile ex eodem principio vel Anselmiana Dei notione refelli, atque convinci poterit. Non ſic autem ex hoc antecedenti : Id, quod majus est omnibus, intelligitur & est in intellectu; ſicut infra videre facit ipse Author.

Nam

5 *Nam quod non est, potest non esse; & quod non esse potest, cogitari potest non esse, &c.* Modus quo talis homo facile refutari & convinci potest, ille est, quem Author exhibuit in 2. ac 3. capp. Proslog. amplius explicuit in cap. 1 hujus Apologetici, & nunc compendiosiùs quàm in illo 1. cap resumit. Omne, inquit, quod reipsa non est, vel non existit, potest non existere, ut per se patet. Omne autem quod non esse in re, vel non existere potest, sine dubio potest cogitari non existere. Hæc sunt quæ supponimus posse dicere prædictum hominem. At ex illis sic arguimus cum nostro Authore. Sed quidquid cogitari potest non esse in re; si in re sit, non est id quo majus cogitari nequit; si autem non est in re, etiam si esset in re, neque tunc esset id quo majus seu melius cogitari non potest. Ergo id quod cogitari potest non esse aliquid in re, aut posse non esse, aut posse cogitari non esse, non est id quo majus cogitari nequit. Ergo dum prædictus assertor talia diceret, non de eo quo nihil majus cogitari potest, diceret, sed de eo quo majus aut melius potest cogitari. Non enim potest simul contraria dicere aut cogitare, nisi duntaxat penes voces.

6 Præterea. Demus, vel fingamus quòd non esset in re id quo majus cogitari nequit. At si non est in re, etiam si in re esset, non esset id quo majus cogitari non potest. Ergo id quod diceretur à prædicto homine posse cogitari non esse in re, non esset in sua cogitatione id quo majus cogitari non potest. Alioquin, si esset in re, simul esset, & non esset in re id, quo majus cogitari nequit: quandoquidem non existeret necessariò, sed posset existere vel non existere, de sua ratione & idea. Ergo sequeretur realis contradictio, quæ abs dubio impossibilis est.

7 Denique, exigi potest ab illo homine, ut per modum suppositionis, vel liberalis concessionis, det reipsa existere id quo majus cogitari nequit, de quo ipse diceret, posse cogitari non esse in re, aut posse non esse in re; immò & de quo assereret non esse in re. Potest, inquam, jure exigi ab eo; ut sic manifestum fiat quid sequatur. Hoc ergo dato, sic contra ipsum argueretur. Sed si in re est id quod negatur esse in re, vel dicitur quód potest non esse in re, vel saltem quód cogitari potest non esse; non est in re id quo majus cogitari nequit. Ergo concesso quod sit in re illud quod ille homo negaret esse in re, aut quod diceret posse non esse in re, aut saltem posse cogitari non esse in re; sequitur, ut simul sit & non sit in re id quo majus cogitari nequit. Cum autem id sit absolute impossibile; sine dubio etiam est absolutè impossibile omne illud ex quo sequitur. Utriusque hypoteticæ argumentationis minor propositio, præterquamquód per se satis manifesta est, probata jam fuit ab Authore in cap 1. iterum que faciliori modo & gradatim à minori ad majus patefit in cap. 8.

8 *Hoc autem non tam facilè probari posse videtur de eo quod majus omnibus dicitur, &c.* Probatio, inquit, proximé facta atque convictio de existentia Dei sic necessaria ut neque possit non existere, neque cogitari non esse in re, per hanc ipsius optimam notionem, *Id quo majus cogitari nequit*, non tam facilé fieri potest per hanc, *Id quod majus est omnibus.* Ratio Auctoris est: quia non sic statim palám est, quód non possit cogitari aliquid absque existentia, vel non esse in re, majus tamen omnibus: vel quód non possit cogitari aliquid in sua ratione, idea vel metaphysica essentia majus omnibus quæ sunt in rerum natura, & tamen illud non sit in re, aut saltem possit cogitari non esse in re: sicut probatum est, neque posse non esse in re, nec cogitari non esse in re id quo majus cogitari non potest; aliàs non esset, neque cogitaretur quo majus cogitari nequit. Certè meliores in sua ratione metaphysica, meliores secundum speciem, potest Deus Spiritus Angelicos creare, quàm omnes quos jam creavit. Hi autem meliores possibiles Spiritus, meliores consequenter cogitantur omnibus existentibus creaturis; & tamen ipsi non existunt. Ecce hic omnia verificantur quæ dicit Auctor. Primum, quòd majus omnibus quæ sunt (excepto Deo, quem adhuc insipiens non confitetur) potest non esse cogitari, quin exinde sequatur non esse, aut non cogitari omnibus majus. Nam quilibet ex illis Angelis melioribus possibilibus duntaxat, melior omnibus quæ sunt, præter Deum, cogitatur; & tamen non esse in re cogitatur, immo & non existit in re. Secundum, non sic esse indubitabile, in vi scilicet consequentiæ & formæ arguendi, quod si est aliquid majus omnibus, non aliud sit quàm id quo majus cogitari nequit. Quilibet enim ex dictis Angelis, si existeret, esset aliquid majus omnibus quæ sunt; & tamen non esset id quo majus nequit cogitari. Deinde, qui diceret nihil esse ex omnibus quæ sunt, quod non possit cogitari non esse, & concederet nihilominus aliquid esse omnibus

majus, aut cui æquale in rerum natura non ſit; profectò convinci non poſſet, illud majus omnibus non eſſe diſtinctum ab eo quo nihil majus valet cogitari: immò falsum eſſet, quòd tale majus omnibus eſſet id quo majus nequeat cogitari. Sed neque ex eo quòd absolutè concederet, aliquid eſſe inter omnia, quæ ſunt, majus reliquis omnibus, vel cui par inter ea non inveniatur; illud neceſſariò eſſe quo nihil majus possit cogitari, redargui poſſet per hoc quod aliàs non eſſet omnibus majus. Respondere quidem poſſet, ſuper omnia, quæ ſunt, aliquid majus posse cogitari. Unde per aliam rationem vel aliud argumentum hoc ipsi probandum eſſet.

9 3. Quòd etiamſi concederet insipiens aliquid eſſe omnibus majus, non ſtatim consequens foret, ut non eſſet ſimiliter aliud, ita ut inter se æqualia, majora tamen reliquis omnibus eſſent. Quippe ſupposita opinione quòd possint Angeli duo vel plures eſſe ejusdem ſpeciei: poſſunt consequenter eſſe aut concipi duo Angeli ſupremi, æquales inter ſe, majores tamen aut perfectiores reliquis omnibus creaturis. At impossibile eſt ut id quo majus cogitari nequit, ſibi par habeat. Majus enim cogitatur id quod tam excelentis naturæ eſt, ut par neque habeat, neque habere possit. Itaque ſi id quo majus cogitari non poteſt, haberet æquale; esset ſimul & non esset id, quo majus cogitari non potest. Et quamvis majus omnibus quæ ſunt, ſemel ac ſit majus omnibus ſine exceptione, par habere non possit in quantum eſt majus omnibus; attamen absolutè possibile concipitur aliud ſibi par, quod exiſtere potuit loco ipſius & tunc illud eſſet omnibus majus.

10 4. Quòd etiamſi concederet, ut dictum eſt, insipiens aliquid eſſe omnibus majus quæ in rerum natura ſunt, & tamen responderet adhuc aliquid majus ſuper omnia quæ ſunt, licet reipsa non ſit, poſſe tamen cogitari, & poſſe exiſtere in re, redargui non poſſet quòd ſibimetipsi contradiceret, concedendo aliquid eſſe majus omnibus quæ ſunt, & tamen ſimul aſſereret poſſe aliquid ſupra illud majus cogitari, immò & poſſe exiſtere in re. Alio itaque argumento hoc persuadendum eſſet. Quapropter meritò, his omnibus attentis rationibus, dicit Noſter Auctor, quòd illud de majori re ſuper omnes exiſtentes, *alio* indiget argumento, quàm hoc quod dicitur *omnibus majus*; id eſt, alio principio utendum eſt ad demonſtrandum quòd majus absolutè omnibus rebus exiſtentibus vel inter omnes res exiſtentes non possit non eſſe, nec cogitari non eſſe: in iſto autem, nempe ad probandum non poſſe non eſſe nec cogitari non eſſe id quo majus non poteſt cogitari, non eſt opus alió quàm hoc ipso quòd ſonat, *quo majus cogitari nequit*: id eſt, per hanc eamdem notionem Dei, *id quo majus cogitari nequit*, probatur neceſſaria exiſtentia ejus quo majus cogitari nequit; & probatur ita neceſſaria ut neque poſsit hoc non eſſe in re, aut cogitari in re non eſſe.

11 Hinc patet quod jam in Comment. Proslog. ex propoſito probavimus, hanc nimirum propoſitionem *Deus est*, cujus ſola expoſitio eſt hæc altera, *id quo majus cogitari nequit*, univerſis per ſe notam eſſe. Nam propoſitio quæ ut omnium mentem ad aſſensum cogat, per se ſufficit, neque alió medio aut argumento opus habet, quid aliud deſiderat aut quid ipſi deeſt, ut per se ſit univerſis nota? Quippe non alia ratione eſt omnibus per se nota hæc propoſitio, *totum est majus ſua parte*, niſi quia in ſemetipsa vim manifeſtandi ſeipsam intellectui & illum ad aſſensum inclinandi, habet, neque alio indiget medio. Si enim hanc propoſitionem aliquis negaret, ſtatim redargueretur: ergo neque totum eſt totum, neque pars eſt pars; ſed pars eſt totum & totum eſt pars. Hoc eſt quod tam ſæpe vidimus & in Proslog. & in præsenti libro evenire ſi negetur hæc propoſitio, *id quo majus cogitari nequit, est in re*. Non eſt itaque cur hæc propoſitio negetur omnibus eſſe per ſe nota. Si autem hæc propoſitio per se nota omnibus eſt: idem dicendum eſt de hac propoſitione: *Deus est*. Vel ſaltem parum intererit quantum ad propoſitum N. Auctoris & quantum ad rem ſignificatam, quòd ſit per ſe nota univerſis hæc propoſitio *id quo majus cogitari nequit existit*, licèt non concedatur, hanc alteram *Deus est*, ſub his vocibus eſſe cunctis per ſe notam. Quæſtiones non ſunt inſtituendæ de puris vocibus, dum conſtat de veritate rei.

12 *Ergo ſi non ſimiliter potest probari de eo quod majus omnibus dicitur, &c.* Orationem directè convertit Anselmus in personam Gaunilonis & dicit quòd ſi non poteſt probari de eo quod majus omnibus dicitur (formaliter ſcilicet vel juxta regulas disputandi conſiderato), ſi, inquam, non poteſt probari per ſe ſolum ſine alterius argumenti juvamine, id *quod de ſe per ſeipsum probat id quo majus nequit cogitari*, quia non indiget niſi hac ſola notione; injuſtè ipsum S. Anselmum re-

reprehenderit Gaunilon in num. 1. ſui libelli & in 7. quaſi dixiſſet Anselmus quod non dixit, id eſt, quaſi usus fuiſſet hac notione *majus omnibus*, tamquam principio ad probandum Deum neceſſariò exiſtere, neque poſſe non exiſtere, neque poſſe cogitari non eſſe in re. Oſtensum eſt enim per rationes ſuperiores valdé differre inter ſe quantum ad vim efficaciamque probandi, hanc notionem, *id quo majus est omnibus*, & iſtam, *id quo majus cogitari nequit.*

13 *Si vero per aliud argumentum potest: nec sic me debuisti reprehendere, dixisse quod probari potest.* Si autem per aliud ſaltem argumentum probari poteſt, quod majus omnibus non possit non eſſe, nec cogitari non eſſe: non debuit Gaunilon Sanctum Anselmum reprehendere, etiamſi in ſua opinione vel ſecundum ſuam (quamvis falsam) opinionem dixiſſet quod probari ſic poteſt; id eſt, dixiſſet quód *omnibus majus* non poteſt non eſſe, vel cogitari non eſſe: vel quód etiam qui audit *majus omnibus*, intelligit quod audit; & quod intelligit, in intellectu ejus eſt; & ſi in intellectu ejus eſt, ſequitur eſſe & in re: alioquin, non eſſet majus omnibus. Si autem hæc omnia, inquit S. Doctor, per aliud ſaltem medium ſeu argumentum probari poſſunt de eo quod majus eſt omnibus; impugnari non debuit à Gaunilone, etiam ſub falsa ſuppoſitione, quód S. Anselmus dixiſſet neceſſariò exiſtere id quod majus eſt omnibus.

14 *Utrum autem posit, facile perpendit, &c.* Quód poſsit probari, inquit, per aliud argumentum, non poſſe non eſſe in rei natura, neque poſſe cogitari non eſſe, perpendit, aut intelliget facilè quilibet, qui attendat non aliud reipsa eſſe ſubjectum cui convenit eſſe id quo majus cogitari nequit, & id quod majus eſt omnibus. Certiſsimè quippe non poteſt cogitari id quo majus cogitari nequit, quin cogitetur illud majus omnibus eſſe. Itaque valet consequentia, etiam in ſensu formali; eſt aliquid quo majus cogitari nequit; ergo eſt omnibus majus. Sed non valet in eodem ſensu metaphyſico, ſed ſolúm ratione unius & ejusdem ſubjecti; eſt aliquod majus omnibus; ergo est id quo majus cogitari nequit. Quam consecutionem non eſſe formalem, ſatis ſuperque probant rationes ſupra poſitæ & expoſitæ. Itaque ſicut fit argumentum; *Insipiens dum audit hæc verba dicta in lingua sibi nota, Id quo majus cogitari nequit, intelligit quod audit; ergo hoc quod per hæc verba ab ipso intelligitur, est in ipsius intellectu; igitur & est in re; alioquin esset & non esset simul in ejus intellectu id quo majus cogitari non potest*: hoc, inquam, argumentum fit consequenter de eo quod majus est omnibus. Sed cum eodem mox dicto discrimine, quód de eo quo majus cogitari nequit, fit per ſeipsum; at de eo quód majus est omnibus, non per ſeipsum in ſensu logico, & quantum ad convictionem mentis humanæ, ſed fit ratione ejus quo majus cogitari nequit, a quo ſecundum rem non distinguitur id quod majus omnibus est. Exempla hujusmodi multa Lector inveniet in libris Scholasticorum de hoc duplici ſensu, alio identitatis & realis ſimplicitatis, altero logico & rationis formalis, dum de attributis Dei & divinis proceſsionibus diſſerunt, loquunturve.

CAPUT VI.

Discutitur dictum adversarii in num. 2. quælibet falsa similiter posse intelligi atque adeo esse.

QUOD autem objicis, quælibet falſa vel dubia ſimiliter poſſe intelligi & eſſe in intellectu; quemadmodum illud, quod dicebam. Miror quòd hìc ſenſiſti contra me, dubium probare volentem; cui primum hoc ſatis erat, ut quolibet modo illud intelligi, & eſſe in intellectu oſtenderem: quatenus conſequenter conſideraretur utrum eſſet in ſolo intellectu, velut falſa; an & in re, ut vera. Nam ſi falſa & dubia hoc modo intelliguntur, & ſunt in intellectu; quia cùm dicuntur, audiens intelligit quid dicens ſignificet: nihil prohibet quod dixi intelligi, & eſſe in intel-

tellectu. Quomodo autem ſibi conveniant quod dicis quia falſa dicente aliquo, quæcunque ille diceret, intelligeres: & quia illud quod eſt, non eo modo quo etiam falſa habentur in cogitatione, non diceris auditum cogitare aut in cogitatione habere; quia, ſcilicet, non poſsis hoc aliter cogitare, niſi intelligendo, id eſt, ſcientia comprehendendo reipſa illud exiſtere: Quomodo, inquam, conveniant, & falſa intelligi; & intelligere eſſe ſcientiá comprehendere exiſtere aliquid: nihil ad me, tu videris. Quòd ſi & falſa aliquo modo intelliguntur: & non omnis, ſed cujusdam intellectùs eſt hæc diffinitio: non debui reprehendi, quia dixi quo majus cogitari non poſsit, intelligi & in intellectu eſſe; etiam antequam certum eſſet reipſa illud exiſtere.

COMMENTARIUS.

CAP. VI.

Quod autem objicis, &c.

1 Hæc Gaunilonis objectio invenitur in num. 2. ſuperioris libeli, ubi ait: *Nonne & quæcumque falsa ac nullo prorsus modo in ſeipſis existentia, in intellectu habere ſimiliter dici poſſem; cùm ea dicente aliquo, quæcumque ille diceret, ego intelligerem?*

2 *Miror quód hic senſisti contra me &c.* Demiratur Anselmus, & meritó, Gaunilonem voluiſſe argumentationem suam contra Inſipientem impugnare etiam quantum ad illud per quod incipit, ajendo quód dum Inſipiens audit hæc verba, *Id quo majus cogitari nequit*, intelligit quod audit; & quod intelligit, in intellectu ejus eſt: quaſi Anselmus ignoraverit, multa quæ in re non sunt, intelligi, dum verba, quibus ſignificantur, audiuntur, & consequenter eſſe tunc in intellectu ea intelligente. Miratur etiam quód non discreverit Gaunilon inter eum qui ſimpliciter & absolutè aliquid narrat, & eum qui animo alterum redarguendi ac convincendi, gradatim procedit, nec totum, quod in mente sua gerit, uno verbo pandit, sed quaſi per partes illud de corde ſuo profert. Neque obſtat, quód pronunciandum & de corde promendum, ſit aliquid ſimplicissimum in se, ſicut eſt Deus, vel id quo majus cogitari nequit. Nam hoc solúm probat, ſimul intelligi totum, quantum eſt ex parte ipſius, & clàm, seu involutè; non verò ex parte intelligentis, seu palám & apertè. Alioquin qui Theologiæ ſtudent, ubi Deum eſſe jam scirent, omnia æque de Deo intelligerent, & in sacra facultate nihil proficerent. Unde & tota Theologia eſſet nugatoria. Quod absurdissimum eſt. Dicit ergo S. Doctor, ſe probare volentem id quod apud Insipientem, quia non satis intelligebatur, dubium adhuc erat, quapropter eádem pravitate, ipsum obcæcante, negabatur, incipere debuiſſe ab eo quod tam facile eſſet ad intelligendum, ut neque Inſipiens, ſe illud intelligere poſſe, inficias iret: ut ſemel oſtenso, Inſipientem hoc aliquo modo intelligere, & habere in intellectu, ea præsentia qua objectum eſt in potentia illud attingente, & intelligente; poſſet inde jam ipsum Inſipientem redarguere ſe negare non poſſe hoc, quod intelligebat aliquo modo, atque in suo intellectu erat, etiam eſſe in re; ſin minus, nequaquam se illud intelligere, vel potius ſimul & intelligere, & non intelligere, & eſſe in suo intellectu, atque non eſſe. Unde cum ſibi in hoc contradiceret, convictus etiam per semetipsum inſipiens erat.

3 *Nam ſi falsa & dubia hoc modo intelliguntur &c.* Id eſt, ſi etiam fatente ipso Gaunilone, falsa & dubia aliquo modo intelliguntur & sunt in intellectu, modo ſcilicet à se dicto, quatenus mens per ipsa verba, quæ falsa aut dubia deſignant, ea percipit eſſe dubia aut falsa, discernitque ab indubiis ſeu à veris: nihil prohibet, ut id quo majus cogitari nequit, hoc eodem modo ab Inſipiente primùm intelligeretur, & hoc ſic, ſcilicet secundum hunc priorem & debiliorem gradum intelligentiæ, eſſe in ipſius intellectu.

4 *Quomodo autem ſibi conveniant quod dicis &c.* Utrumque Gaunilon in num. 2. dicit, aliquibus tamen interpoſitis aliis verbis. Unde obscuritas, non S. Anſel-

ſelmo, ſed Gauniloni adſcribenda eſt. Redargutionem itaque Anſelmi adverſus Gaunilonem ſic exponimus, & faciliorem captu reddimus. Tu dicis, quód falſa aliquo referente ſi audires, intelligeres, quæ falſa tibi diceret. Deinde & dicis, quia id quod reipſa exiſtit, cogitare non potes aut in cogitatione habere eo ſolo modo quo falſa; ſed intelligendo, id eſt, ſcientiá comprehendendo reipſa illud exiſtere. Hæc quæ tam oppoſita inter ſe videntur, nempe intelligere quæ reipſa non ſunt; & ex alia parte nihil aliud eſſe intelligere (ut ex citato num. & ultimo conſtat dixeſſe Gaunilonem) quàm ſcientiâ comprehendere, reipſa aliquid exiſtere: quo pacto, inquam, hæc ſibi invicem cohæreant, non immeritó ambigit Anſelmus. Quapropter Gauniloni relinquitur labor inveniendi cohærentiam.

5 *Quòd ſi & falſa aliquo modo intelliguntur &c.* Quód ſi Gaunilon reſponderet, falſa non ſimpliciter intelligi, ſed aliquo duntaxat modo; & quód prædicta diffinitio intellectus vel intelligentiæ, nimirum ſcientiâ comprehendere reipſa aliquid exiſtere, non omni congruat intellectioni, ſed tantúmmódo intellectioni propriiſſimæ & in magis ſtricto ſignificatu; tum reponit Anſelmus, Gaunilonem reprehendere non debuiſſe, quód dixerit S. Doct. intelligi & eſſe in intellectu id quo majus cogitari nequit: cùm manifeſta eſſet intentio S. Doct. de quo nimirum genere intelligentiæ tunc ad convincendum inſipientem loqueretur.

6 Sed poteſt alius præter Gaunilonem Anſelmo & nobis objicere vel à nobis rationem quærere, qua inter ſe cohæreant, non poſſe cogitari Deum non eſſe seu id quo majus cogitari nequit; & aliunde poſſe aliquo modo falſa intelligi: non enim magis quám falſum eſſe poteſt, Deum non eſſe, aut id quo majus cogitari non poteſt. Sed ſi rationem quærat, rationem reddimus. Dico ergo *duo eſſe genera falſi*, juxta Aug. lib. 2. de doct. Chriſtiana. cap. 35. *Unum eorum quæ omnino eſſe non poſſunt; alterum eorum quæ non ſunt, quamvis eſſe poſſint. Nam qui dicit ſeptem & tria, undecim eſſe, id dicit quod omnino eſſe non potest; qui vero dicit Kalendis, v. g. Januariis pluiſſe, tametsi factum non sit, id tamen dicit quod fieri potuerit.* Dum ergo aſſerit N. Author Deum, ſeu id quo majus cogitari nequeat, à nullo poſſe cogitari reipſa non eſſe aut non exiſtere, ſermonem facit de primo genere falſi, id eſt, quod omnino eſſe non poteſt; non autem de ſecundo, quod quamvis non ſit, tamen poteſt vel potuit. Utrumque genus falſi diſtinxit ipſe Author ſupra in cap. 4. per hæc verba: *Et quidem possumus cogitare aliquid non esse, quandiu scimus esse, quia simul & illud possumus, & istud scimus: & non possumus cogitare non esse, quandiu scimus esse; quia non possumus cogitare esse simul & non esse.* Ubi vides ipſum abſolutè negare possibilitatem cogitandi quod penitùs repugnat, quale eſt simul esse & non esse idem; & concedere cogitari posse quod, quamvis non sit, absolutè tamen potest esse. Unde & ibidem concludit S. Doct. *Sic igitur & proprium est Deo, non posse cogitari non esse; & tamen multa non possunt cogitari, quandiu sunt, non esse.*

CAPUT VII.

Contra dictum aliud adverſarii ibidem: nempe quòd ſummum magnum æque poſſit concipi non eſſe; ac Deus ab inſipiente concipitur.

DEINDE quod dicis vix unquam poſſe eſſe credibile, cùm dictum & auditum fuerit, iſtud non eo modo poſſe cogitari non eſſe, quo etiam poteſt cogitari non eſſe Deus. Respondeant pro me, qui vel parvam ſcientiam disputandi argumentandique attigerunt. An enim rationabile eſt, ut idcirco neget aliquis quod intelligit; quia eſſe dicitur id quod ideo negat, quia non intelligit? Aut ſi aliquando negatur, quod aliquatenus intelligitur, & idem eſt illi, quod nullatenus intelligitur; nonne facilius probatur quod dubium eſt, de illo quod in aliquo, quàm de eo quod in nullo eſt intellectu? Quare nec credibile poteſt eſſe, idcirco quemlibet negare quo majus cogitari nequit, quod auditum aliquatenus in-

telligit ; quia negat Deum , cujus ſenſum nullo modo cogitat. Aut ſi & illud , quia non omnino intelligitur , negatur , nonne tamen faciliùs id, quod aliquo modo , quàm id quod nullo modo intelligitur , probatur? Non ergo irrationabiliter contra inſipientem , ad probandum Deum eſſe, attuli , quo majus cogitari non poſsit : cùm illud nullo modo; iſtud aliquo modo intelligeret.

COMMENTARIUS.

CAP. VII.

Deinde , quod dicis , &c.

1 Sunt ipsa Gaunilonis verba , num. 2. In quibus objicit , vix unquam fututum credibile , quòd cum dictum & auditum fuerit iſtud , nempe id quo majus cogitari non poteſt , non queat eodem modo cogitari non eſſe , quo etiam poteſt cogitari non eſſe Deus. Non videbatur Gauniloni impossibilius unum , quàm alterum.

2 *Respondeant pro me qui vel parvam ſcientiam disputandi , argumentandique attigerunt.* Tam debilem ac superficialem eſſe Gaunilonis objectionem quisque etiam mediocris dialecticus aut logicus intelliget , ut ferè poſſet Anselmus Gaunilonem ad illos remittere , & à respondendo supersedere. Nam quis dialecticus ignorat diffinitiones suo eſſe diffinito clariores ? Demonſtrationem ignota per notiora manifeſtare ? Hasque inſtitutiones dialecticas eò intendere ut veritas quæ aliás obscura eſt, & ignorata , detegatur , & ſic pateat , ut ignorantia circa eam abigatur , neque intellectui liceat diſſentire ? Hæc notio , *id quo majus cogitari nequit* , quamvis non ſit Dei diffinitio (Dei nulla poteſt eſſe cum proprietate , niſi Verbum Dei qui Filius ejus æternus eſt) quantum ad propoſitum perinde se habet acſi vera diffinitio Dei foret. Non enim minús per hanc notionem , neque cum minori claritate edocemur diſtinctionem summam quæ inter Deum , & omne quodcumque aliud , interponitur, quàm per aliam quamcumque proprio genere ac differentia compoſitam diffinitionem inſtruimur de natura , & eſſentia rerum creatarum , & differentiarum quibus differunt inter se. Neque minús ex illa notione , immó meliùs , & certiús , omnia divina attributa probare poſſumus , & reipsa cum Auctore in Proslog. jam probavimus , quàm hominis proprietates ex ipſius vera definitione.

3 *An enim rationabile est , &c.* Quæ ratio eſt ut quis quod capit intellectu , neget , quoniam quod non intelligit negat , neque alia de causa negat , niſi quia illud mente non capit , ejusve sensum aut ſignificatum non percipit ? Alioquin, idem poſſet dici de eo qui aliquam veram propoſitionem negat , eo quod ipsam mente non percipit ; quód nimirum eàdem facilitate poſſet illam inficiari , quamvis per evidentem connexionem cum principiis per se manifeſtis , aut aliis notissimis veritatibus demonſtraretur.

4 *Aut ſi aliquando negatur , quod aliquatenus intelligitur , &c.* Si veró eveniat quandoque aliquam negari propoſitionem , cujus subjectum , & prædicatum quantum ad rem ſignificatam , vel in suo naturali ſtatu , idem ſint cum subjecto ac prædicato alterius propoſitionis , quarumque propoſitionum negata aliquatenus intelligatur , sed quia satis non intelligitur , ideo negatur ; altera autem nullatenus intellectu percipiatur : quis poterit rationabiliter inficias ire , majori cum facilitate probari poſſe illam non prorsus incognitam propoſitionem , quam alteram penitús ignoratam ? Alioquin , homo qui in quodam bivio poſitus invenitur , non faciliús ac breviús conduceretur in terminum , v. g. in patriam suam , quám qui fuerit omnino remotus à via. Neque qui jam aliquid didicit de aliqua disciplina , erit magis dispoſitus ut minori labore ad ejus consumatam cognitionem perducatur , quàm se habebat antequám aliquid de tali disciplina didiciſſet. Quod nemo rationis compos dicere quibit.

5 *Quare nec credibile potest eſſe, &c.* Contrahit Auctor præfatas conſiderationes , & dicit quód non ſit credibile , inſipientem ita pertinacem fore , ut ſi in

pu-

publico seu ore negare auderet Deum existere, cujus vocis sensum, aut significatum nullo modo cogitabat, pariter quoque negare auderet existere id quo majus cogitari nequit, quod aliquatenus se intelligere, in nota sibi lingua dictum, inficiari audax non esset.

6 *Aut si & illud, quia non omnino intelligitur, negatur, &c.* Non concedit absolutè S. Doct. posse, nisi ore tenùs, negari existere id quo majus aut melius non potest cogitari, cùm tam sæpe in superioribus hoc negaverit. Concedit ergo solùm aut permittit hypoteticè: Ne forsan cuique videatur nimis suis cogitationibus adhærere, & plusquam par est, abundare suo sensu. Nam cùm hæc disputatio cum Gaunilone de rebus fidei non sit, non debebat Anselmus modestissimus, humillimusque, ea fiducia atque constantia se defendere, ac si esset penitus seu metahysicè infallibilis, & pro sacris decertaret. Itaque admisso gratis ab Anselmo posse etiam hoc negari, nimirum existere id quo melius cogitari nequit: dicit juxta ante dicta nequaquam á Gaunilone posse negari, faciliùs probari hoc posse, quia jam aliquomodo intelligeretur, quàm Deum existere, cujus vocis significatus nullo modo ab insipiente capiebatur.

7 *Non ergo irrationabiliter contra Insipientem, &c.* Concludit adversus Gaunilonis imprudentem admirationem, ne dicam crassâ minerva objectam incredibilitatem, non nimia facilitate, neque sine ratione, sed valde maturé atque sapienter (quamvis hoc ultimum modestia plenus S. Doctor dicere noluerit) usum se fuisse hac optima Dei notione, *id quo majus cogitari non possit*, ad probandum veré Deum existere, contra stultitiam Insipientis: nam Deum nullo modo (si forsan, quamvis pravus, non tamen ex pravitate cordis, sed ex crassissima, nimisque supina ignorantia negavit) per hanc vocem *Deus* mente capiebat; per has vero alteras, *Id quo majus cogitari nequit*, aliquo saltem modo, id est, imperfectè intelligeret, & in suo haberet intellectu.

CAPUT VIII.

Comparatio picturæ num. 3. propositæ examinatur. Et unde conjici queat summum magnum, de quo adversarius num. 4. quæsierat.

QUOD vero tam studiosè probas, quo majus cogitari nequit, non tale esse, qualis nondum facta pictura in intellectu pictoris, sine causa fit. Non enim ad hoc protuli picturam præcogitatam, ut tale illud, de quo agebatur, vellem asserere: sed tantùm ut aliquid esse in intellectu, quod non esse intelligeretur, possem ostendere. Item, quod dicis: quo majus cogitari nequit, secundum rem, vel ex genere tibi vel ex specie notam, te cogitare auditum, vel in intellectu habere non posse; quoniam nec ipsam rem nosti, nec eam ex alia simili potes cognoscere: palàm est rem aliter sese habere. Quoniam namque omne minus bonum, in tantum est simile majori bono, in quantum est bonum; patet cuilibet rationali menti; quia de minoribus bonis ad majora conscendendo, ex his, quibus aliquid cogitari potest majus, multum possumus conjicere illud, quo nihil potest majus cogitari. Quis enim, verbi gratia, vel hoc cogitare non potest, etiamsi non credat in re esse quod cogitat, scilicet, si bonum est aliquid, quod initium & finem habet; multo melius esse bonum, quod licet incipiat, non tamen definit: & sicut istud illo melius est; ita isto esse melius illud, quod nec finem habet, nec initium; etiamsi semper de præterito per præsens transeat ad futurum: & sive sit in re aliquid hujusmodi, sive non sit; valde tamen eo melius esse id, quod nullo mo-

modo indiget vel cogitur mutari vel mori : an hoc cogitari non poteſt; aut aliquid hoc majus cogitari poteſt ; aut non eſt hoc ex iis , quibus majus cogitari valet, conjicere id quo majus cogitari nequit ? Eſt igitur unde poſsit conjici , quo majus cogitari nequeat. Sic itaque facilè refelli poteſt inſipiens , qui ſacram auctoritatem non recipit ; ſi negat , quo majus cogitari non valet , ex aliis rebus conjici poſſe. At ſi quis Catholicus hoc neget ; meminerit quia *inviſibilia Dei á creatura mundi , per ea* (Ad Rom. 1.) *quæ facta ſunt , intellecta conſpiciuntur : ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas.*

COMMENTARIUS.

CAP. VIII.

Quod vero tam ſtudiosè probas, &c.

1 Totum numerum 3. implevit Gaunilon , ſeu totum §. 3. in probando dissimilitudinem inter præcogitatam picturam a Pictore , & hanc notionem vel orationem , *Id quo majus cogitari nequit* , dum audita , habetur jam per hoc in audientis intellectu ac cogitatione. Ad cujus confirmationem , ſuffragium ſibi adscivit , vel magnam auctoritatem Divi Auguſtini. Unde meritó dicit Gauniloni Anselmus : *tam studiosè probas.* Sed hoc Gaunilonis studium in vanum certè fuit : ut statim videbitur.

2 *Non enim ad hoc protuli picturam præcogitatam, &c.* Sine causa , inquam , tam studiosè Gaunilon laboravit. Quippe Anselmus non eo ſine exemplum poſuit in pictura præcogitata , ut aſſerere vellet nullam penitus eſſe differentiam inter talem picturam , & id quo majus cogitari nequit , ſive quantum ad causam seu quantum ad eſſe illius picturæ. Non ignorabat Anselmus picturam à Pictore præcogitatam nihil eſſe aliud quám ideam , secundum artis suæ regulas à seipso , & intra seipsum efformatam , elaboratam : illam vero Dei notionem proprie ideam non eſſe , neque ullius artis opus mentale , sed eſſe veritatem omnino certam , & tantummodo speculabilem , nequaquam vero factibilem. Jam in cap. 10. Monol. scripserat quia *faber facturus aliquod suæ artis opus , prius illud intra se dicit mentis conceptione.* Et in 34. *Opus quod fit secundum aliquam artem non solum quando fit , verum & antequam fiat , & postquam diſſolvitur , semper est in ipsa arte non aliud , quám quod est ars ipsa.* Hoc autem nihil differt á doctrina , in vanum contra Anselmum à Gaunilone tradita ex Aug. Similitudo itaque in eo ab Auctore nostro poſita est , quód ſicut Artifex reipsa prius mente concipit ac in mente habet ideam picturæ , seu picturam in idea , quàm illam ad tabulam transferat manibus , & penicillo , ita ex hoc facillimo quisque exemplo percipere potest aliquid prius in mente eſſe , quàm vel in re existat , vel saltem priùs quám intelligatur existere. Unde pariter diſſolvitur alia replica Gaunilonis ad num. 2. videlicet , *quòd non hic erit aliud , idemque tempore præcedens , habere rem in intellectu ; & aliud , idemque tempore sequens , intelligere rem eſſe , ut fit de pictura , quæ priùs est in anima pictoris ; deinde in opere.* Diſſolvitur , inquam : quippe Anselmus per illud picturæ exemplum ostendere voluit non quòd secundum rem præcedat id quo majus cogitari non potest , in mente cogitatum ; præcedat , inquam , seipsum ut existens in re (hoc enim eſſet contra suam intentionem , suumque propositum.) Sed voluit duntaxat explicare præcedentiam præcisivam , seu ex parte expreſſæ intellectionis , qualiter scilicet una & eadem res , quamvis in se existens , possit priùs eſſe in mente , & aliquomodo intelligi , quàm explicitè intelligatur existens in rerum natura.

3 *Item quod dicis, &c.* Sunt , mutatis mutandis , ipsa verba Gaunilonis in numero 4. In quibus habetur altera objectio Gaunilonis. Fundatur in eo quód omnis cognitio cuiuscumque rei inter homines est vel per propriam speciem intelligibilem rei , haustam per sensus , vel forsan á Deo inspiratam , aut ab Angelis immissam : vel est per alterius rei speciem , quæ ſimilis sit univoca similitudine , aut secundum specificam naturam , aut secundum genus : vel quæ saltem similis fuerit ana-

lo-

loga similitudine. Hanc tamen ultimam similitudinem Gaunilon videtur præterire. At id quo maius cogitari nequit, ait Gaunilon, per nullam ex illis speciebus concipere noster animus potest: tum quia certum est quod à re tam excelsa nullam ipsius propriam speciem acceperimus: tum denique quia iuxta ipsum Anselmum nihil est simile tantæ rei. En obiectionem. In ea tamen Gaunilon fingit hostem quem feriat: numquam enim & nusquam Anselmus dixit non posse rei tam magnæ aliquid esse simile. Verum est Gaunilonem non modo penitus assertivo, sed quodammódo discurrendo, hoc Anselmo tribuisse. Ait siquidem: *quandoquidem, & tu talem asseris illam, ut esse non possit simile quidquam.* Sed neque verum est talem illam rem alicubi Anselmum asserere ut aliquid ei simile esse non possit, exclusa scilicet omni similitudine tam univoca quàm analoga, tam imperfecta quàm perfecta, quo in sensu procedit, aut saltem procedere debet obiectio. Quinimo contrarium colligere debebat Gaunilon ex capp. 13. & 20. Proslog. Meritó respondet Anselmus; *palàm est itaque rem aliter sese habere.* Quod statim videre facit.

4 *Quoniam namque omne minus bonum, in tantum est simile majori bono, in quantum est bonum, &c.* Probat igitur Auctor contra Gaunilonem nos speciem accipere posse ex aliquibus rebus licèt valdè imperfectè similibus, unde aliam quantum possumus superstruendo speciem efformemus, ad cognoscendum sufficienter, quantum scilicet attinet ad propositum disputatæ demonstrationis seu á Gaunilone impugnatæ, id quo majus cogitari nequit. Sunt argumenta, sicut omnes scimus, á minori ad majus. Ita accidit in præsenti. Nam omne minus bonum, ea ratione qua bonum est, quis ibit inficias quód simile sit, quamvis non perfectè, majori bono? Sicut homo, licet minús, quàm Angelus, intellectivus, non propterea desinit esse ipsi Angelo similis, in quantum intellectivus. At quilibet rationalis cognoscet, nos posse per gradus bonitatis magis ac magis ac magis mente nostra ascendere, ita ut species & cognitio minoris boni scala quædam nobis sit ut ad speciem & cognitionem majoris boni conscendamus; & ex hac ad boni adhuc majoris cognitionem; & iterum ex hac ad cognitionem alterius boni superioris; & sic usque ad summi boni cognitionem, unde jam non possimus cogitatione ad majus & superius bonum scandere. Ergo ex similitudine aliorum bonorum, quorum notitiam habemus, conjicere, id est, per discursum, vel quasi discursum speciem & conceptionem formare de illo bono, quo majus aut melius nequit cogitari. 1. Anselmi propositio confirmatur ex Aug. 11. de Trinit. cap. 5. dicente: *quid enim non pro suo modulo ac genere habet similitudinem Dei, quandoquidem Deus fecit omnia bona valde, non ob aliud, nisi quia ipse summè bonus est? In quantum ergo bonum est quidquid est, in tantum scilicet, quamvis longe distantem, habet tamen nonullam similitudinem summi boni.*

5 Secunda vero ex eodem lib. in cap. 10. satis colligitur & comprobatur. Ait siquidem: *Si non meminimus nisi quod sensimus, neque cogitamus nisi quod meminimus, cur plerumque falsa cogitamus, cùm ea quæ sensimus, non utique falsó meminerimus: nisi quia voluntas... formandam cogitantis aciem per abscondita memoriæ ducit, ut libitum est, & ad cogitanda ea quæ non meminimus ex eis quæ meminimus, aliud hinc, aliud inde, ut sumat impellit: quæ in unam visionem coeuntia faciunt aliquid, quod ideo falsum dicitur, quia vel non est foris in rerum corporearum natura, vel non de memoria videtur expressum, cùm tale nihil nos sensisse meminimus... Neque ipsas magnitudines corporum quas numquam vidimus, sine ope memoriæ cogitamus. Quantum enim spacii solet occupare per magnitudinem mundi noster obtutus, in tantum extendimus quaslibet corporum moles, cum eas maximas cogitamus. Et ratio quidem pergit in ampliora, sed phantasia non sequitur. Quippe cùm infinitatem quoque numeri ratio renunciet, quam nulla visio corporalia cogitantis, apprehendit.* Hactenus Aug. Ergo ex his quorum speciem atque notitiam propriam in nostra memoria habemus, possumus per rationem addere ac superaddere, atque aliam majorem & majorem speciem intelligibilem rei corporalis efformare. Ergo & idem facere prævalebit mens in essentiis, in bonis, in omnibus denique rebus incorporalibus. Nam ut inquit Aug. lib. 9 de Trinit. cap. 3. *mens ipsa sicut corporearum rerum notitias per sensus colligit, sic incorporearum rerum per semetipsam.*

6 Denique confirmatur ex D. Thom. in 1. part. quæst. 2. art. 3. in corp. inquiente: *invenitur in rebus aliquid magis & minus bonum & verum & nobile: & sic de aliis hujusmodi. Sed magis & minus dicuntur de diversis secundum quod appropinquant diversimodè ad aliquid quod maximè est.*

7 *Quis enim*, v. g. *vel hoc cogitare non potest etiamsi non credat in re esse quod cogitat &c.* Contrahit S. Doct. doctrinam anteriorem atque exemplis explicat qualiter mens quæcumque duci possit, quasi per quosdam Scalæ gradus, ad intelligentiam ejus quo melius nihil cogitari possit. Sic itaque S. Doct. instruit mentem, quantumvis tardam ac per se invalidam, gradatim conscendere. Illa res quæ initium ac finem habet sive quam omnes incipere ac desinere esse videmus, bona est: ut patet in luce diei, in lunæ illuminatione, in arbustis, in omni veris pulchritudine, in bestiis, in avibus, in juventute, fortitudine, sanitate, decóre, formositate, hominumque omnium vita. Ergo melius erit aut esset illud bonum quod licet incipiat, aut inciperet esse, numquam desineret esse, sed sempiternum esset. Nam quis non cognoscat, quód omnes illæ res bonæ antea relatæ, si essent magis permanentes, meliores essent, & quanto magis permanentes, tanto meliores? Quis non cupit, & quidem vehementer, necessariò & á natura, vivere plus, atque plus vivere; &, si in sua esset potestate, vivere semper, sed cum salute, cum viribus, vigore, integritate, pulchritudine juventutis, sine dolore ullo, tristitia, angore, timore, sine hyemis frigore aut æstatis calore nimio, sed semper in tempore commodo, delicioso, & tamquam in perpetua atque perfecta vere? Quis consequentér non timet naturaliter, atque horret mortem pati, vitam amittere? At illud omnes cur tam vehementer appetunt, nisi quia illud judicant melius? Cur illa omnia simul cum vita perdere metuunt, & penitùs nollent, nisi quia pejus? Unde ut in lib. de Trinit. 13. cap. 8. inquit Aug. *Omnes homines de immortalitate interrogati, sicut & de beatitudine, omnes eam se velle respondent. Et hoc sive credant sive non credant animi immortalitatem, sive credant sive non credant corporum resurrectionem, & eorum aliquando eventuram suam quoque immortalitem.* Immó appetunt semper vivere etiam cum hac temporum varietate ac vicissitudine. Nam illi qui inter gentiles philosophos immortalitatem animæ demonstrarunt, alternationem dicebant, teste eodem Aug. ibidem cap. 9. & lib. 21. de Civit. cap. 17. fore perpetuam inter miseriam atque felicitatem. Ergo omnes necessariò ac naturaliter eligerent, si ipsis daretur optio, potius in hac temporali rerum vicissitudine semper vivere, quàm perire, & penitús vitam tum animæ cúm corporis amittere.

8 Hoc itaque jam secundo gradu melioris boni per humanam mentem conscenso, in altiorem Anselmus sic confestim scandere facit. Ergo sicut bonum quod etsi incipiat esse aliquando, numquam tamen desinit, aut desineret esse, melius esse judicat quilibet homo, quám illud bonum qnod esse aliquando cessat; ita si bonum aliud foret, quod non modò semper esset, postquam est, verùm etiam nunquam non fuerit, proculdubio melius extimabitur, & esset, tametsi cum perpetua successione ac temporum vicissitudine extiterit, & sit extiturum, quàm alterum bonum antea consideratum in secundo gradu positum. Nemo rationabiliter hoc poterit, cæteris paribus, inficiari.

9 Denique, mente jam in hoc alteriori bonitatis gradu locata, & stabilita, hoc pariter modo facit ipsam noster Auctor ad cacumen, ad summitatem conscendere boni, ad summum bonum pertingere quo nihil melius valeat cogitari. Ergo si aliquod bonum esset, quod non solùm non haberet initium neque finem, sed neque ullam pateretur vicissitudinem, alterationem, mutationem, immó neque posset eam habere, sed esset in se constans, invariabile, immutabile, idem penitùs & in sua plenitudine ac perfectione semper: quis mente non capit hoc bonum omnibus alijs priùs dictis multo melius fore, ob consimilem, immo potiorem rationem? Convertatur consideratio ad temperiem, ornatum, pulchritudinemque veris, ad claritatem & splendorem lucis, ad juventutem, ad incolumitatem, ad vitam deniqne cum omnibus commoditatibus: cuique patebit, quód si absque inconstantia & defectione semper fuissent, & in perpetuum durarent, multo meliora bona tunc sine dubio forent. Ergo illud bonum quod per se, per essentiam suam, semper fuerit, semper sit, semperque futurum, quin etiam potuerit unquam non esse, neque possit in posterum desinere esse, numquam perfectione sua dejici, numquam pati defectum ullum, numquam turbari, numquam mutari, sed semper idem omnino fuerit, sit, & futurum sit; hoc bonum, inquam, erit absolutè omnibus melius, hoc erit quo nihil majus possit cogitari. Ultra hoc namque non invenit cogitatio quó ascendat superiùs. *Sic itaque*, concludit contra Gaunilonem Auctor, *facilè refelli potest insipiens, qui Sacram auctoritatem*

tem non recipit ; ſi negat , quo majus cogitari non valet , ex alijs rebus conjici poſſe. Hoc eſt : ſi negaverit insipiens se non concipere aut formare ideam vel speciem ejus quo majus cogitari nequit , eo quòd nihil ſit in rerum natura , aut in mente ſua , unde illam speciem , ideamve colligat , efformet : tunc casús , modo prædicto facile refelli poteſt. Nam ex præfata Anselmi manuductione patet , quám verum ſit quod in lib. 8. de Trinit. cap. 3. dicit Aug. *Neque enim ipsis omnibus bonis... vel quæ alia cernuntur ſive cogitantur , diceremus aliud alio melius , cùm vere judicamus ; niſi esset nobis impreſſa notio ipſius boni ſecundum quod & probaremus aliquid, & aliud alij præponeremus.* At ſimul vicissim ex hac Aug. doctrina illustratur, majusque pondus accipit doctrina Anselmi. Insuperque ex utroque S. Doctore illud intelligitur psalmi : *Multi dicunt , quis ostendit nobis bona ? Signatum est ſuper nos lumen vultus tui Domine.*

10 *At si quis Catholicus hoc neget , &c.* Si Catholicus negaverit , inquit , non quód existat id quo majus cogitari non valet , nam tunc deſineret eſſe catholicus , sed quód hoc tam excelsum bonum , ſive hæc tam sublimis notio ex cæteris bonis creatis colligi possit : debet ad suam memoriam reducere præfatum textum Ap. *Invisibilia Dei , &c.* in quo ait per creaturas intellectu conspici inviſibilia *Dei*, sempiternam ejus virtutem atque divinitatem. Hæc autem notio , *id quo majus cogitari non potest* , est vera notio divinitatis. Cognoscitur ergo ex creatis bonis hæc notio.

11 Neque ex hoc inferas contra à nobis dicta in Proslog. non eſſe per se cunctis notam hanc notionem , atque adeo neque hanc propoſitionem : *Deus est*: Quandoquidem per discursum ad ipsius pervenitur intelligentiam. Non , inquam , hoc colligas : nam jam in Proslog. diximus etiam Aristotelem lib. 4. Metaph. operosé per explicationem atque redargutiones probare intendiſſe hoc principium omnibus per se dubio procul notissimum *Impossibile est simul eſſe ſecundum idem , & non eſſe*; atque Ang. Doct. commentatorem ipſius Aristotelis , magis explanasse. Hoc autem cúm non fiat propter aliquam ex se obscuritatem principij , sed per accidens , & ob contumaciam aut nimiam vel stolidatem vel insipientiam negantis ; non tollit id quod principium per se relatè ad omnes habet , aut debet habere. Hoc idem in hac notione , *id quo majus cogitari non possit* , aut in hac propoſitione , *Deus est* , accidit in præsenti.

CAPUT IX.

Summum magnum cogitari & intelligi poſſe : & roboratur ratio contra inſipientem facta.

SED etſi verum eſſet non poſſe cogitari vel intelligi illud , *quo majus nequit cogitari* ; non tamen falſum eſſet , quo majus cogitari nequit, cogitari poſſe & intelligi. Sicut enim nihil prohibet dici , *ineffabile*: licèt illud dici non poſſet , quod ineffabile dicitur ; & quemadmodum cogitari poteſt *non-cogitabile* ; quanvis illud cogitari non poſsit , cui convenit non cogitabile dici : ita cùm dicitur , *quo nihil majus valet cogitari*; proculdubiò quod auditur , cogitari & intelligi poteſt , etiamſi res illa cogitari non valeat aut intelligi , qua majus cogitari nequit. Nam etſi quisquam eſt tam inſipiens , ut dicat non eſſe aliquid , quo majus non poſsit cogitari ; non tamen ita erit impudens , ut dicat ſe non poſſe intelligere aut cogitare quid dicat : aut ſi quis talis invenitur ; non modò ſermo ejus eſt respuendus , ſed & ipſe conspuendus. Quisquis igitur negat aliquid eſſe , quo majus nequeat cogitari ; utique intelligit & cogitat negationem , quam facit : quam negationem intelligere aut cogitare non poteſt ſine partibus ejus : pars autem ejus eſt , *quo majus cogitari non po-*

teſt

teſt. Quicunque igitur hoc negat ; intelligit & cogitat , quo majus cogitari nequit. Palàm autem eſt , quia ſimiliter poteſt cogitari , & intelligi, quod non poteſt non eſſe : majus vero cogitat , qui hoc cogitat ; quàm qui cogitat quod poſsit non eſſe. Cùm ergo cogitatur , quo majus non poſsit cogitari , ſi cogitatur quod poſsit non eſſe , non cogitatur , quo non poſsit cogitari majus : ſed nequit idem ſimul cogitari & non cogitari. Quare qui cogitat , quo majus non poſsit cogitari ; non cogitat quod poſsit , ſed quod non poſsit non eſſe. Quapropter neceſſe eſt eſſe quod cogitat ; quia quicquid non eſſe poteſt , non eſt quod cogitat.

COMMENTARIUS.

CAP. IX.

Sed etſi verum eſſet non poſſe cogitari vel intelligi illud quo majus nequit cogitari ; non tamen falsum eſſet , quo majus cogitari nequit , cogitari poſſe , & intelligi.

1 Primo aspectu apparet , in his verbis esse contradictionem , & quidem veram , iuxta ipsum Auctorem. Nam verum si esset , non posse illud, de quo sermo, cogitari ; ac simul non esse falsum posse illud idem cogitari ; utrumque esset verum, cogitari illud posse , & illud non posse cogitari. Sed quamvis ita esse videatur , non ita est : quia non est in ambabus propositionibus idem sensus Auctoris. Sensus igitur iste est : Etiamsi verum esset , non posse cogitari vel intelligi illud cui attribuitur hæc notio , *Id quo majus cogitari nequit* ; non propterea falsum esset , posse cogitari & intelligi hoc complexum , hancve Logicalem orationem : *Id quo majus cogitari nequit.* Id est , quid hæ quinque significent voces. Itaque in prima propositione sermo est de cogitatione aut intellectione in specie , seu discretiva subiecti illius notionis , ipsiusque proprietatum : in secunda autem sermo fit de cogitatione , & intelligentia in confusione quadam , in genere , & quantum ad solam verborum significationem ; ad quam cogitationem opus non est prædicta comparatione cum aliis minoribus bonis , neque ipsius discernere atttibuta , & proprie:ates.

2 *Sicut enim nihil prohibet dici ineffabile, &c.* Exemplis clarificat Auctor id quod contradictionis speciem vel apparentiam habet. Primum exemplum in hoc verbo *ineffabile* ponitur. Sicut ergo quod dicitur ineffabile , si verè ineffabile est, dici non potest , & nihilominus dici potest quod sit ineffabile : ita quo nihil maius cogitari potest , potest intelligi esse id quo maius cogitari nequit , quamvis nesciatur quid illud sit , aut quæ sint ipsius proprietates. Itaque res , quæ dicitur ineffabilis, tacetur : eius vero ineffabilitas non tacetur. Unde Aug. lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 6. ait : *Fit nescio quæ pugna verborum , quoniam si illud est ineffabile , quod dici non potest , non est ineffabile , quod vel ineffabile dici potest.* Sic etiam subiectum in individuo huius notionis , *Id quo majus cogitari nequit* , etiamsi admittatur cogitari vel intelligi non posse ; non inde sequitur hanc eius generalissimam , quanvis optimam , notionem non posse intelligi vel cogitari.

3 Secundum exemplum ponitur in hoc complexo , *non cogitabile* , quod à Dialecticis terminus infinitus , vel indefinitus appellatur. Dicit itaque S. Doctor. En qualiter cogitatur hoc complexum *non-cogitabile* non solùm quantum ad sonitum litterarum , sed etiam quantum ad significationem , ipsam scilicet non-cogitabilitatem cujusdam rei : quanvis res ipsa cui convenit esse *non-cogitabilis* , cogitari non possit. Sicut licèt Deus sit verè creaturis incomprehensibilis , potest tamen ab eisdem cogitari sub ratione *incomprehensibilis* : id est , possumus cogitare , & comprehendere, quod verè Deus sit incomprehensibilis. Sic itaque licèt gratis concedatur , non posse cogitari , modo antea dicto , id quo majus non valet cogitari ; non inde fit consequens , cogitari non posse non solùm voces , sed etiam totum significatum hujus notionis divinitatis : *Id quo nihil majus cogitari valet.*

Nam

4 *Nam etsi quisquam est tam insipiens, ut dicat non esse aliquid, quo majus non possit cogitari, &c.* Urget S. Doctor rationes suas, ac dicit: Admittamus esse, aut esse posse aliquem hominem tam insipientem, qui dicat non esse aliquid, quo maius cogitari non possit, non obstantibus tot rationibus, & explanationibus conducentibus ad intelligentiam, ad cogitationem, ad assensum. Quid ergo? Erit hic homo tam sine pudore, ut dicat se neque posse intelligere, neque cogitare quod negat? Non est ullo modo credibile. Verumtamen, subdit Auctor, si inveniatur tam inverecundus, tam effrons aliquis homo, qui ita respondeat, id est, se ignorare quid negat, aut dicat in sua negatione: hic talis indignus penitùs est, quocum dissertatio, immó sermo fiat; atque proinde responsio eius non est impugnanda, sed respuenda. Quid? cum & ipse tam irrationalis homo conspui ab omnibus mereatur.

5 Eodem pariter modo Aristoteles 4. metaph. lect. 6. dicit agendum cum illo qui hoc principium notissimum neget: *impossibile est idem simul esse & non esse secundùm idem. Licet tamen*, inquit, *hoc quoque demonstrare redarguendo, impossibile, inquam, esse, atque non esse, si modò is qui contendit, quidpiam dicat. Quod si nihil dicat, ridiculum est profectò ab eo rationem quærere, qui nullius rationem habet, ut rationem non habet.* Super quem textum eius Commentator D. Thomas sic effatur: *Hic ostendit quòd aliquomodo potest prædictum principium demonstrari, dicens, quòd contingit prædictum principium demonstrari argumentative .... Sed solùm si ille qui ex aliqua dubitatione negat illud principium, dicit aliquid, id est, aliquid nomine significat. Si vero nihil dicit, derissibile est, quærere aliquam rationem ad illum qui nulla utitur ratione loquendo.*

6 *Quisquis igitur negat aliquid esse, quo majus nequeat cogitari, utique intelligit, & cogitat negationem quam facit, &c.* Supposito igitur quòd qui negat existere aliquid, quo majus nihil valeat cogitari, aliquid dicat, aliquidve significet in sua negatione (nam alioquin, ut dictum est, non arguendus est talis homo, sed despiciendus) supposito, inquam, hoc, sic arguendo Anselmus prosequitur. Quisquis igitur negat aliquid esse quo majus cogitari nequeat; intelligit utique & cogitat negationem, id est, negantem propositionem quam facit, hanc scilicet: *Non est in re id quo majus cogitari non possit.* At nequit hic homo hanc propositionem intelligere & cogitare, quin pariter intelligat & cogitet partes eius quibus constat, nimirum subiectum, copulam, & prædicatum. Ergo omnes has ipsius propositionis partes veré intelligit & cogitat. Nunc sic. At pars ipsius est tota hæc oratio, totumve hoc complexum, *id quo majus cogitari non potest.* Est enim totum hoc, subiectum illius propositionis, de quo existentia negatur. Ergo quicumque existere negat id quo maius cogitari non potest; intelligit proculdubio & cogitat id quo nihil majus potest cogitari.

7 Non dissimiliter quantum ad sensum Aristoteles ubi supra adversus præfatum principium inficiantes sic arguit: *Principium est ad talia cuncta, non autem esse quidpiam dicere, aut non esse, censere ... Sed & sibi ipsi & alii quidpiam significare... Si vero id quispiam dederit, erit tunc demonstratio. Jam enim erit aliquid definitum. Sed causa est, non qui demonstrat, sed qui sustinet: tollendo namque orationem, utitur oratione. Præterea, qui hoc concessit, aliquid esse verum absque demonstratione concessit: quare non omne ita & nón ita se habet.* Super quem textum sic commentando prosequitur D. Thom. *Dicit ergo quód ad omnia talia inopinabilia non oportet accipere pro principio aliquam propositionem, qua asseratur aliquid de re vel negetur de ea. Hoc enim esset quærere principium. Sed oportet accipere pro principio quód nomen significet aliquid, & ipsi qui profert, in quantum se loquentem intelligit, & alii qui eum audit... Sed cum hoc dederit, jam statim erit demonstratio contra eum. Statim enim invenitur aliquid definitum & determinatum, quod per nomen significatur, distinctum á suo contradictorio. Sed tamen hoc non erit demonstrans prædictum principium simpliciter; sed tamen erit ratio sustinens contra negantes. Ille enim qui destruit rationem, id est, sermonem suum, dicendo, quod nomen nihil significat, quod sustineat oportet: quia hoc ipsum, quod negat, proferre non potest, nisi loquendo & aliquid significando.* En commentationem D. Thom. sup. textum Aristotelis.

8 Nunc vide & considera similitudinem argumentationis Anselmi cum Aristotelis, & D. Thomæ argumento. Ergo similitudo in eo consistit, quód sicut Aristoteles, & D. Thom. exigunt à negantibus illud notissimum principium, ut aliquid

ſignificent, aliquid dicant, dum negant, ut denique cogitent se negare quod negant, & quid negant; ut ſtatim inde colligant contra negantes: ergo dum negant tale principium, concedunt aliquid eſſe verum determinatè cum excluſione ſui contradictorii, nempe veram eſſe negationem quam faciunt: ita Anselmus omni jure ab inſipiente petit ut intelligat, & cogitet negationem ſuam ſive propoſitionem qua negat: ut ſimiliter inde contra ipſum colligat ſtatim, quód jam per hoc negare non poſsit ſe intelligere id quo majus cogitari nequit, quod eſt ſubjectum à ſe negatæ propoſitionis, ſive eſt de quo negat exiſtentiam. Sic, hac ingeniosiſsima arte, & sagacitate ineluctabiliter convicto inſipiente, ſe intelligere, & cogitare, quod negabat: Sic ultra procedit Anselmus, & totum pondus suæ argumentationis facit iterum incumbere in inſipientem, ut illum premat, & opprimat.

9 *Palam autem est quia similiter potest cogitari & intelligi quod non potest non esse, &c.* Convicto jam, inquam, insipiente per suammet negationem, se intelligere & cogitare id quo majus cogitari nequit: convicto iusuper Gaunilone ipso, quód, quantum ad hoc saltem, perditam causam defenderit: hoc modo promovet suam convictionem Auctor. At palam est ſive manifestum, poſſe cogitari & intelligi illud, quod nequeat non esse in re ſicut cogitatur & intelligitur ab inſipiente modo prædicto, id quo majus non valet cogitari. Ratio quippe eadem est, eodemque prorsus modo eformatur & urget. Ergo etiam intelligitur & cogitatur esse in re id quo majus non valet cogitari. Probat coneq. Qui cogitat id quo majus non potest cogitari, non id cogitat quod potest non esse in re, ſed quod non potest non esse: alioquin juxta ſæpe in superioribus dicta, scilicet in omnibus capp. à 1. usque ad 6. non cogitat id quo majus non valet cogitari. Ergo qui cogitat id quo majus aut melius cogitari nequit, id cogitat quod non potest non esse in re. Igitur semel concedat inſipiens, ſicut concedere coactus est, se intelligere & cogitare id quo majus cogitari non valet; per hanc suammet concessionem cogitur pariter concedere, se intelligere & cogitare, id quod non potest non esse in re. Non enim potest idem ſimul cogitari & non cogitari, intelligi & non intelligi. Convictus est omnino per semetipsum inſipiens, se negare non posse vere esse extra cogitationem & in re id quo majus cogitari non potest.

10 Ecce in ſole meridiano ab Anselmo poſitam vim ineluctabilem suæ contra inſipientem argumentationis. En etiam Anselmum tamquam optimum Metaphyſicum & Philosophum, ad illud primum, firmissimumque omnium inter creata principium, demonſtrando, seu redarguendo, deveniſſe: ad illud, inquam, principium, non duntaxat prout repugnantiam exercet in rebus suam, sed etiam prout intra mentem noſtram illam exercet: *impossibile est*, ſcilicet, *idem ſimul eſſe & non eſſe.* Nam ſicut inquit Ariſtoteles, & cum eo D. Thom. in 4. Metaph. lect. 6. *Patet impossibile eſſe, ſimul idem eſſe atque non eſſe eumdem existimare. Habebit enim profectó contrarias ſimul opiniones, qui circa hoc est deceptus. Quapropter omnes qui demonstrant, ad hanc opinionem ultimam demonstrationes reducunt. Hæc enim principium est naturâ cæterarum etiam omnium dignitatum.*

CAPUT X.

Firmitas rationis prædictæ, & libelli clauſula.

PUTO quia monſtravi me non infirma, ſed ſatis neceſſaria argumentatione probaſſe in præfato libello, reipſa exiſtere aliquid, quo majus cogitari non poſsit, nec eam alicujus objectionis infirmari firmitate. Tantam enim vim hujus probationis in ſe continet ſignificatio; ut hoc ipſum quod dicitur, ex neceſsitate, eo ipſo quód intelligitur vel cogitatur, & re probetur exiſtere, & idipſum eſſe quicquid de divina ſubſtantia oportet credere. Credimus namque de divina ſubſtantia, quidquid

quid abſolutè cogitari poteſt melius eſſe quàm non-eſſe. Verbi gratia : Melius eſt eſſe æternum, quàm non-æternum : bonum, quàm non-bonum: immò bonitatem ipſam, quàm non-bonitatem ipſam. Nihil autem hujusmodi non eſſe poteſt, quo majus aliquid cogitari non poteſt. Neceſſe igitur eſt, quo majus cogitari non poteſt, eſſe quicquid de divina eſſentia credi oportet. Gratias ago benignitati tuæ & in reprehenſione, & in laude opusculi mei. Cùm enim ea, quæ tibi digna ſusceptione videntur, tanta laude extuliſti ; ſatis apparet, quia quæ tibi infirma viſa ſunt, benevolentia, non malevolentia reprehendiſti.

COMMENTARIUS.

CAP. X.

Puto quia monſtravi, &c.

1 Ex omnibus ante dictis, jam Auctor, licet modeſtè, judicat, se non infirma, ut putaverat Gaunilon, argumentatione, sed valida & satis neceſſaria probaſſe in præfato libello, scilicet Proslog. réipsa exiſtere id quo majus cogitari nequit ; insuperque per hanc eamdem apologiam manifeſtum feciſſe, nulla Gaunilonis objectione infirmari argumentationem contra inſipientem suam. Et quamvis Auctor suæ rationis necessitatem, & omnimodam certitudinem, per adverbium *satis* minuere videatur : hæc cùm modeſtia & humilitas ipsius ſit, non debet veritati aliquid derogare. Neque propterea mentitur Anselmus. Quippe omni veritate dici poteſt ſatis neceſſaria ea ratio, quæ valde neceſſaria eſt, nihilque efficaciæ ipsi deeſt ad convincendum intellectum. Paulus quoque Ap. loquendo de Virginibus, & dando conſilium certissimum de virginitate adjecit modeſtissimus : *Puto quód & ego Spiritum Dei habeam.*

2 *Tantam enim vim hujus probationis in se continet ſignificatio, &c.* Vim probationis, argumentationisve præfatæ aſſerit Auctor tantam eſſe (quod in hac Apologia tota, sed præcipuè proximo cap. videre fecit) ut opus non ſit alio argumento, aliave ratione, niſi intelligere duntaxat quid ſignificet nomen *Deus*, secundum communem omnium gentium acceptionem, ad probandum Deum reverá exiſtere, & ipsi convenire quidquid credimus de Divina substantia. Vel aliter : ſóla intelligentia ſignificationis hujus complexi, *id quo majus cogitari non potest*, per se illicó, ſecluso alio, conducit ad certó cognoscendum re ipsa exiſtere & quidem necessariò illud ipsum quo majus cogitari non poteſt ; insuperque de ipso asserendum esse quidquid de Divina credimus ſubſtantia.

3 Hinc iterum & poſtremó confirmatur quod ſecundum Anselmi doctrinam probavimus in Proslog. nimirum, cunctis per se notam esse iſtam propoſitionem, *Deus est.* Sed nunc adjungimus, quod ſi de illa propoſitione liceret dubitare, an senserit Anselmus per se omnibus esse manifeſtam, necne ; de hac verò alia, exiſtit *id quo majus cogitari non valet*, attentis maxime his duobus poſtremis capp. non licet dubitare. Idem dico de hac : *id quo majus cogitari nequit, est quidquid absoluté melius est eſſe quàm non-esse; & non est quidquid absoluté melius est non-eſſe quàm esse.* Confirmatur deinde etiam quod in Monol. cap. 64. & in proœmio ad Proslog. jam ex S. Doct. propugnavimus, demonſtrationem, scilicet, & certissimam cognitionem naturalem consociabilem eſſe ſimul cum fide. Si autem ex hac nostra commentatione colligas etiam omnia Dei attributa (ut nihil dicatur de Trinitate Personarum) dicenda pariter eſſe per se nobis nota. Respondeo quód ſi loquaris de attributis sub generali ratione purissimæ perfectionis ſic deſignatæ, *id quod absoluté & in omni melius est esse quam non-esse*, jam concessimus, & nunc iterum concedimus. Si autem de ipsis singillatim & secundum propriam uniuscujusque rationem, sermonem instituas : nego quód sint nobis per se nota. Ratio primi eſt, quia ſine ulla altera ratione aut propoſitione media, sed per hanc solam notionem, *id quo majus cogitari non potest*, intelliguntur omnia attributa sub illa dicta generali ratione purissimæ, ſive

ſim-

simpliciter simplicis, ut Scholastici loquuntur, perfectionis. Itaque omnia attributa per se & proximè includuntur & subintelliguntur in hac Dei notione: *Id quo majus aut melius cogitari non potest.* Includuntur, inquam, & subintelliguntur in sensu jam dicto: non autem quantum attinet ad nostram intellectionem & cogitationem in dicto sensu discretivo; quamvis secundum rem necessariò idem omnino sint cum eo quo nihil melius valet cogitari. Ratio vero secundi est, quia nonnisi media altera ratione aut cognitione cognoscimus huic vel illi attributo convenire proprié rationem perfectionis simplicissimæ atque mundissimæ ab omni imperfectione. Aliqua tamen sunt attributa quæ etiam in particulari considerata dubitare non permittunt quin sint purissimæ perfectiones, Deoque dignæ.

4 *Credimus namque de Divina substantia quidquid absolutè cogitari petest melius esse quàm non-esse &c.* De hoc egit Author & nos cum ipso, tum in cap. 15. Monol. tum in cap. 5. Proslog. Relegantur ibi dicta & explicata. Unde & hic non est opus majori explicatione. Solum est notandum, hoc cap. quasi uno verbo dicere totum quod Proslog. cum suo Apologetico. At ad imitandum proponendæ sunt & caritas & gratitudo Anselmi erga Gaunilonem, primùm pro impugnatione, deinde pro laudibus, quibus in fine sui libelli exaltat cætera quæ continentur in Proslogio. Nos quoque quàm maximas ipsi Gauniloni debemus, quòd non ex malevolentia, invidia, animove solùm contradicendi, captandique vanam ingenioſi gloriam, sed ex benevolentia, affectu bono, cupidineque discendi, immò & augendi gloriam Anselmi occasio causaque fuerit ut tam insignem Apologiam haberemus.



INDEX

CAPITUM MONOLOGII SANCTI ANSELMI.

Præfatio.
Caput I. Quòd ſit quiddam optimum & maximum, & ſummum omnium quæ ſunt.
Caput II. De eadem re.
Caput III. Quòd ſit quædam natura per quam eſt quidquid eſt; & quæ per ſe eſt, & eſt ſummum omnium quæ ſunt.
Caput IV. De eadem re.
Caput V. Quòd ſicut illa eſt per ſe & alia per illam; ita illa ſit ex ſe & alia ex illa.
Caput VI. Quòd illa non ſit ulla juvante cauſa ducta ad eſſe; nec tamen ſit per nihil, aut ex nihilo: & quomodo intelligi poſsit eſſe per ſe.
Caput VII. Quomodo alia omnia ſint per illam & ex illa.
Caput VIII. Quomodo intelligendum ſit quòd omnia fecit ex nihilo.
Caput IX. Quòd ea quæ facta ſunt ex nihilo, non nihil erant antequam fierent, quantum ad rationem facientis.
Caput X. Quòd illa ratio est quædam rerum locutio, ſicut faber dicit priùs apud ſe quod facturus eſt.
Caput XI. Quòd tamen multa ſit, in hac ſimilitudine fabri, diſsimilitudo.
Caput XII. Quòd hæc ſummæ eſſentiæ locutio ſit ſumma eſſentia.
Caput XIII. Quòd ſicut omnia per ſummam eſſentiam facta ſunt, ita vigeant per ipſam.
Caput XIV. Quòd illa ſit in omnibus, & per omnia, & omnia ſint ex illa & per illam & in illa.
Caput XV. Quid poſsit aut non poſsit de illa dici ſubſtantialiter.
Caput XVI. Quòd idem ſit illi eſſe juſtam quod eſt eſſe juſtitiam: & eo dem modo de his, quæ ſimiliter de illa dici poſſunt: & quòd nihil horum monſtret qualis illa vel quanta ſit, ſed quid ſit.
Caput XVII. Quòd ita ſit ſimplex, ut omnia quæ de ejus eſſentia dici poſsunt, unum idemque ſint in illa; & nihil de ea dici poſsit ſubſtantialiter, niſi in eo quod quid eſt.
Caput XVIII. Quòd ſit ſine principio & ſine fine.
Caput XIX. Quomodo nihil fuit ante, aut erit poſt illam.
Caput XX. Quòd illa ſit in omni loco & tempore.
Caput XXI. Quòd in nullo ſit loco aut tempore.
Caput XXII. Quomodo ſit in omni & in nullo loco aut tempore.
Caput XXIII. Quomodo meliùs intelligi poſsit eſſe ubique quàm in omni loco.
Caput XXIV. Quomodo meliùs intelligi poſsit eſſe ſemper quàm in omni tempore.
Caput XXV. Quòd nullis mutabilis ſit accidentibus.
Caput XXVI. Quomodo illa dicenda ſit eſſe ſubſtantia; & quòd ſit extra omnem ſubſtantiam; & ſingulariter ſit quicquid eſt.
Caput XXVII. Quòd non contineatur in communi tractatu ſubſtantiarum; & ſit ſubſtantia & individuus ſpiritus.
Caput XXVIII. Quòd idem ſpiritus ſimpliciter ſit: & creata, illi comparata, non ſint.

Caput XXIX. Quòd ejus locutio idipſum ſit quod ipſe & ipſi ſit conſubſtantialis : cùm non ſint duo, ſed unus ſpiritus.

Caput XXX. Quòd eadem locutio non conſtet ex pluribus verbis, ſed ſit unum verbum,

Caput XXXI. Quòd ipſum verbum non ſit ſimilitudo factorum; ſed veritas eſſentiæ : facta vero ſint aliqua veritatis imitatio. Et quæ naturæ magis ſint & præſtantiores, quàm aliæ.

Caput XXXII. Quód ſummus ſpiritus ſeipſum dicat Coæterno Verbo.

Caput XXXIII. Quòd conſubſtantiali uno Verbo dicat ſe & quod facit.

Caput XXXIV. Quomodo ſuo Verbo videri poſsit dicere Creaturam.

Caput XXXV. Quòd quicquid factum eſt, in ejus verbo, & ſcientia ſit vita & veritas.

Caput XXXVI. Quàm incomprehenſibili modo dicat vel ſciat res à ſe factas.

Caput XXXVII. Quòd quicquid ipſe eſt ad creaturam, hoc ſit & verbum ejus : nec tamen ambo ſimul pluraliter.

Caput XXXVIII. Quòd dici non poſsit quid duo ſint; quamvis neceſſe ſit eſſe duos.

Caput XXXIX. Quòd idem Verbum ſit à ſummo ſpiritu naſcendo.

Caput XL. Quòd veriſsime ille ſit parens, illud vero proles.

Caput XLI. Quòd ille veriſsime gignat, illud veriſsime gignatur.

Caput XLII. Quòd alterius veriſsime ſit eſſe Genitorem, & Patrem; alterius, Genitum & Filium.

Caput XLIII. Retractatio communionis amborum & proprietatum ſingulorum.

Caput XLIV. Quomodo alter alterius ſit eſſentia.

Caput XLV. Quòd aptiùs dici poſsit Filius eſſentia Patris, quàm Pater eſſentia Filii : Et quòd ſimiliter ſit Filius Patris virtus & ſapientia & ſimilia.

Caput XLVI. Quomodo qnædam ex his quæ ſic proferuntur, aliter quoque poſsint intelligi.

Caput XLVII. Quòd Filius ſit intelligentia intelligentiæ & veritas veritatis.

Caput XLVIII. Quòd & quomodo Filius ſit intelligentia vel ſapientia memoriæ; & memoria Patris & memoriæ.

Caput XLIX. Quòd ſummus ſpiritus ſe amet.

Caput L. Quòd idem Amor pariter procedat à Patre & Filio.

Caput LI. Quód uterque pari amore deligat ſe & alterum.

Caput LII. Quòd tantus ſit iſte Amor, quantus eſt ipſe ſummus Spiritus.

Caput LIII. Quòd idem Amor ſit idipſum quod eſt ſummus Spiritus; & tamen ipſe ſit cum Patre & Filio unus ſpiritus.

Caput LIV. Quód totus procedat à Patre, totus à Filio; & tamen non ſit niſi unus amor.

Caput LV. Quòd non ſit eorum Filius, Amor.

Caput LVI. Quòd ſolus Patet ſit genitor & ingenitus; ſolus Filius genitus; ſolus Amor nec genitus nec ingenitus.

Caput LVII. Quòd Amor idem ſic ſit increatus & creator, ſicut Pater & Filius : & tamen ipſe cum illis non tres; ſed unus increatus, & unus creator. Et quòd idem poſsit dici Spiritus Patris & Filii.

Caput LVIII. Quòd ſicut Filius eſt eſſentia vel ſapientia Patris, eo ſenſu, quia habet eamdem eſſentiam vel ſapientiam quam Pater : ſic idem Spiritus ſit Parris & Filii eſſentia & ſapientia & ſimilia.

Caput

Caput LIX. Quòd Pater & Filius & eorum Spiritus, pariter ſint in ſe invicem.
Caput LX. Quòd nullus eorum alio indigeat ad memorandum vel intelligendum vel amandum: quia ſingulus quisque eſt memoria & intelligentia, & amor, & quicquid neceſſe eſt ineſſe ſummæ eſſentiæ.
Caput LXI. Quòd tamen non ſint tres, ſed unus, ſeu Pater, ſeu Filius, ſeu utriusque Spiritus.
Caput LXII. Quomodo ex his tribus plures filii nasci videntur.
Caput LXIII. Quomodo non ſit ibi niſi unus unius; hoc eſt, unum Verbum & ex ſolo Patre.
Caput LXIV. Quòd hoc licet inexplicabile ſit; tamen credendum ſit.
Caput LXV. Quomodo de inefabili re verum disputatum ſit.
Caput LVI. Quòd per rationalem mentem maxime accedatur ad cognoscendum ſummam eſſentiam.
Caput LXVII. Quòd mens ipſa ſpeculum ejus & Imago ejus ſit.
Caput LXVIII. Quòd rationalis creatura ad amandum illam facta ſit.
Caput LXIX. Quòd anima ſemper illam amans, aliquando vere beatè vivat.
Caput LXX. Quòd illa ſe amanti, ſeipſam retribuat, ut æternè beata ſit.
Caput LXXI. Quòd illam contemnens, æternè miſera ſit.
Caput LXXII. Quòd omnis anima humana ſit immortalis: Et quòd aut ſemper miſera aut aliquando vere beata ſit.
Caput LXXIII. Quòd nulla anima injuſtè privetur ſummo bono & quòd omnino ad ipſum ſit nitendum.
Caput LXXIV. Quòd ſumma eſſentia ſit ſperanda.
Caput LXXV. Quòd credendum ſit in illam, hoc eſt credendo tendendum in illam.
Caput LXXV. Quòd in Patrem & Filium & eorum ſpiritum pariter & in ſingulos & ſimul in tres credendum ſit.
Caput LXXVII. Quæ ſit viva, quæ mortua fides.
Caput LXXVIII. Quòd tres ſumma eſſentia quodammodo dici poſsit.
Caput LXXIX. Quòd ipſa ſit Deus, qui ſolus omnibus dominatur, & omnia regit.
Proslogii.
Proœmium.
Caput I. Excitatio mentis ad contemplandum Deum.
Caput II. Quòd vere ſit Deus; etſi inſipiens dixit in corde ſuo: *non eſt Deus.*
Caput III. Quòd Deus non poſsit cogitari non eſſe.
Caput IV. Quomodo Inſipiens dixit in corde ſuo quod cogitari non poteſt.
Caput V. Quòd Deus ſit quicquid melius eſt eſſe quàm non-eſſe: & ſolus exiſtens per ſe, omnia faciat de nihilo.
Caput VI. Quomodo Deus sit ſensibilis, cùm non sit corpus.
Caput VII. Quomodo sit omnipotens, cùm multa non poſsit.
Caput VIII. Quomodo sit miſericors & impaſsibilis.
Caput IX. Quomodo totus justus & summè juſtus parcat malis, & quòd juſtè misereatur malis,
Caput X. Quomodo juſtè puniat & juſte parcat malis.
Caput XI. Quomodo universæ viæ Domini misericordia & veritas; & tamen juſtus Dominus in omnibus viis ſuis.
Caput XII. Quòd Deus sit ipsa vita qua vivit, & sic de similibus.
Caput XIII. Quomodo ſolus sit incircunscriptus, & æternus; cùm alii Spiritus sint incircunscripti, & æterni.

Caput

Caput XIV. Quomodo & cur videtur & non vîdetur Deus à quærentibus eum.
Caput XV. Quòd majus sit, quàm cogitari possit.
Caput XVI. Quòd hæc sit lux inaccesibilis, quàm inhabitat.
Caput XVII. Quòd in Deo sit harmonia, hodor, sapor, lævitas, pulchritudo, suo ineffabili modo.
Caput XVIII. Quòd Deus sit vita, sapientia, æternitas, & omne verum bonum.
Caput XIX. Quòd non sit aut loco aut tempore, sed omnia sint in illo.
Caput XX. Quòd sit ante & ultra omnia etiam æterna.
Caput XXI. An hoc sit sæculum sœculi, sive sœcula sœculorum.
Caput XXII. Quòd solus sit quod est, & qui est.
Caput XXIII. Quòd hoc bonum sit pariter Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; & hoc sit unum necessarium, quod est omne & totum, & solum bonum.
Caput XXIV. Conjectatio quale & quantum sit hoc bonum.
Caput XXV. Quæ & quanta bona sint fruentibus eo.
Caput XXVI. An hoc sit gaudium plenum, quod promittit Deus.

LIBER PRO INSIPIENTE ADVERSUS S. ANSELMI in Proslogio ratiocinationem: Auctore Gaunilone Majoris Monasterii Monacho.

LIBER APOLOGETICUS PRO ANSELMO CONTRA Gaunilonem respondentem pro insipiente.

CAPUT I. Generatim refellitur ratiocinatio: & ostenditur id, quo majus cogitari non potest, esse reipsa.
Caput II. Magis urgetur ratiocinatio proposita, & ostenditur id quo majus cogitari nequit, cogitari posse; atque adeo etiam esse.
Caput III. Ad instantiam Adversarii: quòd sequeretur insulam fictitiam esse reipsa, quia cogitatur.
Caput IV. Differentia inter posse cogitari & intelligi non esse.
Caput V. Specialis discussio variorum adversarii dictorum: ac primum quod initio infideliter retulerit ratiocinationem, quam refellendam suscepit.
Caput VI. Discutitur dictum adversarii in num. 2. quælibet falsa similiter posse intelligi, atque adeo essent.
Caput VII. Contra dictum aliud adversarii ibidem: nempe quòd summum magnum æque possit concipi non esse, ac Deus ab insipiente concipitur.
Caput VIII. Comparatio picturæ num. 3. proposita examinatur. Et unde conjici queat summum magnum, de quo adversarius num. 4.
Caput IX. Summum magnum cogitari & intelligi posse: & roboratur ratio contra Insipientem facta.
Caput X. Firmitas rationis prædictæ.

FINIS.

INDEX
EORUM, QUÆ CONTINENTUR IN Vita S. Anselmi.

A.

ABbas primus Becci, ipſiusque fundator Herluinus. Pagin. 6. columna 2.

Abbas electus S. Anselmus anno 1078. pag. 21. numero 26. Anselmus natus Auguſtæ anno 1033. pag. 3. & pag. 6. in margine. Ejus Pater Gundulphus, Mater Ermemberga, utrique nobiles. pag. 3. col. 1. Anselmi pueri ſomnium quoddam gratioſum, & pium. ibid. col. 2. Probi ejus mores. pag. 4. col. 1. In pubertate vehementer deſideravit Monachum fieri, repulſamque paſſus, oravit Dominum, ut infirmaretur, ut vel ſic Monaſticum habitum aſſequeretur, & reipſa infirmatus eſt. ibid. Litterarum ſtudio magnopere delectabatur. pag. 4. col. 1. & 2. Juvenis tepescit tam vita, quam in litteris. ibid. Matre defuncta navis cordis ejus in fluctu sæculi pene tota dilapsa. ibid. A patria recessit & in Burgundiam, Franciam, atque Normanniam profectus eſt. pag. 5. column. 1. Abrincam petit, & Beccum. ibid. Lanfranci discipulus Becci. ibid. A Lanfranco conſilium petit de genere vitæ ſibi arripiendæ. pag. 6. col. 2. Consulto etiam B. Maurilio Archiepiscopo Becci Monachus fit anno 1060. vitæ autem suæ 26. pag. 6. col. 2. Prior Becci poſt Lanfrancum anno 1063. pag 7 num. 4. Obſcuriſsimas de Divinitate quæſtiones solvit, apertisque rationibus probat. ibid. Divinis Scripturis in omnibus firmissime adhærebat. ibid. (confer librum de *Concord.* cap. 6.) Modus, quo edoctus fuit à Deo de præſentia futurorum in mente Propherarum. ibid. Penetrabat mores omnis sexus, & ætatis, semina, radices, & proceſſus omnium virtutum, ac vitiorum. pag 7. num. 5. Conſilio præſtans. ibid. num. 6. Varias componit devotas orationes ad Deum, S. Virginem, & alios Sanctos. pag. 8. & n. 7. Diem, partemque noctis occupabat in dandis conſiliis, & nocte pariter illos corrigebat. ibid. num. 8. Invidos aliquos patitur fratres, quos amicos reddit. ibid. n. 9. Osbernum juvenem Monachum sua prudentia, & lenitate á pravis moribus convertit, et valde ſibi devinctum facit. ibid. Eum mortuum vehementer luget. ibid. Ipſi apparuit Osbernus, & de suo felici ſtatu certum facit. ibid. Adolescentes, atque juvenes valde diligebat, eisque præcipuam curam impendebat. pag. 10. num. 11. Inquirentibus rationem pulchro cereæ exemplo, et ſigilli respondebat. ibid. Officium Prioris ſibi importabile videtur, atque deponere voluit. pag. 11. num. 12. Super hoc consuluit B. Maurilium, cujus responsum valde notabile. ibid. Maxima charitate, & solicitudine serviebat infirmis, et eorum domum frequentabat. ibid. num. 13. Infirmis erat mater, immo sanis, & infirmis pater, & mater, ibid. Unde ipſi quidquid secreti habebant revelabant. ibid. Monachus quidam, caſtissimus juvenis, revelavit ipſi dolores, quos diabolus intulit in ejus membro verendo. ibid. num. 14. Sola viſione oculorum S. Anselmi evanuit dolor. ibid. In clauſtro horis meridianis Anselmus emendandis libris intendebat. pag 12. num. 15. Signo Crucis infirmum Monachum á diabolo liberat, cujus confessionem accipit, & absolvit. ibid. Orans ingenti flamæ globo circundatus. ibid. num. 16. Propter ipsum tructa miraculosé capitur. pag. 13. num 17. Prophetiæ dono inſtructus. ibid. & num. 18. Quatuor Dialogos scribit: de *Veritate*, de *Libertate arbitrij*, de *Casu Diaboli*, et de *Grammatico*. Et *Monologium*. ibid. num. 19. Et *Proslogium*. pag. 14. num. 20. Circunſtantiæ notabiles, quæ in hoc acciderunt. ib. Lanzoni Novitio epiſtolam valde inſtructivam exaravit. pag. 15. num. 21. Viſio ejus in raptu oſtendens ſtatum amatorum mundi, & verum monachatum. pag. 17. num. 22. Sententia ejus de pueris Deo oblatis, & de ejus educatione contra quemdam Abbatem. pag. 18. num. 23. Ad nomen proprietatis rerum, ac peculiaritatis exhoruit; omnia volebat eſſe communia. pag. 19. n. 24. Neque volebat accipere à sæcularibus quidpiam, niſi Abbati præsentaretur

A.

¶ pro

pro communi Fratrum utilitate. pag. 19. num. 24. Quidquid ab ore illius audiebatur, tanquam divinum responsum habebatur. pag. 20. num. 25. Solebat consilium dare, ut pulsantes potius in alio Monasterio, quam in suo acciperent habitum monasticum: & cur. pag. 21. num. 25. Mortuo Herluino invitus eligitur Abbas anno 1078. ibid. num. 26. Curam de temporalibus commendabat Monachis bene à se probatis; ipse autem Dei contemplationi, Monachorum eruditioni, & correctioni deditus. ibid. num. 27. Abominabile judicabat quidvis lucri assequi contra jus. ibid. Hospitalitatem maximo opere exercebat. pag. 22. num. 28. Magnam confidentiam habebat in providentia Divina, quæ in necessitatibus suo Cœnobio semper præsto adfuit. ibid. num. 29. Visitat Archiepiscopum Lanfrancum in Anglia. pag. 22. n. 30. Ibi in Conventu Monachorum sermonem habuit pro gratiarum actione, & de charitate. pag. 23. num. 31. & 32. In eo probavit meritum esse in diligendo alterum; non in eo, quod quis ab altero diligatur. ibid. Tractabat cum Monachis de vita, & bonis moribus, & de Divinis, & sæcularibus libris. ibid. Habuit cum Lanfranco familiaria, & amicabilia colloquia. ibid. num. 33. Anselmo nemo tunc præstantior habitus in sanctitate, & Divina sapientia. ibid. Ab eo Lanfrancus consilium quærit de colendo, vel non colendo Elphego Archiepiscopo, pro Sancto ab Anglis habito. ibid. n. 34. Ejus sententiam amplectitur Lanfrancus. pag. 25. num. 36. Omnibus se accommodabat, ut omnes lucrifaceret. pag. 26. num. 37. Etiam Comites, & Comitissæ, immo & Rex ipse Vvillelmus, eum maxime honorati sunt, & venerati. pag. 27. num. 40. Quidam homo potatus aqua, qua S. Anselmus in Missa lotus, à lepra purgatus est. pag. 27. num. 42. Nonnunquam à severitate ex condescendentia temperabat. pag. 28. numero 43. Bosonis Clerici ingeniosi perplexas quæstiones solvit, qui et Becci Monachus factus est. pag. 28. num. 44. In Angliam iterum trajecit, & cum Rege Vvillelmo colloquitur. pag. 30. num. 45. Mortuo Lanfranco successor ejus maxime desideratur ab universis, & postulatur. pag. 31. num. 45. Incredibiliter invitus eligitur Archiepiscopus Cantuariensis, rapitur, & fertur ad Ecclesiam. ibid. Plurima notatu digna, quæ tunc ille, & alii locuti sunt. ibid. Acta sunt hæc anno 1093. ibid. Obedientia, & necessitate constrictus consentit, & Primas consecratur Cantuariæ ab Archiepiscopo Eboracensi, assistentibus Episcopis Angliæ. pag. 35. & 36. num. 46. & in nota margin. Regem valde iratum contra se, & à multis passus est injurias. pag. 38. num. 49. Consolationem inveniebat in collocutione cum Monachis. ibid. num. 50. Magis voluisset sub virga Magistri inter pueros Monachos esse, quàm Primas totius Britaniæ. ibid. Cuique congruenter de Scripturarum quæstionibus, vel de modo bene vivendi respondebat. pag. 39. num. 50. Opus insigne contra Roscelinum de *Incarnatione verbi* composuit. ibid. et not. 1. Notabilis instructio pro Monachis Villarum administratoribus. pag. 39. num. 56. Licentiâ Superioris non semel falluntur Monachi. ib. Media est inter obedientiam, & inobedientiam. ibid. Sæcularia negotia æquanimiter ferre nequibat. pag. 42. num. 59. Nequaquam negligebat iura suæ Ecclesiæ. pag. 43. num. 61. Malebat decipi bona de hominibus credendo, quam decipere se ipsum, credendo mala de ipsis, adhuc à se non probatis. ibi. Nihil in mundo quantum peccare timebat. ibid p. 44. Præclara docet de potestate Summi Pontificis, cæterorumque Episcopor. pag. 45. & in not. Compassio S. Anselmi erga Leporem afflictum. pag. 46. numer. 66. Instruit notabiliter videns puerum paseri illudentem. pag. 46. num. 67. Licentiam petit à Rege Romam eundi, & ipsi denegatur. pag. 47. num. 68. Dictum ipsius Sancti in illa occasione notabile. ibidem. Sermone pio, & instructivo valefecit suis Monachis. pag. 48. num. 69. & 70. Romam profectus mare trajecit, & quid mirandum tunc acciderit. pag. 50. num. 72. & 73. Altare consecravit apud S. Audomarum. pag. 51. Plurimis confirmatis, maxime dolet de quadam puella non confirmata; etiamsi rationes fuerint urgentes pro omissione. pag. 51. numer. 76. Ubique ab omnibus honoratur. ibid. Lugduni in ædibus Episcopalibus gratum hospitium habuit, & Romam Nuntios mittit. pag. 52. n. 77. Inde progressus cum Eadmero, & Valduino Monachis, Romam pervenerunt, & in ipso Palatio Papali hospitium habuerunt. pag. 53. num. 78. A Summo Pontifice valde honoratur, atque laudatur. ibid. Ad Joannem, olim suum discipulum, Abbatem Cœnobij cujusdam prope Telesinam urbem divertit, & digno hospitio susceptus, libros *Cur Deus homo* ibidem absolvit. pag. 54. n. 79. Fontem elicuit oratione sua non sine admiratione. ibid. num. 80. Capuam ac-

cedit rogatus á Duce Rogerio, & ibi ſimul cum Urbano Papa diu commoratur. pag. 55. num. 81. Etiam ipſi pagani in exercitu Rogerii militantes, genuflexi S. Anſelmum venerabantur. ibid. Urbanum orat, ut ſibi permittat cedere Episcopatu, patiturque laudatoriam repulsam. ibid. & not. Concilio Barenſi interfuit, & juvente Papa, Græcos errantes adorsus disputatione superavit. pag. 57. num. 82. & not. Semper, & ubique à Papa ſecundus erat. pag. 58. num. 83. Romæ in Concilio Urbanum, & Patres rogat, ut ne Regem Angliæ anathemate feriant. ibid. & not. Romæ quaſi proprio nomine Sanctus homo vocabatur. ibid. num. 84. Lugdunum revertitur ad amicum suum Episcopum Hugonem. pag. 59. num. 85. Per totam illam Diœceſim Episcopale Officium conceſsione Hugonis exercuit. ibid. Viennam Galliæ rogatus accesit, & in Sacro Solemni à se celebrato sermonem ad populum fecit. pag. 59. num. 86. Ibi duos milites á quartanis febribus, & intolerabili dolore inteſtinorum ſanat. ibid. Princeps quidam, Miſſæ ejus aſiſtens, sanitati reſtitutus eſt. pag. 60. num. 87. Cluniacum proficiscens fœminam quamdam ſigno Sanctæ Crucis ab amentia, & furore liberavit. ibid. num. 88. In civitate Matisconenſi Sacrum publice fecit, & sermonem ad populum habuit. pagin. 61. num. 89. Pluviam vehementer à populis deſideratam obtinuit. ibid. Lugdunum reversus, librum ſcripſit de *Conceptu Virginali, & Originali peccato*. Et: *Meditationes redemptionis humanæ*. ibid. num. 90. Marciniacum profectus á S. Hugone Abbate Cluniacensi revelationem audit de damnatione Regis Vvilhelmi. ibid. num. 91. In Monaſterio Casæ-Dei ſigno S. Crucis incendium extinxit. pagin. 62. num. 93. Certa notitia accepta de infelici morte Regis Vvilhelmi, amarissime planxit. pag. 63. num. 94. Appellatus á Rege Henrico, Eccleſia, & Principibus, Angliam petit. ibid. Propter Inveſtituras per duos semis annos á Rege, vel ejus Miniſtris multa paſſus. ibid. Rogatus á Rege iterum Romam peregrinatur. ibid. A Paſchali II. & tota Romæ Nobilitate honorificé susceptus. ibid. Angliam redituras á Roma discessit, & Florentiæ lectus, in quo dormivit, propter quamdam viſionem iteratam cum reverentia servatus eſt. pag. 64. num. 95. Lugduni rursus cum suo amico Hugone commoratus eſt. ibid & cur ibid. Piissime ſentiebat de reliquiis Sanctorum. pag. 66. num. 98. In amicitiam Regis Henrici receptus eſt. ib. num. 99. Beccum iterum videt, & gravissime infirmatur. ibid. Perdicis carnem appetit, qua obtenta rarâ providentiâ ſanitatem recuperavit. pag. 67. num. 100. In concordiam perfectam redit cum Rege Henrico. pag. 67. num. 102. Quidam phreneticus, benedictione ejus sanus factus eſt. ibid. Angliam tamen reviſit. ibid. numer. 103. Anglus quidam, cum guſtaſſet panem benedictum à S. Anselmo, á valida infirmitate curatus eſt. ibid Librum ſcripſit de *Concordia præscientiæ Dei &c. cum libero arbitrio*. pag. 68. num. 104. (Librum de *Processione Spiritus Sancti* antea jam exaraverat tempore indeſignato) Valde infirmus in sella se faciebat efferri ex magno deſiderio aſsiſtendi Sancto Miſſæ Sacrificio. ibid. In ultima infirmitate de origine animæ quæſtionem mente volvebat, & ut ipsam poſſet absolvere vivere adhuc deſiderabat. ibid. Rogatus in extremis absolutionem, & benedictionem Regi, & Reginæ, Liberis eorum, omnibusque dedit. ibid. num. 105. Lecta paſsione Christi diei illi respondentis, coram ipso de lecto depoſitus super cilicium, & cineres, animam Deo reddidit feria quarta maioris hebdomadæ, illucescente aurora 11. Kal. Maij anno 1109. 16. sui Pontificatus, vitæ autem 76. pag. 69. num. 105. Balsamum mirabiliter profluit ut cadaver ejus ungeretur. pag. num. 106. Mirum quoque accidit in ſarcophago ejus. ibid. num. 107. Multæ viſiones narratæ in teſtimonium gloriæ S. Anselmi. ibid.

B.

BAlduinus Monachus curam, & dispoſitionem totam habebat domus Episcopalis S. Anselmi. p. 42. n. 60.

Balsamum ubertim profluit miraculosé, ut Sancti Anselmi cadaver inungeretur. p. 69. n. 106.

Beccum Monasterium in Normannia, cujus primus Abbas, & Fundator Herluinus. pag. 5. n. 3. & p. 6 col. 2.

Sub regula S. P. Penedicti fundatum, hodie unitum Congregationi S. Mauri. p. 5. not. unica.

S. Bertini Monaſterium fundatum anno 647. in Belgio, adhuc perstat sub regula S. Patris Benedicti. pag. 51. & not. In eo S. Anselmus hospes susceptus eſt. ibid. num. 75.

Boso Clericus ingeniosus perplexas quæstiones S. Anselmo absolvendas proposuit, quarum solutionem admiratus accepit. p. 28. num. 44.

Becci Monachus factus est. ibid. Rogatu ejus composuit S. Anselmus libros *Cur Deus homo*, & alium *de Conceptu virginali, & origin. peccat.* pag. 29. not. unic. A terribili in animo tentatione solo verbo S. Anselmi liberatus est. ibid. num. 44.

Bubonis exemplo utebatur S. Anselmus: & ad quid. p. 38. n. 49.

Burgundia Provincia Regni Franciæ olim propios Reges habuit. p. 5. not. unic.

C.

CAdomum Monasterium in Normannia unitum Congregationi S. Mauri, cujus olim primus Abbas Lanfrancus. p. 6. not. 2.

Cadulus, Vir nobilis, contra omnem conatum Diaboli perrexit ad S. Anselmum, quo audito, sæculo renuntiavit. pag. 20. n. 25.

Cantuariensis Ecclesia habet primatiam totius Angliæ. pag. 36. & not.

Cantuarienses Archiepiscopi ab antiquo jus habebant, ut in tota Anglia, perinde ac in sua Diœcesi, in terris sub eorum dominio constitutis divina, & humana disponerent. p. 37. et not.

Cantuariensis Archiepiscopus erat simul Abas Monasterii Cathedralis Monachorum. p. 48. n. 69 et not.

Capitio Cucullæ suæ tegebatur S. Anselmus, nam utebatur habitu monachali. p. 52. not. 2.

Capitulum in phrasi monastica est quædam aula Monasterii. p. 20 n. 25. et not. 2.

Casa-Dei insigne Monasterium in Arvernia sub Congregatione S. Mauri. pag. 62. not.

Causæ propter quas S. Anselmus, & Socij ejus Romam euntes, suas personas occulebant. p. 52. not. 1.

Cæcus quidam signo Crucis, & aqua sanctificata à S. Anselmo, illuminatus. pag. 65. n. 96. et 97.

Clemens Antipapa. p. 45. et not.

Cluniacense Cœnobium celeberrimum quo tempore sub regula S. Benedicti fundatum: et á quo. p. 60. et not. unic. Tres Summos Pontifices Ecclesiæ dedit. ibid.

Concilium Barense celebratur, Præside Urbano Papa, & S. Anselmo Græcos errantes superante. p. 57. n. 82. et not.

Concilium Romanum excommunicare voluit Regem Angliæ Vvilhelmum; sed à S. Anselmo flexis genibus rogatus, abstinuit. p. 58. et not. Investituras damnat. ib. n. 84.

Consuetudines Monasteriorum, quæ Divinis non prohibentur mandatis, vel Ecclesiasticis, etiam cum ratio nescitur, religiosè sunt observandæ. p. 16. col. 2.

Crucis virtus contra Diabolos. pagina 12. num. 14.

D.

DIabolus partibus verendis juvenis Monachi castissimi maximum fecit dolorem. p. 11. n. 14 Ad visum S. Anselmi dolor disparuit. ib.

Diaboli sub specie luporum ægrum Monachum invadunt, sed á S. Anselmo liberatur. pag. 12. n. 15.

Diaboli animam in extremis circundant, sicut leporem canes. p. 46. n. 66.

Dicta honorifica cujusdam Abbatis de S. Anselmo ab ipso accepto, tamquam ignoto hospite, & humilitas S. Anselmi. p. 52. n. 77.

Dissensio inter Imperatorem, & Urbanum Papam. p. 52. not. 1.

Domni titulo decoratur Abbas á S. P. Benedicto in regula sua. p. 42. not. unic. Eodem antiquitus omnes Monachi Sacerdotes, aut senes decorabantur. ibid. Hic titulus hodie solis Monachis inter sæculares, et regulares tribuitur in Gallia. ibid.

Doroberniensis Ecclesia eadem, quæ Cantuariensis pag. 36. et not.

E.

EAdmerus vel Edmerus, seu Edinerus scripsit vitam S. Anselmi. p. 1. Brevis notitia de illo. ibid. Multa scripsit. ibid. Quando cognitus à S. Anselmo. p. 24. n. 32. Ejus veracitas. p. 50. n. 72. & 73. Comes individuus S. Anselmi in itineribus suis. p. 52. n. 77. Particulam quamdam S. Priscæ Martyris ab Uballone Episcopo obtinuit. p. 66. n. 98.

Ecclesia Cantuariensis, seu Doroberniensis non Metropolis totius Angliæ, sed Primas. p. 23. not. unic. et p. 36. & not.

Elphegus Martyr in Martyrologio Romano ad diem 19. Aprilis. pag. 25. not.

Vi-

Vita ejus in tom. 8. Author. Ss. Ord. S. Benedicti. ibid.

Episcopi vices agunt Apostolorum. p. 46. in not.

Episcopi Angliæ cum suo Rege adversus S. Anselmum decertabant, & qua causa. p. 44. n. 63. Aliqui eorum professam suo Primati obedientiam negant. ib. n. 64. Alij tantum ex parte. ib.

Epistola Alexandri Papæ scripta ad Lanfrancum prohibentis ejectionem Monachorum de Ecclesia Cathedrali Cantuariensi, & de aliis Episcopalibus. pagin. 23. not. unic.

Ermemberga mater S. Anselmi. p. 3. col. 1. Mores ejus probi. ib.

Ejus verbis S. Anselmus puer libenter animo intendebat. ib. col. 2.

F.

FEria 4. majoris Hebdomadæ S. Anselmus animam Deo reddidit die 21. mensis Aprilis anno 1109.

Festivitas S. Mauritii celebris Viennæ in Gallia. p. 50. n. 86.

Fraternitas, id est, societas singularum personarum cum Cœnobiis in precibus &c. p. 22. n. 29. et not. unic.

Fundator Becensis Cœnobii Herluinus Abbas. p. 6. col. 2.

G.

GAunilo Monachus Maioris-Monasterii (Mar-moutier) scripsit contra argumentum S. Anselmi de existentia Dei. p. 14. not. 3.

Gemeticum nobile Cœnobium, à S. Filiberto fundatum, hodie sub Congregatione S. Mauri. p. 66. not. 2.

S. Gregorius Magnus, & discipulus ejus S. Augustinus Cantuariensis, Monachi Ordinis S. Benedicti. p. 23 not. unic.

S. Gregorius VII. quondam Monachus Cluniacensis. p. 60. & not.

Guido, Archiepiscopus Viennæ in Gallia, rogat S. Anselmum, ut in sua civitate Sacra solemnia faciat, & sermonem ad populum. p. 59. n. 86.

Gundulphus Pater S. Anselmi. pag. 3. col. 1. Prodigus à nonnullis judicabatur. ib. Prope diem obitus sui monachus factus, monachus defunctus est. ib. col. 2.

Gundulphus Rofensis Episcopus. pagina 35. num. 46.

H.

HErluinus Fundator, & Abbas primus Beccensis Cœnobii. p. 19. n. 24. Decrepitus omnia commissit dispositioni S. Anselmi Prioris sui, mortuus anno 1078. p. 21. n. 26.

Henricus Rex Angliæ successor fratris Vvilhelmi propter Investituras graves simultates cum S. Anselmo habuit. p. 65. n. 98. Pacem inter se fecerunt, & Rex valde lætabatur de hujusmodi pace. pag. 67. n. 103. Renunciavit electioni personarum ad regimen Ecclesiarum, & Investituris per datonem virgæ pastoralis. p. 68. n. 103. Totam Normanniam subjugavit, & S. Anselselmo per litteras notificavit. ib.

Historia Novorum scripta ab Edmero p. 1. & 2.

Hugo Episcopus Lugdunensis semel, & iterum hospitio recepit S. Anselmum. pag. 59. num. 85. Variæ epistolæ ipsius ad S. Anselmum, & S. Anselmi ad eumdem. p. 65. & not.

S. Hugo Abbas Cluniacensis, & amicus S. Anselmi, revelationem habuit de damnatione Regis Vvilhelmi, quam detexit S. Anselmo. p. 61. n. 91. & not. 2. Qua die mortuus. ibid. In Martyrologio Romano positus. ib. Epistolæ ejus ad S. Anselmum. ibid.

I.

IGnis é fulmine incensus, extinctus fuit signo Crucis a S. Anselmo. pag. 62. num. 93.

In Ecclesia Cathedrali Cantuariensi fuerunt á principio Monachi Benedictini, sicut & in aliis Ecclesiis Episcopalibus Angliæ. p. 23. n. 31. & not. unic.

Infirmi Monachi in extremis ad terram depositi. p. 12. n. 15.

S. Ioannes Baptista præcipuus Martyr occisus pro veritate. p. 25. n. 36. Nihil distat inter mori pro justitia, & mori pro veritate. ib. Qui pro justitia, & veritate moritur, pro Christo moritur. ib.

Ioannes, olim subditus, & discipulus S. Anselmi, Abbas postmodum in Italia, S. Anselmum, ut Patrem, in suo Monasterio recepit. p. 53. n. 79. & not.

Investituræ damnatæ. p. 58. n. 84. Quid significarent. p. 68. n. 103.

L.

LAicorum religiosorum institutio S. Joanni Gualberto attributa sæculo 11. p. 12. not. unic.

Lanfrancus Magister S. Anselmi. p. 5. num. 3. Vir religione, & sapientia præstans. ib. Clericos de cunctis mundi partibus fama ipsius ad ejus magisterium attrahebat: nam Becci monachus scholam regebat. ib. Prior Becci, Abbas vero Cadomi. pag. 16. not. 2. Ex Abbate Cadomensi factus Archiepiscopus Cantuariensis. pag. 23. num. 30. Sententia S. Anselmi persuassus consentit in cultu S. Elphegi Martyris. pag. 26. num. 36. Ejus vita habetur tom. 9. Author. Ss. Ord. S. Benedicti ad annum 189.

Lanzoni Novitio apud Cluniacum epistolam valde instructivam S. Anselmus scripsit. pag. 15. n. 21.

S. Laurentius Archiepiscopus Cantuariensis. pag. 23. not. unic.

Lectus, in quo jacuit S. Anselmus, & à quo cœlitus prohibitus fuit ipsius lecti dominus, servatus est, cum reverentia. p. 64. n. 95.

Leporem afflictum compatitur S. Anselmus, & à canibus defendit. pagina 46. num. 66.

Lepra percussus quidam vir nobilis, aqua potata, qua S. Anselmus in Missa lotus fuerat, omnino mundatus est. pag. 27. n. 42.

Librum *De concordia præscientiæ Dei* cum libero arbitrio scripsit S. Anselmus. p. 68. n. 104.

Libros *Cur Deus homo* incepit S. Anselmus in Anglia, & in Italia absolvit. p. 54. n. 79.

Licentia media est inter obedientiam, & inobedientiam: & quandoque decipit. p. 41. n. 56.

Litteræ missæ ad Comitem Normaniæ, ad Pontificem Rotomagensem, ac Monachos Beccenses, pro consensu in electione S. Anselmi ad Archiepiscopatum. pag. 35. not. unic.

Ludus pueri cum avicula filo retenta, similis peccatori à suis vitiis inveteratis retento. p. 47. n. 67.

Lugduni ab Hugone Episcopo semel, & iterum hospitio susceptus est S. Anselmus. p. 52. num. 77.

M.

MAjus-Monasterium prope Turonos fundatum fuit á S. Martino, hodieque unitum Congregationi S. Mauri. p. 11. n. 12. not. 4.

Marciniacum Monasterium Monialium. p. 61. n. 91. & in margine.

Maurilius Monachus in Cœnobio Fiscanensi, Abbas Florentiæ, & Ecclesiæ Rotomagensis Archiepiscopus. p. 6. not. 1. S. Anselmo jussit non dimittere officium Prioris, neque renuére aliam prælaturam, si ei daretur. p. 11. n. 12. Notitia vitæ ejus, & elogium in tom. 9. Auctor. Ss. Ord. S. Benedicti ad an. 1067. p. 6. n. 1.

Mensa S. Anselmi semper aut Sacra lectione, aut pia, & utili instructione condiebatur. p. 39. n. 50.

Miles, significabat olim virum nobilem. p. 11. not. 3.

Missam celebravit S. Anselmus, aut celebrare fecit pro Monacho Osberno singulis diebus unius anni. p. 10. n. 10. Missa una pro alia commutata. ib.

Monachi ad succurrendum qui? p. 4. not. unic.

Monachi statuti à principio, & perseverantes in Ecclesia Cantuariensi. pag. 23. not. unic. Fuerunt ejusdem Ordinis, cujus S. Augustinus discipulus S. Gregorii Magni, scilicet Benedictini. p. 23. not. unic.

Monachus fructum suum non perdit, si propter obedientiam vitam activam agat in aliqua Villa Monasterii. p. 39. n. 56.

Mos erat antiquitus deponendi Monachos moribundos super cilicium, & cineres. p. 69. n. 105.

N.

NEcrologium quid sit. p. 22. not. unic.

Normannia Galliæ Provincia olim proprio Duci parebat. p. 5. not. unic.

O.

OObedientiæ vocabantur officia regularia. p. 22. n. 29.

Omnis religio Monastici Ordinis fundi-

ditus perit modicis culpis contemptis pag. 26. n. 37.

Omnia communia ſine discrimine eſſe voluit S. *Anſelmus*, tam ſibi Priori, quam Monachis. p. 19. n. 24.

Osbernus juvenis à S. *Anſelmo* caſtigatus & valde dilectus in vita, & morte. p. 9. n. 9. *Apparet* S. *Anſelmo* post mortem, cujus apparitio notabilis. ib.

P.

PAnis de menſa S. *Anſelmi* ſumptus, & comeſtus duos milites à febribus quartanis, & cruciatu inteſtinorum liberavit. p. 59. n. 86.

Paſchalis II. Papa fuerat Monachus Cluniacenſis. p. 60. & not. Urbano ſuccedit, & Regi *Angliæ* Inveſtituras Eccleſiarum concedere renuit. p. 64. n. 94. Italus fuit natione. ib. not. 1.

Paſſio Domini lecta in præſentia S. *Anſelmi* in extremis poſito. pag. 69. numer. 105.

Peccata levia dimiſſa per profeſſionem monachalem, aut pœna debita pro peccatis. p. 9. & 10. & not. unic.

Peccatum quanto odio habendum, & quanto horrore pertimeſcendum. p. 44. n. 61. & 62.

Petrus Monachus Cluniacenſis, non ille Venerabilis, fuit Camerarius Urbani Papæ & ejus ſucceſſoris Paſchalis. pag. 66. num. 98. & not. 1.

Petrus Venerabilis quo tempore natus. p. 66. not. 1.

Primas totius Britaniæ *Archiepiſcopus* Cantuarienſis. p. 36. & not.

Prior Becci poſt Lanfrancum S. *Anſelmus* anno 1063. p. 7. n. 4.

S. Priſcæ Martyris reliquiæ Romæ allatæ ab Epiſcopo Pariſienſi. p. 65. n. 98.

Prophetiæ ſpiritu donatus S. *Anſelmus*. p. 13. n. 17. & 18.

Propoſitum cujusdam juvenis Monachi de non tangendis ſuis genitalibus propter quamcumque cauſam. p. 11. n. 14.

Pueri, Deo oblati ſecundum regulam S. P. Benedicti, vere Monachi cenſebantur. p. 18. n. 23. not. 1.

Q.

QUæſtionem de origine animæ in ultima infirmitate mente volvebat S. *Anſelmus*, & ut eam poſſet abſolvere, vivere cupiebat. p. 68. n. 104.

Qui quieti ſuæ potius, quam proximorum utilitati per paſtoralem curam invigilare ſtudent, magis deficiunt, quàm proficiunt. p. 11. n. 12.

Qui abjurat B. Petrum, aut ejus Succeſorem, Chriſtum indubitanter abjurat. pag. 47. not. unic.

R.

REddenda, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. pag. 44. num. 63.

Regi obediendum in rebus terrenis; Vicario S. Petri, vel Succesori, in ſpiritualibus. p. 46. & not.

Relaxatio magna diſciplinæ, & corruptio morum in Angliæ Regno *sæculo* IX. p. 37. n. 47. Rex erat in cauſa, cur S. Anſelmus emendare non poterat. ib.

Reſponſio valde notabilis B. Maurilij de renunciatione, & admiſſione prælaturarum. p. 11. n. 12.

Revelationes quædam de morte Vvilhelmi Angliæ Regis. p. 62. n. 91. & 92.

Rex Angliæ iurat ſe non habiturum amplius pro Archiepiſcopo S. Anſelmum, niſi ipſe Sanctus dicat ſe non obediturum Papæ Urbano II. & cur. p. 45. n. 64.

Rex Angliæ Vvilhelmus ante Deum accuſatus, á Deo judicatus, & damnatus, p. 62. n. 91. & 92. Venatum cum iſſet, ſagitta in corde percuſſus, ſubito defunctus. pag. 63. n. 94. Notatu digna ſuper mortem hujus Regis. ibid. in not.

Riculphus monachus Anſelmum vidit in oratione ſtantem, ingenti ſplendentis flammæ globo circumcinctum. p. 12. n. 16.

S. Robertus Fundator Caſſæ-Dei anno 1046. p. 62. & not.

Rogerius Dux Apuliæ Capuam obſedit, & Romà S. *Anſelmum* ad ſe vocavit. p. 55. n. 81.

S.

SAnct. Anſelmi omnia vide in litt. A.

Sententia valde pia S. Anſelmi de Sanctorum reliquiis. p. 66. n. 98.

Schiſma tempore Urbani II. Papæ. pag. 45. et not.

Se-

Sepulchrum corpori S. Anselmi paratum mirabiliter accrevit. p. 69. n. 107.

Silentium in Clauſtro. p. 12. n. 15.

Synodus octava generalis decrevit, ut monachi facti Episcopi habitum monaſticum non deponerent. p. 52. not. 2.

T.

TAbulæ ceratæ pro scriptura olim deserviebant. p. 14. n. 20.

Thomas Archiepiscopus Eboracenſis S. Anselmum consecravit, & quid in forma electionis ſcripta notaverit, & delere fecerit. p. 36. et not.

Typographica ars inventa sæculo 15. ibid. not. 2.

V.

VIiennæ Urbs ad Rhodani ripam intra Delphinatum, ibi S. Anselmus Sacra fecit. p. 59. n. 86.

Viſio S. Anselmi in raptu de mundi amatoribus, & de vita veri monachi. pag. 17. n. 22.

Vita hujus mundi ſimilis molendino. 39. n. 56.

Urbano II. Summo Pontifici dicavit S. Anselmus opus suum de Incarnatione Verbi. p. 39. n. 50. Dixit se habere pro Magiſtro S. Anselmum, et quaſi comparem. p. 53. n. 78. Accedit Capuam à Duce Rogerio obseſſam, et ibi cum S. Anselmo diu commoratur. p. 55. n. 81. Barense Concilium celebrat, contra Græcos ex doctrina S. Anselmi disputat, et eidem S. Anselmo contra ipsos insurgere mandat p. 57. n. 82. et in not. S. Anselmum victorem his verbis laudat. *Benedictum ſit cor, & sensus tuus, & os, & sermo oris tui ſit benedictus.* p. 58. et not. In Concilio Romano pro S. Anselmo contra Regem Angliæ perorat. 58. et not. Fuerat Monachus Cluniacenſis, et natione Gallus. p. 60. et not.

Ursarii Dei boni Angeli dicuntur. pag. 10. col. 1.

Vvalo Episc. Parisien. Legat. Papæ, familiaritate S. Anselmi gaudebat. p. 65. n. 98.

Vvillelmus primus Normanniæ Dux Angliam ſibi subegit anno 1066. p. 5. not. unic. Dictus propterea Conqueſtor. p. 30. n. 45. et not In extremis S. Anselmum advocat. ib. Vvillelmus ejus filius, ejus in regno succeſſor. ib.

Vvilhelmus hic, filius alterius Vvillelmi, infeliciter, et subito mortuus, et à Deo damnatus eſt. p. 62. n. 91. et pag. 63. num. 94. et in not.

IN MONOLOGIO.

A.

ACcidentia sunt quæ causant mutationem in subjecto; & alia quæ non. pag. 143.

Æternitatis vera diffinitio. pag. 141. num. 3.

Albertus Mag. in quo interpretatur Anselmum. p. 176. n. 21.

Aſſerit eſſe in Deo & dictionem communem, & dictionem notionalem. p. 242. num. 6. & 7.

Alexander de Ales ita quoque ſentit. pag. 243. n. 14. Interpretatur S. Anselmum in cap. 34. Monologii. p. 179. n. 10.

Amor sequitur memoriam, & intellectum. pag. 213. cap. 49. Sine illo, aut odio otiosa est memoria & intelligentia. ib.

A.

Anima rationalis eſt melius, quod naturaliter habemus, medium ad cognoscendum Deum. p. 254. cap. 66. Eſt quoddam ſpeculum, & quædam imago Dei. p. 256. cap. 67. Secundum mentem eſt quædam imago SS. Trinitatis. ibid. Eſt facta ad amandum Deum. p. 259. cap. 68. In quo conſiſtit eſſentia rationalitatis. ibid. Anima quæ semper diligat Deum erit aliquando vere beata. p. 262. cap. 69. Rationes hujus probativæ. ibid. Anima rationalis eſt immortalis. ib. & p. 274. cap. 72. Immortalem judicavit illam Plato: Ariſtoteles vero, judice S. Mart. Juſtino, mortalem. p. 264. n. 7. Quæ perseveraverit in amore Dei, accipiet à Deo pro mercede æternam

beatitudinem consistentem in clara possessione Dei. pag. 266. cap. 70. Quæ permanserit vero in contemptu Dei, erit misera in æternum. p. 272. cap. 71. Æternum erit ejus præmium; æterna erit pœna. ibid. Et cur. pag. 273. num. 5. & 6. Injustè nulla privatur summo bono. p. 276. cap. 73. Nitendum est illi ad obtinendum tantum bonum. ibid. Amor ejus de Deo dominans, & non dominans, qualis sit. pag. 283. num. 4. Quæ sit sententia Illustriss. Bosuet de necessitate amoris saltem non dominantis in Sacramento Pœnitentiæ. ibid.

S. Anselmi præfatio in Monologium. pag. 72.

S. Anselmus demonstrat Deum esse creatorem & unicum primum principium. pag. 75. num. 1. Videtur non cognovisse divisibilitatem materiæ in infinitum. pag. 89. num. 2. Exponit vere, & subtiliter quo modo omnia facta fuerint á Deo ex nihilo. pagin. 91. & 92. Quamvis Platonicè meditatur, nunquam se fatetur Platonicum, neque Peripateticum, aut alterius sectæ Philosophorum, sed mentis libertate veritatem ubique quærebat. p. 98. num. 2. Paulatim, & gradatim in Monologio procedit. pag. 99. num. 5. Cum ipso consentiunt alii SS. Patres: Hilarius, August. Greg. D. Thom. &c. in explicatione immensitatis. pag. 109. num. 5. Cur nomen Dei taceat in Monologio usque ad finem. pag. 75. num. 1. & pag. 109. num. 6. Utitur modo interrogativo frequenter, tum dubitando, cùm objiciendo, aut resolvendo. p. 119. n. 2.

Aristoteles quid dixerit de eo quod est maximè ens. pag. 80. in comment. Duo principia increata posuit. p. 75. n. 1. Materiam Deo coævam, & coæternam dixit. pag. 89. n. 1. Mortalem esse animam rationalem, S. Justino judice, sensit. p. 264. n. 7.

S. Athanasius probat verbum Dei ex creaturis. p. 101. n. 7.

Athenagoras dicit ingenitos minime esse posse similes. p. 76. n. 6.

S. Augustini libris de Trinitate adhæret S. Anselmus in Monologio. pag. 72. Pasim citatus in Monologii Commentario. Probat immortalitatem animæ rationalis per veritatem orationis. p, 125. n. 13.

B.

S. Basilius exponit significationem præpositionum *ex*, & *per*, quæ reperiuntur in Sacris Scripturis. pag. 83. num. 1. & seqq. Non raro laudatur in hoc comment.

Beatum quem dixerit Plato, aut in quo beatitudinem posuerit. pag. 270. num. 15. Variæ sententiæ Philosophorum de hominis beatitodine. ibid. De ejus proprietatibus prædicavit S. Anselmus in præsentia Conventus Cluniacensis. pag. 272. n. 19. Agit pariter in cap. 25. Proslogii. ibid.

S. Bernardi sententia de Deo, & ejus summa simplicitate. pag. 81. num. 2. & 4. Mirabiliter explicat unitatem, & simplicitatem Dei. pag. 119. num. 4. & 9. Exponit illa verba: *Qui est, missit me ad vos.* pag. 159. num. 3. Sæpe laudatur in his comm.

Boetius quid dixerit absolutè unum. p. 121. n. 11.

Illmus. Bosuet tanquam oraculum in Galliis. pag. 283. num. 4. Sententia ejus de necessitate amoris, saltem initialis, in Sacramento Pœnitentiæ. ibid.

C.

CArdinalis noster de Aguirre nihil simile invenit his, quæ affirmat S. Anselmus de quibusdam avium generibus. pag. 199. num. 6. Sed nihilominus verus invenitur S. Anselmus. ibid.

Catholicis Patribus S. Anselmi doctrina cohæret. p. 72.

Causæ efficientes ad invicem dantes sibi esse, impossibiles. pag. 78. cap. 3. Causa prior, & melior est suo effectu. p. 84. cap. 6.

Character majorem vim habet in græco, quam figura, & imago, latinè. pag. 176. in marg.

Chrysostomi argumentum pro immortalitate animæ rationalis. p. 268. n. 4.

Cogitatio, qua mens se intelligit, est sui ipsius imago, & verbum. pag. 171. cap. 33.

Concilium Lugdunense citatum pro unica spiratione Dei. p. 229. n. 6.

Concilium Lateranense sub Leone X. damnat asserentes animam esse naturaliter mortalem. p. 274. n. 2.

Corpus idem, an possit esse totum in duobus locis. pag. 130. cap. 21. Corporalia, quæ nunquam per sensus experti sumus, imaginari, & intelligere non possumus. p. 101. n. 8.

Creatio mundi quo sensu miraculum est. p. 93. n. 4.

Creaturæ utrum potuerint fieri ab æterno. p. 142. num. 6. In Deo sunt ipsa prima essentia, & prima existendi veritas. pag. 177. cap. 34. Quò illi similiores, eò veriùs, & præstantiùs existunt. ibid. Veriùs sunt in verbo, & in intelligentia creatoris, quàm in se ipsis. pag. 185. num. 5. & seqq.

Credere in Deum, credere Deo, credere Deum, quomodo inter se differant. p. 281. n. 5. & 6.

Credendum est in Patrem, & Filium, & in Spiritum Sanctum, simul & singillatim. p. 282. cap. 76.

Coutantius, Monachus Congregationis S. Mauri, Editor Oper. S. Hilarii. p. 229. n. 8. & alibi.

Cultus religiosus unius Dei in substantia, & trini in personis, debitus est ab omni creatura rationali. p. 293. cap. 79.

D.

DAmascenus demonstrat unicum esse Deum. pag. 82. n. 3. Sæpe laudatur in his comment.

Demonstrationes quatuor de existentia Dei. p. 74. & seqq.

Demonstrabilis est naturaliter immortalitas animæ rationalis. pp. 274. & 275. n. 1. & seqq.

Deus est summum bonum omnium. p. 74. & 75. Et maximum omnium, quæ sunt. pag. 77. cap. 2. Et summum ens, summa essentia, substantia, sive natura. pag. 78. cap. 3. Est ens necessarium, & unica suprema natura. pag. 80. cap. 4. Est bonum omnis boni. pag. 76. num 6. Est magnus, non mole, aut spatio, sed virtute, & perfectione. pag. 77. in fine. Ipsum esse creatorem omnium non cognoverunt Philosophi. p. 75. n. 1.

Deus est per se, & ex se, & cætera sunt per illum, & ex illo. pag. 83. cap. 5. Quo sensu. pag. 84. cap. 6. Omnia fecit ex nihilo. pag. 88. & 89. Et ut supremus Artifex. pag. 96. num. 3. & 4. Et intra se locutus est, antequam faceret. p. 97. Quia res scivit, creavit; non quia creavit, scivit. pag. 102. num. 9. Omnia conservat. pag. 105. cap. 13. Ratione probatur. ibid. & in comm. Est in omnibus rebus per essentiam, præsentiam, & potentiam. p. 107. cap. 14. Omnia continet, penetrat, superat. pag. 109. num. 4. Dei nomen non exprimitur in Monologio à S. Anselmo usque ad finem; & cur. pag. 109. num. 6. & pag. 75. num. 1. De Deo quid possit dici, aut non dici substantialiter. pagin. 109. cap. 15. In eo non differunt perfectiones in abstracto, aut in concreto, & omnes substantiam, non qualitatem, nec quantitatem significant. pag. 115. cap 16. Omnes perfectiones absolutæ in eo prædicantur in quid. pag. 118. Est simpliciter unum, & summè simplex. ibid. Nulla in eo est compositio. ibid. Nulla in ejus perfectionibus essentialibus est realis distinctio, neque formalis ex natura rei. ibid. & seqq. Omnis prædicatio ejus attributorum absolutorum est in eo *quod quid*; & nulla in quale quid. p. 121. n. 12. Est sine principio & sine fine. ib. cap. 18. Rationes, quibus hoc probatur. ibid. Una ex illis sumitur à veritate orationis de futuro, & de præterito. ibid. & pag. 123. num. 6. & seqq. Quomodo nihil fuit ante Deum, aut erit post. p. 127. cap. 19. Arriani utebantur argumento simili objectioni, quam solvit S. Anselmus, ut probarent Dei filium ex nihilo extitisse. p. 127. n. 1.

Deus est in omni loco, & tempore, & in nullo tempore, aut loco. pag. 128. cap. 20. & seqq. Rationes pro utraque parte, & solutiones. ibid. In æternitate Dei omnia præterita, & futura sunt physicè præsentia ab æterno. pag. 136. num. 7. Deus est æternus, & immensus, est ubique, & semper capp. 23. & 24. Definitio æternitatis quæ sit. pag. 141. num. 3. Deus est omnino immutabilis. pag. 143. cap. 25. Quomodo sit substantia. pag. 146. cap. 26. Est extra omnem substantiam, & singulariter est, quidquid est. ibid. Non continetur sub prædicamento substantiæ. pag. 150. cap. 27. Est in omni sensu indivisibilis. ibid. Non potest esse nisi unus. ibid. & pag. 151. num. 7. Ipse solus est absolutè, & simpliciter; & creaturæ vix sunt, & ferè non sunt. pag. 152. cap. 28.

Dei locutio est ipsi consubstantialis, & ipse Deus. pag. 155. cap. 29. Omnia fecit per illam. ibid. Est unicum verbum Dei. p. 159. cap. 30. Non est similitudo factorum, sed veritas essentiæ. pag. 160. cap. 31. Hoc verbo coæterno dicit se ipsum Deus. pag. 165. cap. 32. Eodem verbo dicit seipsum, & creaturas: & hoc verbum non est verbum creaturarum. pag. 170. cap. 33. In Deo idem est scire, intelligere, & dicere. pag. 182. num. 4. Deus memor est sui ipsius. pag. 169. num. 13. & seqq.

Dei proceſsiones ad intra, & quales ſint; & quæ ſint communia, aut propria Patris, & Filij vide in littera: V.

Deus amat ſeipsum, ſicut ſui meminit, & ſe intelligit. pag. 213. cap. 49. In eo eſt dictio communis, & dictio notionalis. pag. 241. num. 5. & ſeqq. Verbum tamen non dicitur niſi perſonaliter. pag. 245. num. 21.

Deus ſolus eſt finis, quem in omni cogitatu, actuque ſuo homo per amorem debet intendere. pag. 282. cap. 76. num. 2. & ſeqq. Quæ ſit ſententia Gallorum circa hoc. ibid. num. 4. Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, ex neceſsitate linguarum appellati ſunt tres perſonæ à Latinis, & à Græcis tres ſubſtantiæ. pag. 287. cap. 78. Deus omnibus dominatur, & omnia regit. pag. 293. cap. 79. Omnis alia natura debet illum diligendo venerari, & venerando diligere. ibid. Ab ipso ſunt omnia bona ſperanda, ad ipsum ſolum confugiendum in adverſis, ipſi ſoli pro quavis re ſupplicandum. ibid. Eſt ſolus Deus ineffabiliter trinus, & unus. ibid.

Dioniſius Cartuſianus multa verba transcripsit ex Monologio, & Proslogio. pag. 121. num. 10. Interpretatur S. Anſelmum in cap. 34. Monologij. p. 179. num. 10.

Dominus Du-Pin falsus eſt, dum dixit D. Anſelmum videri parum in lectione Patrum, excepto Auguſtino, verſatum fuiſſe. pag. 73. in comment.

E.

EFfectus omnis poſterior, & minor ſua cauſa. pag. 84. cap. 6.

Ens ſummum, & eſſentia ſumma, Deus. pag. 78. cap. 3.

Errores Philoſophorum circa providentiam. pag. 295. num. 6. & ſeqq.

Eſſentia ſumma eſt per ſe, & ex ſe; & reliqua omnia per illam, & ex illa. pag. 83. cap. 5. Quo ſenſu. pag. 84. cap. 6. Eſſentia, eſſe, & ens, hoc eſt, exiſtens, ſive ſubſiſtens, ſic ſe habent in Deo, quamvis multo ſimplicius, ſicut lux, & lucere, & lucens. pag. 85. ad finem. Eſſentia rationalitatis in quo conſiſtat. pag. 259. cap. 68.

Exiſtentiæ Dei quatuor demonſtrationes. pag. 74. & ſeqq. Exiſtentia Verbi Divini probatur à D. Athanaſio, ſumpto argumento ex creaturis. pag. 101. num. 7. Exiſtentia myſterij Trinitatis an poſsit demonſtrari fide ſuppoſita. pag. 247. num. 4. & ſeqq.

Explicatio illorum verborum: *Ego ſum, qui ſum*: & illorum Iob: *Ipse enim ſolus est*. pag. 153. num. 1. & ſeqq.

F.

FAber prius dicit intra ſe mentis conceptione opus, quod facturus eſt. pag. 97.

Fidei virtus ratione probatur. p. 280. cap. 75. Quid ſit credere in Deum, credere Deo, & credere Deum. ibid. & in comm. num. 5. & 6. Credendum eſt in Patrem, & Filium, & in Spiritum Sanctum, & ſimul, & ſingillatim pag. 282. cap. 76. Fides viva, & fides mortua qualis ſit. p. 283. cap. 77.

G.

GAbrielis Gerberonij optimi Editoris Operum S. Anſelmi cenſura ſuper Monologium. p. 71.

Gilbertus Porretanus errando ajebat Divinitatem non eſſe Deum. pag. 82. n. 4. Quo ſenſu. ib.

S. Gregorius exponit illud Job: *Ipse enim solus est* &c. pag. 153. num. 2. Sæpe laudatur in his comm.

H.

HEterodoxi Sacramentarii quo argumento utuntur contra præſentiam realem corporis Domini in Euchariſtia. p. 132. n. 3. & 137. n. 8. Doctrina S. Anſelmi, & D. Thomæ nequaquam cum ipſis facit; ſed eſt valde contraria. ibid. & ſeqq.

S. Hilarii ratio pro immortalitate animæ rationalis. p. 268. num. 4. Sæpe laudatur in his comment.

Homo non uno modo, vel conſideratione dicitur corpus, rationalis, & homo; ſed ſecundum aliud, & aliud. pag. 121. num. 11. Hominis actiones omnes deliberatæ referendæ ſunt in Deum, tamquam in ultimum finem. p. 283. num. 2. & ſeqq.

I. J.

IDEA idem quod exemplum, forma, similitudo, aut regula. pag. 96. n. 2. Ideas Plato primus appellavit. ibid. Illas non posuit extra Deum. p. 98. n. 1.

Individua suscipiunt magis proprie nomen substantiæ. p. 287. cap. 78.

Ineffabilitas Dei unius, & trini. p. 251. cap. 65.

Infernus erit æternus. p. 272. cap. 71. Et cur. p. 273. n. 5. & 6.

Intelligere, & cogitare sæpe distinguntur. p. 157. n. 7. & seqq.

Interrogationis modo frequenter utitur Anselmus cùm dubitando, tum objiciendo, aut resolvendo; & in hoc etiam imitatur S. Augustinum. p. 119. n. 2.

Italica versio Scripturæ Sacræ sæpe citata in his comment.

S. Joanni Damasceno impossibilius visum est mundum conservari sine Deo, quàm sine Deo existere. pag. 105 num. 2.

S. Justinus Martyr Platonicus Philosophus. pag. 98. n. 1. Quid senserit de Platone, & de Aristotele. pag. 89. num. 1. Exponit illa verba Moysis: *Qui est, missit me ad vos.* p. 153. n. 4.

Julianus Pelagianus negavit originale peccatum. pag. 266. num. 16. Argumentum quo perstringebat illum S. Augustinus. ibid.

L.

LAteranense Concilium citatum. p. 205. n. 7.

Lectionem suæ præfationis in Monologium vehementer commendat Lectori S. Anselmus pro Monologii intelligentia. pagin. 73.

Lectori notanda sunt omnia verba usque ad apices, ut ita dicam, in libris S. Anselmi. p. 102. n. 6.

Librum Aristotelis Peri-Hermenias legit S. Anselmus. p. 124. n. 9.

Locutio mentis, & locutio oris, quot modis est. p. 97.

Locutione mentis universas res locutus est Deus, antequam faceret. ibid. Maxima dissimilitudo inter Dei locutionem, & locutionem Fabri. p. 100. cap. 11.

Locutio Dei est summa essentia. p. 102. cap. 11. Id ratione efficaci probatur. ibid. & in Comment. Est unum duntaxat Verbum, per quod facta sunt omnia. p. 159. cap. 30.

Lugdunense Concilium citatum pro unica spiratione Dei. p. 229. n. 6.

M.

MAgister sententiarum aliquoties laudatur in his comment.

Materiam ingenitam, id est, increatam, finxerunt Philosophi, etiam Plato, & Aristoteles. p. 75. n. 1.

Matres an passivè tantum generent, an vero etiam activè. pag. 200. n. 10. & 11. Quid senserit S. Anselmus. ibid.

Melchior Canus lib. 12. de *locis*, cap. 15. ratione probat immortalitem animæ rationalis. p. 268. n. 4. & p. 275. n. 6.

Memoria, propriè sumpta, est rerum præsentium. pag. 169. num. 15. In Deo etiam est. ibid. n. 13. et & seqq.

Mens rationalis, cum se cogitando intelligit, secum habet imaginem suam ex se natam, id est, cogitationem sui &c. pag. 170. cap. 33. Hæc imago est verbum ejus. ibid. Non producitur ex aliqua specie á sensibus accepta. pag. 173. num. 9. & 10.

Mens rationalis est melius medium, per quod naturaliter ascendimus ad cognoscendum Deum p. 254. cap. 66.

Modus, quo Deus dicit, & scit res à se factas, incomprehensibilis. pag. 198. cap. 36.

Monologium quid significet. p. 71.

Multa cognoscuntur non per propriam speciem, sed per alienam: unde simul cognoscuntur, & non cognoscuntur. p. 261. cap. 65. Ex hoc fieri potest argumentum in favorem præcisionis objectivæ (ut loquuntur) in gradibus metaphysicis. ibid.

Mundus non casu sed ratione factus. p. 95. & 96.

Mysterium SS. Trinitatis, licét inexplicabile, est tamen credendum. pagin. 246. cap. 64. an possit demonstrari existentia ejus, fide suppositâ. p. 247. n. 4. & seqq.

N.

NAtura suprema est una necessariò, nec plures summæ esse possunt. p. 80.

80. cap. 4. Naturæ quó propinquiores enti præſtantissimo, eó meliores, & præstantiores. p. 160. cap. 31.

Nomen Dei cur ſiletur ab Anselmo in Monologio usque ad caput poſtremum. p. 75. n. 1. & 109. n. 6.

Nomen relativum subſtantiam non ſignificat. pag. 110. Nomina eſſentialia in Deo idem ſignificant, & tamen non sunt synonima. pag. 118. & seq.

Nomina quæ in Deo dicuntur ad creaturas, non dicuntur pluraliter de tribus personis, sed ſingulariter. pag. 186. cap. 37.

Nomina, quæ dicuntur de Deo, impropriè dicuntur omnia ex parte modi ſignificandi. pag. 252. cap. 65.

Nomen personæ á Latinis, & nomen substantiæ à Græcis, quo sensu, qua neceſsitate attributa sunt Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. p. 287. cap. 78.

Non nihil erant res antequam fierent, quantum ad rationem facientis. p. 95. cap. 9.

Notitia paritur á cognoscente, & cognito. p. 173. n. 10.

Nulla prædicatio in Deo eſt *in quale quid* sed omnis prædicatio áttributorum absolutorum eſt *in quod quid*. p. 121. n. 12.

Nulla res amatur ſine ipſius memoria, & intelligentia. p. 214. cap. 50.

O.

OBjectiva præcisio eſt, aut ſit inter gradus metaphyſicos. p. 165. n. 15.

Omne compoſitum indiget his, ex quibus componitur, & illis debet, id quod eſt. p. 118.

Omnipotentia an habeat connexionem cum possibilibus. p. 167. n. 7.

Opera S. Anselmi plena sunt seria, morosa, & profunda meditatione. p. 112. n. 6.

Orationis necessitas. p. 293. cap. 79.

Origenes quid senserit de pœna damnatorum & de beatitudihe Sanctorum. pag. 273. n. 2. Apologia pro ipso ſcripta à S. Pamphilo Martyre. ibid. ad marg.

P.

PAter Æternus, & Filius, seu Verbum ejus, duo sunt; sed dici non poteſt quid duo ſint. p. 189. cap. 38.

Peccatum veniale non eſt ſimpliciter injuſtitia sed secundum quid. p. 285. n. 2.

Personæ Divinæ, vide in Littera V.

Perfectio ſimpliciter ſimplex quæ ſit secundum Anselmum. p. 110.

Philosophi duo eſſe increata principia opinati sunt. p. 75. n. 1. Etiam Plato. ibid. Philosophi moderni in compoſitis naturalibus, præter hominem, negant formam subſtantialem re ſive ſecundum eſſe diſtinctam eſſe à materia. p 86. n. 4. Quid senserint antiqui de conſtitutione rerum, de materia ex qua, & de modo quo factæ fuerunt. pag. 89. num. 1. Materiam Deo coævam, & coæternam communiter opinati sunt. ibid, & pag. 93. n. 3. & 4. Philosophi gentiles diverſimode erraverunt circa subſtantiam animæ rationalis. p. 264. n. 6.

Plato quoque, & Ariſtoteles. ibid n. 7.

Philosophorum errores circa providentiam. p. 295. n. 6. & seqq.

Plato quid dixerit de Deo uno p 80. cap. 4. & in comm. Materiam Deo coævam, & coæternam dixit. pag. 89. n. 1. Omnibus Philosophis antiquis à D. Auguſtino antefertur. pag. 98. n. 1.

Perperam ipsi error attribuitur, quòd posuerit ideas extra Deum. ibid. Inſipienter dixit mundum eſſe Dei perfectam imaginem, & Unigenitum. ibid. & n. 2. & p. 108. n. 3. Platonem ſi legit Anselmus, nequaquam mentem ſuam ipſi subjecit. pag. 98. n. 1. et 2. Ipſius philosophiæ ſtuduit S. Auguſtinus. ibid.

Plato agnoscebat discrimen inter Deum, & mundum. p. 108. num. 4. Quo pacto id conciliabat cum errore ſuo de mundo perfecta imagine Dei. ibid. Ejus laus à D. Auguſtino. p 270. n. 15.

Pneumatomachi hæretici ex propoſitionibus *per*, & *ex* impugnabant æqualitatem Jesu-Chriſti cum ſuo æterno Patre. p. 83. n. 1.

Præciſio objectiva inter gradus metaphyſicos. p. 165. n. 15.

Prædicationes in Deo perinde se habens in abſtracto, & in cóncreto, & omnes sunt veræ, etiam in sensu metaphyſico. p. 116. 117. et 118.

Prædeſtinatio horum hominum præ illis, vel reprobatio, arcanum impenetrabile. p. 276. cap. 73. Sicut etiam qua ratione hi parvuli præ illis electi fuerint ad beatitudinem. ib.

Præfatio Monologii. p 72. Ejus lectio valdé commendata ab Anselmo Lectori pro intelligentia Monologii. p. 73.

Præpoſitiones *per*, et *ex* in Scripturis Sanctis ſignificationem ad *in*vicem commutant. p. 84. n. 4.

Præpoſitionum *ex*, et *de* quæ diſtinctio. p. 84. n. 5.

Processio in infinitum in ordine na-

turarum impossibilis est. pag. 80. cap. 4. Processiones Divinæ ad intra, vide in littera. V.

Proslogium quid significet. p. 72.

Prudentius Maran Monachus Congregationis S. Mauri edidit novissimè conjunctim Opera S. Justini, S. Theophili, Hermiæ, Athenagoræ, et cujusdam alius Authoris. p. 93. n. 4.

Q.

QUO sensu sit principium per se notum: *Ex nihilo nihil fieri.* p. 95. n. 8.

Quomodo Deus trinus in personis sit ineffabilis, cum de illo multa vere dicantur. p. 251. cap. 65.

R.

RAtio, et idea quo sensu idem significent p. 96. n. 2. Illa ratio est locutio rerum in Deo. p. 97.

Rationalis anima meminit sui ipsius, intelligit se, et amat se. p. 166. cap. 32. et p. 169.

Regula dignoscendi quæ perfectiones formaliter conveniant Deo, et quæ non. p. 110. et seqq.

Relatio summi, seu majoris omnibus rebus potest deficere formaliter in Deo, non existentibus creaturis. ibid. Eadem ratio est de relationibus similibus. ibid. Relationes similitudinis, et æqualitatis advenire possunt subjecto absque omni ejus mutatione. p. 143. cap. 25.

Relationes sunt in Deo ad creaturas, quæ sunt reales, et non tantum rationis. p. 145. n. 7.

Relativa non sunt per se invicem. p. 78. cap. 3. Sunt per subjecta. ibid. Non significant substantiam. 110.

Reproborum pœna erit æterna. pag. 272. cap. 71. Et cur. p. 273. n. 5. et 6.

Rerum conservatio simili modo probatur ab Anselmo, quo Dei existentia. pag. 105.

Res immateriales seu spirituales non cognoscuntur per species á sensibus acceptas. p. 173. n. 9. et 10.

Ruiz de Valladolid Indicem copiosum fecit Operum Aristotelis. p. 199. n. 6.

S.

SAbatier (Petrus) Editor versionis Italicæ. pag. 176. n. 19. et aliis in locis.

Scire, et cogitare non semper sunt idem; sed quandoque separantur. p. 157. num. 7.

Scotus sentit posse demonstrari mysterium SS. Trinitatis. p. 250. n. 16.

Sensuum duntaxat ministerio agnoscimus res materiales. 101. n. 8.

Sententiæ variæ Philophorum antiquorum circa materiam, ex qua res sunt constitutæ. p. 89. n. 1. Item de modo, quo vel à Deo vel sine Deo (apud ipsos) factæ fuerint. ibid.

Similitudo eorum est, quorum vel unum est causa alterius, vel ab eadem causa procedunt. p. 76. n. 6.

Simplicitas Dei summa. p. 118.

Sociniani hæretici ex articulo græco à arguunt contra divinitatem Jesu-Christi p. 83. in marg.

Spei virtus ratione probatur. p. 279. cap. 74.

Spiritus nomen aliquando essentiam omnino incorpoream, et immaterialem significat: aliquando vero tertiam Trinitatis personam. p. 229. n. 8.

Spirationis vocabulo forsan primus usus est S. Anselmus pro processione Spiritus Sancti. pag. 229. num. 6.

S. Petri Damiani sententia de modo creationis mundi. pag. 93. num. 4.

S. Athanasius probat existere Verbum Dei, sumpta probatione ex creaturis. pag. 101. num. 7.

S. Augustini doctrinam secutus est, in Monologio præcipue, S. Anselmus. pag. 72.

Substantia summa, & natura Deus. pag. 78. cap. 3. & 4.

Synodus Tridentina citata pro materia fidei. pag. 284. num. 1.

T.

D. Thomas quid senserit de his, quæ similia sunt. pag. 76. num. 6. Et de progressione infinita in moventibus, & causis efficientibus. pag. 82. num. 3. Ubi demonstret Deum existere. ibid. Et unicum esse. ibid. Usus est explicationibus S. Anselmi circa creationem mundi ex nihilo. pag. 94. num. 6. A S. Anselmo accepit doctrinam, qua utuntur Thomistæ pro constitutione futuri. pag. 124. num. 10. Non semper ipsa Authorum verba profert, sed quandoque sensum duntaxat, quandoque neque verba, neque sensum, sed consequentiam. pag. 138. num. 14. Frequentissime laudatus in his comment.

Tri-

Tridentina Synodus citata pro materia fidei. pag. 284.

Trinitatem posse dici tres substantias secundum Græcos, ait S. Anselmus cum D. Augustino. pag. 72. & 73. & cap. 78. Trinitatis mysterium an possit demonstrari quoad existentiam, fide supposita. pag. 247. num. 4. & seqq. Trina unitas, & una Trinitas, dicitur catholicè, & sine ullo periculo. pag. 287. cap. 78. & in comment. num. 17. & seqq.

V.

VErbum quot sensibus accipiatur. pag. 97. Verbum quod foris sonat, signum est verbi, quod intus lucet. pag. 99. num. 2.

Verbum Dei non est similitudo factorum, sed veritas essentiæ. pag. 160. cap. 31. Est regula, & mensura omnis creatæ veritatis. ibid. & pag. 164. num. 11. & seqq. Illo dicit se ipsum Deus. pag. 165. cap. 31. Utrum procedat per se ex cognitione possibilium. pag. 167. num. 7. Eodem verbo dicit Deus se, & dixit universas creaturas. pag. 170. cap. 33. Hoc Verbum non est Verbum creaturæ. ibid. Est character, figura, & imago substantiæ Dei. pag. 176. num. 19. Quomodo tam differentes res, Deus, & creatura, hoc uno verbo dici potuerint à Deo. p. 177. cap. 34. In verbo Dei, & scientia ejus, omnia creata sunt vita, & veritas. pag. 180. cap. 35. Quomodo legant S. Irenæus, Cyprianus, Hilarius, Augustinus, hunc textum Scripturæ: Quod factum est in ipso, vita erat. pag. 183. num. 7. Verbum est imago Patris, & est ad Patrem. pag. 189. cap. 38. Pater vero nec imago, nec verbum est. ibid. Proprium unius est esse ex altero: & proprium est alterius, alterum esse ex illo. ibid. Verbi processio nativitas est. pag. 193. cap. 39. Non probat hoc Anselmus ex definitione Aristotelis de generatione viventium. pag. 195. num. 5. & 6. Ille à quo procedit Verbum, verissimè est parens; & Verbum verissima est proles ejus. pag. 195. cap. 40. Quod probatur ex maxima similitudine inter utrumque. ibid. Est etiam in Deo verissima generatio. pag. 197. cap. 41. Unus verissimè genitor, & Pater; alter verissimè genitus, & Filius. pag. 197. cap. 42. Cur unus non est mater, alter vero non est filia. ibid. Quæ sint propria singulorum, & quæ amborum communia. pag. 201. cap. 43. Alter alterius est essentia; & quomodo pag. 203. cap. 44. Aptius dicitur Filius essentia Patris, quàm Pater essentia Filij. pag. 207. cap. 45. 46. 47. & 48. A Patre, & Filio pariter procedit idem Amor. p. 214. cap. 50. In memoria intelligitur Pater, in intelligentia Filius. ibid. Pater, & Filius amant se ad invicem æquali amore. pag. 217. cap. 51. Iste Amor est æqualis Patri, & Filio. pag. 218. cap. 52. Est idem Deus cum Patre, & Filio. pag. 218. cap. 53. Totus procedit à Patre, et totus à Filio. pag. 220. cap. 54. circa hoc legatur liber S. Anselmi de Processione Spiritus Sancti. pag. 221. num. 5. Hic Amor non est Filius Patris, aut Filij; et ratio. pag. 221. cap. 55. Sophisma Arrianorum, et aliorum hæreticorum circa hoc; et ejus solutio. pag. 222. num. 1. et 2. Solus Pater est genitor, et ingenitus; solus Filius genitus; solus Amor nec genitus, nec ingenitus. pag. 225. cap. 56. Hic Amor est increatus, et unus creator cum Patre, et Filio. pag. 227. cap. 57. Est Spiritus Patris, et Filij, quia ab utroque spiratur. ibid. Est Patris, et Filij essentia, et sapientia, et similia. pag. 231. cap. 58. Tres Divinæ Personæ sunt pariter in se invicem. pag. 231. cap. 59. In Amore intelligitur Spiritus, sicut in memoria Pater, et in intelligentia, Filius. ibid. Nulla Persona Divina indiget alia ad memorandum, intelligendum, amandum. pag. 233. cap. 60. Unus tantum est Pater, unus Filius, unus Spiritus Sanctus. pag. 235. cap. 61. Objectiones, quòd plures Filij nasci videantur. pag. 236. cap. 62. Solutio p. 239. cap. 63. licèt Pater dicat, et Filius dicat, et Spiritus Sanctus dicat, non est nisi unus dicens. ibid. Dictio accipitur communiter, et notionaliter, Verbum tamen non nisi personaliter. ibid. et p. 245. num. 21.

IN PROSLOGIO.

A.

ADami ſtatus in innocentia ; et ejusdem ſtatus , et totius ſuæ propaginis poſt peccatum patheticé describitur. pag. 299. cap. 1.

Æternitas nullas habet partes. pag. 360. cap. 18. et pag. 364. num. 18. Eſt tota ſemper. ibid. cap. 19. num. 1. et ſeqq. Non habet præteritum , neque futurum ; ſed omnia tempora continet , ut præsentia. pag. 365. num. 2.

Ævum differt à tempore , et ab æternitate : et Angeli mensurantur ævo. pag. 368. num. 7.

Angeli ſunt quodammodo incircumscripti , et æterni. pag. 345. cap. 13.

Anima rationalis eſt etiam quodammodo æterna , et incircumscripta. ibid. Eſt tota in ſingulis membris ſui corporis. ibid.

Anomæi , ſeu Eunomiani hæretici dicebant ipsam eſſentiam Dei , ſicut eſt , à nobis intelligi. pag. 351. num. 4. et ſeqq.

S. Anselmus aliqua in Monologio, et Proslogio ſcripsit , quæ alibi non legerat, aut non meminerat ſe legiſſe. pag. 369. num. 10.

S. Auguſtinus dicit , quód quæ proprié de Deo dicuntur , quæque in nulla inveniuntur creatura , raró ponit Scriptura Divina. pag. 371. num. 2.

B.

BAſilij ſententia de Angelorum circumscriptione. pag. 347. num. 10. Et Damasceni. num. 11. Quo ſensu dicat nomina , etiam absoluta , quæ dicuntur de Deo , non ſignificare ſubſtantiam , vel eſſentiam. pag. 361. num. 4. et 5.

Beatitudo vera nostra ubi ſit : et quæ bona illam neceſſario comitentur : et quanta ſcientia , et quantus amor , et quantum gaudium in Beatis. pag. 381. cap. 25. et ibid. toto comment. Est ex ſua ratione , et intrinsecùs inamissibilis. pag. 385, num. 18. et ſeqq. Quod perspicué probatur etiam ex S. Auguſtino. ib.

B.C.D.

Eſt gaudium plenum , quod prommittit Dominus. pag. 387. cap. 26.

Beati tantum gaudebunt , quantum amabunt : tantum amabunt , quantum cognoscent. ibid. & num. 1. cum ſeqq.

S. Bernardus quærit : *Quid est Deus*, & respondet : Quo nihil melius cogitari poteſt. Ex quo probat Divinitatem eſſe Deum. pag. 372. num. 3.

Boetius quod dicat vere unum. pag. 379. num. 17. & D. Bernardus ex ipso. ibid.

C.

CAlmet (P. Auguſtinus) exponit, quàm varié accipiatur ſæculum in Scriptura Sacra. pag. 370. num. 3.

Compositum quodlibet non eſt id quod eſt. pag. 372. num. 4.

Concilium 4. Lateranense probat conſubſtantialitatem Filij cum Patre ex ſumma ſimplicitate Dei , ſicut S. Anselmus probat. pag. 377. num. 10. Et ex illo Sacræ Scripturæ : *Pater quod dedit mihi , majus omnibus est.* ibid. In Deo , inquit, ſolummodo Trinitas eſt , non quaternitas. pag. 379. num. 18.

Concilij Florentini definitio de vera noſtra beatitudine. pag. 380. num. 1.

Conſideratio , & conjectatio de ſummo bono ex bonis creatis , tamquam á minimo ad maximum. pag. 379. cap. 24. & num. 1. cum ſeqq.

S. Cyrillus Hierosol. aſſerit Deum eſſe ſui ſemper ſimilem , eſſentiâ uniformem, & uniusmodi. pag. 363. num. 15.

D.

DEUM exiſtere eſt per se notum, etiam nobis. p. 301. et multis seqq. Probatur etiam authoritate S. Auguſtini , et aliorum Patrum , præsertim S. Bonavent. et Albert. Mag. authoritate quoque aliorum Theologorum : et respondetur ad rationes in contrarium S. Thomæ. ibid. Deus

eſt

est quidquid absolutè melius est esse quam non-esse. pag. 320. cap. 5. Omnia fecit ex nihilo. ibid. Ejus vera notio est : *Id quo nihil melius cogitari potest.* toto Proslogio, & Apologet. Non est corpus, neque corporeus. pag. 323. cap. 6. Est sensibilis, sed non quomodo corpus. ibid. Omnipotens, etiamsi peccare non possit, neque corrumpi. pag. 324. cap. 7. Ratio, & regula judicandi de omnibus, etiam de his quæ dicuntur primæ veritates, aut prima principia. pag. 327. n. 9. & seqq. Potest facere ut præterita non fuerint? p. 329. num. 15. Est misericors, & impassibilis. pag. 329. cap. 8. Inde est justus unde misericors, & inde misericors unde justus. pag. 331. et 332. cap. 9. Justè punit, & justè parcit. pag. 337. cap. 10. Est ipsa vita, qua vivit, et sic de similibus. p. 343. cap. 12. Incircunscriptus, & æternus. pag. 345. cap. 13. Quo sensu alii spiritus sint incircumscripti, & æterni. ibid. Deus ab hominibus viatoribus videtur, & non videtur; & cur. pag. 349. cap. 14. Est incomprehensibilis. ibid. Videri non potest, ut est in se, per speciem creatam. pagin. 352. num. 9. & 10. Præscit, & scit omnia comprehensivè. pag. 353. num. 13. Est major, quàm cogitari possit: & hæc est ejus notio perfectior. pag. 354. cap. 15. et num. 1. Est lux inaccessibilis : per quam tamen videmus. pag. 355. cap. 16. Illam videmus per species creatas, tanquam per radios suos ad nos reflectentes, ibid. & n. 1. & seqq. In nobis est per essentiam, præsentiam, & potentiam. ibid. In Deo sunt harmonia, odor, sapor, &c. ineffabili modo. pag. 358. cap. 18. Ipse est vita, sapientia, æternitas, et omne verum bonum. p. 359. cap. 18. et p 360. Hæc omnia sunt unum omnino in Deo, et cum Deo. ibid. Nullæ sunt partes in eo nec physicæ, nec metaphysicæ, nec alio quocumque modo compositionis. ib. et num. 2. cum seqq. In nullo est sibimetipsi dissimilis. p. 360. cap. 18. et pag. 363. n. 14. et 15. Est ipsa unitas, nullo intellectu divisibilis. ibid. et num. 16. Non est formatus sed forma est. ibid. Est maxime unus. ibid. Non est in loco, aut tempore; sed omnia sunt in illo. pag. 364. cap. 19. et num. 6. et in Monolog. cap. 22. Deus non fuit, nec erit; sed heri, et hodie, et cras est. pag. 365. num. 4. Est ultra omnia, etiam æterna. pag. 366. cap. 20. et ibid. toto Comment. Solus ipse est quod est, et qui est : propter quot rationes. p. 371. cap. 22. et in comment. Ipse solus absolutè, et simpliciter est. pag. 374. num. 15. Est ipsum bonum, et bonum omnis boni. p. 380. n. 1. Est, dicit S. Bernardus, suum ipsius, et omnium esse. ib. Nulla est in eo distinctio formalis ex natura rei. p. 363. n. 13.

E.

EXistentia Dei est per se nota, etiam nobis. p. 295. n. 6. et seqq. Vide etiam litteram D.

Entia rationis Thomistica nulla sunt pag. 320. n. 65.

F.

FLorentini Concilii definitio veræ beatitudinis nostræ. p. 380. n. 1.

Futura, omniaque præterita existunt physicé ab æterno in æternitate. p. 365. n. 5. et cap. 22. Monologii, et 4. et 5. cap. libri de *Concordia præscientiæ.* q. 1.

G.

GErberonii censura in Proslogium. p. 297.

Gilbertus Porretanus quo sensu dixerit, quód Deitas non est Deus. 344. n. 2.

S. Gregorius Mag. exponit illud Joannis : *Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret ego sum.* pag. 365. n. 4. Exponit etiam illa Exodi verba (sicut ipse legit) Dominus, qui regnas in æternum, et in sæculum, et adhuc. p. 369. n. 9.

I. J.

INcircumscriptum omnino quodnam sit; incircumscriptum partim quod sit? p. 345. cap. 13.

S. Joannes Damasc. non leviter exponit significationes, quas habet in S. Scriptura hæc vox, *sæculum.* p. 370. n. 2. Quo sensu dixerit nomina, etiam absoluta, quæ dicuntur de Deo, non significare substantiam, vel essentiam Dei. p. 361. num. 3. et seq.

Josephus à S. Benedicto, laicus Monsarratensis, exponit textum Micheæ in cap. 4. *Omnes* populi ambulabunt *&c.* nos autem *&c.* in æternum *& ultra.* Et conjungit textum similem Exodi. p. 369. n. 11.

Ipsum esse nequit cogitari non esse. 379. n. 11.

S. Irenæus asserit, quód Deus est totus ipse sibimetipsi similis, et æqualis. p. 363. n. 14.

*****

Jus-

Justitiæ Dei conjunctio cum ejus misericordia. 331. cap. 9. Inde est justus Deus, unde misericors, et inde misericors unde justus. ib. Juste punit Deus, et juste parcit malis. p. 337. cap. 10. Justum est id solum quod vult Deus; non justum, quod non vult. p. 339. cap. 11. De justitia Dei nascitur ejus misericordia (intellige non ortu reali) ib. Justus Dominus in omnibus viis suis. ib.

L.

LAteranense Concilium 4. probat consubstantialitatem Filii cum Patre ex summa simplicitate Dei, sicut S. Anselmus. p. 377. n. 10.

Lectiones variæ illius versus cap. 15. Exodi: *Dominus regnabit in æternum, & ultra.* p. 367. n. 2.

Lumen gloriæ, etiam in sententia Anselmi, est necessarium ad videndum Deum, sicuti est in se. p. 352. n. 9. Ex ipsius doctrina colligitur esse impossibilem speciem creatam representantem Deum, ut est in se. ib. et num. 10.

M.

MAgister sententiarum exponit egregiè summam simplicitatem Dei, et quomodo Deus sit suum esse; nulla creatura sit omnino simplex, & id, quod est. pag. 372. n. 6.

Manualis liber, S. Augustini operibus insertus, maximam partem ex Proslogio S. Anselmi desumptus est. p. 297.

Marcion hæreticus duos finxit Deos, alterum bonum, alterum judicem, aut justum. p. 337. n. 20.

Misericordiæ Dei cum ejus impassilitate conjunctio. p. 329. cap. 8.

N.

NOmina quæ dicuntur de Deo non solum dicuntur de ipso in concreto sed etiam in abstracto. p. 343. cap. 12. et in commt. Aliqui vel errantes, vel hæretici, contrarium dixere tempore S. Bernardi, quos hic Sanctus impugnat. p. 344. n. 2.

Nomina absoluta, vel essentialia in Deo unum, et idem significant. pag. 362. n. 8. et cap. 17. Monologii.

Nulla est compositio in Deo, neque metaphysica. p. 362. n. 9. et seqq.

Nullus Pater (quem legerit Author comment.) est, qui tam aperte, et ex proposito scripserit de futurorum existentia physica ab æterno in æternitate, sicut S. Anselmus. p. 368. n. 6.

O.

OMnipotentiam Dei diversimodé, sed non contrariè, explicant SS. Anselmus, & Thomas. p. 327. n. 7. & 8. Nihil est possibile, aut impossibile, nisi quod Deus vult, aut non vult. ib.

P.

POtentia peccandi non est potentia, sed impotentia. pag. 324. cap. 7. Aliæ etiam potentiæ dicuntur abusivè, seu impropriè. ib.

Præcisio perfecta, vel ex parte objecti intellectus nostri nulla est in Deo. p. 364 n. 17.

Prædestinatio Dei, & reprobatio in particulari, impenetrabile mysterium. pag. 339. cap. 11.

Primi principij non potest esse vera demonstratio. p. 327. n. 10. Primæ veritates, aut prima principia nobis congenita, non possunt esse regula judicandi de Deo. ib.

Proslogium quid significet. p. 297. Quid contineat, & quid S. Anselmo acciderit pro ipsius compositione. ib.

Q.

QUOD est mutabile non est id quod est. p. 373. n. 7. Ratio ibidem cum S. Augustino. n. 8. Quod incepit à non esse, & potest cogitari non esse, non est absolutè, & simpliciter, nec est *ipsum esse.* pag. 373. n. 9. & seqq. Quod non subsistit per se, sed per aliud, non est absolutè, & simpliciter; neque est ipsum esse, nec est quod est. ib. n. 12. Quod habet fuisse, quod jam non est, & futurum esse, quod nondum est, neque est ipsum esse, neque absolute, et simpliciter est. p. 374. n. 13.

Quodnam sit verè unum ex Boetio. pag. 379. n. 17.

Quomodo universæ viæ Domini misericordia & veritas. p. 339. cap. 11.

R.

RAtionibus eisdem, vel expressis, vel suppositis, quibus usus est in Monolog. probbat S. Anselmus consubstantialitatem trium Divinarum Personarum. pag. 374. cap. 23. & p. 376. n. 4. cum seqq.

Re-

Regula prima judicandi de omnibus Deus eſt. p. 327. n. 9. & seqq. Etiam de his, quæ prima dicuntur principia. ibid.

S.

SÆculum sæculi, & sæcula sæculorum in Scriptura quid ſignificet. p. 369. & 370. cap. 21. et n. 1. & seqq.

Scientia Dei omnes res creatas cum suis cauſis, effectibus, modis &c. comprehenſivé cognoscit. p. 353. n. 13. Præhabet in se omnes creatas veritates. ib. Excedit omnem capacitatem intellectus creati. ib. n. 14. Sciri non poteſt à nobis cur de ſimilibus peccatoribus hos magis salvet Deum, quàm illos. p 339. cap. 11.

Species creata quæ representet Deum, uti eſt in se, eſt impossibilis. p. 352. num. 9. & 10.

Spiritus S. eſt amor communis Patri, & Filio, ab utroque procedens. p. 374. cap. 23. Eſt æqualis Patri, et Filio. ib. Ratio hujus probativa. ib.

T.

D. Thomas utitur ratione S. Anselmi in cap. 22. Proslogij ad probandum quód nullum compositum eſt id quod eſt. pag. 372. num. 5. Utitur etiam tribus expoſitionibus S. Anselmi ſuper Exodi verba: *Dominus regnabit in æternum, & ultra.* pag. 368. num. 8. Etiam ſicut S. Anselmus probat ex ſumma ſimplicitate Dei Divinitatem non poſſe multiplicari. pag. 378. num. 11.

Totum, quod eſt compoſitum, non eſt id, quod eſt. pag. 372. num. 4.

Trinitas Deus eſt ſummum bonum; eſt unum neceſſarium, quod eſt omne, & totum, & ſolum bonum. pag. 364. cap. 23. Poteſt probari reipsa exiſtere neceſſariis rationibus (ſuppoſita fide) etiam remota Sacra Scriptura; & reipsa probatur. pag. 376. num. n. 3. & seqq. Eſt numerus ſine numero. p. 379. n. 17. Est solummodo Trinitas, non quaternitas. ibid. n. 18.

V.

VErbum Divinum non potest eſſe aliud quám quod eſt Pater p. 374. cap. 23. Nec aliquid majus, vel minus in eo poteſt eſſe, quàm quod est in Patre. ib. Est ipsa veritas, ſicuti Pater; & non alia. ibid.

Verum, et ens convertuntur. p. 353. n. 12.

Veritas accepta pro intellectu, & scientia Dei. ibid. n. 13.

IN APOLOGETICO.

A.

ALexander de Hales usus est doctrina & ipſis verbis S. Anselmi in cap. 4. Apologetici. p. 410. n. 11. Angelicus Doctor consentit etiam cum S. Anselmo. ib.

Angeli duo supremi cogitari poſſunt pares inter ſe, supposita opinione, quód plures possint creari à Deo ejusdem speciei pagin. 414. n. 9.

S. Anselmi modestia erga Gaunilonem ſibi contradicentem. p. 392. n. 1. Ejus liber Apologeticus contra eumdem Gaunilonem. ib. Non accepit à S. Auguſtino argumentationem suam contra Inſipientem. p. 412. n. 3. et in commen. capp. 2. et 3. Proslogii. In quo differant notio Dei data ab Augustino in libb. de doct. Christ. et hæc qua utitur S. Anselmus: Id, quo majus cogitari nequit. ib. Gratias agit Gauniloni impugnatori suæ argumentationis. p. 426. cap. 10. Et nos ipſi Gauniloni non parvas debemus. ib. in fin. Comment.

C.

CArdinalis Cajetani quæ fuerit ſententia de Argumento S. Anselmi contra Inſipientem. p. 404. n. 3. et seqq. Perperàm usus est distinctione existentiæ ſignatæ, vel exercitæ, ut responderet argumento S. Anselmi. ibid. Non introspexit vim ejus. ib. Prædicta ipſius distinctio tam longé est, ut in aliquo debilitet vim argumentationis Anselmianæ, ut potius eſſe insuperabilem ostendat. ib.

Censura Gerberonij de libro pro Inſipiente. p. 389. Hunc librum perperám tribuit Franciscus Picus Roberto Olkot. ibid. Idem Picus cum aliis argumentum S. Anselmi contra Inſipientem non introspexit. ib. Censura Gerberonii de libro Apologetico. 392.

Cognoscimus res, vel per propriam ſpeciem vel per speciem ſimilis alterius rei. p. 419. cap. 2. et in commt. n. 3. Cognosci potest, licet imperfecte, id, quo majus cogitari non potest, ſive summum bonum ex minoribus bonis. ib.

Consequentia valet, quæ hujusmodi est:

Exis-

Existit id, quo majus cogitari nequit; ergo existit id quod majus omnibus est. Sed non valet formaliter ab hoc ultimo ad primum. p. 415. n. 14.

Creaturæ universæ, et iam quando existunt, possunt cogitari sine existentia. p. 408. n. 4. et seqq.

D.

DEI diffinitio nulla est propriè; nisi forsan dicatur perfectisimo modo esse Patris æterni diffinitio Filius Dei. pag. 418. n. 2. Deo proprium est non posse cogitari non esse. p. 410. num. 13. Deo non aliud proprium magis, quàm esse, intelligitur, inquit S. Hilarius. ib.

Demonstratio manifestat ignota per notiora. p. 418. n. 2.

Differentia inter cogitare, et intelligere. p. 406. cap. 4. et in commt. n. 3. Et inter intellectum, et opinionem. ib. n. 4. Differentia horum dictorum: *Id quod majus est omnibus*: Et: *Id, quo nihil majus cogitari potest*; in quo sit. p. 411. cap. 5. et in comment. n. 2. cum seqq.

Distinctio sensus compositi, et divisi. p. 410. n. 10.

F.

FAlsa nequeunt intelligi. p. 407. n. 1. Quo sensu. ib. n. 3. et 4. Falsi duo sunt genera. p. 417. n. 6. Falsa non meminimus; quomodo ergo illa cogitamus, cum non cogitemus, nisi quod meminimus? pag. 421. num. 5.

G.

GRatias agit S. Anselmus Gauniloni pro sua impugnatione contra ipsum; et nos etiam non parvas ipsi debemus. p. 426. cap. 10. et in fin. comm.

I.

IMpressa nobis est notio ipsius boni, per quod verè judicamus aliud alio melius. 423. n. 9.

Insipiens non potest negare se intelligere suam negationem: et ex hoc ipso erit convictus. p. 423. cap 9. et in comment.

Insula ficta, olim *perdita* appellata, quæ fuerit? p. 391. n. 6. et p. 403. cap. 3.

Intellectus, aut intelligentia proprissimé quid sit. p. 408. n. 4.

M.

MENS rationalis corporearum rerum notitias per sensus colligit, incorporearum per semetipsam. pag. 421. n. 5.

Modus, quo mens per bona inferiora ascendere potest ad supremum. pag. 422. num. 7.

Multa cogitamus non esse quæ scimus esse: & multa esse, quæ non esse scimus: non existimando sed fingendo. pag. 407. cap. 4.

O.

OMnia possunt cogitari non esse præter id, quod summè est. pag. 406. cap. 4. Omnia, & sola possunt cogitari non esse, quæ initium, aut finem, aut partium habent conjunctionem, & quidquid alicubi, aut aliquando totum non est. ibid. Opinio potest putari intellectus: intellectus autem opinio non potest: hæc falli, & fallere potest; ille non. pag. 408. num. 4.

P.

POssumus cogitare aliquid non esse, quandiu scimus esse, & non possumus cogitare non esse, quandiu scimus esse. pag. 407. cap. 4. & pag. 409. num. 7. & seqq.

Propositio hæc: *Deus existit*, est omnibus per se nota. pag. 414. num. 11. Vid. in comment. capp. 2. 3. & 4. Proslogij.

Q.

QUo majus cogitari non potest eo ipso quód intelligitur, vel cogitatur, & revera probatur existere, & idipsum esse, quidquid de Divina substantia oportet credere. pag. 426. cap. 10.

Quod habet initium, vel finem, vel cogitari potest cum initio, aut fine, vel non esse alicubi, aut aliquando, aut non semper simul totum sit, & ubique, non est id quo majus cogitari non potest. pag. 393. & 597. & seqq. Quod implica. contradictionem à nullo potest cogitari. pag. 396. num. 8. & 406. num. 9.


1.595